
M

DEFENSIO PRO IMMACVLATA SACRÆ DEIPARÆ VIRGINIS CONCEPTIONE AB OMNI PRORSVS ORIGINALI LABE.

AVCTORE

FR. LVDOVICO MIRANDA

Vallisoletano, Regularis obseruantiæ in Conuentu Salmanticensi sacræ Theologiæ Prælectore et causarum sancti Officij Qualificatore.

AD SANCTISS. D. N.

VRBANVM VIII PONT. MAX.





SALMANTICÆ.
Apud Antonium Ramirez Viduam
ANNO M.D.C.XXVI.



Summa Priuilegij.

REGIO diplomate cautum est ad decennium, ne quispiam librum hunc pro defensione Deiparæ Virginis Conceptionis, præter eiusdem auctorem, ipsiusve facultatem habentem typis mandet, seu imprimere faciat, aut alibi impressum in his regnis diuendat, sub pœnis in eodem cōtentis. Datum apud S. Laurentium del Escorial 17. die mensis Octobris, anni 1620. expeditum à Petro de Contreras Regio secretario.

CORRECTIO.

HIC liber conuenit cum suo originali, illapsa raro vna aut altera literula, quæ sensum non mutat, cuivis facile restituēda, vt pag. 9. lin. 43. nacura, pro natura. pag. 32. lin. 35. radiaxt, pro radix. pag. 617. lin. 4. rei, pro res. Ideò vt fidem facerem meo nomine roboraui.

Corrector Magist. Gonzalus Correas.

ESTE libro esta tassado à quatro marauedis el pliego, tiene nouenta y quatro pliegos y medio, que al dicho precio sumā y montan trecientos y setenta y ocho marauedis, que son once reales y quatro marauedis, al qual precio y no mas esta mādado se venda, y que esta tassa se ponga al principio. Despachose en el escritorio de don Fernando Vallejo, secretario del Rey nuestro Señor, à 17. dias del mes de Iunio de 1626.

Don Fernando de Vallejo.

APPROBATIO EX COMMISsione Ordinis.

EX commisione R.A.P.Fratris Iuanetin Niño, supremi Cōsilij Sanctæ Generalis Inquisitionis Qualificatoris, huius Prouinciæ Diui Iacobi Prouincialis Ministri, censoreo (vt dicitur) vnge, & qua potui diligentia, vidi, euolui atque per legi hunc librum, *protuenda Immaculata Deipara Virginis Conceptione, ab omni prorsus originali labe*, quem sapientissimus pariter atque A.R.P.Frater Ludouicus Miranda, huius Salmanticensis Conuentus sacræ Theologiæ prælector, edere parat in lucem: & in eo inueni nihil a recto nostræ fidei tramite deuians; nihil bonis moribus noxium: quinvero omnia quæ in eo continentur eruditione sunt plena, sacræ paginæ auctoritati consona, Apostolicis traditionibus, æcumenicis Concilijs, Summorum Pontificum decretis, miro concentu correspondentia. Sane qui inter tot ac tanta hisce temporibus circa præfatam materiam, à Doctoribus sparsa volumina, quasi apis quædā argumentosa libro suo hoc breui cōpēdio simul in vnum tradit collecta omnia, & è Sacræ Scripturę, & Sanctorū Patrū fontibus summo studio mirificè exhausta: in quo tanti viri quammaxime elucet sapientia. Opus certe dignum quod prælis mandetur, & ad communem Ecclesiæ vtilitatem in lucem exeat. Ita cēseo, & huic censuræ me subscribo. Salmanticæ 25. die Augusti anni 1620.

Frater Antonius Enriquez
Sacræ Theologiæ Salmanticensis Lector.

Licentia Prouincialis Ministri.

FRATER Iuanetin Niño, sacræ Theologiæ Lector, ac supræmi consilij causarum sancti Officij Qualificator, huius Prouinciæ Diui Iacobi Fratrum Minorum regularis obseruantiæ Minister. Præsentium tenore facultatem facio A.R.P. nostro Fratri Ludouico Miranda, eiusdē Prouinciæ Patri, & nostri Conuentus Salmanticensis Lectori iubilato, & causarum sancti Officij Qualificatori dignissimo: quatenus habita prius licētia supremi regalis cōsilij, imprimere ac typis mandare possit, liberum quē habet *protuenda Immaculata Deipara Virginis Conceptione*, ex nostra commisione vissum & approbatum, per Patrem Fratrem Antonium Enriquez, prædicti nostri Salmanticensis Conuentus sacræ Theologiæ Lectorem. In quorum fidem has litteras meo nomine, & officij mei sigillo muniui. Datis Salmanticæ 28. die Augusti anni 1620.

Frater Iuanetin Niño
Prouincialis Minister.

APPROBATIO EX COMMISſione Regij Senatus.

Facta à reuerendo admodum Patre, Fratre Franciſco Gonçalez, Ordinis Carmelitani, in Prouincia Caſtellæ Predicatore Generali.

DE commiſsione altitudinis veſtrę, vidi & quã maxima diligentia perlegi, librũ hunc ſcholaſtico more digeſtum, *In defenſionem Sacræ Deiparæ Virginis Conceptionis*, compoſitum per R. A. P. Fratrẽ Ludouicum Miranda, Ordinis Minorum, in Prouincia Diui Iacobi iam olim Prouincialem Miniſtrum. Qui quidem argumentum prędictum doctiſsime proſequitur, Immaculatam Virginis Conceptionem clariſsime explicat atque mirifice exaltat. Quapropter digniſsimum iudico, vt ab altitudine veſtra, licentia ſibi concedatur, quatenus opus hoc prælis mandetur, quod quidem haudquaquam fiet ſine magna legentiũ conſolatione & fructu. In quorum fidem, &c. Datum Matriti, in Conuentu Beatę Mariæ de Monte Carmelo, die 30. menſis Septembris. Anni 1620.

Frater Franciſcus Gonçalez.

Operis argumentum.




OLEMNIS nimiumque difficilis, est huius libri materia, multis titulis ac nominibus famolatiam olim (sed & nunc etiam) à grauissimis Doctoribus, tàm veteribus, quàm Neotericis, mirum in modum hinc inde, controuersa & exagitata. Et neque quidem in vnico dumtaxat sensu agendum â nobis in presentiarum est, an Virgo Sacra immunis omninò fuerit ab omni prorsus originali labe: sed in duplici, aut vero triplici. Primum, an Virgo prædicta in Adamo primo nostro Parente (saltim habitualiter) peccauerit? Secundô, an exinde contrahendi originalis peccati incurrerit debitum? Ac tandem tertiò, an de facto in Conceptione sua originale peccatum contraxerit, illique fuerit obnoxia & astricta: an vero potius ex superna dispensatione (diuina ipsam præueniente gratia) ab eodem diuinitus præseruata? Quæ tres præstantissimæ quæstiones atque difficultates, fauentibus superis sunt â nobis tractandæ, elucidandæ atque inuestigandæ, ea diligentia, breuitate, claritate & resolutione, vt hac in re (absit arrogantia verbo) nihil videatur reliquum quod supersit desiderandum. Et vt pro meo more, clare, dilucideque procedam, ne (vt dicitur) rerum ignorantia, multitudo siue indistinctio, confusionem, æquiuocationem atque obscuritatem pariat, priusquam ad prædictarum difficultatum tractationem accedam, in medium libuit proponere quasdam quæstiones præuias, summa animaduersione & cōsideratione dignissimas, totam originalis peccati materiam complectentes: quod & facere summopere necessarium duxi, ne de peccato originali & rebus ad idem spectantibus agentes, quidnam ipsum sit, vndeve proueniat, ac qualiter incurratur ignorare contingat, quod apud multos auctores, multoties fieri vidi. Et quia (vt inquit Aristoteles Philosophorum facile princeps, secundo Posteriorum cap. 1. agendo de modo & ordine procedendi) prima quæ in rebus omnibus disputanda atque discutienda occurrit quæstio, est an sit, secunda vero, quid sit: tertia autem, propter quid sit, & cætera quæ sequuntur per ordinē: id ipsum facere volentes, prima in presenti hoc libro quæstio proponitur, circa originalis peccati prædicti existentiam & actualitatem, inquirentes, verum ne sit, & vnde nam constet, esse quodam originale peccatum, quod omnes ab Adamo per rationem seminalem descendentes, naturaliter contrahunt per originem? Secunda vero, circa peccati eiusdem essentiam & qiditatem, quidnam sit, & in quo ipsius formalis ratio consistat? Sicque paulatim procedentes agimus de alijs omnibus ad eiusdem argumenti genus pertinentibus, quousque perueniatur ad principalem quæstionem, seu potius quæstiones quæ specialiter agunt de sacra Virgine. Quam esse conceptam absque omni prorsus originalis peccati labe, multis probatur rationibus & argumentis, ostendendo & monstrādo, id haudquaquam pugnare cum sacris litteris, fideive principijs: quinvero eisdem multum esse conforme, ac magis cōsonum quam oppositum. Nec obstare quominus prædicta Virgo Sacra, per Christi Domini sanguinem verè & proprie

proprie fuisse dicatur redempta. Simul monstrabitur, hoc idem esse satis consonum sacrorum Conciliorum diffinitionibus, Summorum Pontificum decretis, necnon sententijs & communi modo loquendi Sanctorum Patrum, & Doctorum Scholasticorum atque Expositiuorum, & esse sententiam quæ modo magis viget in Scholis & Vniuersitatibus cunctis. Et præmissa antiquitate festi Immaculatæ Deiparæ Virginis Conceptionis, ex eo & eiusdem in Ecclesia celebratione, & indulgentijs quæ eidem interessentibus conceduntur, ostenditur firmum ac efficax argumentum desumi posse, ad ipsius immunitatem confirmandam & comprobandam. Quod etiam fieri dicimus, ex eo quod Sedes Apostolica (diuino afflata spiritu) approbauit & confirmauit Religionem Monialium sub titulo Sanctæ & Immaculatæ Conceptionis, & ex miraculis quæ diuersis temporibus in comprobationem mysterij huius sunt patrata, necnon & ex multiplicibus reuelationibus authenticis eadem de re factis, & ex communi omnium fidelium cōsensu & applausu. Ex quibus omnibus colligimus, sententiam prædictam quæ Virginem Sacram à peccato originali liberat (nec dum esse piam, certam, veram, securam atque probabilem) quinvero magis piam, magis certam, veram, securam & probabilem, quam oppositam: quamvis illi contraria interim quod Ecclesia aliud non iudicauerit atque determinauerit, damnari minime debeat, nec fraudari possit opinionis nomine. Tandem decimus sententiam prædictam nostram (non vero aliam) populo esse proponendam & prædicandam, & esse rem quæ potest (quinvero & debet, si Sanctissimo Domino nostro Placitum fuerit) diffiniri & determinari: nec ad id opus esse congregare Concilium: quinvero extra ipsum optime fieri posse, propter rationes & causas quæ ibidem afferuntur. In vltimo loco, ostenso qualiter Virgo Sacra ab originali peccato fuerit, præseruata, dicimus etiam eandem in sua præseruatione siue sanctificatione, facta in primo suæ Conceptionis instanti, habuisse plenitudinem gratiæ & rationis vsum, per quem ad gratiam eandem suscipiendam se præparauit, & afferuntur plura alia quæ legentem haudquaquam pœnitebit legisse. Et in vltima quæstione per conclusiones, ponuntur resolutorie omnia quæ in toto hoc libro continentur. Faxit Deus Opt. Maximus vt omnia in eiusdem laudem & gloriam cedant, necnon & in honorem prædictæ sacratissimæ Virginis, & deseruiant ad totius Christiani populi ædificationē, & ad hoc vt omnes propensius atque behementius ferantur in Virginis eiusdem deuotionem.

.ʃ.

SANCTISSIMO ATQVE BEATISSIMO D. N. VRBANO VIII. PONTIFICI MAXIMO.


Frater Ludouicus Miranda Hispanus, Ordinis Fratrum Minorum, Regularis Obseruantię, post humilima pedum obscula beatorũ, perpetuam atque temporalem fœlicitatem exoptat.



N (Beatissime Pater) liber hic pro tuenda Immaculata Sacræ Deiparæ Virginis Conceptione (rudis ingenioli mei exiguus fœtus) ex varia atque multiplici Sanctorum Patrum, necnon & Doctorum Scholasticorum, & expositiuorum doctrina compactus, seu potius compilatus, scholastico more digestus, de nouo in lucem prodit, sub suffugio & protectione tui altissimi ac præclarissimi nominis; & à venenosis detractorum morsibus diffugiens, te (Patrem Sanctissimum) patronũ atque defensorem quærit: nec eo contentus, quæstionis celeberrimæ, multis titulis ac nominibus famosæ, tam olim sed & nunc etiam, à grauissimis Doctoribus, tàm veteribus & antiquis, quàm neotericis & modernis, mirum in modum controuersæ & exagitatæ, diffinitionem atque determinationem expostulat. Quod si ad Sacræ Virginis honorem, fideliũ cunctorum consolationem quam maximam, & ad vitanda quamplurima dãna, mala & scandala, quæ ex contrario facto exoriuntur in dies, sanctissimo domino nostro, pro sua pietate & clementia (quæ quammaxima est) efficere placitum fuerit: haudquaquam rem nouam faciet, sed potius antiquissimam, in alijs similibus casibus multoties in Ecclesia vsitatam, ac tanto Patre & Pontifice dignam. Quæ te (Beatissime Pater) in id ipsum possint mouere, quamplurima firma atque efficacissima argumenta in libro hoc reperire licebit. Ex quo etiã tibi constabit, qualiter ad id faciẽdũ congregare necessarium non sit Concilium præcise, sed recte fieri posse extra ipsum. Magno iubilo atque libentissimo animo (Beatissime Pater) hanc prouinciam (haud ignobilium ingeniorum lidyum probatorium lapidem) & si humeris meis imparem suscepi, ad tuendam atque defendendam immunitatem Sacræ Virginis, ob deuotionem quammaximam quã

erga eandem gero. Non quidem meo ingenio fretus (quod sentio quam sit exiguum) sed Virginis eiusdem auxilio: qui plane norim ad illud praestandum, illamq; elucidantibus, & pro suo posse, pulchram, puram, nitidam atque perlucidam ostendentibus & monstrantibus, quam ipsa praesto sit, praeter eximium illud aeternũ repromissum praemium, quod in persona eiusdem Prouerbiorum cap. 8. habetur, per illa verba: Qui operantur in me non peccabunt, qui elucidant me vitam æternam habebunt. *Digneris obsecro (Beatissime Pater) hanc meum laborem oculis tuae Sanctitatis subijcere; quod vt facias flexis genibus supplex oro & obsecro: & vt rem tantopere à cunctis fidelibus communi applausu exoptatam, expectatam atque desideratam, diffinire & determinare non amplius velis distulere, sed statim facias: vt cunctis futuris seculis innotescat, quantus & quammaximus fuerit semper tuus in Virginem Sacram eximius deuotionis feruor. Iam enim tempus fert vt obstruatur os loquẽtium iniqua (quod ad aliud simile propositum dixit olim Regius Psaltes Psalm. 62.) eorum (inquam) qui tanta temeritate & audacia, cum tãto fidelium scandalo, contra tot Sanctorum Summorum Pontificum placita (verius dicam praecepta) contra Virginem Sacram oblatrare non cesant, asserentes eandem in originali peccato fuisse conceptam, & ipsius labe fedatam atque immaculatam: haud certe aliter quam si ex ea re, & eiusmodi doctrina, quammaximum honorem, & magnum aliquod praemium se consecuturos sperarent. Quod dum feceris (Pater Beatissime) Virginem sacram à tali noxa liberando, propitiam atque defensorem proculdubio semper inuenies, & ipsius deuotos quammaxime deuincies, vt incessanter exoremus Deum Optimum Maximum, quatenus sanctitatem tuã in Nastoreos annos incolumem conseruet, ad magnam suam gloriam, & Ecclesiae nostrae sanctae vniuersalis vtilitatem quammaximam. E nostro Salmanticensi Diui Francisci Conuentu, 24. die Iunij Anni 1626.*

Frater Ludouicus Miranda.



DEFENSIO PRO IMMACVLATA DEIPARÆ VIRGINIS CONCEPTIONE, AB OMNI PRORSVS ORIGINALI LABE.

QVÆSTIO I.

Vtrum sit aliquod primi nostri Parentis peccatum, quod per originem naturaliter in suos posteros traducatur?



Ro tituli intelligētia prēmitto. Haud quaquam esse huius quæstionis sensum, vtrum per Adami primi nostri Parentis peccatum, natura nostra humana in deterius fuerit commutata, & quampluribus miserijs, ærumnis & calamitatibus subiecta, atque obnoxia: id enim adeò certum & clarum est, vt in controuersiam adduci minime debeat aut possit. Difficultas igitur est, an per huiusmodi peccatum (quod originale dicitur) traducatur in Adami posteros aliqua culpa, seu aliquis moralis defectus, qui verè & propriè peccati rationem habeat & culpæ, & sit aliqua pœna & punitione dignus: ita vt ex eo non solum contrahat pœnā, verum etiā & culpā, supplitio & pugnitione dignam. De qua difficultate & quæstione agit D. Augustin in innumeris suæ doctrinæ locis, sed maxime contra Pelagianos, & Ioann. Driedo to. m. 2. lib. 1 de gratia, & lib. .. tract. 3. per

quartum integrum cap. & lib. 2. tract. 2. capit. 2. vbi & dissoluit omnia prædictorum Pelagianorum argumenta. Armachanus lib. 8. de quæst. Armen. & Doctores Scholastici communiter cum Magistro in 2. sent. dist. 30. Thomistæ vero cum Diuo Thoma 1. 2. quæst. 81. art. 1. Soto lib. 1. de natura & gratia cap. 7. cum sequentibus. Pighius lib controuersiarum, controuersia 1. Ambrosius Catherinus Polytus lib. de casu hominis & peccato originali. Qua de re videndus est etiam Castro lib. quem inscripsit aduersus Hæreses verbo peccatum, hæresi 1. & Sixtus Senensis lib. 6. suæ Bibliot annotat. 236. 237. & 238. & nouissime Cardinalis Bellarmin. lib. 4. de statu peccati, & amissione gratiæ. Et omissis quampluribus Hæreticorum erroribus, cum quibus in præsentiarum contendere haudquaquam libuit, congruentiori loco id ipsum reseruantes: quod circa propositam difficultatem iuxta fidem firmiter credendum atque tenendum est, sequentes explicabunt Conclusiones.

Prima Conclusio.

De fide tenendum est, esse quoddam originale peccatum, quod omnes ab Adamo per rationem seminalē descendentes, naturaliter cōtrahunt per originem.

DE fide tenendum est, esse quoddam Adami primi nostri parentis peccatum, quod ab eo omnes per carnalem propagationem, siue rationem seminalem descendentes, naturaliter contrahunt per originē. Hæc Conclusio statuitur contra Pelagianos nostræ humanæ naturæ quammaximos defensores, originale peccatum in hominibus non agnoscentes, quinvero dicentes pueros omnes in eo statu nasci, quo (Adamo etiam non peccante) nati fuissent: hoc est neque iustos, neque iniustos, sed innocentia plenos, & tales qualis natus fuisset ipse Adam, si suæ tantum naturæ esset derelictus. Ex quo & consequenter dicunt, eiusmodi paruulos baptizandos minime esse, vt ab aliqua originali labe mundentur & liberentur; cum nullum eiusmodi peccatum in sua conceptione contraxerint, neque alicuius damnationis vinculo teneantur; sed solummodo vt in Regnum Dei admittantur, vt adimpleatur illud Ioan. 3 *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Subdunt præterea Pelagiani prædicti, quod primum Adami primi nostri Parentis peccatum, dicitur communiter transire in Posteros, non quidem generatione aut propagatione, sed imatione solummodo; pro eo quod ipsius Posteri peccando eundē imitantur, & in id ipsum prouocantur: nam ipse suo peccato tantum sibi nocuit, aut nocere potuit, nō vero posteritati suæ. De miserijs autem humanæ vitæ, quas omnes communiter patimur atque experimur (carnalem nempe concupiscentiam, mortem, famem, sitim, & cætera huiusmodi) dicunt Pelagiani prædicta omnia conditiones esse humanæ naturæ, sic primitus à Deo Optimo nostro Maximo institutæ, & non aliqua supplicia quæ proueniant nobis ex aliqua culpa, siue peccato Adami primi nostri parentis, quia ex eo omninò nullum contraximus. Hæc est manifestissima.

&

& pestilentissima Pelagianorũ Hæresis, contra quos agit D. August. in innumeris suæ doctrinæ locis, sed præcipue in lib. contra Pelagianos, & lib. de Hæresibus cap. 88. & in epist. 28. quæ est ad Hieronymum, item in epist. 106. ad Paulinum. Pelagianos prædictos sequuti sunt multi alij Hæretici. Primo Armenij, deinde Albanenses, postea Albigenses & Anabatistæ, ac tandem alij hæretici nostri temporis, cum quibus latissime disputat noster Castro aduersus Hæreses, verb. *peccatum*, & Clithobeus lib. 2. sui propugnaculi cap. 32. & Sanderus lib. 7. de Monarchia Ecclesiæ. Bellarminus lib. 4. de statu peccati. Zumel in prima secundæ D. Thom. quæst 81. art. 1. disp. 1 Vazquez ibidem disp. 130. & Lorca disp. 42. multique alij Scholastici Doctores. Sed omissa in præsentiarum disputatione cum Pelagianis, alijsq; hæreticis prædictis, de illa vt agatur proprio suo loco, pro nunc breuitati studendo, dico. Quod conclusio à nobis proposita firmiter est tenenda de fide, postquã habetur expresse diffinita atque determinata in quampluribus Concilijs. In Melibitano cap. 2. & in quodam Africano congregato contra Pelagium & Celestium, quod habetur tom. 1. Conciliorum cap. 77. & etiam diffinita est in Cõcilio Prouinciali Arausicano cap. 1. & 2. in Carthaginensi 4. cap. 1. & in Florentino 1. sub Eugenio IIII. in decreto super vnione Armenorum, & sæpe alibi. Sed amplius atque expresius, nunc nouissime est prædicta nostra conclusio diffinita & determinata in Concilio Tridentino Session. 5. decreto de peccato originali, in cuius primo capitulo sequentia expressa habentur verba. *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & iustitiam in qua constitutus fuerat amisisse, incurrisseq; per offensam praeuaricationis huiusmodi, iram & indignationem Dei, atque ideo mortem quam antea illi comminatus fuerat Deus: & cum morte captiuitatem, sub eius potestate qui mortis deinde habuit imperium (hoc est diaboli) totumq; Adam per illam praeuaricationis offensam, secundum corpus fuisse commutatum, & animam in deterius, anathema sit.* In sequenti autem secundo capitulo ad idem propositum sequentia etiam verba habentur. *Si quis Adæ praeuaricationem sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem, & iustitiam, quam perdidit, sibi soli & non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum quod mors est animæ anathema sit, cum contradicat Apostolo dicenti. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Hæc Concilium Tridentinum vbi supra. Determinata est præterea prædicta veritas à multis Summis Pontificibus, à Celestino Papa epist. 1. ad Episcopos Galliæ cap 4. & Leone I. epist. 22. ad plebem Constantinopolitanam, & epist. 81. ad Monachos Palestinos. Et quia Pelagiani contendunt D. Chrysostomum

mum in suam sententiam adducere. Videatur ea de re Sixtus Senensis lib. 6. suæ Blibiot. anno 236. vbi D. Chrysostomum ab hac noxa viriliter defendit. Quod & facit D. Augustin. lib. 1. & 2. contra Iulianũ, vbi in confirmationem huius veritatis plura adducit testimonia Antiquorum Patrum.

Secunda Conclusio.

Quod peccatũ originale per originẽ in Posteros traducatur, ex sola naturali ratione, naturalibus ve principijs, constare minime potest.

QVOD peccatum originale prædictum in Posteros traducatur, fueritve traductum, ex sola naturali ratione aut naturalibus principijs, seclusa reuelatione & fide, & nisi Deus illud manifestasset, haudquaquam constare potuit. Hæc conclusio statuitur cõtra quosdam, qui plus nimio ingenio suo freti, omnia se scire existimantes, ex sola naturali ratione & naturalibus principijs, audacter contendunt peccati originalis prædicti, necdum qualemcunque, verum efficacẽ (vt ne dicam euidentem) probationem & ostensionem efficere. In quorum numero esse videtur Ambrosius Catherinus Polytus, libro suo de casu hominis & peccato originali, vbi (vt ipse ait) validissimis atque perspicuis rationibus ibidem ab eo adductis, ad illud credendum se dicit impulsum, adducens in huius rei confirmationem Suetonium, necnon & Adrianum Imperatorem, Ciceronem, Oratiũ, & alios qui ex humanæ vitæ miserijs & ærumnis, in originalis peccati prædicti cognitionem deuenerunt. Sed his nihilominus non obstantibus, proposita à nobis conclusio est vera & tenenda, nẽpe quod intellectus noster humanus, supernaturali reuelatione & fide omnino destitutus, ex sola naturali ratione, naturalibus ve principijs, in originalis peccati cognitionem, existentiam siue actualitatem: haudquaquam posset deuenire. Quæ est expressa sentẽtia Diui Augustini in quampluribus suæ doctrinæ locis, sed præsertim lib. 2. contra Iulianum, quem in hoc omnes sequuntur communiter Doctores Scholastici. Nam cum illis obijcitur contra veritatem fidei de peccato originali prædicto, quod difficile sit intellectu, & quonam pacto ad culpam siue ad peccatum imputetur alicui, quod propria voluntate ab eo non est commissum? Nihil omnino aliud respondent, quam quod hæc veritas est veritas fidei, & eiusmodi veritates (non quidem euidenti ratione comprehunduntur) sed ex fide & ex diuina reuelatione eisdem assentimur. Ad quod propositum facit quam maxime id quod dixit Diuus Paulus olim ad Galat. 3. de Scriptura sacra loquendo, nempe: *Quod conclusit omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Vbi multum venit notandum, dixisse D. Paulum non quidem humanam rationem, sed scripturam omnia conclusisse sub peccato: ad insinuandum plane originalis peccati prædicti mysterium, ex sola naturali ratione constare haudquaquam potuisse, sed eius-

eiusdem cognitionem haberi ex Scriptura sacra, quæ omnia conclusit sub peccato, id est, ostendit omnes homines obnoxios esse peccato, ex casu Adami primi nostri parentis: vt (sicut præmissum est) promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Hoc igitur tanquam certo præsupposito atque constituto, quod existentia & actualitas originalis peccati, ex principijs fidei, & non ex sola naturali ratione desumenda atque probanda sit, id in præsentiarum planius vt efficiatur, duo potissimum sunt fundamenta præmittenda, & quammaxime memoriæ commendanda, pro supradictæ conclusionis intelligentia, simul atque probatione.

Primo præmitto ex communiori DD. resolutione, quod Deus olim Optimus Maximus, cum primum à mundi exordio Adamum primum nostrum in paradiso terrestri collocauit, diuina eundē gratia insculpsit, perfecit atque condecorauit: quæ à Theologis communiter dicitur gratia gratum faciens, per quam fuit illi gratus & acceptus. Insuper & ipsum iustitia originali exornauit, quam non solum pro se, verum & pro tota sua posteritate accepit, ea lege & pacto vt & ipsius Posteri similiter nascerentur cum ea, diuinum si ipse seruaret præceptum, quod ibidem sibi fuit impositum de non commedendo de ligno vetito, prout habetur ex Genes. 2. Operabatur autem in eo iustitia originalis prædicta, vt quamdiu ipsius ratio subdita esset Deo, vires etiam hominis eiusdem inferiores, subditæ similiter essent rationi, necnon & corpus omnino animæ, ipso Deo per gratiam atque diuinam suam prouidentiam supplente, quod naturæ ipsi secundùm se consideratæ, haudquaquam conueniebat. Fuit enim rationi quammaxime congruum, vt tantæ perfectioni, quanta secundum superiorem partē reperiebatur in hominis anima, alia ex parte proportionatum etiam perfectibile, correspondent in eiusdē corpore. Hæc fuere in innocentiæ statu, antequam Adam primus noster parens, transgrediendo præceptum, diuinum fœdus violasset. Sed (proh dolor!) postquam ex instigatione serpentis (cunctis animantibus terræ calidioris) mater nostra Eua decepta est, ipseque Adam (vt inquit D. August.) vt non contristaret delitias eius, contra diuinum placitum de ligno vetito sumpsit atque commedit, supradicta omnia, necdum pro se perdidit, verum & pro tota sua posteritate. Omnes enim ipsius Posteri qui in eo originaliter continebantur, pariter cum illo peccātes, & eiusdem peccato consentientes, à prædicto fœlicissimo statu ceciderunt, & quæ sibi, siue prose fuere etiam repromissa, similiter perdiderunt. Hæc doctrina est certa & vera, originaliter extracta ex D. August. loco vbi supra, & D. Thom. lib. contra gentes cap. 52.

Primo nota. Quod Adam primus noster Parens iustitiam originalē accepit pro se & tota sua posteritate.

Quid operabatur in Adā primo nostro parente iustitia originalis prædicta?

Secundo ad eiusdem rei maiorem explicationem & comprobationem, etiam est notandum & supponendum, quod Adam supradictus constitutus fuit à Deo Optimo Maximo totius humani generis caput

Secundo nota. Quod Adam fuit principiū

totius humanæ naturæ, nō solum in esse naturali, verum etiam & in genere moris.

caput, non solum in esse naturali, verum etiam & in esse morali: quia nempe acceperit supradictæ iustitię originalis donum (quo fiebat rectitudo superius dicta) non tantum vt singularis quædam persona, verum vt totius humanæ naturæ principium, pro se & tota sua posteritate, quæ ab eo originem erat deductura. Nec enim tantum statuit Deus, vt ab illo humana natura in esse naturali propagaretur, verum etiam vt & per ipsum ad eiusdem Posteros deriuarentur principia bene operandi moraliter, nempe gratia & iustitia originalis prædicta & virtutes ita vt sicut ab ipso pendebat humanæ naturæ multiplicatio in esse naturali, sic & ab eodem tanquam ab agente morali, penderet conseruatio totius illius status, & in illius deliberatione positū esset, quod status ille quatenus erat donum toti humanæ naturæ concessum, permaneret, vel amitteretur & perderetur.

Voluntas Adami fuit voluntas omniū suorum posterorū & ipse vnus continebat in se voluntates omnium.

Ex quibus omnibus (quæ certissima sunt) subinde sequitur, quod postquam prædictus Adam sic fuit à Deo Optimo Maximo constitutus, vt esset omnium suorum Posterorum caput, non solum in esse naturali, verum etiam in esse morali: necessum etiam fuit pariter, vt statueretur, quod ipsius voluntas esset voluntas suorum Posterorum, & ipse in se vno ita contineret voluntates ipsorum, vt quidquid ipse vellet coram Deo, velle etiam censerentur sui Posteri, volūtate eiusdem Adami (nō quidem physicè, sed moraliter loquendo) & secundum prudentem & moralem æstimationem. Etenim cum voluntas primum sit principium operandi moraliter, fieri haudquaquam potest, vt quis respectu aliorum caput sit quoad esse morale, quin & voluntates ipsorum aliquò modo contineantur in sua. Id quod & sequēti exemplo potest demonstrari. Nam si quis (verbi gratia) consensum suum in alium transferat, ita vt profiteatur se velle quidquid alter voluerit: ille certe talis, omni proculdubio dici potest & debet, velle moraliter voluntate alterius, id quod & alter voluerit. Ad eundem ergo modum speculandum est in proposito de Posteris omnibus Adæ, quod moraliter loquendo, voluerunt & ipsi id quod Adā voluit, voluntate eiusdem Adami, cum constituerit Deus illorum voluntates & consensus, in consensu & voluntate ipsius Adami, & consequenter etiam dicendum est, quod præceptum impositum Adæ primo nostro Parenti, omnibus suis Posteris fuit etiam impositum, & illos omnes obligabat, in quantum eorum voluntas posita erat in voluntate Adæ, sicque & Adamo ipsi De i transgrediēte præceptum, omnes sui Posteri, pariter & illud sunt transgressi, ipsoque amittente originalē iustitiam, omnes etiam cum illo simul eandem amiserunt, quotquot ab eo per carnalem propagationem, & rationem seminalem descendunt. Vtrum autem hoc quod est esse caput morale totius humanæ naturæ, conueniret Adamo primo nostro Parenti, quantum ad omnes suos actus, an vero solummodo quantum ad eos ex quibus pendebat

debat conseruatio vel amissio status innocentiæ, quatenus erat donũ totius humanæ naturæ: pro nunc silentio prætereo: nam hac de re inferius est etiam dicendum. Supra dicta tamen omnia memoriæ oportet valde commendare.

Ex quibus duobus notabilibus superque satis colligitur, qualiter existentia & actualitas originalis peccati (non quidem ex humanæ ratione, naturalibusve principijs colligi potuit, aut colligenda fuit) sed solummodo ex principijs fidei, diuinaque reuelatione, quod est nostræ conclusionis intentum. Quod & sic probatur. Nam quonam pacto, quave ratione, ex naturalibus principijs constare vnquam nobis posset, Adamum primum nostrum parentem accepisse â Deo supradictum iustitiæ originalis donum, non solum pro se, sed etiam pro tota sua posteritate, constitutumque fuisse totius humanæ naturæ caput, non solum in esse naturali, verum etiam in esse morali (ad sensum supradictum) ita vt per ipsum deriuarentur principia bene operandi moraliter, nempe gratia, originalis iustitia & virtutes ad omnes suos Posteros: & quod sicut ex illo pendebat generatio humanæ naturæ in esse naturali, ita & ab ipso penderet conseruatio, vel amissio supradicti status innocentiæ, tanquam ab agente morali: nisi Deus Optimus Maximus pro magna sua pietate & clementia, immediate per se, aut per suos Patriarchas & Prophetas prædicta omnia nobis reuelasset? Quo etiam pacto, naturali ratione constare nobis vnquam posset, quod Adamo peccante, ac diuinum præceptum transgrediente, omnes etiam sui Posteri simul cum illo peccauerunt, & transgressioni eidem consensum præstiterunt, qui nondum nati fuerunt, aut forsan nasciturі, post multa annorum milia: nisi Deus etiam illud reuelasset? Certe supradicta omnia ex naturalibus principijs sciri aut cognosci nullo modo potuerunt, sed neque & nunc possunt, nisi tantummodo ex principijs cognitis per fidem, & ex diuina reuelatione. Quo tanquam certo atque indubitato præsupposito, superest nunc probemus supradictã primã conclusionem, qua diximus tenendum esse de fide, fuisse quoddã Adami primi nostri parentis peccatum, quod ab eo omnes per carnalem propagationem, siue rationem seminalem descendentes naturaliter contrahunt per originem. Ad quod probandum sunt quamplura Sacræ Scripturæ testimonia, tâm veteris quâm noui Testamenti, ex quibus id ipsum non incongrue, quinvero aperte & manifeste colligitur. Et vt ex veteri Testamento exordiamur, quod primum ad hoc sese offert, est illud Iob cap. 3. vbi sequentia verba habentur. *Post hæc aperuit Iob os suum, & maledixit diei suo, & loquutus est. Pereat dies, in qua natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper: & non illustretur lumine.* Quæ quidem verba, cum post ipsa & plura alia quæ habētur ibidem, de illo dicatur quod in omnibus his non peccabit Iob labijs suis,

Peccatum originale multis Sacræ Scripturæ testimonijs tam veteris, quam noui Testamenti comprobatur.

nec stultum aliquid contra Deum loquutus est: manifeste colligitur, & ex communi Sanctorum sententia sic interpretantur, quod haudquaquam intendit ibidem Iob, diei natiuitatis suæ maledicere, quin potius originali peccato, in quo ipse, sicut & cæteri hominum conceptus fuit. Quo etiam se immundum atque peccatorem agnoscens, suisque verbis Deum placare, & ad misericordiam prouocare volens, infra cap. 14. cum eodem verba faciens, post alia subdit. *Quis Domine potest facere mundum, de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es?* (suppl. mundus) Quibus sane verbis aperte satis datur intelligi, quod non ibidem loquitur Iob de corporali aliqua immunditia (quæ sic generalis esse non posset vt omnes comprehenderet) sed de spirituali originalis prædicti peccati macula, à qua (vt ipse ait) solus Deus poterat illum liberare & mundare: vt pote qui solus sua essentia & natura erat mundus, sanctus & immaculatus. Cui prædicto testimonio, quam maximam adauget vim Septuaginta Interpretum translatio, quæ veritatem prædictam confirmando, sic habet. *Nemo mundus à sorde, neque infans cuius est vnius diei vita super terram.* Quo testimonio iuxta prædictam translationem ad hanc catholicam veritatem confirmandam, vtuntur D. August. sup. Psalm. 50. vers. 7. & Sanctus Leo Papa serm. 1. de Natiuit. Domini, & Auctor libri Hyponosticon apud August. lib. 5. multique alij Doctores, & Sancti.

Est etiam in id ipsum celebris locus desumptus ex Regio vate, Psalm. 50. qui vnus est ex vulgo dictis pœnitentialibus, vers. 7. vbi Deum etiam suis verbis placare, atque ad clementiam prouocare volens, post alia inquit. *Ecce enim Domine in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Qui quidem locus, cum intelligi non possit de aliquo parentum suorum peccato, quod in generatione sua commisissent, vt adnotat D. Thom. 4. contra gentes cap. 50. (etenim Dauid ex legitimo thoro ac matrimonio natus est, in quo eiusmodi peccata inueniri non possunt.) Sancti Patres Ciprianus lib. 3. contra Iudæos cap. 54. Chrysost. tom. 1. hom. de Adam & Eua. August. lib. 2. de gratia Christi, & peccato originali. Gregor. 4. Moral. cap. 2. & Leo Papa epist. 84. vel secundum alios codices 86. ad Nicetam Episcopum, & prædictus D. Thom. 1. 2. quæst. 82. art. 2. ad primum, de supradicto originali peccato interpretantur, & dicunt prædicta verba esse intelligenda, ac si expressius dixisset Regius Propheta. Ecce Domine cum iniquitate conceptus sum, & statim vt me concepit mater mea adhæsit mihi peccatum: quod aliud intelligi non potest, nisi prædictum originale. Rationemq; reddentes ob quam Dauid plurali numero vsus fuerit dicendo: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea:* cum iuxta D. Hieronym. verba prædicta Hebraice singulariter habeantur: *Ecce in iniquitate conceptus sum, & in peccato concepit me mater mea:* id propterea factum fuisse dicunt, quia origi-

nale

nale peccatum, vnum in vnoquoque hominum cum sit, multorum actualium est etiam causa, fons, seminarium & origo, ac multa alia quodammodo in se continet. In quem etiam sensum explicāt & verba illa quæ habentur Ioan. 1. quibus dicitur, quod D. olim Ioan. Baptista de Christo loquendo dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mūdi.* Vbi alia littera dicit *peccatum mundi.* Quæ similiter intelligēda esse dicunt Doctores sancti de peccato originali prædicto. Eandemque ob causam vno in loco posita fuisse in plurali, in alio vero in singulari, quia nempe ipsum vnum cum in se sit, multorum actualium est causa, fons, seminarium & origo, & multa alia quodammodo in se continet. Hæc de veteris Testamēti testimonijs dicta sufficiant. Veniamus ad nouum.

In nouo etiam ad idem probandum, clariora & magis aperta atque expressa sunt testimonia. Inter quæ præcipuum locum obtinet illud Pauli ad Roman. 5, vbi de eodem peccato originali loquendo ait. *Quod per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Sed huic testimonio respondent hæretici, intelligendum esse de introductione peccati per Adam in hunc mundum, non propagatione & origine, sed imitatione: ad sensum superius dictum. Sed reuera hæc responsio est contra perpetuum sensum Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum, vt constat ex Concilio Tridentino Sessione 5. cap. 4. Et quod sit falsa probatur præterea. Quia si esset sermo de introductione peccati in mundum, per imitationem & non per originem: falso diceretur intrasse per Adam, & non potius per dæmonem, cuius peccatum fuit antiquius, & exemplar cæterorum, iuxta illud quod dicitur Sapientiæ 2. *Quod inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Imitantur autem eum qui ipsum sequuntur. Sed quidquid de hoc sit, probatur id ipsum, quia 1. Corinth. 15. idem Diuus Paulus eadem de re agendo, & Adamum primum nostrum parentem Christo Domino comparando, dixit. *Quod sicut intrauit per hominem mors, sic & per hominem resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Quo testimonio simul cum precedenti, ad eandem veritatem confirmandam vtitur D. Augustin. in epist. 102. ad Innocentiū Papā, & expressius epist. 157 quæ est ad Optatum, vbi & dicit. *In hoc quammaxime constare Christianam fidem, & eum qui hoc negauerit, non pertinere ad Christi fidem & gratiam,* Et Paulo inferius subdit. *Vera fides prædicat animas contrahere peccatum originale, propria voluntate primi hominis commissum, & in omnes posteros generatione transmissum, sola regeneratione purgandum.* Et lib. 16. de ciuitat. Dei cap. 27. ad idem propositum inquit. *Quod vera fides prædicat paruulos omnes peccatores originaliter nasci: quod nihil est omnino aliud, quam quod dixit supradictus D. Paulus ad Ephes. cap. 2. quod facti sumus omnes natura filij iræ.*

Testimonia noui Testamenti.

Existentia & actualitas originalis peccati probatur etiam efficacissimis rationibus.

Præter supradicta Sacræ Scripturæ testimonia, adducuntur etiã à Doctoribus Scholasticis in id ipsum, quàplures efficacissimæ rationes, quarum est prima ex antiquissima Ecclesiæ traditione.

Primum argumentũ desumptum ex antiqua Ecclesia traditione.

Nam semper Ecclesia à mũdi exordio, & à principio peccati primi hominis, tam in statu naturæ quàm in statu legis scriptæ & gratiæ, tenuit & tenet pro paruulis necessarium esse, semperque fuisse aliquod remedium ad expiationem originalis peccati prædicti. In quem finem ex communi omnium resolutione, in lege veteri instituta fuit circuncisio: in noua vero & Euangelica Baptismi Sacramẽtum: ergo stando in principijs fidei negari nullatenus potest, esse eiusmodi originale peccatum, quod omnes ab Adam per rationem seminalem descendentes naturaliter contrahunt per originem. Cõsequentia legitima est, antecedens autem manifestissime probatur, ex his quæ habentur in Concilio Mileuitano cap. 2. & Concil. Tridentino Sessio. 5. cap. 4. vbi ad hoc propositum sequentia habentur verba. *Si quis paruulos recentes ab vteris matrum, baptizandos negat, etiamsi fuerint à baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam; vnde fit consequens, vt in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum, nõ vera sed falsa intelligatur, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est id quod dixit Apostolus, per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt, nisi quemadmodum Ecclesia Catholica vbiq; diffusa semper intellexit Propter hanc enim regulam fidei, ex traditione Apostolorum etiam paruuli qui nihil peccatorum in semet ipsis adhuc committere potuerunt, ideò in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Secundum argumentum desumptum ex communi modo loquendi sacræ Scripturæ.

Secundo probant id ipsum Doctores, argumento desumpto ex communi modo loquendi Sacræ Scripturæ. In qua (vt videre licebit) passim habetur quod Christus Dominus venturus erat in hunc mundum, ad delendum peccati scelus & iniquitatem ipsius, vt constat ex Daniele cap. 9. *Vbi Christus venturus promittitur, vt consumetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas.* Verba sunt expressa. Quod quidem scelus, peccatum siue iniquitas, nulla fuit omninò alia nisi originale peccatum prædictum, & cætera actualia quæ postmodum ex eodem subsequuntur. Ad quod etiam propositũ facit id quod habetur Zachariæ 3. vbi dicitur. *Adducam seruum meum Orientem* (id est Christum) *qui auferet iniquitatem terræ.* Id quod habetur etiam in pluribus alijs Sacræ Scripturæ locis, breuitatis causa prætermissis. Qua quidem ratione Christus Dominus ipse, dicitur omnium hominum necdum adultorum, verum etiam & paruulorum vniuersalis

fis Redemptor: non solum ex eo quia meruit pro nobis omnibus gratiam, verum etiam & quia omnes (quantum de se est) vniuersaliter à peccato siue peccatis liberat: sed hæc paruulorum respectu vera esse non possent, nisi in eis esset prædictum originale peccatum: ergo inuentum.

Confirmatur prædicta omnia, etiam per id quod dixit D. Paul. ad Roman. 3. vbi habetur: *Quod omnes peccauerunt, & egent gratia Dei*; id est redemptione Christi (secundum communem expositionē Sanctorum Patrum) & 2. Corinth. 5. etiam dicitur: *Quod si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus.* Et prima ad Timot. 4. etiam de eodem Christo loquendo dicitur: *Quod est vniuersalis omnium hominum Redemptor & Saluator.* Quæ prædicta omnia loca, & multa alia quæ breuitatis gratia facio missa, aperte innuunt esse in paruulis aliquod originale peccatum, à quo per baptismum mundantur.

Tertium argumentū desumptum ex forma baptismi, quam tradit Ecclesia dum paruulis baptizantur.

Tertio & quod hoc ita sit probatur. Nam aliàs falsa esset forma sacramenti Baptismi, qua dicitur, quod in remissionē originalis peccati prædicti paruuli baptizantur, Ait enim Sacerdos cum aliquem ipsorum baptizat, *ego te baptizo, &c.* quod idem pollet, atque ego te abluo, ego te mundo: cum tamen nemo abluatur, siue mundetur nisi ab aliqua sorde, siue macula quam prius contraxit. Cum igitur id ex Ecclesiæ communi consuetudine dicatur de paruulis, qui nunquam peruenerunt ad vsum rationis; manifeste profectò sequitur, quod propagatione & origine contraxerunt originale peccatum prædictum, à quo per baptismum mundantur. Quod etiam satis confirmatur D. Augustin. sententia lib. de fide ad Petrum cap. 27. & habetur in cap. firmissime de consecrat. dist. 4. cuius sunt quæ sequuntur verba: *Firmissime tene & nullatenus dubites, omnem hominem qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci impietati subditum, mortiq; subiectum, & ob hoc nasci iræ filium.* Et infra loquendo de necessitate Baptismi, dicit: *Non solum homines ratione vtentes, verum etiam & paruulos, si sine sacramento Baptismi moriantur, sempiterno igne esse puniendos: quia propria actionis peccatum nullum habuerunt: originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione, & natiuitate contraxerunt.* Quæ quidem verba multum sunt notanda, atque maxime memoriæ commendanda.

Quartū argumentū desumptum ex morte & alijs pœnis ærumnis, & miserijs quas patiuntur.

Quarto etiam argumentari potest ad idem, ex morte alijsque ærumnis & miserijs, quas communiter omnes experiuntur, atque patiuntur homines (etiam pueri qui nullum actuale peccatum commiserunt, aut committere potuerunt) qui & experientia teste vt plurimum eiulantes & plorantes, primam ipsam aspiciūt lucem: quæ quidem omnia verè cum habeant rationem pœnæ, & fide docente Deus nulli vnquam inferat pœnam, nisi pro culpa, & in paruulis nulla sit actualis: manifestè profectò conuincitur, quod sit prædicta origina-

lis omnibus communis. Hæc certè ratio, quamvis seclusa fide haudquaquam conuincat, euidentemve originalis peccati prædicti probationem, siue ostensionem faciat (vt volunt nonnulli de quibus diximus supra) ipsa tamen fide præsuposita, in id ipsum plurimum facit. Cui & fauet id quod dixit olim sapiens. Sapiēt 1. *Nempe quod Deus mortem non fecit, sed impij manibus & verbis suis accerserunt illam.* Fauet & illud quod habetur Ecclesiast. 25. nempe: *Quod à muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.* Ex quibus omnibus prima proposita à nobis conclusio de existentia, & actualitate originalis peccati (ni fallor) superque satis manet probata: non solùm ex Concilijs & Ecclesiæ diffinitionibus, & ex Sacræ Scripturæ locis, & Sanctorum Patrum testimonijs, verum etiam & ex fortissimis rationibus Theologicis, desumptis ex antiquissima traditione Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum, alijsque principijs fidei, quæ pro hac quæstione dictæ sufficiant.

QVÆSTIO II.

Quidnam sit prædictum originale peccatum, & in quo ipsius essentia & formalis ratio consistat?

PRO planiori huius quæstionis intelligentia, prætermissis pluribus superfluis, ac meo quidem videri inutilibus, quæ hic passim à Doctoribus Scholasticis circunferuntur, magis exercitij gratia, seu potius animo ostentandi ingeniorum suorum accumina, aut (quod dicere pudet) ex contendendi, & se inuicem impugnandi & refellendi desiderio, quam docendi, definiendi atque determinandi id quod verum est, tenendumq; ab omnibus solide, ac firmiter de fide: vt paremus viam ad ea quæ in subsequentibus sunt dicenda, nonnulla oportet præmittere notabilia, quibus ea quæ sunt certa & indubitata, ab incertis & dubijs separentur.

Prima nota. Peccatum originale, quod omnes contrahimus ex Adam esse vniuique hominū propriū

Primò præmitto, esse certum atque tenendum de fide, quod peccatum originale quod contrahimus ex Adam omnes ab ipso per carnalem propagationem, & rationem seminalem descendentes: quamvis per respectum ad principium (nempe ad Adam primum nostrū parentem) esse dici possit in cunctis hominibus vnum in specie & proportione: est nihilominus cuilibet proprium, & in singulis hominibus inest vnum originale peccatum, numero distinctum ab originali peccato alterius, à quo verè & realiter, formali denominatione, & non tantū ab extrinseco, quilibet est & dicitur proprie peccator, quemadmodum & ab actuali proprio suo. Id quod & satis colligitur

ex illo

ex illo Pauli ad Romanos 5. *Si cum adhuc peccatores essemus.* Item *in quo omnes peccauerunt.* Item *per inobedientiam vnius peccatores constituti sunt multi.* Verum licet sit quod ex parte causæ originale peccatum prædictum, non est ita proprium atque ipsum actuale, quia non nos propria actuali, & personali voluntate illud commisimus: sed trahimus illud ex Adam, quo voluntarie actualiter peccante, nos in illo existentes, virtuali nostra voluntate pariter cum ipso peccauimus. Sed eo nihilominus non obstante, absolute dicendum & concedendum est, peccatum originale prædictum esse cuique hominum proprium & voluntarium, non solum ab actuali voluntate Adami, verum etiam & à virtuali nostra. Quæ doctrina est expressa D. August. ad Valeriũ, & lib. I. de peccatorum meritis, & de peccato originali. Item lib. I. retracta. cap. 3. & 15. communiter recepta ab omnibus Catholicis, & Scholasticis Doctoribus in secundo sentent. dist. 30. & sæpe alibi. Nã licet voluntarium personale siue actuale, non sit nisi in subiecto vbi est peccatum (quia vt inquit Aristot. 3. Ethic. voluntarium est ab intrinseco, passo conferente vim) attamen ad voluntarium originale, quod Philosophi non cognouerunt sufficit vt sit voluntarium actu, ea voluntate à qua trahitur ratio originalis peccati, nempe à voluntate Adami, nostra ibidem existente virtualiter. An hoc sufficiat ad hoc vt peccatum originale, propriam & veram habeat rationem culpæ & peccati, dicetur inferius in propria quæstione quæ ea de re fiet. Pro nunc sat sit scire, quod originale peccatum prædictum, est cuique hominum proprium. Id quod habetur expresse determinatũ de fide in Concilio Tridentino Sessione 5. decreto de peccato originali cap. 3. vbi sequentia habentur verba. *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine vnum est, & propagatione (nõ imitatione transfusum) omnibus & vnicuique inest proprium: vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remediũ asserit tolli, quam per meritum vnius mediatoris Domini nostri Iesu Christi, anathema sit.* Et in sequenti Sessione 6. cap. 3. eadem de re agendo etiam, dicitur. *Quod omnes ex semine Adami propagati, cum ea propagatione nascũtur iniusti, & per ipsum dum concipiuntur propriam contrahunt iniustitiam.* Vbi notandum venit quam maxime, verbum illud, *propriam*, quod est intentum prædicti notabilis: quo satis innuitur ac datur intelligi, originale peccatum esse vnicuique nostrum proprium. Qui hac de re plura videre voluerit consulat Cordu. in suo quæstio. magno quæst. 10. notab. 3. & Zumel in 1. 2. D. Thom. tom. 1. quæst. 81. art. 1. disp. 1. conclus. 4. & disp. 2. in principio, & in art. 2. in dubio, quod proponit pro intelligentia atque discursu articuli, vbi plura satis notatu dignissima ad hoc propositum licebit adinuenire.

Differentia qua versatur inter voluntarium personale & actuale, & voluntarium originale.

Secundò est etiam notandum tanquam certum, id quod partim constat ex dictis in præcedenti notabili, nempe originale peccatum prædictum non esse actuale Adæ primi nostri parentis Posteris. Solum-

Secundo nota. Quod peccatũ originale, non

est actuale Adæ Posteris solummodo imputatum.

lummodo imputatum; vt perperam nonnulli dixerunt, & absq; sufficienti ratione & causa multis probare contenderunt asserentes nō verè, realiter, & formaliter in singulis hominibus inesse propriam suam culpam, siue maculam originalis peccati: sed illud ipsum actuale Adæ quod in ipso solo fuit propria culpa ab eo commissa, à qua & formaliter peccator dicitur: esse nostrum originale: non verè & formaliter nobis inhærens, nec verè formaliter & proprie peccatores nos efficiens & denominans; sed solummodo imputatiue, pro eo quod nobis imputatur ad culpam, & ad pœnam siue reatum eius, denominatione tantum extrinseca, quia ab illo vnico peccato Adæ, nobis prædicto modo imputato, nos etiam dicimur peccatores, & in peccato originali concepti. Ad hoc probandum, Doctores qui hanc tuentur sententiā, sequenti vtuntur exemplo. Nam (inquiunt) sicuti, in foro humano peccatum Patris proditoris imputatur filijs, & propter ipsum etiam filij proditores dicuntur, fiuntque inhabiles ad omnia officia & dignitates ad quas aliàs erant capaces, & priuantur hæreditate paterna, & alijs bonis, quæ patre suo non peccante illis prouenirent, idque solummodo propter patris peccatum, quod verè formaliter, & proprie non est in filijs, nisi tantum imputatiue: quia nempe per legem, & Regis sententiam peccatum patris imputatur filijs ad culpam, & ad pœnas prædictas: ita in proposito speculandum esse dicunt Doctores qui prædictam tuentur sententiam & opinionē: quæ communiter tribuitur Alberto Pighio controuersia prima, habita in comitijs Ratisponentibus, quem Soto lib. 1. de natura & gratia cap 9 dicit eiusdem esse primiscerium, cum tamen (sicut alijs placet) multo sit antiquior. Vega lib 4. de iustificatione cap. 2. illam vult tribuere Ambros. Catherino tract. de casu hominis, & peccato originali cap. 5. & 8. sed ipse ibidem præfatæ imputabilitatis nullam prorsus mentionem facit Et quidquid de hoc sit, eiusmodi opinionem & sententiam reprobant in primis Beatus Anselmus de Concept. Virgin. cap. 23. 24. & 26. & Holchoth tract. de imputabilit. peccati qua st. 1. in respons. ad primum argumentum principale, & Soto & Vega locis supracitatis. Nec sustineri modo potest, cum esse videatur contraria principijs fidei, & his quæ habentur in Scriptura sacra, sed præcipue, & magis expresse in epistolis Diui Pauli, quinvero, & Concilio Tridentino locis citatis in precedenti notabili, vbi prædicta originalis culpa esse dicitur cuiuslibet hominis propria: quod si propria est, bene sequitur, quod non sit solummodo imputata. Qui hac de re plura videre voluerit, consulat Cordub. loco superius citato lib 1. quæst. 10. opinio. 5. & Zumel etiam loco vbi supra, quæst. 81. art. 2. disput. 1. & Vazquez in prima secundæ D. Thom. tom. 1. quæst. 83. disp. 132. cap. 2.

Tertio nota.

Tertio est notandum, & supponendum tanquam certum, peccatum

catum originale formaliter loquendo, non esse reatum & obligationem ad pœnam, siue penas quæ ex eodem nobis proueniūt, propter peccatum actuale Adæ, quod etiam fuit nostrum virtuale; vt etiā voluerunt quidam Doctores quos refert Magister Sententiarum in 2. dist. 30. & tenet illud expresse Durand. ibidem quæst. 3. num. 12. 13. & 14. addens quod reatus prædictus est etiam quedam dignitas, seu potius indignitas positiua ad originalem iustiam, & ad gratiam, & amicitiam Dei, aut quoddam debitum siue demeritum ad nō habenda prædicta, propter actuale peccatum Adæ. Quem dicendi modum Durandi, licet sequantur aliqui Doctores moderni, meo tamē videri, haudquaquam potest substineri, & illum expresse reprobant B. Anselmus lib. de concept. Virginali cap. 23. & 24. & 26. & Holchoth lib. de imputabilit. peccati quæst. 1. in respons. ad primum argumentum principale. Et facit cōtra ipsum, quod reatus prædictus, dignitas siue indignitas, meritum siue demeritum, carendi gratia atque originali iustitia (quocunque nomine nuncupetur) vt de se patet, potius est effectus quidam originalis peccati, quam peccatum originale ipsum, seu aliquid quod spectet, pertinereve possit ad rationem formalem illius. Neque enim propter reatum formaliter dicimur peccatores, quinvero ē contra, ex peccato oritur reatus ipse, & propter illud dicimur peccatores, rei & obligati ad pœnam, siue pœnas quæ ex peccato Adami primi nostri parentis, & nostro simul subsequuntur. Et certe negare nemo potest, quod reatus prędictus sit effectus, & quid posterius ad peccatum originale ipsum. Nam non ex eo quis malus est & peccator, quia ad pœnam est obligatus: quinvero ē contra, quia quispiam malus est & peccator, ad pœnā est obligatus. Qua quidem ratione dicit quam optime Sententiarum Mag. loco vbi supra, quod qui asserunt originale peccatum esse reatum ad pœnam, medium quid constituunt inter peccatum & penam. Nā (vt plane cōstat) eiusmodi reatus non est ipsa pœna, sed obligatio ad illam, nec est ipsum peccatū, sed effectus quidā illius. Vnde si pueri antequam baptizentur rei sunt alicuius pœnæ, & obligati ad illam, necessum est vt constituatur aliquid prius per quod eiusmodi obligationem contraxerunt. Dicat ergo Durandus quidnam illud sit? Vel solummodo peccatum primi nostri parentis, vel aliquod etiam quod ipsorum est proprium? Si primum est conuenire cum Pelagianis asserentibus in pueris nullum esse peccatum proprium. Si vero dicat esse proprium, & quod ex ipso ad pœnam obligantur: manifeste profecto sequitur, quod eorum originale peccatum non est reatus supradictus, aut obligatio ad pœnam: sed aliquid reatu ipso & obligatione prius. Qui hac de re plura videre voluerit, consulat Cordubam loco vbi supra lib. 1. quæst. 10. opin. 4. & Zumel loco etiam vbi supra q. 81. art. 1. concl. 3. & Vazq. loco etiam vbi sup. disp. 132. c. 3.

Peccatū originale formaliter loquendo non esse reatum, siue obligationem ad pœnā.

Quarto

Quarto nota. Peccatum originale formaliter loquendo, non esse carnalem concupiscentiam.

Quid dicant Lutherani Hæretici nostri temporis, de peccato originali.

Quartò est notandum, peccatum originale formaliter etiam loquendo, non esse carnalem concupiscentiam: quæ est quædam effrenis & inordinata inclinatio, siue propensio ad malum, in parte sensitiua existens, & in Scriptura Sacra & à Sanctis Patribus fomes peccati, siue lex membrorum communiter nuncupatur: & contrarium dicere, esse videtur dogma Lutheranum. Dicunt enim Hæretici Lutherani, concupiscentiam carnalem prædictam esse proprie & formaliter originale peccatum, & potentiarum inordinationem (quatenus in Adam contracta est, & ad nos propagatione transfunditur) constituere nos in odio Dei, sicut & ipsa est odibilis Deo: & facere nos iræ & damnationis reos: & cum hæc appetitus sensitiui deprauata inclinatio ad malum (quæ fomes peccati vocatur) insit nobis à natiuitate, & verè & propriè sit peccatum, maneatque post baptismum: consequenter dicunt quod peccatum originale per baptismū non omninò tollitur, sed veluti raditur, & per Dei gratiam fit vt nobis non imputetur. Hæc Hæretici Lutherani. Nos autem è contrario dicimus, carnalem prædictam concupiscentiam formaliter loquendo, haudquaquam, esse originale peccatum. Nam quamvis iuxta quorundam probabilem opinionē (quæ etiam tribuitur D. Thomæ) ipsa sit quasi materiale originalis peccati, saltim loquendo largo modo, non tamen est, aut esse potest ipsius formale: nec in ea originalis peccati formalis ratio valet consistere: cum sit quid posterius ad ipsum, & ex ipso resultet tanquam effectus à sua propria causa. Ex eo enim concupiscentia prædicta carnalis, contra nos insurrexit atque inualuit: quia per eiusmodi peccatum originale à Deo fuimus auersi, & iustitia originali destituti, cuius erat proprium munus & officium, carnales affectus frenare, & appetitum sensitiuum rationi subdere, interim dum ratio ipsa subdita esset Deo. Hoc itaque est certissimum, atque constitutissimum, & contrarium dicere (vt diximus) esse videtur dogma Lutheranum, damnatum in Concilio Trident. sessione 5. decreto de peccato originali capit. 5. cuius sunt quæ sequuntur verba. *Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis, his qui verè consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem, qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominē exuentes, & nouum qui secundum Deum creatus est induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti effecti sunt: hæredes quidem Dei, cohæredes autē Christi, ita vt nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur, manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem: hæc Sancta Synodus fatetur & sentit, quæ cum ad Agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Iesu gratiam repugnantibus non valet, quinimo qui legitimè certauerit,* coro-

coronabitur. Hanc concupiscentiam quam aliquando Apostolus peccatum appellat Sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit. Quid quæso dici potuit clarius, aut expressius? Neque contra verba supradicti canonis, valet quidquam dicere, ex eis tantũ sequi, in iam baptizatis concupiscentiam prædictam non esse originale peccatum, non tamen sequi quod non sit illud in non baptizatis. Nam reuera vtrunque ibidem diffinitur, & quidquid ante baptismum habuit veram & propriam rationem peccati, omne illud tollitur per baptismum. Cum ergo concupiscentia prædicta per baptismum non tollatur, sed maneat (vt ibidem dicitur) manifestè profecto sequitur, quod ipsa neque in baptizatis, neque in non baptizatis, formaliter loquendo non est peccatum originale, de quo catholicorum nulli est dubium. Qui hac de re plura videre voluerit consulat Sotum de natura & gratia lib. 1 cap. 11. & Rosensem art. 1. & 2. Cordub. loco supra citato opinio 2. & 3. Zumel loco etiam supra citato quæst. 82. art. 3. disp. 1. Vbi ad hoc propositum multa, eaque notatu dignissima licebit adinuenire, consulat etiam Vazquez 1. 2. quæst. 81. 82. & 83. disp. 132. cap. vbi ad idem multa etiam dicit.

Quinto nota. Peccatum originale, nõ esse aliquam qualitatem morbidam, ex corruptione appetitus sensitiui prouenientem in animam.

Quintò est notandum, peccatum originale prædictum non esse aliquam qualitatem morbidam corporis aut animæ, ex corruptione appetitus sensitiui, quasi ex contagione quadam in animam deriuatã, quæ libido dicitur, prout dicere aliqui voluerunt, vt defendere possent eiusmodi originale peccatum esse vnicuique paruulorũ proprium. Hæc opinio tribuitur sententiarum Magist. in 2. dist. 31. pluribusq; alijs Doctoribus, qui eiusdem sententiam sequuntur. Sed quidquid de hoc sit, quod nos in presenti notabili dicimus est verum, atque tenendum. Quod & sequentibus rationibus probatur. Primo quia prædicta morbida qualitas, ex peccato primi nostri parentis siue aliorum parentum nostrorum proximè aut remotè deriuata (quocunque modo consideretur) esse videtur quid fictitium aut commentitium: nam vel deriuatur ex natura rei, vel ex sola Dei voluntate. Nõ primum: nam sequeretur quod ex quocunque parentum nostrorum peccato deriuaretur etiam similis qualitas, quod est inauditum, & nemo illud vnquam dixit. Nec secundum: quia alias sequeretur quod Deus ipse esset causa originalis peccati, postquam ille solus produceret morbidam qualitatem prædictam: quod etiam nullo modo est dicendum.

Secundo probatur id ipsum, quia absurdum ac impossibile esse videtur dicere, ex concupiscentia & libidine parentum, produci in carne paruulorum aliquam qualitatem morbidam; quia in carne paruulorum nulla alia fingi potest morbida qualitas, præter concupiscentia

centiæ fomitem, & illa qualitas morbida esse debet communis omnibus, sicut & peccatum ipsum originale commune est omnibus; sed prædicta qualitas & concupiscentiæ fomes, non deriuatur ex libidine parentum, sed est hominibus naturalis subtracto freno originalis iustitiæ, essetque in ipsis si conditi fuissent in puris naturalibus: ergo huiusmodi dictum figmentum est & comentitium. Quod & probatur tertio. Nam quonam pacto, quave rationi, primi nostri parentis peccatum, seu peccatum aliorum parentum sua efficientia imprimere potuit, in appetitu siue carne paruulorum eiusmodi qualitatem morbidam, vt ex ipsa ad voluntatem siue ad animam deriuaretur, cum eiusmodi peccatum nihil reale fuerit, & quidquid illud fuerit, esse iam desierit? Ex quo manifeste sequitur, quod in appetitu siue carne paruulorum prædicta, nihil physice causari valuerit, maxime cum appetitus corporei efficiétia & vis, animam (quæ spiritualis est) nullatenus possit attingere, aut spirituale aliquid in ipsa producere: dicendum est igitur, quod prædicta sententia est fictitia, atque commentitia. Vnde quando D. August. lib. de peccatorum meritis cap. 16. & sæpe alibi, dicit quod concupiscentia carnis est peccatum, & quod illa non est substantia, sed affectio quædam malæ qualitatis: nó quidem probare intendit sententiam prædictam, sed reprobare atque repellere manifestam Manichæorum hæresim, asserentium malum esse in nobis substantiam ingenitam à quodam Deo malo. Ideò ait, quod concupiscentiæ malum non est nobis à natura (quam Deus bonus, bonam & sanam fecit) sed accidentaliter inest nobis, ex Adami primi nostri parentis peccato. Et hac de causa eam peccatum appellat, quia ex Adæ peccato prouenit, & ad peccatum inclinat: vt & dixit Concil. Tridentin. Sessione 5. de peccato originali ca. 5. Qui hac de re plura videre voluerit, consulat Cordub. in suo quæst. magno, lib. 1. quæst. 10. opinio. prima, & Zumel in prima secundæ D. Thom. quæst. 82. art. 2. disp. vnica, Vazquez in eadem prima secundæ quæst. 83. dispute 132. cap. 4. & nunc nouissime Salazar tract. pro defensione Immaculatæ Concept. Deiparæ Virginis Mariæ §. 2. n. 3.

Sexta nota. Originale peccatum non esse aliquid simul constitutum ex auersione & conuersione Adami primi nostri parentis.

Sextò est notandum, prædictum originale peccatum, non etiam esse aliquid simul constitutum, siue coalescens ex auersione & conuersione Adami primi nostri parentis, prout quidam dicere voluerunt, ex auersione (inquam) à Deo vltimo fine, & positiua conuersione ad obiectum prauum; quamvis prædicta duo ex Adami culpa in Posteros habitualiter esse deriuata, negare nullus possit. Probatur primo, quia vnam peccati essentiam ex his duobus conflari, difficile est intellectu, & Doctores qui eiusmodi sententiam tuentur explicare deberent, quonam pacto Adami primi nostri parentis auersio & conuersio ad Posteros potuerit deriuari? Nam si id naturaliter fieri dicant, eadem ratione & aliorum parentum peccata, auersio & con-

uersio

uersio, ad ipsorum filios & posteros descenderet. Si vero dicant id fieri solummodo ex diuina voluntate siue institutione, iam Deum ipsum originalis peccati prædicti immediatum auctorem efficient, quod nefas est dicere.

Secundo probatur, quia sententia prædicta stare minime potest. Nam si peccatum originale prædictum formaliter consisteret in dicta auersione & conuersione, cum illud sit in quolibet paruulorum proprium, manifeste sequeretur, quod paruulis eisdem deberetur, nedum pœna damni, verum etiam sensus; cum pœna sensus debeatur cuilibet positiuæ conuersioni ad obiectum sensibile; iuxta illud quod habetur Apocal. 18. quantum glorificauit se & in delitijs fuit, tantum & date illi tormentum & luctum. Nam quamvis responderi posit, pœnam sensus non infligi nisi solummodo propter peccatum commissionis, & paruulos prædicta pœna non puniri, quia non ipsi patrauerunt cõmissionis peccatũ, quamvis habeant habitualem quãdam cõuersionẽ ad obiectũ eiusdem peccati quod cõmisit Adamus primus noster parens: adhuc difficile est supradictos pueros liberare à dicta pœna sensus: si habent eiusmodi habitualem cõuersionem, cum tamen nascantur cum actuali quadam complacentia erga obiectum ligni vetiti, quæ mansit illis quasi habitualiter. Cum igitur nõ sit dicendum, quod paruuli prædictam ob causam puniri debeant pœna sensus, manifeste sequitur nostrum intentum, nempe quod supra dicta sententia non sit sustinenda. De quo videatur Vazquez vbi supra cap. 5 & Salazar etiam vbi supra num. 4.

Septimo est notandum, neque etiam peccatum originale prædictum, formaliter consistere in sola priuatione subiectionis mentis ad Deum (prout quidam similiter Doctores dicere voluerunt) nam cum sibi persuadere non possent, ipsum consistere in priuatione originalis iustitiæ, seu alicuius spiritualis doni, aliud priuationis genus excogitarunt, in quo originalis peccati essentia posita sit, illamque esse dixerunt priuationem subiectionis mentis ad Deum, sicque in singulis paruulis ponunt priuationem, non doni alicuius habitualis, sed subiectionis mentis ad Deum, & coniunctionis cum ipso, cum qua nascerentur si Adam primus noster Parens diuinum fœdus non violasset, & eam esse dicunt peccatum originale in ipsis. Sed hæc certe opinio facile reijcitur, nam quemadmodum priuatio originalis iustitiæ quæ sit habitus, esse formaliter non potest peccatum originale, cum potius sit eiusdem pœna & illud præsupponat; ita & prædicta priuatio subiectionis mentis ad Deum, saltim considerata per modum habitus, esse non potest formaliter peccatum originale, sed ipsius pœna, & effectus illud præsupponens. Qui hac de re plura videre voluerit consulat Vazquez loco vbi supra cap. 6. & Salazar loco etiam vbi supra num. 5.

Septimo nota. Originale peccatum non cõsistere formaliter in sola priuatione subiectionis mentis ad Deum, vt quidam dixerunt.

Octauo nota. Quidnam fuerit originalis iustitia, & qua effectum operabatur in Adam, operaretur in nobis si ipse in innocentia statu permansisset.

Octauo quia magna Scholasticorum Doctorum pars, tenet & sentit essentiam & rationem formalem originalis peccati, in priuatione originalis iustitiæ consistere: dicere atque notare oportet, quidnam fuerit prædicta originalis iustitia, & quem effectum tunc operabatur in Adamo primo nostro parente, operareturque in nobis modo, si ipse in innocentiæ statu permansisset. Pro quo dico breuiter & resolutorie, quod prædicta originalis iustitia nihil fuit omnino aliud, quam quoddam donum habituale, & supernaturale (saltim ex parte causæ efficientis) Adamo primo nostro parenti collatum, pro se & tota sua posteritate, si diuino fuisset obsequens mandato, & in innocentiæ statu permansisset, & per voluntariam præcepti sibi impositi transgressionem, illud non perdidisset. Hæc est (vt credo) communis omnium Doctorum resolutio, quæ & magis aperte colligitur ex nostro Scoto in 2. sentent. dist. 29. quæst. 1. §. potest dici, & latius in solut ad quartum, vbi agendo de prædicta originali iustitia dicit, fuisse donum quoddam habituale, & supernaturale ex parte causæ efficientis, pro eo quod collatum fuit præter naturam, & supra communem ipsius cursum. Dicit tamen per habitum prædictũ coniunctam fuisse hominis mentem cum Deo, non quidem affectu supernaturali (sicut per gratiam & charitatem) sed affectu naturali, tanquam cum suo naturali fine. Qua quidem ratione constituit discrimen, inter iustitiam originalem prædictam, & gratiam & charitatem: penes hoc quod gratia & charitas coniungunt hominem cum Deo fine suo vltimo supernaturali, & faciunt vt illum diligat amore amicitiæ supernaturalis & meritoriæ. At vero originalis iustitia id ipsum non valebat efficere, sed faciebat tantummodo, vt per eam coniungeretur homo cum Deo dilecto, solummodo vt fine suo naturali. Adhærebat tamen ipsius voluntas Deo, ornata prædicto dono, vt obiecto cuidam delectabili, sibique conuenienti, non tan um vt propter eiusmodi delectationem sua detineretur voluntas, vt non consentiret in aliquod peccatum (etiam veniale) verum etiam impediebat vt nec ipsi primi concupiscentiæ motus in ipsum insurgerent. Hæc dicit Scotus in substantia loco vbi supra, quem sequuntur multi grauissimi Doctores, in hoc quod est gratiam à iustitia originali prædicta differre. In quorum est numero Alexand. Alen. 2. p. quæst. 9. memb. 1. art. 1. & D. Bonauent. in 2. sentent. dist. 19. art. 2. quæst. 1. & 2. Gabriel in 2. dist. 30. quæst. 1. & ibi Maior, quæst. 2. concl. 1. Marsilius in 2. quæst. 18. art. 1. corol. 1. post tertiam conclusionem, & Durand. in 2. dist. 20. quæst. 5. in corpore & in solut. ad primum. Qui quidem omnes dicunt, in voluntate Adami primi nostri parentis fuisse tunc temporis duos habitus, alterum iustitiæ originalis, alterum vero gratiæ: & per habitum iustitiæ coniunctum fuisse cum Deo vt fine naturali, per habitum vero gratiæ coniun-

Sententia Scoti.

ctum fuisse eidem, vt fini super naturali. Alij vero cum D. Thom. dicunt originalem iustitiam eo tempore in Adamo, non fuisse ab habitu gratiæ distinctam, sed vnum & eundem habitum in eiusdem volũtate existentem, diuersos tamen sortitum effectus: quia gratia gratũ faciens primi hominis, maioris fuit dignitatis & efficaciæ, quam modo sit in nobis: nec enim solummodo eundem faciebat sanctum & Deo gratum, verum etiam sensualitatem & omnes inferiores ipsius facultates, ad nutum suæ voluntatis compescebat, corpusque mouebat in obsequium rationis, ita vt tranquilitate nimia voluntas ipsius subderetur Deo. Hoc dicit D. Thom. prima parte quæst. 100. artic. 1. ad secundum, & Caietan. ibidem, & quæst. 95. art. 1. & Soto lib. 1. de natura & gratia cap. 5. Sed quidquid sit de distinctione prædictorum habituum (nempe iustitiæ originalis & gratiæ) quod firmiter tenendum & credendum est, fuisse primum hominẽ in eo statu, vndequaque, siue omni ex parte perfectum. Quod satis aperte innuere videtur sapiens, Ecclesiastes 7. quando dixit. *Quod fecit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuit quæstionibus*. Et cum habere non potuerit omnimodam prædictamq; perfectionis rectitudinẽ, nisi fuisset perfectus (nedum in ordine ad Deum vt finem naturalem, verum etiam vt finem supernaturalem, siue id fuerit ab vno siue diuersis habitibus) tenendum atque dicendum est, quod in illo statu vtrunque habuit, & sic nomine originalis iustitiæ, communiter intelligitur donum quoddam habituale infusum, quod primum hominem quoad vtrumque finem perfectum reddebat, secũdum diuersas opiniones, identificatum cum gratia gratum faciẽte, vel distinctum ab ea, quod quidem donum operabatur in eo triplicem rectitudinem. Prima animæ in ordine ad Deum (secundum opinionem Scoti) non quidem meritorie (cum hoc solummodo ad gratiam pertineat) sed erat quædam naturalis rectitudo, quatenus per huiusmodi donum, hominis voluntas libentissime & facilissime parata erat, in omnibus diuinæ obedire voluntati, & inclinabatur valde (licet non necessitaretur) ad conformandum se eidem. Secunda vero rectitudo erat, virium inferiorum seu sensitiuarum ad rationem. Tertia autem corporis ad animam. Sed earum prima erat præcipua, & radix omnium aliarum, pro eo quod illa manente manerent, & ea recedente statim aliæ duæ simul cum dono ipso recederent. Quo fit vt à Doctoribus dicatur cõmuniter, quod prima illarum rectitudinum, fuit significatum formale doni prædicti iustitiæ originalis; aliæ vero duæ fuerunt quasi significatum materiale. Qui hac de re plura videre voluerit, consulat D. Thom. in 2. dist. 32. quæst. 1. & latius 1a2. quæst. 81. art. 3. & ibi Caietan. & omnes Thomistas communiter, & Sotum lib. 1. de natura & gratia cap. 5. & 9. Et ex nostris Scotum & qui illum sequuntur, loco superius citato 2. sent. dist. 29. quæst. 1. §. potest dici, & clarius in solutione

Sententia D. Thomæ.

D. [illegible] quos operabatur originalis iustitia in Adamo primo nostro parenti.

lut. id quartum, & Cordu. in suo quæst magno lib. 1. quæst. 10. opin. 6. & latius quæst. 4. Vbi inter agendum, vtrùm Beatissima Virgo Maria supradictam iustitiam habuerit originalem, similiter & Christus Dominus? hac de re latissime agit.

Quibus omnibus supradictis addo, quod quamvis controuersia sit inter Scholasticos Doctores non minima, quinvero maxima: An Adam primus noster parens in primo suæ conditionis, siue creatiotionis instanti, conditus fuerit in gratia, necne? de qua controuersia videndi sunt Doct. Alexand. Alen. 2. parte quæst. 96. & D. Thom. cum suis sequacibus prima parte quæst. 95. Soto lib. 1. de natura & gratia cap. 5. Scotus & D. Bonauentura, & omnes qui eorundem doctrinā sequuntur, lib. 2. sentent. dist. 29. (& de hac controuersia nihil libuit in præsentiarum dicere, pro eo quod non præsentis sit speculationis:) nihilominus tamen dico, meo quidem videri, siue gratia gratum faciens à iustitia originali distinguatur, siue non: absolutè concedendū esse primos nostros parentes Adamum & Euam in innocentiæ statu, & antequam peccarent, verè fuisse apud Deum, gratos, iustos & sanctos, siue id habuerint ab initio, & in gratia prædicta gratum faciente fuerint conditi; siue vero paulo post creationem per eandem fuerint iustificati. Nam quod gratiam & charitatem in eo statu habuerint, esse videtur expressa sententia Diui Augustini lib. de peccato originali, qui est secundus contra Pelagium & Celestium cap. 35. & lib. 1. de peccatorum meritis & remis. cap. 16. & oratione ad Cathecumenos contra Iudæos capit. 2. & in id ipsum inclinare videtur frequentior Doct. consensus. Quinvero & quod sit expresse diffinitū in Concil. Tridentin. Sessione 5. decreto de peccato originali cap. 2. & 3. postquam ibidem dicitur: *Adamum primum parentem, per peccatum iustitiam & sanctitatem, in qua conditus fuerat amisisse.* Qui hac de re plura videre voluerit, consulat Vazquez loco iam pluries citato in primā secundæ D. Thom. quæst. 83. disput. 132. cap. 7. Quibus supradictis notabilibus prætermissis (quæ summa sunt animaduersione digna, & quammaxime memoriæ commendenda) dico modo, quod circa essentiam & quidditatem originalis peccati, & in quo ipsius formalis ratio consistat, duæ sunt potissimæ atque præcipuæ Doctorum sententiæ & opiniones, quas referre libet per ordinem.

Circa essentiā originalis pecc ati, & in quo ipsius ratio formalis consistat, duæ sunt potissime DD. opiniones.

Prima opinio.

Prima opinio dicit, essentiam peccati originalis consistere in priuatione originalis iustitiæ debitæ in esse, cum connotatione voluntariæ culpæ, qua Adam primus noster parens, non sibi solum, verum etiam & nobis, iustitiam eandem amisit. Hanc sententiam tenet in primis Alexand. Alen. 2. p. quæst. 105. memb. 2. art. 3. & D. Thom. 1. 2. quæst. 82. art. 2. & 3. Caietan. ibidem. D. Bonauentura in 2. sent. dist. 30. art. 2. quæst. 1. & ibid. Ricardus art. 4. quæst. 1. Et pro hac sententia citatur Scotus in 2. sentent. dist. 32. §. quod primum, & Marsil. in eo-

dem

dem secundo quæst. 19. art. 3. in 2. part. concl. 6. Ocham in 2. quæst. vltima circa finem, & ex iunioribus Soto lib. 1. de natura & gratia cap. 6. quos sequuntur omnes communiter Doctores Thomistæ. Sed ex nouissimis Bellarm. to. 3. controuers. 2. lib. 5. cap. 17. Vazquez 1. 2. disput. 132. cap. 8. 9. & 10 Azor 1. part. instit. Moral. lib. 4. cap. 16. Valentia tomo 2. disp. 6. quæst. 12 pũcto 1. Salas 1. 2. quæst. 81. tract. 13. disp. 11. sect. 2. & 3. & Salazar tract. pro defensione Conceptionis Virgin. Mariæ §. 2. Qui omnes cum D. Thom. vnanimiter docét, essentiam siue rationem formalem originalis peccati, in priuatione iustitiæ originalis consistere, & concupiscentiam prauam tanquam materialem partem ad eiusdem peccati originalis integritatem aliquo modo accedere siue pertinere. Quam prædictam sententiam probant, seu potius probare contendunt, ex doctrina Diui Anselmi lib. 1. de Conceptione Virginis & peccato originali cap. 3. cuius sunt quæ sequuntur expressa verba: *Quod si ita est, originale peccatum non est, aliud, quam iniustitia, id est absentia debita iustitia: non enim videtur esse iniustitia nisi in natura, qua cum habere deberet iustitiam illam non habet.* Et infra cap. 26. eadem de re agendo dicit. *Hoc peccatũ quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi ipsam quam nuper dixi, factam per inobedientiam Adæ iustitia nuditatem.* Hæc Anselmus. Quæ etiam sententia tribuitur Dionisio Areopag. lib. de Eccles. Hierarc. cap. 2. p. 3 vbi loquendo de Cathecumenis, nudis ac discalceatis pedibus ad baptisterium deferri solitis, eadem fere verba omnimodo dicit, & appellare eiusmodi statum & Cathecumenorum conditionem prædictam, qua in peccato originali, ante baptismum obstricti sunt, dissimilitudinis statum: pro eo quod cum proprium sit gratiæ & sanctitatis, Dei fomes seu potius Deo similes homines efficere: illa qui carent dissimiles merito vocantur, ac reperiri dicuntur in quammaxima paupertate & nuditate. Quæ etiam prædicta sententia confirmari posse videtur, decreto sancti Concil. Trident. Sess. 5. vbi agendo de peccato originali dicitur: *Quod Adamus primus noster parens, gratiam atque iustitiam quam ex Dei beneficio, non solum sibi, verum etiam suis posteris transfundendam acceperit, per mandati transgressionem, non sibi solum illam perdidit, sed & suis posteris gratiam eandem atque iustitiam amisit.* Ex quibus verbis (vt videtur) satis colligitur, quod originale peccatum nihil sit omnino aliud, quam priuatio supradictæ gratiæ, & iustitiæ originalis debitæ in esse Adamo primo nostro parenti, cum connotatione voluntariæ culpæ, qua ipse nõ solum sibi, sed & nobis etiam illam amisit.

Secunda est aliorum opinio, asserentium peccatum originale prædictum, nõ esse solummodo meram priuationem originalis iustitiæ, verum etiam & formaliter includere actionem, qua idem Adã diuinum olim transgrediendo præceptum, sibi & nobis illam perdidit. *Secunda opinio.*

dit.

dit, nō quatenus fuit Adami ipsius actio: sed quatenus & nostra fuit: quia Adamo peccante, & nos pariter in illo peccauimus: eandem cū illo inobedientiæ actionem operando: ita vt eadem numero inobedientiæ actio Adami, etiam fuerit actio nostra, & à nobis simul cum illo operata atque elicita: non quidem personaliter, sed originaliter, quatenus Adam (Deo ita instituente) respectu suorum posterorum, veram habuit rationem capitis, non solum in esse naturali, verum & in esse morali. Ita quod Adam fuit veluti nos omnes, & nos omnes in illo fuimus quasi quidam Adamus. Hanc sententiam & opinionem (diuerso licet modo explicatam) tenent doctissimi atque grauissimi Doctores. Sed in primis illam tuetur ac mordicus defendit Ambros. Catherin. Polytus tract. de casu hominis, & peccat. origin. c p. 8. & 10. & Albertus Pighius in suis controu. ratisponen. controuersia 1. de peccat. origin. Vega de iustificat. lib. 2. capit. 2 Didacus etiam à Paiba Conimbricensis lib. 5. defensionis Tridentinæ fidei, fol. 305. & 306. & Ricardus Taper in art. Lobaniensibus, art. 1. de peccato originali §. *quia vt diximus*, & pro eadem citatur etiam Belarmi. loco vbi sup. tom. 3. controuers. 2. lib. 5. cap. 18. proposit. 1. & Tolet. super epist. ad Roman cap. 5. annotat. 16. & Suarez 2. tomo ad 3. part. D. Thom. disp. 3. sect. 2. Quin vero dicitur quod sit etiam opinio & sententia D. Thom. super epist. ad Roman. cap. 5 lect. 2. ante finem, quando dicit Adamo peccante, nos etiam omnes in eo quodammodo peccasse: in quantum in eo eramus sicut in primo fonte nostri originis. Et omnium nouissimus defendit hanc sententiam AEgidius Augustinianus, de conceptione lib. 2. quæst. 1. art. 6. & quia prædicta sententia magis placet & arridet, & inter communiter scribentes esse videtur receptissima, pro eadem sequentem statuo conclusionem, quæ sit prima in ordine,

Peccatum originale formaliter loquēdo, consistit in illo præuaricationis actu, quo Adamus primus noster parens pro se simul & nobis diuinam legē est præuaricatus, ex quo in ipso & in nobis subsequuta est priuatio originalis iustitiæ.

Prima Conclusio.

PECCATVM originale formaliter loquendo, consistit in illo præuaricationis actu, quo Adamus primus noster parens, pro se simul & nobis diuinam legem, siue pactum violauit: ex quo subinde consequitur priuatio originalis iustitiæ, sibi ac nobis debitæ. Hæc conclusio sic explicata est vera, & quammaxime consona dictis Sanctorum Patrum, qui vt passim videre licebit, explicando illa Pauli verba ad Roman. 5. quibus dicitur: *Quod omnes in Adam peccauerunt*: communiter dicunt iuxta propriam ipsorum intelligentiam, in hunc sensum esse intelligenda, atque interpretanda: quod Adam peccante, omnes etiam nos simul cum ipso peccauimus, eandem inobedientiæ actionem operando: ita vt eadem numero inobedientiæ actio, sua fuerit & nostra: à nobisque simul cum ipso ellicita, quamvis non à nobis personaliter, sed tantum originaliter, quatenus (Deo

ita

ita instituente) omnes simul fuimus in Adamo, & Adam fuit quasi omnes nos. Quæ conclusio in primis est expressa sentētia Diui Augustini lib. 4. contra duas epistol. Pelagianorum cap. 4. vbi postquā dicit, quod in illis Diui Pauli verbis: *In quo omnes peccauerunt*, relatiuū illud, *in quo*, Adamum refert, ita vt sit sensus: in quo Adamo peccante, omnes simul peccauerunt, subdit. *Quodlibet ergo eligant, in illo homine peccauerunt omnes, ideò dictum est: quia quando ille peccauit in illo erant omnes.* Et paulo inferius addit. *Restat vt in primo illo homine peccasse omnes intelligantur, quia in illo fuerunt omnes quando ille peccauit, vnde peccatum nascēdo contrahitur.* In quibus vltimis verbis; *Vnde peccatum nascendo contrahitur*: satis (meo quidem videri) exprimit atque declarat prædictus D. August. quando in Adam peccauimus, & quando peccatum ipsum originale actu contrahimus. Nam peccauimus quidem quando Adamus ipse peccauit, cum in illo fuerimus (vt dicitur) in ipsius lūbis, quāvis non in nobis metipsis actu, quēadmodū & olim Christus in Abrahæ lumbis decimatus dicitur à D. Paulo ad Hebr. c. 7. Contrahimus vero peccati originalis maculam (non quidem quando Adam illam contraxit, quia tunc nondum eramus) sed quando nascendo aut in conceptione, actu eiusdem naturā accipimus. Verūlicet sit quod in illo etiā illā contraximus per peccatū, quando ipse peccauit (non quidem actualiter) sed habitualiter & originaliter, quoad sufficientiam, licet non quoad efficatiam: quod multum est notandū ac memoriæ commendandum. Sed missa hæc faciendo (quia ea de re amplior infra futurus est sermo) in eundē etiam sensum D. August. lib. 3. de peccato. meritis c. 7. explicat & declarat prædicta D. Pauli verba, sic inquiens. *Non sic dicuntur aliena peccata, quia ad paruulos non pertineant, quia in Adamo omnes tunc peccauerunt quando in eius natura insita in qua eos generare poterat, adhuc omnes ille vnus fuerunt.* Idem dicit lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 27. vbi eadem Diui Pauli verba paruulis accommodat, dicens. *Quod paruuli non secundum vitæ suæ proprietatem, sed secundum communem humani generis originem, omnes in illo vno testamentum Dei dissipauerunt.* Et paulo inferius explicando illa Genes. verba cap. 17. *Quia testamentum meum dissipauit*, etiam ait. *Interibit anima illa de genere suo, quia testamentum meum dissipauit, quando Adam cum omnibus & ipse peccauit.* Idem frequenter reperire licebit in doctrina D. August. inter explicandum prædicta Diui Pauli verba: *Quod omnes in Adam peccauerunt*. Quæ in hunc sensum dicit esse intelligenda. *Quod Adamo peccante, etiam omnes nos in illo adhuc actu non existētes, sed habitu & origine peccatum cum ipso commisimus. Et quod omnes in Adam peccasse, nihil est omninò aliud, quam omnes peccatum illud simul cum ipso commisisse, quia nempe ex diuino decreto omnes eramus ipse Adam; & Adamus ipse erat veluti omnes nos.* Quæ prædicta omnia quammaxime sunt notanda. In hunc etiam sensum Diuus Anselmus lib. de Conceptione Virginis cap. 7. expli-

cat eadem Diui Pauli verba dicens: *Quod in Adam omnes peccauimus quando ille peccauit*, & cap. 22. explicans quomodo omnes fuerimus in Adam quando ille peccauit, vt simul cum ipso peccare ac deficere potuerimus, inquit. *Negari quidem neq. it infantes in Adam fuisse, cum peccauit, sed in illo causaliter siue naturaliter, velut in semine fuerunt in se ipsis vero personaliter sunt: quia in illo fuerunt ipsum semen, in se singuli sunt diuersa persona. In illo non alij ab illo, in se alij quam ille. In illo fuerunt ille, in se sunt ipsi: fuerunt igitur in illo, sed non ipsi quia nondum fuerant ipsi.* Post quæ supradicta ait. *Forsitan dicet aliquis istud esse, quod alij homines in Adam fuisse dicuntur, quasi nihil & inane quoddam esse [illegible] illum esse; dicet ergo illud esse fuisse nihil, aut falsum siue vanum [illegible] Christus secundùm semen in Abraham, in Dauid, & in alijs patribus, & quæ omnia quæ sunt ex semine fuerunt in seminibus: & nihil fecisse Deum, cum omnia quæ procrearentur ex semine: ipse fecit prius in seminibus ipsis, & dicant nihil vel vanum aliquid esse hoc, quod si vere non esset, hæc quæ videmus esse, non essent. Si enim verum non esset ea quæ natura procreat ex seminibus, in illis prius aliquid fuisse, nullo modo ex ipsis fuissent, quod si hoc certe stultissimum est, non est falsum vel vanum, sed verum ac solidum esse fuit, quo fuerunt omnes alij homines in Adam* Hactenus Anselmus. Cuius etiam verba ad præsens propositum quammaxime sunt notanda. In eundem sensum explicant supradicta Diui Pauli verba Sancti Patres, Dionisius Areopag. de Ecclesiast. Hierarc. cap. 3. part. 3. Iustinus in Dialogo cum Triphone. Tertul. lib. de Anima cap. 40. Cyrilus Hierosolymitan. cathe. 2. D. Hierony. in Oseam cap. 6. Fulgentius lib. de Incarnat. cap. 15. Rupertus lib. 7. in Oseam cap 33. Isidorus in Genesim cap. 13. in fine. Eucherius lib. 2. in Genesim cap. 24. Procop. in Genes. cap. 17. in illa verba. *Quia pactum meum irritum fecit.* Qui omnes vnanimes, atque vno ore docent vniuersam hominũ naturam, & totam hominum vniuersitatem, in paradiso diuinam legem fuisse præuaricatam, & totam humanã naturam à Deo defecisse, irritumque diuinum pactum fecisse, & simul cum Adamo cecidisse, & de ligno vetito comedisse. Quod quidem aliter non potest intelligi, nisi iuxta sensum supradictum, nempe quod Adamo peccante, omnes nos etiam simul cum illo peccauimus: ita vt ipsius præuaricatio, sua fuerit simul & nostra: sua quidem personaliter, nostra vero originaliter, pro eo quod ille erat veluti omnes nos, & nos eramus ille, seu in illo. Qui loquendi modus frequentissimus est apud D. August. & Patres omnes supra dictos Potest præterea probari simul atque corroborari prædicta conclusio. Nam dicendo peccatum originale formaliter esse solam carentiam seu meram priuationem originalis iustitiæ, & negando actionem illam Adami peccantis, & diuinam legem transgredientis esse etiam nostram, & in ea peccati eiusdem originalis rationem formalem consistere: non satis apparet quo nam modo probari posit, quod priuatio prædictæ originalis iusti-

ale, nobis sit, aut fuerit voluntaria & libera, sine quo (vt plane de se patet) malitia moralis haudquaquam potest contineri, et ac proinde, quo nammodo in nobis esse posset peccatum. Sed quamvis superius dicta vera sint & tenenda, re tamen penitus considerata (vt mihi videtur) supradictæ duæ sententiæ & opiniones non sunt inter se contrariæ, quinvero facile ad pacem & concordiam reduci possunt, si plene inspiciantur, intelligantur & explicentur, ad sensum statim dicēdū de quo sit secunda Conclusio.

Secunda Conclusio.

SENTENTIA & opinio quæ dicit, essentiam & rationem formalem originalis peccati in priuatione originalis iustitiæ debitæ inesse consistere, cum connotatione voluntariæ culpæ qua Adamus primus noster parens, non sibi solum, verum etiam & nobis iustitiam eandem amisit, cum alia superius dicta, & in præcedenti conclusione posita, optime potest concordari: si priuatio prædicta originalis iustitiæ, accipiatur per modum actus, non vero per modum habitus, siue termini. Volo dicere, quod quando Doctores prædicti cum D. Thom. & alijs superius citatis dicunt essentiam atque rationem formalem originalis peccati in priuatione iustitiæ originalis debitæ inesse consistere: prædicta priuatio originalis iustitiæ accipienda est, non quidem per modum habitus aut termini (vt sic enim potius habet rationem pœnæ, quam culpæ) sed per modum actus, ad hunc sensum: quod peccatum originale consistit formaliter in illo præuaricationis actu, quo Adam pro se simul & nobis diuinum transgrediendo præceptum, caruit seu potius se abdicauit atque priuauit illa rectitudine & conformitate ad diuinam voluntatem, quam habere tenebatur, & quam exhibebat sibi prædicta originalis iustitia: pro eo quod cum teneretur Deo obedire, & diuinæ voluntati omninô conformari, non quidem id fecit, quinvero diuinum transgressus est pactum, ac perdidit originalem iustitiam, quam pro se simul & nobis acceperat. In hunc sensum explicata sententia prædicta parum vel nihil differt, imo vero (vt videtur) eadem omninô est cum in præcedenti conclusione posita, & sub diuersa loquendi forma omnes, supradicti Doctores dicunt omninô idem: licet alij perperam contendant eosdem separare atque diuidere. Itaque cum communiter dicitur quod originale peccatum formaliter consistit in priuatione originalis iustitiæ, non ibi accipienda est iustitia pro dono seu habitu ipso secundûm se & materialiter sumpto, sed pro formali ipsius significato, & pro primario effectu quem iustitia ipsa originalis operabatur in homine, qui erat eundem rectificare & ordinare, mentemque ipsius ad Deum subijcere. Et idem omninô est ac si diceretur, quod

Sententia quæ dicit peccatum originale in priuatione iustitiæ originalis consistere, cum præcedenti opinione facile concordari potest.

Notetur hoc valde.

consistit in voluntaria illa priuatione, & carentia iustitiæ, rectitudinis & conformitatis, necnon & subiectionis quam Adam ad Deum tenebatur habere, & præcipue operabatur in eo supradicta iustitia originalis. Hoc fuit peccatum primi nostri parentis Adam, & illud ipsum fuit similiter nostrum, qui in eo virtualiter continebamur, tanquam in naturæ nostræ vniuersali principio: non solùm in esse naturæ, verum etiam & in esse morali (vt supra dictum est & amplius infra dicemus) & illa voluntaria actualis deflexio Adami à lege & ordinatione Dei, siue à rectitudine quam erga ipsum tenebatur habere, per modum habitus participata à nobis cum ipsa natura, est propria & formalis ratio nostri originalis peccati. Quod quidem ita esse hac vel vnica, eaque efficacissima ratione probatur, argumento desumpto ab opposito, & contrario prædicti originalis peccati, quod erat iustitia originalis. Etenim si originalis iustitia formaliter in Adam (& idem esset iudicium in nobis) consistebat in actuali rectitudine, conformitate & subiectione voluntatis Adami primi nostri parentis in ordine ad Deum: ergo & peccatum originale ipsum, formaliter etiã consistere debet in contrario actu; nempe in voluntaria illa deflexione eiusdem à lege, & ordinatione Dei, & à rectitudine quam habere tenebatur erga ipsum, & quam præcipue formaliter efficiebat in eo supradicta iustitia originalis, quæ per modum habitus simul cum ipsa natura participata, in nobis est etiam peccatum originale. Ad hunc etiam sensum multi ex Thomistis interpretantur sententiã D. Tho. & interpretandus est etiam noster Scotus, & isto modo interpretatur atque defendit noster Corduba sententiam superius dictam de carentia originalis iustitiæ, in suo quæstionario lib. 1. quæst. 10. in exposit. 6. opinionis, & Zumel in prima secundæ D. Thom. quæst. 82. art. 3. disp. 1. vbi ad hoc propositum plures statuit conclusiones satis notatu dignas, quæ pro hac quæstione dicta sufficiant.

QVÆSTIO III.

Qua ratione in paruulis priuatio originalis iustitiæ esse possit peccatum, & habere in ipsis rationem voluntarij?

PRO huius quæstionis intelligentia præmitto, quod Hæretici negantes originale peccatum, ex eo præcipue in id commoti sunt, quia non intelligere valuerunt, quonam pacto, quave ratione aliquid in paruulis esse possit peccatum, & vnicuique proprium (prout Tridentin. diffinit Concilium) quod in

ipsis

ipsis non habuit, sed neque habere potuit, rationem voluntarij: cum (teste Diuo Augustino) de ratione peccati adeò sit intrinsecum quod sit voluntarium, quod si quidpiam voluntarium non est, peccatum minime erit. Hac ratione Hæretici Pelagiani olim, & multi etiam hodie, negant originale peccatum, quod generatione seu propagatione in posteros traducatur: sed tantummodo imitatione: quatenus Adã primus noster parens diuinum transgrediendo præceptum, posteris suis formam & exemplar reliquit peccandi: & hanc solam ob causam (aiunt) à D. Paulo fuisse dictum, quod per ipsum peccatum intrauit in mundum, nõ vero ex eo quod propagatione, aut generatione peccatum aliquod ex ipso in posteros traducatur. Vt igitur difficultatem pergrandem hanc vt cumque explicemus, non quidem incongrue, quinvero congruentissime, post supradictas duas quæstiones, in quarum prima egimus de existentia & actualitate peccati, in secunda vero de ipsius essentia & quidditate, vbi & explicauimus in quo ipsius ratio formalis consistat, tertio loco in cõtrouersiam adducimus: qua ratione originale peccatum, in paruulis esse possit peccatum, & habere in illis proprie loquendo rationem voluntarij. Nec solum in hac quæstione contentio habenda est cum Hæreticis, verum etiam & cũ nonnullis ex catholicis, qui quamvis (vt tenentur) peccatum originale concedant, nec illud negare audeant: durum tamen atque intelligibile sibi videtur, quonam pacto eiusmodi originale peccatum, in paruulis veram & propriam rationem habeat peccati & voluntarij, cum non ab eisdem propria voluntate committatur, sed traducatur generatione atque origine.

Vt igitur hac in re pro more nostro clare atque distincte procedamus, libet difficultatem propositam magis difficilem reddere, & quibusdã propositis argumẽtis, primo aspectu satis vrgentibus monstrare, originale peccatum prædictum, in paruulis haudquaquam habere posse rationem peccati proprie & in rigore loquendo, ex defectu voluntarij, adeò ad rationem peccati requisiti. *Argumenta quibus probare contenditur peccatum originale in paruulis non habere posse rationem voluntarij.*

Et primo sic argumentor. Nam voluntarium (vt plane cõstat) consistere minime potest absque cognitione obiecti turpis siue honesti, & consensu præstito in illud: qua quidem ratione communiter dicitur, quod ignorantia omninò tollit rationẽ voluntarij; sed in paruulis dũ concipiuntur, aut etiam nascuntur, inueniri nullo modo potest eiusmodi cognitio siue consensus; cum omninò vsu rationis careant: ergo nec in ipsis inueniri potest aliquis deffectus moralis, qui habeat aut habere possit rationẽ voluntarij, ac proinde neq; peccati. *Primum argu.*

Secundo sic argumentor ad idem. Et probo quod saltim peccatum originale in paruulis esse non possit proprium peccatum. Nam esse non potest proprium peccatum, vbi non inuenitur propria ratio voluntarij: sed in paruulis non inuenitur propria aliqua ratio *Secundum argumentum.*

voluntarij respectu originalis peccati : ergo intentum. Consequentia cum maiori legitima est: minor autem probatur. Nam vel dicendum est, quod peccatum originale est voluntarium huic puero qui modo concipitur, voluntate propria vel voluntate alterius; nempe Adami primi nostri parentis à quo descendit. Primum dici non potest, quia paruulus (vt de se patet) neque quando concipitur neque quando nascitur, ex defectu vsus rationis voluntate propria præbere potest consensum liberum in aliquod peccatum. Nec potest dici secundum: quia id quod est voluntarium voluntate alterius, non etiam esse potest proprie mihi voluntarium, nisi vel ego transtulerim consensum meum in illum, cuius est illa voluntas, vel nisi tenear & possim vitare, ne ille consentiat, & non faciam; aut saltim nisi ratum & firmum habeam id quod ille fecit: sed in proposito casu, paruulus, de quo fit sermo, nec transtulit aut transferre potuit consensum suum in Adam, nec vitare ipse potuit, ne Adam consentiret in peccatum; nec rursus ratum & firmum habuit quod Adam fecit; ergo peccatum originale nullo modo potest dici proprie in illo fuisse voluntarium, postquam non fuit voluntarium, neque voluntate propria, nec voluntate aliena primi parentis: ac proinde neque peccatum.

Tertium argumentum. Tertio ad idem sic argumentor, & probo iterum ex prædicto medio, quod originale peccatum (in paruulis saltim) non esse possit proprie & intrinsecè voluntarium. Nam certum est quod non potest esse proprie & intrinsecè voluntarium, quod non est voluntarium voluntate propria, sed voluntate alterius (ratio enim peccati voluntarium intrinsecè includit, tanquam gradum genericum, vel saltim ipsum supponit in fundamento & subiecto cui inest) sed peccatum originale (vt prædictum est) non est voluntarium voluntate propria, sed voluntate primi parentis; ergo saltim non est in ipsis proprie & intrinsece peccatum volūtarium, sed solummodo extrinsece, pro eo quod voluntas Adæ, à qua habet quod sit voluntarium & peccatum, extrinseca est illis nam cui extrinsecè inest voluntarium, extrinseca est illi etiam ratio peccati. Hoc certe argumentum fortissimum esse videtur & vrget.

Quartum argumentum. Quarto sic argumentor ad idem. Nam si ob aliquam causam originale peccatum paruulis posset imputari, & in ipsis habere rationē voluntarij, maxime quia contractum est voluntate Adami primi nostri parentis (vt communiter dicitur) sed propter hoc non: cum iam ipsius peccatum à Deo per pœnitentiam sibi fuerit remissum & condonatum: ergo eiusmodi peccatum paruulis non potest aut potuit imputari, neque in illis habere rationem voluntarij. Quod peccatum primi parentis per pœnitentiam fuerit sibi remissum & condonatū, habetur expresse Sapient. 10. vbi dum fit sermo de Adam, sequentia

haben-

habentur verba, *Haec illum qui prius formatus est à Deo, pater orbis terrarum cum solus esset, creator custodiuit, & eduxit illum à delicto suo*. Ex quo loco colligunt Doct. Theologi (inter quos est Castro aduersus haereses verbo Adam, haeres. 1.) quod oppositū dicere est haereticum. Si ergo peccatum Adami per poenitentiam sibi fuit remissum & condonatum (vt videtur) nihil illius culpae remansit, quod in posteros posset träsire, quinvero ipsius praeuaricatio iam omnino cessauit.

Quinto argumentor ad idem. Quia Deus pronior est ad misericordiam, quam ad iram, Vt enim habetur Ezech. 18. *Non vult Deus mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat*. Si igitur id ita est, non videtur credendum, quod vnum primi hominis peccatum imputare velit omnibus suis posteris, ita vt censeatur etiam illis esse voluntarium. Maxime cum id ipse ibidem dixerit, quod filius non portabit iniquitatem patris, sed anima quae peccauerit, ipsa morietur. *Quintū argumentum.*

Sexto sic argumentor ad idem. Nam si modo conderetur aut nasceretur aliquis homo in puris naturalibus, eodem modo deordinaretur, & pateretur pugnam appetitus sensitiui, & ignorantiam intellectus, aliosque deffectus & necessitates, quas nunc omnes communiter patiuntur homines: & tamen eiusmodi deffectus & necessitates in illo non haberent rationem culpae, aut peccati: ergo nec modo illam habent in paruulis. *Sextum argumētum.*

Septimo argumentor ad idem, Quia vt inquit D. August. lib. 3. de lib. arbit cap. 18. nullus peccat in eo quod vitare non potest. Qua etiam ratione Aristotel. 3. Ethicor. cap. 5. dicit, ea solummodo vitia esse nobis voluntaria, quorum principium est in nobis, ita vt in nostra potestate positum sit, quod sint, aut non sint. Et paulo inferius dicit, quod corporis vitia quae in nostra potestate, & voluntate non sunt, reprehendi non debent, nec sunt reprehensione digna. Sed paruuli qui de nouo concipiuntur aut nascuntur, peccatum originale praedictum vitare non possunt, neque in ipsorum potestate est positum, quod eiusmodi patiantur aut non patiātur deffectum, & si quod est, esse videtur quasi quoddam vitium naturae: ergo haudquaquam illis potest, aut debet ad peccatum imputari. *Septimum argumentum.*

Octauo argumentor ad idem. Quia peccatum per propagationem, siue originem traduci nō potest, nisi etiam simul cum illo eiusdem traducatur subiectum (cum sine subiecto esse non possit) sed anima quae est subiectum peccati, non traducitur per propagationem, siue originē, quinvero immediate producitur à Deo per creationē: ergo nullum peccatum per propagationem, siue originem potest träsfundi. *Octauum argumentum.*

Nono & vltimo sic argumentor ad idem. Nam haec esse videtur sententia D. August. lib. 16 de ciuitate Dei cap. 27. vbi explicans illa verba Genes. 17. *Masculus qui non circumcidet carnem praeputij sui, octauo die, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*. Dicit *Nonum argumentum.*

quod

quod eiusmodi pactum fuit testamentum quod factum est ad primũ hominem, quando Deus illi dixit Genes. 2. *Vt non comederet de ligno vetito, & quod in quocunque die comederet ex eo, morte moreretur*. Et paulo inferius explicando quale in paruulis sit huiusmodi peccatum, subiungit. Quod vera fides habet, quod prædicti paruuli nõ proprie, sed originaliter nascuntur peccatores. Ergo de mente & sententia D. Augustini prædictum originale peccatum in paruulis, non propriã habet rationem peccati, nec proprie dici potest voluntarium, sed tãtummodo originaliter, & cum conditione diminuente, ad veram & propriam rationem voluntarij & peccati. Hæc sunt argumenta, quæ pro hac parte possunt, & communiter adducuntur, nedum ab Hæreticis, quinvero & à Doctoribus catholicis, ad eruendam, & acuendam propositam difficultatem, & vt occasione desumpta ab ipsis, melius atque commodius ostendere & explicare possint veritatem de fide tenendam. Quod vt commodius fiat pro maiori huius rei intelligentia, sequẽtes libuit adducere conclusiones.

Prima Conclusio.

Peccatum originale in paruulis verã & propriam habet rationem peccati, & voluntarij, & cõtrariũ dicere non esse videtur tutum in fide.

PECCATVM originale, quod ab Adamo primo nostro parente in posteros, per originem, siue naturalem propagationem transfunditur, veram & propriam habet rationem culpæ, & peccati ac proinde & voluntarij, & contrarium dicere non esse videtur tutum in fide. Hæc conclusio probatur primo. Nam certum est ex doctrina Diui Pauli ad Roman. 5. & ad Ephes. 2. & sæpe alibi, quod peccatum originale prædictũ vere & proprie nos efficit peccatores, & Dei inimicos, & iræ filios: sed hoc esse nõ potest nisi vere & proprie haberet rationem culpæ & peccati, neque hoc vltimum, nisi haberet veram & propriam rationem voluntarij: ergo necessario dicendum est, id quod habetur in conclusione. Quod confirmatur ex Concilijs Milebitano, Arausicano, & Tridentino. *Vbi anathematizantur dicentes eiusmodi originale peccatum, non esse veram culpam & verum peccatum, quod nobis tolitur per baptismum*. Et verba Concil. Trident. Session. 5. cap. 5. sunt quæ sequuntur. *Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, qua in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari, anathema sit*. Ex quibus verbis plane colligitur, quod neque ex deffectu voluntarij, neque vlla alia ratione dici vllo modo potest, quod peccatũ originale prædictum, non habet veram & propriam rationem culpæ & peccati. Vnde dico quod quamuis originale peccatũ ab actuali distinguatur, penes hoc, quod actuale consistit in actuali volitione, siue violatione alicuius præcepti, siue per commissionem siue per omissionem: originale vero tãtummodo

In habituali siue virtuali: non tamen per hoc intelligẽdum est, quod verbum originale, additum peccato, dicat conditionem aliquam diminuentem, seu determinationem extrahentem ipsum à propria & vera ratione peccati: sicut esse pictum aut esse mortuum, respectu hominis: nam non importat nisi determinationem ad certum aliquẽ modum peccati, sicut esse ac latum, bipedem aut quadrupedem respectu animalis: & includitur vere & proprie in communi, & generali ratione peccati, & contrarium dicere (vt dixi) non esse videtur tutum in fide. Qua quidem ratione (mihi vt videtur) merito venit reprehendendus Durandus, & nõnulli alij Doctores Scholastici, qui ex defectu voluntarij, peccato originali prędicto concedere renuũt, habere veram & propriam rationem peccati: quod videtur contrarium esse Concilijs prædictis, & communi modo loquendi Sanctorum Patrum, de quorum sententijs videndus est sentent. Magist. in 2. vbi plura adducit Sanctorum testimonia asserentium peccatum originale veram esse culpam, & verum peccatum. De quo videatur Diuus Anselmus lib. de Concep. Virgin. cap. 3. & 25.

Secundo eadem probatur conclusio. Nam si peccatum originale prædictum, non propriam & veram haberet rationem peccati: non quidem vera, sed falsa esset baptismi forma, qua dicitur baptizari paruulos in remissionem originalis peccati: sed hoc non est dicendum: ergo necessario tenendum est, ipsum veram & propriam habere rationem voluntarij. Quod & hac ratione confirmatur: nam omnia nomina, quæ in sacra Pagina tribuuntur, siue accommodantur originali peccato prædicto, plane ac satis aperte innuunt ipsum habere verã & propriam rationem peccati: appellatur enim iniquitas, iuxta illud Psalm. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*. Præuaricatio, iuxta illud Oseæ 6. *Omnes sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi præuaricati sunt in me*. Appellatur etiam impietas & inimicitia: iuxta illud Pauli ad Roman. 5. *Vt quid enim Christus cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impijs mortuus est*. Et infra. *Si enim cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filij eius*. Item & appellatur animæ mors: iuxta illud Pauli 1. Corinth. 5. *Si Christus mortuus est pro nobis: ergo omnes mortui sunt*. Quæ quidem verba (vt satis colligitur ex contextu litteræ, & ex Diuo Augustino lib 6. contra Iulian. Pelagian.) intelligenda sunt de spirituali morte peccati. Si igitur Scriptura sacra loquendo de peccato originali prædicto, semper nominibus vtitur dumtaxat conuenientibus peccato vere & proprie atque in rigore loquendo, non id ipsum vllo pacto aut ratione potest negari, & contrarium facere, esse quidem ad minus videtur temerarium, & non multum in fide tutum.

(.:.)

Secunda Conclusio.

De fide etiam tenendum est, peccatum originale in paruulis esse vnicuique propriũ: à quo intrinsecè & formaliter dicũtur peccatores.

CERTA etiam fide tenendum est, originale peccatum prædictum esse in paruulis vnicuique proprium, à quo vere, realiter & formaliter, & intrinseca de nominatione dicuntur peccatores, & non ab extrinseco. De hac conclusione plura diximus in secundo notabili præcedentis quæstionis, & sic non est cur in ea explicanda immoremur amplius; cum quæ dicta sunt facile possint ibidem videri. Sed de nouo aliquid addendo breuiter dico, quod ipsa expresse colligitur ex verbis Diui Pauli ad Roman. 5. quando dixit loquendo de peccato originali prædicto: *Quod per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.* Ex quo loco sic conficio argumentum. Mors quæ per peccatum intrauit in hunc mũdum, est in singulis hominibus propria, & numero distincta à morte cuiuslibet alterius: ergo id ipsum etiam dicendum est similiter de peccato. Consequentia videtur legitima. Nam nisi hoc ita esset, non apparet qualiter vere & proprie & sine figura verificari possit, per prædictum primũ hominem peccatum intrasse in mundum, & per ipsum mortem: sed solummodo intrasse metaphoricè, ratione effectuum, & pœnarum sibi correspondentium, quod nullo modo est dicendum. Quod & confirmatur ex eo quod dicit idem Diuus Paulus loco superius citato, nempe: *Quod sicut per inobedientiam vnius hominis multi constituti sunt peccatores, ita & per vnius obedientiam iusti constituuntur multi.* Ex quo loco sic etiam formatur argumentum. Per Christi Domini obedientiã homines constituuntur iusti intrinsecè & formaliter, ita quod vnusquisque propriam habeat iustitiam sibi inhærentem, distinctam à iustitia Christi, & à iustitia cuiuscunque alterius: ergo & per peccatum primi hominis Adæ homines constituuntur peccatores intrinsecè & formaliter, ita vt vnusquisque proprium habeat in se peccatum, distinctum à peccato Adæ, & à peccato cuiuscunque alterius. Confirmatur id ipsum secundo, argumento quo vtitur Vega lib. 4. in Concil. Tridentin. cap. 2. contra Pighium & Catherinum. Nam quamvis quis fieri possit reus peccato alterius, nullus tamen esse potest peccator & inimicus Deo, nisi ex propria culpa; sed paruuli propter originale peccatum prædictum, vere sunt peccatores & inimici Deo, iuxta id quod diximus de mente Diui Pauli, quod per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi: ergo dicendum est, quod singuli habent propriam culpam, intrinsicè & formaliter sibi inhærentem, à qua dicuntur peccatores & Dei inimici atque iniusti. Tandem hæc veritas est expresse diffinita in Concil. Trident. Sessione 5. cap. 3. vbi dicitur: *Prædictum peccatum originale origine esse vnum, & propagatione, non imitatione transfussum omnibus, & in esse vnicuique proprium.* Et

Sessione

Sesſione 6. cap. 3. etiam dicitur. *Quod propagati ex Adam, per ipſum dum concipiuntur, propriam contrahunt iuſtitiam.* Non igitur hac de re eſt vllo modo dubitandum.

Sed contra conclusionem prædictam, poteſt quiſpiam inſurgere, dicendo in ſacris litteris non id ipſum inſinuari: quinvero potius quod peccatum originale prædictum, ſit illud idem quod commiſit Adam quando diuinum tranſgreſſus eſt præceptum. Hac enim ratione (vt videtur) dixit Diuus Paulus vbi ſupra ad Roman. 5. *Quod per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt.* Vbi quammaxime notanda veniunt verba illa: *In quo omnes peccauerunt.* Et facit ad idē id quod eadem de re agendo, dixit Oſeas cap. 6. *Quod omnes ſicut Adā tranſgreſſi ſunt pactum, ibi præuaricati ſunt in me*, quo loco valde etiam veniunt notanda verba illa: *ibi præuaricati ſunt in me.* Ex quibus teſtimonijs (vt videtur) ſatis colligitur, non ſolum quod peccauimus omnes in Adam quando idem ipſe peccauit, verum etiam & quod à peccato ipſius dicimur peccatores (non quidem intrinſeca denominatione) ſed denominatione quadam extrinſeca, pro eo quod tota humana natura in illo infecta eſt, & non ab aliquo peccato nobis proprio, & cuilibet noſtrum intrinſeco, à quo formaliter dici poſsimus peccatores. Quod & confirmari etiam poteſt hac ratione. Quia de eſſentia peccati eſt, quod ſit præuaricatio & alicuius legis tranſgreſsio: ſed pueris dū in vtero matris concipiuntur, tribui non poteſt aliqua legis tranſgreſsio, præter illam qua in Adam de ligno vetito comedendo diuinam legem tranſgreſſi ſunt: ergo intentum. Quod & poteſt ſecundo confirmari de mente & ſententia Diui Bernardi epiſt. 67. ad Hugo. vbi de prædictis paruulis agendo, ſequentia verba dicit: *Neque enim omnipotentis Dei iuſtitia, propriam putat ab eis exigendam fidem, quos nouit propriam non habere culpam, porro aliena fide illis opus eſt, cum ſine ſe de non naſcantur aliena.* Ecce qualiter Diuus Bernardus paruulorum cūlpam alienam vocat. Sed his nihilominus non obſtantibus ſtandum eſt in ſupradictis. Et ad obiectionem reſpondendo dicimus, quod nos non negamus paruulos prædictos, & omnes qui ex Adam per rationem ſeminalem deſcendunt, peccatores conſtitui per illud idem peccatū quod ipſe commiſsit diuinum tranſgrediendo præceptum (neque enim id vllo modo negari poteſt, vt pluries iam diximus) ſed aſſerimus, quod illud peccatum non ſolum fuit in nos generatione tranſfuſum cauſaliter, & ab eo per extrinſecam denominationem peccatores dicimur: verum etiam & ſimul formaliter & intrinſicè, per propriam noſtram culpam intrinſecam, & propriam noſtram malitiam ibidem exiſtentem: quia quando prædictus Adam peccauit, omnes nos ſui poſteri (qui in eo virtualiter continebamur, tanquam in quodam vniuerſali noſtræ propagationis principio) ſimul cum illo pec-

Argu. contra concluſionem.

Reſponde tur ad argumentum prædictū.

Peccatum originale quonã tempore contrahatur in paruulis?

cauimus & præuaricationi eidem virtualem nostrũ consensum præstitimus. Ex quo plane sequitur, quod illud peccatum fuit suum simul & nostrum, & peccatores dicimur, non solum extrinseca denominatione, ab eo quod fuit suum, verum & intrinseca & formaliter ab eo quod fuit nostrum, & quod est vnicuiq; nostrum proprium, per nostrum proprium præstitum virtualem consensum. Contrahimus tamen illud de facto, in eo instãti quo concipimur, & actu sumus ipsius filij: nam statim vt quis concipitur & efficitur filius Adæ, ordinem habet ad illud peccatum, quod simul cum Adam suo protoparente cõmisit. Quod vt plenius notum fiat, recolere oportet ea quæ diximus supra, nempe quod illud idem præceptum Adamo primo nostro parenti impositum, de non comedendo de ligno vitæ, nobis etiam fuit quodammodo impositum, qui virtualiter continebamur in illo; seruandum tamen aut violandum per actum ipsius Adami, cuius transgressio in ipso Adam fuit peccatum actuale, in nobis vero originale, quatenus in illo virtualiter continebamur, tanquã in vniuersali quodam nostræ propagationis principio. Et iuxta hunc sensum (non vero alium) interpretanda sunt prædicta verba Diui Bernardi, qui solummodo voluit dicere, quod paruuli antequam perueniãt ad vsum rationis (de his enim loquitur) non habent propriam culpam actualem. Vnde nec necessaria est in eis actualis fides. Sed non negat, aut negare intendit Diuus Bernardus, quod propriam habeant originalem, siue virtualem culpam causatam ab actuali præuaricatione Adæ (quã vocat alienam) sed est virtualis sua propria: qua ratione opus (inquit) sibi est aliena fide.

Tertia Conclusio.

Peccatum originale in paruulis, est sibi voluntarium, non per modũ actus secundi, sed per modũ actus primi, seu termini resultantis ex actuali peccato Adæ.

PECCATVM originale quod propagatione ad omnes Adæ posteros traducitur, in ipsis est voluntarium, quamvis non per modum actus secundi, sed per modum actus primi, seu termini derelicti ex actuali volitione ipsius Adæ: & ita fit, vt sit vnicuique paruulorum proprium & intrinsecum. Hæc conclusio sic explicata est certa & vera, & esse videtur melior dicendi modus, qui hac in re & pro difficultate hac elucidanda excogitari potest. Pro cuius intelligentia oportet præmittere, quod dupliciter aliquid potest dici voluntariũ, vno quidem modo per modum actus secundi, alio vero per modum actus primi. Exemplum primi est illud quod libere procedit à volũtate tanquam actus eius, siue procedat directè siue indirectè, & siue sit actus, siue omissio eius: vt quando quis (verbi gratia) actualiter vult occidere, & perpetrat homicidium. Ibi est voluntarium per modum actus secundi, siue per modum operationis actualis: nam ibi est defectus rectitudinis, & conformitatis ad regulam rationis in actu

secun-

secundo, & sic cum reperiatur ibi voluntarium in actuali exercitio, etiam & reperitur ibidem peccatum per modum actus secundi. Exēplum secundi & secundò potest aliquid esse volūtariū per modum actus primi, seu potius per modum termini resultantis ex aliquo actu voluntario, seu voluntaria aliqua omissione; quando non sic est voluntarium actualiter, sed duntaxat virtualiter, propter aliquem virtualem consensum antea præstitum. Iste modus voluntarij dicitur voluntarius per modum actus primi, seu potius per modum termini derelicti ex aliqua actuali volitione: quia licet non sit principium alicuius actus secūdi (sicut est habitus) assimilatur tamen ei aliquo modo, propter virtualem & habitualem conuersionem, quam habet ad primum illud voluntarium. Quo supposito dico, quod voluntarium primo modo acceptum, requiritur ad actuale peccatum; & ita docet atque de eo loquitur Augustinus. lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. At voluntarium secundo modo acceptum, sufficit ad habituale peccatum: & sic tam peccatum, quàm voluntarium dici potest, quod reperitur per modum habitus, ex actu derelicto ex aliquo actuali voluntario. Quod & sequenti exemplo illustrari potest. Nam certum est, quod ille qui homicidium perpetrauit, eo transacto dicitur habitualiter peccator, quia manet cum priuatione & carentia Iustitiæ, & rectitudinis debitæ inesse, & auersus ab vltimo fine: quæ priuatio & auersio est ipsi voluntaria quasi habitualiter, interim quod prædictum homicidij peccatum per penitentiam non repellitur: durat enim in eo quodāmodo praua illa voluntas, quam habuit, quamdiu non pœnitet, ratione cuius voluntatis habitualiter deordinatæ & auersæ ab vltimo fine, licet iam transierit actus ipse peccati, dicitur tamen formaliter & intrinsece peccator, non quidem per actum peccari, qui iam præterijt præcise sumptum (nam ille iam non est in ipso intrinsecè & formaliter) sed per virtualem & habitualem deordinationem quam ipse habet. Ad eundem igitur modum in proposito casu, dicendum est: quod paruuli trāsacto actuali peccato primi parentis Adæ, quo diuinum præceptum violauit, cum in illo continerentur ipsi virtualiter, & peccato eidem virtualem consensum præstiterint, habitualiter remanent deordinati, & carent rectitudine & debito ordine quem habere deberent ad Deum suum vltimum finem: quæ quidem carentia est illis intrinsecè voluntaria, non per aliquem actum suum proprium quem habuerint, aut habere potuerint; sed per modum habitus, & cuiusdam actus primi, seu termini derelicti ex supradicto actuali peccato Adæ. Quo circa resolutiue dico, quod ad hoc vt originale peccatum sit voluntarium intrinsece (vt prædictum est) habitualiter & per modum actus primi, sufficit vt dicat ordinem ad voluntatem Adami primi nostri parentis actu diuinū præceptū transgredientis, & quod ex ipso transgressionis actu resul-

ret per modum termini: nam ille defectus in paruulis etiam rationẽ habet voluntarij, estque sibi intrinsecus, & in ipsis formaliter existẽs. Sed dices quonam modo paruulorum volũtas esse potest deordinata & auersa à Deo vltimo fine, cum non voluerint ipsi vnquam, nec vero modo vellint (si interrogarentur & respondere possent) habere eiusmodi deordinatam voluntatem? Quo modo quod nunquã voluerunt, potest illis ad peccatum imputari? Respondeo & iam constat ex supradictis, quod quamvis non voluerint per modum actus secundi, habere prædictam deordinatam voluntatem: voluerunt tamẽ illud per modum actus primi, habitualiter, virtualiter, siue interpretatiue, & per modum termini resultantis ex prauo actu voluntatis, quem habuit primis noster parens Adam, & hoc sufficit. Neque enim hac in re dicere possumus magis, hoc enim est quod dicunt Doctores Sancti & Scholastici, qui hanc viam & dicendi modum sequuntur.

Nota hæc valde.

Quarta Conclusio.

Voluntarium per modum actus secundi, quod præsupponitur ad originale peccatum ex actuali Adæ, non est in paruulis intrinsece, & formaliter sed tantũ extrinsece.

CVM originale peccatum non sit paruulis voluntarium per modum actus secundi, sed tantum per modum actus primi, & habitualiter, plane sequitur, quod voluntarium per modum actus secundi (quod præsuponitur ad originale peccatum, tanquã id ex quo resultat per modum termini intrinseci) paruulorum voluntarium non est in ipsis intrinsece, sed tantum extrinsece. Hæc conclusio est expressa D. Thom. 4. contra gentes cap. 52. in responsione ad secundum argumentum, vbi hac de re loquendo dicit. *Quod posteri Adæ non dicuntur in illo peccasse, tanquam actum aliquem exercentes*. Et idem dicit Scotus in 2. sentent. dist. 30. quæst. 1. in solut. ad primum, & dist. 32. quæst. etiam prima, §. ad argumenta quæstionis per ordinem. Et quod prædicta conclusio sit vera, constat ex testimonio Diui Augustini lib. 6. contra Iulianum Pelagian. cap. 7. vbi de eadem re agendo ait. *Paruulos prædictos nullum habere peccatum proprium*, id est propria sua actuali voluntate commissum, vt latius explicat lib. 1. Retractationum cap. 13. *Vbi dicit originale peccatum in paruulis non esse sibi voluntarium, voluntate propria, sed tantum voluntate primi parentis*. Et cap. 15. ait. *Paruulos non esse reos proprietate voluntatis, sed origine*. Quod intelligendum & explicandum est ad sensum supradictum.

Sed ratione potest sic probari prædicta conclusio. Quia voluntarium in actu secundo, seu per modum actus secundi: ex quo procedit originale peccatum quod ad nos generatione transfunditur, fuit quidam actus ellicitus & imperatus à voluntate primi nostri parentis: sed ille actus neque ex parte sui principij, neque ex parte subiecti, est paruulis intrinsecus, quoniam illius principium fuit tantum voluntas Adæ (quæ nobis est extrinseca) & subiectum ipsius fuit ipse Adam,

Adam, & non nos, qui nondum eramus: ergo intentum. Per hoc autem non tollitur, quin peccatum originale prædictum, & eiusdem voluntarium, non sit etiam nobis intrinsecum, cum in illa voluntate, ex qua processit ille actus secundus Adæ, fuerit etiam virtualiter voluntas omnium suorum posterorum. Fuit enim voluntas capitis totius humanæ naturæ, & ex consequenti omnium participantium eandem humanam naturam, tanquam suorum membrorum, & ratio voluntarij non fuit completa ex sola praua voluntate Adami præcise sumpta, sed etiam vt in eadem manebat omnium nostrum voluntas virtualiter, siue per modum habitus, & hoc sufficit. Nam peccatum originale (non sicut actuale & personale) actualem & personalé requirit voluntatem: sed sat est habuisse illam virtualem, & per modum naturæ, ad hoc vt etiam vere dicatur peccatum nostrum voluntarium, & intrinsece nobis inhærens. Atque ita nuncupauit Diuus Paulus hoc peccatum naturæ, quando scribendo ad Ephesios cap. 2. dixit: *Quod eramus natura filij iræ.* Id est per naturam vitiatam, & deordinatam ex deprauata actuali voluntate Adæ, & nostra etiam ibidem existente virtualiter.

Quinta Conclusio.

QVAMVIS nullum sit exemplum, quod adæquate, aperte atq; omni ex parte perfecte, explicet, prædictum de peccato originali secretum mysterium, & ipsius voluntarium: ex his tamen quæ à Sanctis Patribus & Doctoribus Scholasticis communiter adducútur, in id ipsum, aliqua libuit in præsentiarum adducere. Quorum fit. *Exempla quæ innuunt & indicant hoc secretum de peccato originali mysterium.*

Primum desumptum ex Diuo Anselmo lib. de Cóceptione Virginis cap. 27. & est de milite. Nam (inquit) si Rex donaret alicui militi aliquod castrum, pro se & filijs suis iure hæreditario possidendum, ea tamen conditione & pacto vt illi fidelitaté seruaret, & eam seruando vel non seruando, Patris voluntas quoad possessionem, vel amissionem eiusmodi Castri, interpretatiue & virtualiter esset etiam filiorú voluntas: planum est, quod talis contractus esset iustus, firmus, & validus: & in eo filijs nulla omnino irrogaretur iniuria; postquam sic datum est tam patri, quàm filijs. Ergo idem omninò dicendum est in proposito, de voluntate primi nostri parentis Adæ, respectu suorum posterorum, cum illi pro se & tota sua posteritate collata fuerit originalis iustitia, conseruanda vel amittenda per proprium actum ipsius Adæ, si diuinum ipse præceptum seruaret: in quo tàquam in quodam vniuersali naturæ humanæ principio, virtualiter siue habitualiter, aut interpretatiue, voluntas omnium suorum posterorum continebatur. Hoc exemplum satis videtur accomodum, & conforme doctrinæ Diui Pauli ad Romanos 5. quando dixit: *Quod per vnum hominem* *Primum exemplum.*

peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.

Secundum exemplum. Secundum sit exemplum; Diui Augustini, quo vtitur D. Thomas de malo quæst. 4 art. 1. & Ferrara 4. contra Gentes cap. 52. quod valde commendat Soto lib. 1. de natura & gratia cap. 1. illud est. Quod sicuti omnes qui regeneratione spirituali per baptismum incorporantur Christo, Deique gratiam recipiunt, efficiuntur ipsius filij & membra Christi, à ratione renascente, & sunt accepti & grati ipsi Deo in eodem Christo, in quo tota natura nostra eidem complacuit, ac sibi reconciliata est: in quem sensum communiter à Sanctis explicantur illa æterni Patris verba, Matth. 3. de Christo nouo Adamo ad baptismatis aquam accedente; *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Ita in proposito dicendum est de veteri Adamo, & tota sua posteritate; & prædicta verba intelligenda sunt, perinde ac si dixisset, quod quemadmodum in veteri Adamo tota humana soboles, quæ sibi naturali generatione successit, illi displicuit: ita in hoc secundo Adam eadem humana soboles Christo eidem spirituali regeneratione renata, sibi placuit ac reconciliata est; quasi priori antiquo morbo, nouum Christi correspondeat antydotum. Hoc exemplum est Diui Augustini lib. 1. de Peccatorum meritis cap. 9. & 10. vbi dicit veterem Adam formam gessisse futuri Christi in hoc, quod sicut per vnius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi (id est omnes iuxta communem Scripturæ phrasim & Sanctorum omnium explicationem) ita & per vnius hominis obeditionē, multi (id est omnes) Christo renati & incorporati constituūtur iusti. Quæ sunt expressa verba Diui Pauli ad Romanos 5. & 1. Corinth. 15. vbi ait. *Quod sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Hoc exemplum est etiam valde accommodum, quamvis in eo non ita rectè explicetur qualiter peccatum primi hominis suis posteris fuerit voluntarium, & sit aliqualis differentia. Nam (vt inquit Diuus Thomas 3. p. quæst. 8. art. 5. in solutione ad primum) peccatum originale quod est peccatum naturæ, deriuatum est ex peccato actuali Adami, quod in eo fuit peccatum personale, & in ipso corrupta est natura: qua corruptione mediante, peccatum ad ipsius posteros deriuatur: at in Christo non fuit sic: nam gratia Christi non deriuatur in nos mediāte humana natura, sed per proprias personales actiones eiusdem Christi. Neque oportet distinguere in Christo duplicem gratiam, quarum vna respondeat naturæ, altera vero personæ: sicut distinguitur in Adam peccatum naturæ, & peccatum personæ. Nam gratia Christi (etiam secūdum quod fuit gratia capitis) fuit donum personale ipsius Christi, & non naturæ: peccatum autem originale fuit vitium naturæ & nō personæ tantum: quemadmodum & iustitia originalis ipsa, fuit donum naturæ, & non tantum personæ. Qua ratione gratia Christi nullo modo

do potest dici voluntaria nobis, eo modo quo peccatum originale Adam voluntarium dicitur suis posteris: in hoc stat differentia. Quo nihilominus non obstante, exemplum est satis accommodum.

Tertium exemplum est, quod adducit Diuus Thomas prima secundæ quæst. 81. art. 1. in corpore, & de malo quæst. 4. art. 1. & illud prosequitur supradictus Ferrara 4. contra Gentes cap. 52. in solutione ad primam obiectionem, & est vsitatissimũ apud Doctores Theologos Scholasticos, illud est de peccatis membrorum in homine. Nã sicuti actio exterior qua manus percutit vel occidit hominẽ, est mala & voluntaria, non voluntate ipsius manus, sed volũtate animæ mouentis illam ad exercitium, & illud peccatum imputatur manui, non secundum quod manus est, sed secundum quod est pars, & membrũ hominis, à quo mouetur in ipso peccato: ita in proposito dicendum est de peccato originali, quod est & dicitur nobis voluntarium, non quidem voluntate propria (qui nondum acti eramus) sed voluntatę Adami primi nostri parentis, à quo per carnalem generationem, & seminalem rationem mouemur, & imputatur nobis ad culpam, secũdum quod sumus membra primi hominis, & partes illius naturæ quæ vitiata est per primũ ipsius peccatũ. Possunt enim atque considerari debent omnes homines, qui ex Adam per carnalem generationem nascuntur, quasi vnus homo, in quantum conueniunt in vna natura, quam ab eo accipiunt, quemadmodũ & Porphyrius dixit olim, quod participatione vnius speciei, plures homines dicuntur vnus homo. Hoc exemplum est etiam satis accommodum: quamvis Catherinus opusculo de peccato originali cap. 6. & nonnulli alij illud impugnare contendant. Primo quia voluntarium quod competit membris exterioribus corporis, est ipsis extrinsecum, & extrinseca denominatione tantum conueniens illis: at vero in originali peccato non est sic: nam est intrinsecum paruulis, & voluntarium illis per modum actus primi, seu termini intrinseci (vt dictum est supra.) Præterea manus quando mouetur ab homine ad occisionem, non peccat si obediat, imo vero si non obediret, peruerse ageret: & homo vtitur ea tanquã instrumento, quod non sic est in Adam: etenim Adam non vtitur posteris ex eo nascituris, vt instrumentis peccandi. Ex quibus colligit Catherinus & alij, quod exemplum prædictum adductum de membris, cum peccato originali non habet similitudinem conuenientem. Sed his nihilominus non obstantibus, a Diuo Thoma & Doctoribus Scholasticis communiter approbatur. Nam eiusmodi exemplum & alia superius adducta, non afferuntur vt reconditi de peccato originali mysterij euidentem ostensionem efficiant, illudve naturali ratione efficaciter demonstrent, aut monstrare velint: sed dumtaxat vt aliquo exemplo & ratione, siue persuasione vero simili, id quod fide tantum habetur, credibile efficiant, dicendo quod peccatum origina-

Tertium exemplum.

le prædictum, est naturæ vitium, & non personæ: & quod Adam in innocentiæ statu accepit originalem iustitiam, vt donum etiam naturæ, & non solius personæ: & considerari habet non vt persona quędam particularis, sed communis, vtpote principium totius humanæ naturæ, in quo virtualiter continebamur omnes: totius humanæ naturæ in se ipso quasi voluntatem habens & eius vicem gerens, quãtum ad conseruationem, vel amissionem innocentiæ status, qua quidem ratione neque immerito Sapientiæ 10. ipse Adam: *Pater orbis terrarum appellatur.* Vnde resolutiue est dicendum, quod prædictum de membris corporis exemplum, & alia superius dicta, non adducuntur quasi verum in omnibus habeant, sed vt aliquam similitudinem faciant. Stat autem similitudo in hoc, quod sicut peccatum membri (vt puta manus vel pedis) non est voluntarium voluntate propria, sed voluntate totius suppositi (in quantum est membrum illius) sic & originale peccatum, non dicitur voluntarium voluntate propria actuali pueri ipsius qui illud contrahit, sed tantum virtuali, ex voluntate actuali capitis humanæ naturæ, scilicet Adami, ex quo ad posteros tanquam ad sua membra deriuatur. In reliquis autem similitudo non currit, quia manus vel pes hominis non peccat, neque in ipsis reperitur peccatũ, formaliter, intrinsece, & in rigore loquendo, sed tantum denominatione extrinseca, quod non contingit in paruulis.

Respondetur ad argumenta in contrarium adducta, Ad primum. Ad argumenta in initio quæstionis in contrarium adducta, restat respondere per ordinem. Ad primum dico, quod argumentum procedit de voluntario peccati actualis, non vero de voluntario peccati originalis: nam ad hoc non requiritur actualis cognitio, neque actualis consensus: sed sufficit habitualis & virtualis (vt dictum est in conclusionibus) alias enim peccatum originale esset actuale & personale, quod non est dicendum, & hoc est menti multum firmandum & commendandum.

Ad secundũ. Ad secundum respondeo similiter, quod peccatum originale in paruulis, est proprie voluntarium, & eorum propria voluntate commissum, propria quidem (non actuali, sed habituali & virtuali per modum actus primi) quamvis per modum actus secundi solũmodo fuerit commissum propra actuali voluntate Adæ, vt etiam dictum est in conclusionibus. Quod vt plenius notum fiat, aduertendum est, quod aliquando aliquid commissum ab aliqua voluntate aliena, potest etiã dici commissum ab eo voluntate propria, & imputari sibi ad culpã. Et hoc contingit dupliciter. Primo quando quis voluntate sua propria, & proprio suo consensu, commisit aliquid alteri faciendum, ita vt quidquid ille alius egerit, suo nomine sit gestum. Certum est quod in tali casu, si mali aliquid faciat etiam ipse peccat, & imputatur sibi ad culpam: quia propria voluntate illud alteri commisit faciendum, & ex præcedenti suo mandato, & generali consensu reputatur sibi

voluntarium. Hoc modo loquẽdo paruulorum originale peccatum, haudquaquam fuit sibi voluntarium: quia paruuli nullo proprio voluntatis suæ actu, consenserunt in id quod Adam erat facturus. Secundo vero modo dici potest alicui esse voluntarium, id quod factũ est voluntate aliena: & imputari sibi ad culpã, quando voluntas eius virtualiter siue interpretatiue est etiam volũtas alterius; vtpote quia aliquo modo continetur in alio. Et hoc modo loquendo paruulorum originale peccatum, vere & proprie est ipsis voluntariũ, pro eo quod voluntas Adæ fuit voluntas omnium suorum posterorum, qui ab eo descensuri erant per naturalem propagationem, & seminalem rationem: & voluntates omnium posterorum erant virtualiter, & habitualiter in voluntate Adæ, tanquam in totius humanæ naturæ vniersali principio. Sicque dicendum est, quod simul cum ipso Adam peccauerunt, & in illius peccatum consenserunt, ratumque illud habuerũt, & in eo euitare illud potuerunt. Ita respondet Scotus ad hoc argumentum, in 2. sentent dist. 31. quæstio vnica §. ad argumenta quæstionum per ordinem, in solutione ad secũdum, & Ricardus in 2. dist. 30. art. 1. ad secundum, & ex Iunioribus Medina & Zumel in prima secũdæ Diui Thomæ quæst. 81. art. 1. in solutione etiam ad secundum. Neque hic dicendi modus dici potest paruulis per accidens volũtarius, cum (vt supra diximus) ille actus Adæ quo diuinum præceptum est transgressus, non fuerit præcise terminatus ex sola sua praua voluntate, sed etiam ex voluntate paruulorum ibidem existentium virtualiter & habitualiter.

Ad tertium argumentum. Ad tertium respondetur similiter, addendo quod quamvis volũtarium sit necessarium ad rationem peccati, non tamen est ipsa peccati formalis ratio: sed prior quædam conditio requisita ad peccatũ. Quo fit, vt voluntariũ quacunq; ratione sit ad peccatum sufficiat, siue sit directè siue vero indirectè, siue per se siue per alium, siue actualiter, siue vero virtualiter & habitualiter, & magis requiritur voluntarium ad peccatum actuale, quam ad originale. Nam ad actuale requiritur actualis voluntas: sed tamen ad originale sufficit virtualis, seu habitualis. Neque ex eo peccatum originale peraccidens dici potest, aut debet voluntarium & peccatum: cum (vt dictum est) ratio volũtarij non sit ipsa peccati formalis ratio. Vnde cum peccatum originale alterius sit naturæ quam actuale, sufficit quod in paruulis sit volũtarium per modum actus primi, seu termini derelicti ex actuali peccato Adæ (vt dictum est in conclusionibus) & nihil requiritur amplius.

Ad quartum argumentum. Ad quartum argumentum respondetur, concedendo, quod peccatum Adæ fuit sibi per pœnitentiam remissum, quatenus fuit culpa personalis & propria: attamen mansit quatenus fuit peccatum naturæ, quod origine in posteros deriuatur. Non enim fuit sibi remissum

in quantum fuit caput totius humanæ naturæ: aut pro peccato suo satisfecit, secundum quod fuit caput totius suæ posteritatis: nam hoc Christo Domino reseruabatur, qui satisfecit secundum quod fuit caput totius Ecclesiæ, & per suam satisfactionem abstulit totius mundi peccata. Vnde non sequitur ex eo quod proprium suum peccatũ fuerit illi remissum, quod non etiam modo in posteros traducatur. Nam peccauit quidem secundum quod fuit caput totius humanæ naturæ, in quod ipsius peccatum omnes sui posteri consenserunt: satisfecit autem & pœnitentiam egit, non secundum hanc rationem, sed tantũ ac si fuisset persona quædam particularis.

Ad quintum argumentum. Ad quintum argumentum respondetur, concedendo etiam quod Deus Optimus Maximus pronior sit ad misericordiam quam ad irã, ex eo tamen non sequitur quod primi hominis peccatum, non etiam debeat & possit omnibus suis posteris ad culpam imputari, cum (vt dicit Diuus Paulus ad Romanos 5.) omnes simul cum eo pariter peccauerint. Neque incongrue eiusmodi peccatum in illis etiam esse dicitur voluntarium, cum (vt prædictum est) in id ipsum consensum suum præstiterint propria sua voluntate: non quidem actuali, sed habituali & virtuali, ad sensum explicatum. Neque vero obstat illud quod Ezechiel 18. habetur: *Quod filius non portabit iniquitatem Patris, sed anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Quo insinuari videtur paruulos non nasci in originali peccato, aliàs portarent iniquitatem Patris sui Adam: nam vt dicit D. Thom. 1.2. quæst. 81. a. 1. intelligẽdum id est adhunc sensum, quod filius non punietur aut portabit iniquitatem Patris, nisi sit etiam particeps suæ culpæ; & sic est in proposito: quod peccatum Adæ per originem in posteros deriuatur, quia sunt participes suæ culpæ, per voluntatem suam (si non expressam & actualem) saltim interpretatiuam & virtualem, ad sensum supradictum. Vel potest dici quod locus prædictus Ezechielis, intelligendus est de solis pœnis temporalibus, quæ antea quandoque infligebantur filijs propter parentum peccata, & promittitur ibi, quod prædictæ temporales pœnæ deinceps futuræ erant personales, ita vt tantummodo homo qui peccauerit, moriatur: & non filius propter iniquitatem Patris. Quem esse verum & legitimum sensum huius loci, ex eo plane constat, quia in principio prædicti capituli, adducuntur verba illa quæ habentur, Ieremiæ 31. *Quid est quod inter vos parabolam vertitis in prouerbium istud in terra Israël? dicentes: Patres comederunt vuam acerbam, & dentes eorũ obstupescunt?* Quibus verbis datur intelligi, id ipsum Israëlitas solitos esse dicere, & habuisse quasi commune prouerbium: & promittitur, quod deinceps non erit sic; sed anima quæ peccauerit, ipsa morietur, & peccati pœnam deriuandam non esse à Patribus in filios, non etiã deriuato peccato. Ex quo loco nihil sequitur cõtra ea quæ dicta sunt de originali peccato: nam ex peccato primi nostri parentis, non in

posteros

posteros deriuatur pœna, nisi propter simul existentem culpam, & virtualem consensum præstitum in ipsum peccatum.

Ad sextū argumentum. Ad sextum argumentum respondetur, quod si modo conderetur aut nasceretur homo in puris naturalibus, licet haberet pugnam ex parte appetitus sensitiui, & defectus qui consequuntur naturam, & omnnes proprietates reales humanæ naturæ: non tamen nasceretur cum culpa, neque haberet aliquam deordinationem culpabilem, aut esset iræ filius, siue Dei inimicus: sed tantum esset negatiue non ordinatus in vitam æternam: & non Dei amicus in ordine ad prædictum supernaturalem finem: & prædicta omnia in puris naturalibus constituto, essent conditiones naturæ, vt docet expresse D. Thomas 2.2. quæst. 164. artic. 1. in solutione ad primum, & apertius de malo quæst. 4. articulo 1. in solutione ad 14. & sic homo illo in puris naturalibus constitutus, non nasceretur cum illa voluntatis de ordinatione, & obliquitate positiua vel priuatiua, qua nascuntur modo cum originali peccato: quo fit vt sit dispar ratio de vno & de alio.

Ad septimum argumentum. Ad septimum argumentum respondetur, quod quamvis paruulus, vt talis persona est, vitare non potuerit originale peccatum, potuit tamen illud vitare, vt continebatur in totius humanæ naturæ vniuersali tradice, quatenus ipsa radix in qua virtualiter ipse erat, potuit nō peccare; & hoc sufficit. Nam eiusmodi peccatum (vt pluries dictū est) non est personale & actuale, sed originale & virtuale, seu potius habituale, quod ex infecta illa radice traducitur, & deriuatur ad omnes per rationem seminalem ab Adamo descendentes; sicque in sacra Pagina communiter appellatur peccatum naturæ, iuxta illud Pauli ad Ephesios 2. *Eramus natura filij iræ.* Hanc etiam ob causam quia scilicet peccatum prædictum non est actuale & personale, neqꝫ propria actuali voluntate commissum, sed virtuali & habituali (vt dictum est) neque etiam ita acriter atque peccatum actuale punitur, sed mitiori modo. Non enim illi correspondet pœna sensus (sicut peccatis actualibus) sed solummodo pœna damni, priuationis gratiæ & gloriæ, & iustitiæ originalis, similiumque donorum, quæ concessa fuerant primo homini ex mera Dei gratia & liberalitate. Videatur hac de re Scotus in 2. sentent. dist. 32. quæstione 1. §. ad argumenta quæstionum in solutione ad secundum, & Ricardus in 2. dist. 30. art. 1. ad secundum, vbi aperte concedit paruulos voluntate primi parentis vitare potuisse originale peccatum, quod & facit Medina & Zumel in 1.2. Diui Thomæ quæst. 81. art. 1. in solut. ad secundum, & hoc sufficit ad hoc vt prædicto modo dicantur peccare.

Alij respondent ad hoc argumentum, dicendo quod illa maxima Diui Augustini & dictum Aristot. intelligenda sunt tantummodo de peccato personali & actuali, neque locū habere in peccato originali. Et qui hac de re plura videre voluerit, consulat supradictum

Medinam in 1.2.D.Thom.quæst.81.art.1.in solut.ad primum argumentum Durandi,& latius in solutione ad quintum argumentum adversariorum, quibus in locis pluribus agit, & monstrat, qualiter & quando naturales defectus possint aut non possint ad vituperationẽ, & reprehensionem imputari.

Ad octauum argumentum. Ad octauum argumentum respondetur cum Diuo Thoma 1.2. quæst.81.art.1.in solut. ad secundum, quod quamvis anima quæ est subiectum peccati, per propagationem: siue originem non traducatur, quinverò immediate creetur à Deo: sufficit tamen quod per virtutem seminis traducatur humana natura a parente in prolem, & simul cum humana natura infectio: nam ex hoc quod virtute seminis corpus disponitur ad infusionem animæ, & fit ille qui nascitur particeps humanæ naturæ per carnalem propagationem: fit etiam particeps & consors culpæ primi parentis, à quo originem trahit.

Ad nonum argumentum. Ad nonum & vltimum respondetur, quod semper D. August. & omnes sancti cognouerunt atque confessi sunt, omnes ex Adam via ordinaria descendentes, peccatum contrahere originale: quod proprie in omnibus est peccatum, nisi speciali aliquo priuilegio quispiã ab eo præseruetur (vt dicetur inferius agendo de Deipara Virgine) neque hoc citra hæresim vllo modo potest negari, cum in Scriptura sacra, & in tot tantisque Concilijs habeatur expressum & determinatum, sitque de eo vniuersalis Ecclesiæ traditio, à tempore Apostolorum obseruata, & vt baptizentur vniuersi paruuli in remissionẽ prædicti originalis peccati (vt dicit Concilium Tridentinum Sessione quinta de peccato originali cap.4. vt in eis regeneratione mundetur, quod per generationem contraxerunt.) Vnde si quãdo D. Augustinus aut quispiam alius Sanctus dixit, quod paruuli non proprie, sed per originem nascuntur peccatores: intelligendi quidem atque interpretandi sunt ad sensum supradictum, nempe quod non nascuntur peccatores proprie (hoc est per peccatum aliquod propria actuali voluntate commissum) sed per originem, hoc est, per peccatum prædictum originale à primo parente per originem in posteros transmissum & deriuatum, sed non sine propria sua virtuali, siue habituali voluntate (vt dictũ est sæpissime.) Qui hac de re plura videre voluerit, consulat supradictum Zumel loco vbi supra, in solutione ad primum argumentum aduersariorum, vbi pluribus monstrat, ac dicit certissime esse tenendum de fide, necdum baptismum in nouo Testamento, verum etiam & circuncisionem in lege veteri, institutam fuisse in remissionem prædicti originalis peccati. Quæ pro hac quæstione dicta sufficiant.

Quæ-

QVÆSTIO IIII.

Vtrum ad hoc quod Adam esset suorum posterorum caput secundum esse mora'e, sat fuerit, vt esset caput secundum esse naturale: an vero vlterius fuerit necessario requisitum, quod ea de re, inter ipsum & Deum aliquód praceserit pactum?

IAM supra quæstione primá, in explicatione secundæ conclusionis latisime diximus, Adamum primum nostrum parentem fuisse totius humanæ naturæ principium & caput, nec dum in esse naturali, verum etiam & in esse morali: quia non solum dedit illi Deus vim propagandi, & diseminandi totam humanam naturam in cunctos futuros homines, verum & eidem concesit originalem iustitiam & gratiam, quò ipsam in omnes suos posteros transfunderet: ea lege, conditione & pacto, vt si ipse peccaret. prædicta amitteret dona, tam sibi quam alijs: si vero diuinum seruaret præceptum, retineret ea non solum pro se, sed & pro alijs. Quocirca in Adami voluntate positum fuit, quod omnes sui posteri nascerētur cum gratia, & iustitia originali, aut sine illa, & ab eo dependit conseruatio, siue amissio fœlicis illius status, innocentiæ & iustitiæ originalis. Hanc etiam ob causam (diximus) Adami ipsius peccatum quod in eo fuit actuale, fuisse in nobis omnibus originale, & cuilibet nostrum proprium, & intrinsece & formaliter voluntarium: propter voluntatem nostram virtualem, siue habitualem ibidem asistentem, & implicite contentam in prædicta voluntate Adami. Pro cuius rei ampliori declaratione visum est in præsentiarum in controuersiam adducere, vtrum ad hoc quod Adam fuisset suorum posterorum caput in esse morali, & ipsius peccatum illis etiam imputaretur ad culpam, satisfuerit vt esset eorum caput in esse naturali, & tota humana natura cõtineretur in eo, tanquam in quodam vniuersali principio: an vero vlterius fuerit necessario requisitum, vt ea de re inter ipsum Adam & Deum aliquod interceserit pactum; dicendo sic vel alio modo. *Adã ego do tibi originalem iustitiã, ea conditione & lege vt preceptum meum serues, & ne comedas de ligno scientia boni & mali: quod si feceris conserues eam tam tibi quam tuis posteris: sin minus pro te & ipsis illam amittas, & reddas te mihi offensum atque inimicum, simul cum tota tua progenie & generatione.*

Circa

Circa difficultatem præsentis quæstionis, singularis fuit opinio Magistri Soti lib. 1. de natura & gratia cap. 10. vbi agendo aduersus recentes Pelagianos de originali peccato, dicit fabulam esse dicere eiusmodi pactum inter Deum & Adamum intercessisse, minimeq; fuisse necessarium, & voluntarie sine testimonio & ratione introductum in Scholis. Nam ad hoc (inquit) vt omnes originaliter peccaremus in Adã, & tota humana natura ipsius inficeretur peccato, sufficiebat superque satis erat, quod omnes contineremur in illo, neque vlterius ex parte Dei aliquod fuit requisitum pactum, supradicta cõditionali promisione firmatum, vt dictum est supra. Quod & probare contendit supradictus Soto sequentibus medijs.

Primum argumentum. Primò. Nam Deus suprema sua potestate & iure dominij quod habet, solo suo præcepto obligare potuit Adam, necdum pro se solo, verum etiam simul pro tota sua progenie & posteritate, non expectato aliquo eiusdem consensu, & nullo inter ipsos ea de re interueniente pacto. Si igitur id ita est vt quid (inquit) sine ratione & causa, & sine sufficienti testimonio, necessum est effingere eiusmodi pactum. Maxime cum in sacra Pagina nulla ipsius expressa habeatur mentio, nisi hoc solummodo de imposito Adami præcepto, Genes. 2. de non comedendo de ligno scientiæ boni & mali, sub cõminatione quod in quocũq; die comederet ex eo, morte moreretur. Quo præcepto citra vllum Adæ consensum eundem obligauit (dicit Soto) & obligare etiam potuit totam cum eo humanam naturam, tanquam absolutus dominus iure dominij & executionis, quemadmodum & leges Principum quæ stabiliuntur & promulgantur de præsenti tempore alicui regno, positæ esse censentur & intelliguntur in perpetuum, pro omnibus ciuibus, & incolis eiusdem regni, absque vllo alio præmisso pacto.

Secundum argumentum. Secundò probat id ipsum: quia (inquit) indignum esse videtur diuina maiestate, & alienum ab eo modo quo Deus homines obligare consueuit, aliquave ipsis præcepta imponere, eorundem expectare consensum: nusquam enim tale legitur fecisse Deum. Frustra ergo effingitur eiusmodi pactum intercessisse, inter Adam & ipsum Deum.

Tertium argumentum. Tertiò ad idem potest argumentari: quia nullibi in sacra Pagina supradicti pacti expressa aliqua reperitur mentio. Etenim illud Oseæ 6. *Ipsi sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi præuaricati sunt in me*. Solus Diuus Hieronymus de Peccato originali interpretatur, & licet de originali culpa intelligatur, dici tamen nihilominus potest, ibi pactum sumi pro lege, prout etiam eodem in loco, idem D. Hieron. aduertit. Similique modo exponi potest illud, quod habetur Genes. 17. *Masculus cuius præputij caro circuncissa non fuerit, delebitur anima eius de populo meo; quia pactum meum irritum fecit*. Nam quamuis hæc postrema verba D.

etiam

etiam Augustin. 16. de Ciuitate Dei cap. 27. de peccato originali interpretetur: potest nihilominus dici cum eodem Augustino ibi, per pactum intelligendum esse supradictum praeceptum, Adamo primo nostro parenti impositum, de non comedendo de ligno vetito, prout ipse etiam ibidem legit. Haec sunt argumenta quae pro hac parte possunt adduci. Sed his non obstantibus in contrarium est veritas, & quod hac in re tenendum est, sequentes explicabunt conclusiones.

Prima Conclusio.

Ad hoc vt Adami peccatū in posteros traduceretur, nō satis fuit illū fuisse caput in esse naturali, sed vlterius fuit necessario requisitum, vt esset illorū caput in esse morali.

CERTISSIME tenendum est, quod ad hoc vt Adami primi nostri parentis peccatum in posteros deriuaretur, ipsisque imputari posset ad culpam, non sat fuit quod fuisset eorundem quantum ad esse naturale caput, quinverò fuit vlterius necessario requisitum, vt esset etiam caput quantum ad esse morale, & in id ipsum à Deo Optimo Maximo constitutus mediante aliquo pacto. Volo dicere, quod quamvis Adamum primum nostrum parentem fuisset suorum posterorum naturale caput, & in eo totam humanam naturam tanquam in originali & vniuersali quodam principio contineri (saltim tanquam fundamentum) necessarium fuerit ad hoc vt esset eorūdem morale caput: non tamen id ipsum satis fuit, ad hoc vt ex eo praecise illud esset, & ipsius peccatum illis imputaretur ad culpam, & in eis contineretur voluntariū: quinverò vlterius fuit necessario requisitū, provt & effectum fuit de facto, quod à Deo morale illorū caput fuisset constitutus, & ea de re inter ipsum & Deum aliquod intercessisset pactum. Haec conclusio est certissima, & (vt mihi videtur) in omni opinione defendenda. Etenim si sufficeret quod Adam suorum posterorum esset naturale caput, & quod in eo tota humana natura tanquam in origine, & quodam vniuersali principio cōtineretur, ad hoc vt esset etiam caput eorundem morale, & ipsius peccatum illis imputaretur ad culpam, censereturque esse voluntarium: manifeste profecto sequeretur, quod non solum primum Adami peccatum, verum etiam omnia alia eiusdem: quinverò & omnium parentum nostrorum peccata in suos filios, descendentes & posteros trāsfunderētur, cum omnes ex eis dependeant quantum ad esse naturale: & consequenter etiam quantum ad esse morale, quod nullo modo est dicendum, sed necessariò asserendum, ad hoc vt peccatū Adami transfunderetur in posteros, non satis fuisse quod ipse esset illorum caput quātum ad esse naturale: quinverò etiam fuit necessario requisitum, vt à Deo fuisset constitutus eorundem caput morale, vt vel sic ipsius culpa ad peccatum ipsis posset imputari, & dici aliquo modo voluntaria, saltim virtualiter & habitualiter, aliàs enim quonammodo Adae voluntas censeri posset, voluntatem fuisse totius posteritatis suae: nō

id vllo modo intellectus capit. Quinvero addo (quidquid nonnulli in contrarium dicant) fuisse neßarium, eiusmodi decretum siue cōsilium Adamo primo nostro parenti fuisse reuelatum & manifestatū, vt vel sic diuini mandati siue praecepti transgressio, sibi fuisset voluntaria, non solum vt erat singularis personæ, verum etiam vt habebat rationem personæ communis, & capitis moralis. Etenim iuxta veram Philosophiam, circunstantia omninò ignota, & incognita nullo modo esse potest voluntaria, ac proinde neque peccatum, & si peccatū fuisset, esset quidem peccatum singularis personæ, non verò peccatum capitis formaliter, nec transfunderetur in posteros: nam illud tantum transfunditur in posteros Adæ peccatum, quod commisit in quantum erat ipsorum morale caput. Quod multum est notandum atque memoriæ commendandum: nam & in hoc conueniunt omnes vnanimiter Doctores.

Secunda Conclusio.

Ad hoc vt Adamus esset suorum posterorum caput in esse morali, de facto intercesit pactum, explicitū quidem ex parte Dei, & implicitum saltim ex parte Adæ

CERTISSIME etiam tenendum est, quod ad hoc vt Adam respectu suorum posterorum morale fuisset caput (ad sensum supradictum) aliquod ea de re inter ipsum & Deum intercesit pactum, expressum siue explicitum quidem ex parte Dei, implicitum autem, & saltim virtuale, ex parte ipsius Adami. Hæc conclusio tenetur (vt credo) etiam fere ab omnibus Doctoribus Theologis Scholasticis, & saltim tenet eam vt certam, & veram & absque vlla controuersia Scotus in 2. dist: 32. quæst. vnica §. ad argumenta quæstionum per ordinem, in responsione tertij argumenti, & Durand. in eodem dist. 30. quæst. 2. vbi eam supponit vt certam etiam, atq; indubitatā. Quod & facit Marsil. in 2. quæst. 19. & Cather. libello de peccato originali, sed præcipuè disp. 7. & Phygius locis supra citatis, & Vega in Concil. Tridentin. cap. 2. & 6. Et certè, prædicta sententia de pacto inito inter Adamum & Deum, satis colligitur ex verbis superius citatis, ex Osea cap. 6. *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi præuaricati sunt in me*. Nam licet quidam aliter prædictum locum interpretentur (vt diximus) & eiusmodi verba iuxta Septuaginta Interpretum expositionem, efficere hunc dicant sensum. *Ipsi sunt vt homo præuaricans testamentum, ibi consumpsit me Gallaad*. Ita vt vox Adam, ibi non denotet Adamum primum nostrum parentem, sed idem polleat & valeat, atque hæc vox *Homo*: nihilominus tamen D. Hieron. de Adamo primo nostro parente eadem intelligit, atque interpretatur, & de pacto prædicto inter Deum & Adamum inito, quamvis etiam dicat pactum ibidem sumi posse pro lege. Nec solum D. Hierony. hoc dicit, verum etiam & Rupertus Abbas lib. 3. super prædictum Oseam Prophetā cap. 6. non longe à principio, vbi supradicta verba de pec-

cato

cato originali explicat. Quod etiam facit Lyra, & Glossa Interlinealis, & Dionysius Richer Cartusianus super Oseam cap. 6. vbi prædictum locum interpretando, inquit: *Ipsi autem (id est decem & duæ Tribus) sicut Adam in Paradiso transgressi sunt pactum*, id est legem quam pepegi cum eis. Qui etiam dicendi modus frequentissimus est apud D. Augustin & id supponit tanquam verum & certum 16. de Ciuitate Dei cap. 27. Qua de re specialiter videndus est Seraphicus P. N. D. Bonauentura in 2. sent. dist. 32. art. 3. quæst. 1. vbi multis probare contendit id ipsum quod dictum est de pacto, multum fuisse conforme rationi ac diuinæ prouidentiæ, & suaui Dei Optimi nostri Maximi dispositioni, neque vllo modo derogare eiusdē diuinæ maiestati & potentiæ, id quod & nos faciemus sequentibus rationibus.

Probatur primò prædicta conclusio. Nam cum Deus Optimus Maximus fœlicissimum illum statum tot donis ac muneribus exornatū, in quo Adamum primum nostrum parentem cōdidit eidem reuelauerit, accepisseq; illa dona nō solum pro se, verū etiam & pro tota sua posteritate, vt quasi hæreditario iure ipsa ad sibi posteros transmitteret, diuinum si ipse præceptum seruaret (vt tenent omnes Doctores communiter, aut saltim pro maiori parte) vt videtur, ratio ipsa naturalis dictat, quod ea de re aliquod intercesit pactū, expressum siue explicitum quidem ex parte Dei, implicitū autem & saltim virtuale ex parte hominis. Aliàs enim haudquaquam videtur qualiter eiusmōdi sublato pacto, culpæ transfusio & prædictorum donorum amisio, in Adæ posteris esse potuerit voluntaria & culpabilis. Etenim si prædictæ culpæ transfusio, & dictorum donorum amisio, ex natura ipsa rei resultaret, & non ex aliquo inter Deum & Adamum inito pacto, manifestè profectò sequeretur, quod non solum Adam, verum etiam omnes nostri carnales parentes, culpas proprias ad suas etiam transmitterent soboles, quod dicere absurdissimum videtur, & apertè falsum. Si igitur id non est dicendum, rectè certè nostrum colligitur intentum, nempe quod ad hoc vt id ipsum fieret, supradictum inter primum hominem, & Deum nostrum intercesit pactum. Quod etiā sequenti ratione confirmatur. Nam vt constat ex vera Theologia, & ex communi Doctorum calculo, ab omnibus approbato in materia de merito, tanquam certum stabilitum est, quod non minus ad peccatum quam ad meritum erga Deum, & ad præmiorum retributionem, necessario requiritur quod præcedat aliquod pactum seu aliqua promissio Dei, quod sit veluti fundamentum meriti, & obligationis iustitiæ. quæ nasci potest ex illo pacto seu promissione: ergo si inter Adamum & Deum de explenda ipsius voluntate, & non comedendo de ligno vetito, nullum omnino intercesisset pactum aut promissio, nulla proinde de eiusmodi precepti obseruātia esset alicuius meriti ratio, & consequenter nec peccati, de eodem non obseruato, cum

par sit iudicium de illis: cum igitur id non sit dicendum, manifeste cõcluditur intentum, scilicet, quod circa prædicta inter Deum & Adamum aliquod præcessit pactum.

Sed quod id ipsum quammaxime fuerit diuinæ prouidentiæ expediens, ac suaui Dei Optimi nostri Maximi dispositioni, probatur sequenti hac efficacissima ratione. Etenim vt habetur 2. Corint. 12. quã sit naturale est Patribus thesaurizare velle suis filijs, non solùm in temporalibus, verum etiam & quammaxime in spiritualibus, quæ ex Dei gratia & liberalitate proueniunt: nec solummodo filijs, verum etiam nepotibus & pronepotibus, & omnibus ex ipsis in finem vsque descendentibus: cum igitur Deus Optimus Maximus respectu Adami primi nostri parentis fuerit adeò verus Pater, illumque ita ardenter dilexerit, vtpote proprium opus manuum suarum (ita vt cum Lucæ 3. de multorum hominum generatione loquendo, dicatur quod iste fuit illius, ille vero illius (videlicet hominis) de solo autem Adam pronuntiatum sit, quod ipse fuit Dei) consonum profectò rationi non videtur, neque diuinæ prouidentiæ aut suaui Dei ipsius dispositioni, quod non reuelauerit eidem quæ tanti erant ponderis ac momenti, qualia fuere supernaturalia illa dona quæ (vt præmissum est) pro se & suis filijs ac denique pro tota sua posteritate illi concesserat: & vt non deficeret in eorundem conseruatione, pactum prædictum cum illo non iniret: ex parte quidem sua explicite: ex alia vero saltim implicite & virtualiter, vt de pacto ipso ex ore in os reuelatione facta filijs, nepotibus & pronepotibus, ac denique toti suæ posteritati; præcepti seruandi nullam prorsus possent vnquam ignorantiam prætexere ipsius Adami posteri.

Tertio sic argumentor ad idem. Nam quidquid sit de pacto facto in actu signato, an scilicet Deus dixerit Adamo primo nostro parenti verba quæ diximus supra, fœdus tecum ineo, siue pactum constituo, vt facias hoc vel illud; quod certe non incongrue; quin verò congruentissime colligi potest ex illis verbis Genes. 2. *Tullit Deus hominem & posuit eum in Paradisum voluptatis, vt operaretur & custodiret illum, præcepitque ei dicens ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientia boni & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris*: quidquid (inquam) sit de eiusmodi pacto in actu signato, & sub prædicto verborum tenore facto, de ipso tamen in actu exercito, citra temeritatẽ & periculũ fidei (vt videtur) negari minime potest, & quod in actuali exercitio donauit Deus Adamo primo nostro parenti originalem iustitiam pro se & tota sua posteritate, ea lege & pacto, vt si diuino paruisset præcepto, illam sibi ac suis posteris conseruaret: sin autem minus, tam pro se & posteris eisdem amitteret, & se & illos sibi inimicos redderet; quod saltim in actu exercito veram habet rationem pacti. Nec hoc solùm (vt videtur) est dicendum, & quod sanciuit & statuit

tuit Deus, vt ex Adamo tota humana natura & soboles propagaretur (necdum in esse naturali, verum & in esse morali) sed etiam vlterius, quod ex ipso ad suos posteros deriuarentur principia bene operandi moraliter, nempe gratia, originalis iustitia, & virtutes; ita vt sicut ex illo pendebat humanæ naturæ multiplicatio in esse naturali, sic & ab ipso etiam penderet eiusdem conseruatio in illo statu in esse morali, seu tanquam ab agēte morali. Ad quod etiam (vt de se patet) necessum fuit, vt statueretur quod ipsius voluntas esset aliquo modo voluntas suorum posterorum, & continerentur in ea; ita vt quidquid vellet Adam, velle etiam censerentur sui posteri. Nam cum voluntas sit primum principium agendi & operandi moraliter, non potest quis respectu aliorum esse caput, quoad esse morale, nisi illorū etiam voluntates contineantur in sua. Sed hæc omnia moralia cum sint, & fundari minime posśint in sola rerum natura, neque in eo solummodo quod Adam naturale erat suorum omnium posterorum caput, nisi etiam simul interueniret aliqua diuina ordinatio, & aliquod diuinum fœdus siue pactum, certe id ipsum negari minime debet, simpliciter & absolute loquendo: nam sine tali ordinatione, lege, & pacto, haud quaquam capit intellectus, qualiter solius Adæ diuini præcepti trāsgressio, transire posset ad posteros, illisque vllo modo ad peccatum imputari, aut in ipsis voluntaria aliquo modo esse. Hæc certe ratio fortisśima est.

31. Quarto & vltimo probatur id quod dictum est de pacto, à diffinitione originalis peccati, quam tradit Diuus Anselmus lib. de Concept. Virgin. & de peccato originali cap. 7. vbi dicit, originale peccatum nihil esse omninò aliud, quam priuationem originalis iustitiæ debitæ inesse. Cum igitur in diffinitione prædicta debiti mentio fiat, & constet debitum hoc habendi originalem iustitiam, haudquaquā esse hominibus naturale: nam natura humana ex se & ex sola sui ratione considerata, nullam habet insitam gratiæ, & iustitiæ originalis indigentiam: manifeste profecto sequitur, quod in id ipsum inter Deum & Adamum primum nostrum parentem aliquod præcesit pactum, nec enim aliunde, nisi ex ipso (vt videtur) poterat eiusmodi exoriri obligatio. Et fortius argumentum potest sic formari. Nam iustitiam originalem esse hominibus debitam, exoriri nullo modo potuit, nisi ex aliqua præcedenti obligatione (quid enim aliud est debitum nisi obligatio quædam mutua) sed eiusmodi obligatio cum non esset naturalis, neque prouenire ex natura rei (vt dictum est) esse non potuit absque aliquo præcedenti pacto, manifeste ergo nostrum sequitur intentum.

32. Dices id ipsum prouenire potuisse ex sola Dei extrinseca ordinatione, qua disposuit dare Adamo primo nostro parenti iustitiam originalem prædictam, & suam gratiam, & ipso in eadem perseuerante,

conferre etiam tàm vitam, quàm alteram suis posteris, bene quidem, sed adhuc non soluitur argumentum: nam (vt pluries dictum est) fine prædicto præcedenti pacto inter Deum & Adamum inito, pro se & sua posteritate seruandi originalem iustitiam, nullo modo neque in se, neque in suis posteris exoriri poterat obligatio prædicta habendi illam, ita vt ipsius priuatio dici posset debita, & illis ad peccatum imputari, & in hoc originalis peccati rationem consistere.

Tandem hæc sententia de pacto inito inter Deum & Adamum primum nostrum parentem, pro seruanda originali iustitia, & ipsius formalissimo actu, qui (vt supra dictum est) erat Deo ipsiusque diuino præcepto obtemperare & obedire, ac suæ voluntati conformari, illique in omnibus & per omnia subiectum esse, necessario videtur tenenda, & tanquam certa & indubitata habenda, pro tuenda & defendenda Immaculata Conceptione Deiparæ Virginis Mariæ, si visum fuerit & placitum hac procedere via, illam excludendo & excipiendo à pacto prædicto. Etenim si (vt dictum est) ad transfusionem culpæ & originalis peccati, teneatur necessarium omninò fuisse eiusmodi pactum, & in eo virtualiter contineri, ita vt aliàs culpa & originale peccatum non potuerit transfundi: qui plene probauerit (vt Catherinus & nonnulli probare contendunt) Beatissimam Virginem in ipso inclussam minime fuisse: quinverò ex singulari priuilegio, diuinaque liberalitate, in pacti ipsius constitutione fuisse exemptam, quamvis dubium remaneat, an eiusmodi ratione exempta, dici nihilominus possit à Christo Domino & per ipsius merita redempta: probarum tamen habebit, eandem necdum peccatum originale non incurrisse, verum etiam nec debitum contrahendi illud vnquam habuisse: quinverò ab vtroque fuisse immunem & liberam. Sed de hoc aliàs infra à nobis suo proprio loco est dicendum, neque enim ea sola via à nobis est procedendum, sed alia etiam.

Nota hoc valde pro sententia, & opinione Catherini, eximentis Virginē a pacto inter Deū & Adamum inito.

Ad argumenta igitur in initio quæstionis proposita, et parte fratris Dominici de Soto stando in supradictis facili negotio respondetur.

Resp. ad arg. in initio quæstionis proposita.

Ad primum dico, quod quamvis Deus iure dominij & mille aliis titulis, Adamum suis legibus & præceptis potuerit obligare, non pro se solo, quinverò etiam & pro tota sua posteritate, non expectato aliquo eiusdem consensu (nam ad impositionem præcepti non est necessarius consensus eius cui imponitur) de facto tamen loquendo, dicitur quod in impositione supradicti præcepti de non comedendo de ligno vetito, non aliquod intercesserit pactum, explicitum quidē ex parte Dei, implicitum autem, & virtuale taltim ex parte hominis: nam contrarium facere alienum esse videretur à diuina maiestate, & ipsius prouidentia quam habet, necnon & à suaui dispositione qua vtitur in omnibus rebus. Etenim cum mundi fuerit exordium, constitue-

Ad primum.

stituetisque Adamum (vt dictum est) totius humanæ naturæ caput, non solum in esse naturali, verum etiam & in esse morali: ita vt tam ad bonum quàm ad malum pro tuenda & conseruanda, aut vero amittenda, & perdenda originali iustitia, sua voluntas esset voluntas omnium suorum posterorum, ex ipsoque deriuarentur principia bene operandi moraliter, & ex eo penderet conseruatio vel amissio illius fœlicissimi status innocentiæ: haudquaquam conueniens fuit, hoc ipsum vt fieret, absque eo quod Adamo prædicto diuina voluntas expresse reuelaretur, interueniretque cum eo pactum de eiusmodi præcepto seruando, cuius transgresio sibi & suis posteris iure posset imputari ad peccatum. Id enim expostulabat diuina prouidétia & sapientia, ac suauis dispositio qua omnibus in rebus vtitur Deus Optimus Maximus: non igitur sine ratione & causa, & absque congruo & sufficienti fundamento, inter Deum & Adamum intercessisse dicitur eiusmodi pactum.

Ad secundũ. Ad secundum respondetur similiter non quidem fuisse indignum, quinverò dignissimum diuina maiestate id ipsum fecisse, neque alienum à modo quo Deus obligare solet homines. Nam licet suprema sua potestate iure dominij contrarium potuisset efficere, haudquaquam fuit expediens propter nouitatem rei quæ fiebat, in eo quod vnus homo non solùm esset caput naturale, verum etiam & morale totius suæ posteritatis, & pro se & suis posteris posset delinquere, & peccare, conseruare aut amittere fœlicissimũ illum statũ iustitiæ originalis: nam cum hoc fuerit mysterium adeò secretum & reconditum, ad quod cognoscendum ipsius humanæ naturæ haudquaquam sufficiebant vires, necessum omninò fuit Adæ ipsi vt à Deo reuelaretur, & ea de re cum illo pactum iniret Deus.

Ad tertium. Ad tertium respondetur, negando quod in Sacra Scriptura nulla reperiatur pacti supradicti mentio, aut in ea congruum & sufficiens habeat fundamentum, vt satis constat ex rationibus adductis ad probationem secundæ conclusionis, quæ pro hac quæstione dicta sufficiant.

QVÆSTIO V.

An ex supradicto pacto inter Deum & Adamũ inito, exortum fuerit debitum contrahendi peccatum originale, & quid & quotuplex sit eiusmodi debitum?

CIRCA materiã præsentis quæstionis, adeò late & diffuse, quinverò confuse & inconstantes loquuntur nonnulli Scholastici Do-

Doctores, vt quod verè fateor eorum mentem, & sententiam vix valuerim intelligere, & percipere. Sunt enim quidam qui communi vocabulo eiusmodi debitum peccati reatum appellant; alij verò non quidem peccati reatum, sed obligationem siue necessitatem contrahendi ipsum originale peccatum ex subsequuta priuatione originalis iustitiæ; cuius præterea debiti tot ac tantas adducunt (vt videtur) superfluas differentias, diuisiones atque subdiuisiones, vt in eisdem referendis, explicandis & elucidandis, & an eiusmodi debitum dicendum sit tantummodo relatio, an vero realis obligatio, haud modicũ quidem laboris & temporis: quin verò multum olei & operis consumant & perdant. Quod cum nobis facere non sit in votis, his relictis vt apud eosdem videantur & recolantur, quod propositæ quæstioni respondendum est, breuiter & resolutiuè explicabitur per sequentes Conclusiones.

Prima Conclusio.

Ex pacto inito inter Deum & Adamum primum nostrum parentẽ, debitũ resultans habendi originalem iustitiam, & cõsequenter ex ipsius defectu contrahẽdi peccatum originale.

QVOD ex pacto siue contractu prædicto inter Deum & Adamum primum nostrum parentem inito, debitum contrahẽdi originale peccatum fuerit exortum, concors est Doctorum omnium, tàm antiquorum quàm recentiorum resolutio. Hæc conclusio est certa quantum ad rem, quamvis in nomine & loquendi modo aliqualis sit inter Doctores ipsos differentia. Et vt ab antiquis exordiamur, D. August. in epist. 23. ad Bonifac. debiti prædicti sub reatu nomine meminit, dum agendo de paruulis in communi, & eorum quolibet in particulari in sequentia verba prorupit. *Traxit ergo reatum, quia vnus erat cum illo, & in illo à quo traxit, quando quod traxit admissum est.* Vbi per reatum, siue reatus nomine (vt plane constat) D. August. intellexit obligationem, siue necessitatem contrahendi originale peccatũ; & non peccatum ipsum: cum ibidem dicat eiusmodi reatum ab eo tempore fuisse contractum, quo Adamus peccauit. Et certũ est quod peccatum originale non incurritur aut contrahitur à pueris, quando Adamus peccauit, neque ante primum instans generationis pueri. Itaque sensus prædictorum verborum est, quod paruulus nascendo traxit secum obligationem peccati, seu ipsius maculæ quod commisit, quando existens in Adamo vnus erat cum illo, & in illo à quo traxit, quod quando peccauit admissum est. Idem dixit D. August. lib. 4. contra duas epist. Pelagian. cap. 4. cuius sunt quæ sequuntur verba. *Restat (inquit) vt in illo primo homine peccasse omnes intelligantur, quia in illo fuerunt omnes quando ille peccauit. Vnde peccatum nascendo trahitur.* Quo etiam loco peccati nomine intelligit D. August. obligationem & necessitatem contrahendi originale peccatum. D. etiam Anselm lib. 10 de Concept. Virgin. & de peccato originali cap. 3. de debito eodem

men-

mentionem fecit dicendo: *Quod originale peccatum non est aliud quam absentia iustitiæ debitæ. Neque enim (inquit) esse videtur iniustitia, nisi in natura quæ habere deberet iustitiam & illam non habet.* Et cap. 7. prædicti etiam debiti meminit sub nomine necessitatis peccandi, per sequentia verba: *In Adamo omnes peccauimus, quando ille peccauit: non quia tunc peccauimus ipsi (scilicet personaliter) qui nondum eramus, sed quia de illo futuri eramus, & tunc facta est illa necessitas, vt cum essemus, peccaremus* (id est maculam peccati contraheremus.) Et paucis interiectis, addit. *Quod ab ipso semine, & in ipsa conceptione ex qua incipit homo esse, necessitatem accipit, vt cum habuerit animam rationalem habeat peccati immunditiam, quæ nõ est aliud quã peccatum & iniquitas.* Et iterum infra, cap. 10. de eodem debito loquendo, inquit: *Quoniam vero Adam subditus esse noluit Dei voluntati, ipsa natura propagandi, quamvis remaneret, non fuit subdita eius voluntati, & gratiam quã de se propagandis seruare poterat, perdidit, & omnes qui natura operãte quam acceperat propagantur, eius astricti debito nascuntur.* Id ipsum dicit etiam infra cap. 22. vbi præfatum debitum appellat ægestatis nomine, dicendo: *Quod in illis non sit iustitia quam deberent habere, non hoc fecit ipsorum voluntas personalis, sicut in Adam, sed ægestas naturalis, quam natura ipsa accepit ab Adam.* Vbi ægestatis naturalis nomine D. Anselmus appellat indigentiam carendi gratia & originali iustitia, quam simul cum ipsa natura accipiũt omnes Adæ posteri. Hæc de peccati debito Diuus Augustinus & Diuus Anselmus.

Ex Iunioribus autem tenent conclusionem prædictam, omnes communiter Doctores. Thomistæ cum D. Thom. 1. 2. quæst. 81. art. 1. & Scotistæ, qui Magistri Sentent. sequuntur ordinem, in 2. dist. 30. postquam ibidem peccatum originale diffinientes, dicunt formaliter illud in priuatione iustitiæ originalis debitæ inesse consistere. Sicque tanquam certum atque indubitatum præsupponunt, ex pacto prædicto inter Deum & Adamum primum nostrum parentem inito, debitum quoddam insurrexisse contrahendi originale peccatum, ex carentia siue priuatione supradictæ debitæ originalis iustitiæ. Sed specialiter hac de re videndus est noster Scotus in 3. dist. 3. quæst. 1. §. si autem. Vbi inter agendum, vtrum Beatissima Virgo Maria in originali peccato fuerit concepta, incidenter ad certum quoddam propositum dicit: *Quod quilibet filius Adæ naturaliter est debitor originalis iustitiæ. & ex demerito Adæ caret ea.* Vbi demeriti nomine, intelligendum venit primi nostri parentis peccatum, quod quidem in ipso actuale fuit, in omnibus autem ipsius posteris dicitur originale, ad sensum superius explicatum, & propter rationes ibidem dictas. Denique concludendo dico, quod Doctores omnes tàm antiqui quàm moderni, tàm Expositiui quàm Scholastici, vnanimi consensu, atque vno ore fatentur, ex pacto supradicto in Adamo primo nostro parente, & omnibus suis posteris, debitum quoddam insurrexisse, contrahendi su-

prædictum peccatū, quod communiter originale dicitur; ex defectu siue priuatione supradictæ originalis iustitiæ, quā ipse Adā & omnes sui posteri habere tenebantur, quod supradictum debitum dicitur; & habendi originalem iustitiam, & contrahendi peccatum originale. Quorum primum intelligitur antequam Adæ peccatum esse intelligatur in ipsis, secundum verò subsequitur postea ex carentia, siue priuatione originalis iustitiæ debitæ inesse, in quo formalis ratio peccati originalis consistit, ad sensum explicatum supra in secūda quæstione. Ex dictis autem constat etiam, quid sit eiusmodi debitum, de quo sit secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

Supradictum debitum, nihil est omninò aliud, quam obligatio habendi originalem iustitiam, & ob ipsius defectum contrahendi peccatū originale.

SVPRADICTVM debitum nihil est omnino aliud, quam obligatio, siue necessitas quædam contrahendi originale peccatum, ex prædicto Adami peccato in posteros resultans, & ipso posterior, qua obligatione & necessitate omnes ab eo descendentes verè & propriè astringuntur, ac debito eidem sunt obnoxij. Hæc etiam conclusio est supradictorum Doctorum omnium resolutio. Solummodo inter Iuniores reperitur differentia penes hoc, quod Vazquez in 3. parte D. Thom. disput. 116. cap. 5. dicit eiusmodi debitum formaliter esse quandā relationem. AEgidius verò Augustinianus lib. 4. de Immaculata B. Virgin. Concept. quæst. 4. art. 3. §. 9. negat hoc, & dicit eiusmodi debitum non esse quidem relationem, sed obligationem. In qua dicendi differentia immorari non libet, cum in re ipsa vtrique conueniant, & certe negari nemo potest quod debitum siue obligatio prædicta, sit etiam relatio quædam vinculi ac nexus cuiusdam, resultantis ex supradicto pacto inito inter Deum & Adamū primum nostrum parentem.

Sed dices quotuplex est debitum prædictum? Respondeo & sit tertia Conclusio.

Tertia Conclusio.

Supradictum debitū est duplex, aliud remotum, aliud verò proximū.

SVPRADICTVM debitum est duplex, aliud quidem remotum, aliud vero proximum, siue propinquum. Circa veritatem, & explicationem huius Conclusionis, Doctores Scholastici in varia sunt placita diuisi atque partiti; & multa dicunt quæ per tempus & propter breuitatem cui tantopere studeo, referre non licet. Nec vero expedit aut libris in ora[illegible]entiarum facere id ipsum, cum non admodū necessaria ea esse mihi videantur, & dicantur ac referantur ab ipsis (vt videtur) potius animo dissidendi & contendendi, quam veritatem indagandi, ipsamque amplius explicandi & elucidandi. Quibus prætermissis, dico breuiter, debitum remotum, quantum attinet ad

præsens

præsens propositum, esse illud quod ex proprio suo peccato siue crimine contraxit Adam primus noster parens, pro se & omnibus suis posteris, diuinum præceptum transgrediendo, & originalem iustitiam amittendo. Qua transgresione, necdum ipse peccator est constitutus, verum & reus, debitor siue dignus factus est, vt omnes ipsius filij ab ipso per rationem seminalem descendentes, cum etiam sine iustitia originali prædicta nascantur, simile in semetipsis debitum contrahant, quod quidem vltimum debitum proximum dicitur. Nam quo pacto omnes in Adam peccauerunt, virtualiter siue habitualiter, per eandemmet actionem qua ipse peccauit (vt supra remanet dictum) ipsi debitores facti atque constituti sunt, contrahendi originale peccatum prædictũ, ex defectu siue priuatione supradictæ originalis iustitiæ, sicque dicitur hoc debitum proximum: illud verò remotum, quia illud immediatè fuit receptum in Adam, & ex eo in omnes sui posteros deriuatum: hoc vero vltimum immediatè inest nobis, & in nobis recipitur, quatenus propter ipsius peccatum nascimur astricti, obligatione contrahendi ipsum (vt dixi) ex defectu, carentia siue priuatione supradictæ originalis iustitiæ. Hæc conclusio sic explicata est fere omnium Scholasticorum Doctorũ communis, cum D.Thom. 1.2. quæst. 81. art. 1. & cum Magist. in 2. sent. dist. 30. vbi hac de re agunt, quamvis non desit qui & ab eadem velit dissidere. Sed quidquid de hoc sit, tenet eam expresse Caietan. tract. de Concept. Virgin. cap. 2. & Corduba lib. 1. sui quæstio. q. 44. conclus. 5. Bellarmin. lib. 4. de amissione gratiæ, & statu peccati, §. 10. Vazquez in 3. parte D.Thom. disput. 116. cap. 5. Valentia in eandem 3. part. disp. 2. quæst. 1. puncto 2. & Suarez tom. 2. in supradictam 3. p. disput. 3. sect. 4. Et quod prædictum duplex debitum (remotum scilicet & proximum) sit ponendum atque constituendum, hac vel vna ea eaque efficacissima ratione probatur. Supponendo debitum siue obligationem actiuam qua Adamus primus noster parens carendo rectitudine prædictæ originalis iustitiæ, diuinũ transgrediendo præceptum ac Dei voluntati non se conformando, se & omnes suos posteros peccato suo astrixit. Ex quo sic confi[...]r argumentum. Adamus per debitum & obligationem actiuam prædictam, omnes suos posteros peccato suo astrixit, dignusque factus est, vt & ipsi similiter originali iustitia carerent, & originalis peccati maculam in se reciperent: ergo & omnes sui posteri propter ipsius peccatum, remanserunt obligati & astricti simili obligatione & debito, digniquè facti sunt vt eadem iustitia priuarentur. Consequentia est legitima, quam (vt videtur) nullus negare potest, cum sint supradictæ mutuæ quædam relationes. Nam si Adam primus noster parens ad sibi posteros refertur, tanquam verus obligator, debitum atque necessitatem illis immittens (quod vt satis constat ex supradictis iure optimo facere

potuit) ergo & sui etiam posteri non possunt non ad ipsum referri, tanquam verè obligati & affecti supradicta necessitate quam Adamus ipse illis imposuit. Quod & confirmatur etiam ex diuina institutione, lege siue pacto, quod (vt diximus) iniјt olim Deus cum Adamo primo nostro parente. Etenim (vt satis suprà remanet dictum) si Deus decreuit & statuit, quod si Adam in iustitia originali perseueraret, omnes etiam sui posteri nascerẽtur cũ ea: & quod Adamo peccante, omnes similiter peccarent, & iustitia originali debita, ipso carente, etiam sui posteri similiter eadem priuarentur: & ex Adami parte exinde ortum est debitum quod dicitur remotum, quod (vt crediderim) catholicorum nullus negare potest: necessario etiam dicẽdum videtur, quod ex parte suorum posterorum simile exoriatur debitum, quod dicitur proximum siue propinquum, in ipsis formaliter existens, habendi supradictam originalem iustitiam, & ex consequẽti ex defectu, carentia, siue priuatione eiusdem, contrahendi prædictũ originale peccatum, cum parificata conditione, eadem sit vtrobique ratio. Hoc itaque est certissimum atque constitutissimum.

Nota sententiam & opinionem eorum qui dicunt, in Adami posteris nullum omninò reperiri debitum proximũ, sed tantummodo remotum.

Sed quamvis omnia supradicta adeò vera sint, & rationi atque capacitati cuiuslibet intellectus quam maxime accommodata: non desunt aliqui nouissimi expositores, resolutioni prædictæ qui velint contraire, & dicant, nullum omninò in Adami posteris reperiri proximum debitum, sed tantummodo remotum ponendum esse in ipso Adam, quorum hæc est præcipua ratio. Nam cum omnes ab eodem per rationem seminalem descendentes, in peccato originali concipiantur atque nascantur, & verè & realiter illud in se contrahant, nisi ex gratia, & speciali aliquo priuilegio ab eo præseruentur (quod dico propter Beatissimam Virginẽ, de qua infra) in peccato (inquiunt) originali concepti & nati, & iustitia originali de facto priuati, nullum omninò habere videntur eiusdem debitum. Hoc dicit ac mordicus & singulariter tenet P. Egidius de præsentatione lib. 4. supradicti tractatus, quem inscripsit de Immaculata Virgin. Concept. quæst. 4. art. 5. §. 5. Et ipsius ratio formari potest in hunc modum. Nam debitum contrahendi maculam, siue peccatum originale, nihil est omninò aliud quam obligatio quædam ad contrahendum eiusmodi maculam siue peccatum: sed omnes Adami posteri dum concipiuntur, & nascuntur, de facto contrahunt peccatum originale, nascunturque infecti eiusmodi macula: ergo nullum omninò in ipsis reliquum remanet eiusdem debitum, aut tale debitum proximum est ponendũ in eisdẽ. Consequentia esse videtur legitima: cũ omne debitũ solutione persolnatur, eoq; per soluto nullus dici debet amplius eiusdem debitor. Quod & confirmari potest sequenti exemplo. Nam qui per pœnitentiam, deleta mortali culpa, obligatus remanet temporali pœnæ, ac debitor illius est, si debite illam persoluat, & vt tenetur satisfaciat

omni

omni proculdubio statim extinguitur omne eiusmodi debitum, ita vt primum esse condignæ satisfactionis, sit etiam primum non esse supradicti debiti: idem ergo dicendum est in proposito casu de originali peccato, & ipsius debito, quod per contractionem siue solutionem vnius, soluitur & reliquum. Neque (inquit AEgidius) dicere valet supradictum debitum esse quidem in primo conceptionis instanti, & non per totum instans, sed in aliquo priori naturæ, & extingui deinde per realem & actualem contractionem originalis peccati: nō (inquit) hoc valet dicere: nam sequeretur, quod in eodem reali temporis instanti, duæ simul verificarentur cōtradictoriȩ, nępe esse quępiam & non esse debitorem. Quod cum nō sit dicendum, manifestè existimat concludi suum intentum, & quod originalis peccati debitum, solummodo reperitur remotum in Adamo primo nostro paréte contractum; & nullum in ipsius posteris proximum siue propinquū. Sed parcat mihi supradictus AEgidius (vir alias grauissimus, sapientissimus atque doctissimus) nam in hoc haudquaquam possum illi consentire, & ipsius sententia non multum esse videtur tuta in fide, quinverò periculosa. Quod sic probo. Nam hęc propositio est vera & de fide tenenda, quod omnes Adami posteri ex eiusdem peccato in quo cum illo pariter consenserunt, dum concipiuntur non solū contrahunt re ipsa originale peccatum, verum & necesse est eos illud habere: ergo dicendum necessariò est, quod nonsolum habent eiusmodi peccatum, verum etiam & necessitatem habendi illud, quę necessitas inest etiam illis formaliter, & non solum ipsum peccatum. Tunc sic, sed hæc necessitas nihil est omninò aliud quam supradictū proximum debitum: ergo præter illud Adami remotum, ponendum etiam est hoc propinquū, existens in omnibus Adami posteris. Quod & confirmari potest hoc appotissimo exemplo, de calore & igne. Neque enim originale peccatum in Adami posteris considerari potest, sicut calor in aqua, quinverò potius sicut calor in igne; & certum est quod calor aliter est in aqua, quam sit in igne: nam in aqua sic est, vt suæ naturæ relicta nullam prorsus ipsius habeat indigentiam, imo verò accidit aquæ quod sit calida: attamen calor in igne sic inest illi, vt quamvis sit suæ etiam naturæ relictus, calorem semper exposcat. Quo exemplo manifestum fit, quod aliud atque diuersum sit habere calorem, & habere exigentiam siue necessitatem ipsius, si quidem in aqua vnus sine alio reperitur, non vero in igne. Ad eundem ergo modum dico, cogitandum non esse quod peccatum originale supradictum, insit Adami posteris, tanquam calor in aqua quinvero sicut calor existit in igne. Volo dicere, quod est & esse semper debet, ita vt per carnalem generationem omnes ab eodem descendentes, nonsolū peccatum originale contrahant, verum etiam & illud eosdem contrahere omninò necesse sit. Quo proposito exemplo, sic formo de

Reprobatur supradicta sententia & opinio.

Nota hoc valde.

nouo argumentum. Omnes ab Adamo per carnalem generationem descendentes (vt tenendum est de fide) non solum contrahunt originale peccatum, verum & ipsum eosdem cōtrahere omninò necesse est, ob defectum originalis iustitiæ: sed eiusmodi necessitas prouenire non potest nisi ab aliquo debito: ergo necessum est in Adami posteris, eiusmodi debitum proximum, siue propinquum constituere, quod in eisdem formaliter sit, neque enim necessitas habendi aliquā formam, esse potest in alio subiecto quam in illo in quo existit talis forma. Quo fit vt qui eiusmodi debitum siue necessitatem in descendentibus ab Adam esse negant, omnino eos & illam ab negare necesse est. Tandem reprobatur prædicta AEgidij sententia, hac vltima efficacissima ratione. Nam necessitas siue debitum contrahendi originale peccatum, ob carentiam, siue priuationem supradictæ originalis iustitiæ (quod certe ponere fides cogit, vt satis constat ex supradictis) non solum resultauit ex actuali peccato primi nostri parentis Adam, verum etiam ex habituali siue virtuali omnium suorum posterorum: quatenus Deo per legem suam ita ordinante & disponente, siue ex diuino pacto, decretum atque statutum fuit, vt eo peccante & diuinum præceptum transgrediente, omnes ipsius posteri similiter cum illo peccarent, & amittente eo originalem iustitiam, etiam ipsi eadem priuarentur: ita quod integra & completa ratio & causa supradicti debiti, non omninò fuit terminata in Adam vt sic, verum etiam & in suis posteris, qui sine suo virtuali consensu debitores constitui minime potuerunt. ergo sicuti prædictus AEgidius constituit quoddam debitum remotum in Adam, ita & proximum siue propinquum aliud debet constituere in suis posteris ab eo descendentibus, quod in eisdem existat; aliâs enim non intrinsecè & formaliter, sed quasi ab extrinseco, & ex solo debito & peccato Adami, peccatores dicerentur ipsi, & debitores supradictæ originalis iustitiæ, quod nullo modo est dicendum.

Respondetur argumētis cōtraria sententiæ, & opinionis, negantiū debitum proximum in Adami posteris.

Ad rationes vero adductas pro opinione & sententia AEgidij facilis est solutio ex dictis. Dicendo haudquaquam esse comparandum peccati originalis debitum cum debito pecuniæ, seu cuiuslibet alterius rei, quod eiusdem solutione statim extinguitur: sed cum debito & exigentia quam habet subiectum alicuius formę, quam ex propria sua ratione petit (verbi gratia) cum exigentia caloris, quam habet ignis, quem licet habeat & in eo maneat, semper etiam in eo manet exigentia illius, & nunquam verum est dicere, iste calor non est igni debitus: ita in proposito dico de originali peccato, taliter esse dum cōcipiuntur in omnibus Adami posteris, vt semper illis sit debitum, interim dum non iustificantur, & nunquam dici possit ipsis non esse debitum, quamvis illud habeant.

Ad confirmationem & exemplum quod adducitur de pœna tē-

pora-

poralis debito, ex lethali peccato derelicto: dico similiter non esse satis accommodum. Nam debitum illud est dignitas formæ cuiusdam oppositæ illi dignitati, atque ita accedente tali forma statim expellitur: at vero debitum originalis peccati, non est sic: quia est exigentia formæ, quæ supposita Dei institutione, ordinatione, siue pacto, subiecto quasi connaturaliter debetur, interim dum non iustificatur qui illud habet. Ad quod explicandum magis accommodatum est exēplum de debito æternæ pœnæ in damnatis: quæ quidem pœna solutione ipsa nunquam extinguitur, neque vnquam verum est dicere in damnatis, eiusmodi æternas pœnas nō esse illis debitas, quamvis actu illas persoluant. Hoc itaque quod dictum est de supradicto debito remoto & proximo, firmiter est tenendum: cuius quidem Scholastici Doctores quamplures afferunt explicationes & declarationes, quas modo cum per tempus referre non licet, videri poterunt in eisdem. & aliqua quinvero multa dicuntur infra in quæst. 12. agendo de debito, quod peccandi in Adam habuit Sacratissima Virgo. Et specialiter videatur hac de re Catherinus lib. suo de casu hominis & peccato originali, vbi plura eaque notatu dignissima ad hoc propositum licebit adinuenire. Et hæc dicta sufficiant pro hac quæstione.

QVÆSTIO VI.

Quonam modo siue pacto, quaue ratione, originale peccatum iuste in Adæ posteros traducatur?

QVOD originale peccatum per carnalem generationem in Adæ posteros traducatur, & deriuetur, non cadit sub dubio, neque ea de re in præsentiarum controuersia est, cum de hoc negotio plura supra dixerimus, & id iam per Ecclesiam habeatur diffinitum atque determinatum, in Concil. Milebitan. cap. 2. vbi dicitur: *In paruulis regeneratione mundari, quod generatione contraxerunt.* Et in Concil. Trident. Sessione 6. decreto de iustificatione cap. 3. etiam dicitur: *Quod homines nisi renera ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur iniusti, & quod cū ea propagatione per ipsum dum concipiuntur, propriam contrahunt iniustitiam.* Solummodo ergo difficultas est, circa modum explicandi eiusmodi veritatem: in qua vt pro meo more clare atque distinctè procedam, libet referre, prius aliquorum sententias, siue dicendi modos, vt ipsis explosis atque reiectis ad veritatem prædictam indagandam potentior fiat aditus.

Prima hac in re sententia seu potius error fuit asserentium rationalem animam educi de potētia materiæ, & produci virtute humani *Prima sententia seu potius error.*

semi-

feminis. Quo enim quidam defenderent per carnalem generationem originale peccatum ad ipsam posse transfundi, excogitauerunt figmentum hoc, & in hunc inciderunt errorem, eandem vt dicerêt educi de potentia materiæ, ac produci virtute feminis. Sed hæc sententia (vt dixi) manifestus est error. De quo videndus est noster Castro aduersus hæreses, verbo *anima*, hæref. 4. vbi multis illũ reprobat: sed maxime ex hoc, quia ex tali positione sequeretur animam rationalẽ esse mortalem, contra sancitum atque determinatum in Conc. 2. Lateranensi sub Leone X. Sessione 8. vbi certa fide stabilitur eandem immortalem esse. Id & quod satis colligitur ex verbis Christi Domini Matth. 10. quando dixit: *Timendos non esse eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Et quod anima rationalis non sit ex traduce, aut ex aliqua materia fiat, sed à Deo immediate ex nihilo creetur, adeô verum & certum est, vt in dubium siue controuersiam adduci non possit.

Secunda sententia seu potius error. Secunda fuit sententia seu potius etiam error, asserentium originale peccatum per carnalem generationem ad Adæ posteros traduci, quia ipsius peccato causata fuit in humana carne siue corpore, quędam morbida qualitas, ex cuius coniunctione anima inficitur, veluti corpus ex luto, aliave re sordida maculatur, quam morbidam qualitatem ex sibilo antiqui serpentis processisse dicunt, & sic côtrahi peccatum originale. Sed certe hæc sententia confictitia atque commentitia est, de qua etiam aliquid diximus supra quæst. 2. in 5. notabil. & de nouo dico, quod quamvis admitteretur eiusmodi figmentum, adhuc non capit intellectus qualiter prædicta morbida qualitas corporea, agere posset in spiritum, & in immaterialem animam, & in ea culpam & originale peccatum producere.

Tertia sententia seu potius error. Tertia sententia seu potius etiam error, est Buceri & aliorũ Hæreticorum nostri temporis, asserentium originale peccatum esse à Deo nobis ingenitum, non alio modo quam iustitia olim originalis fuit ab ipso Deo producta, & Adamo primo nostro parenti infusa. Cũ enim dicant originale peccatum esse ipsam hominis substantiam, vel concupiscentiæ naturalẽ inclinationẽ, non aliã peccati & culpæ rationem adinuenire potuerũt, quam dicendo prædicta omnia fieri à Deo. Sed hæc sententia quam sit manifestus error exinde patet, quia Deus non est aut esse potest causa propria alicuius peccati, neque actualis neque originalis: nam sicut peccatum, quatenus peccatum est, illi placere minime potest: ita neque ipse causa esse potest peccati directè, neque consequenter eo modo quo est liberum arbitrium. Nam peccatum, vt peccatum est, siue sit defectus aliquis moralis, siue inconuenientia positiua cum natura rationali, expostulat tanquam necessarium fundamentum, quod sit voluntarium voluntate creata, ita vt eiusmodi defectus ex ea sola ratione qua consequitur volũtarium,

verum

veram & propriam habeat rationẽ peccati moralis: cum igitur Deus non sit, aut esse possit causa voluntarij creati, quatenus tale voluntarium est (quia hoc in relatione quadam extrinseca ex modo operandi voluntatis creatæ proueniente consistit) manifeste profecto sequitur, quod Deus non est, aut esse potest causa peccati, neque actualis, neque originalis.

Quarta est aliorum sententia, asserentium originale peccatum in Adami posteros per carnalem generationẽ posse traduci, & quod de facto traducitur, absque vlla prorsus facta iniustitia ex parte Dei: quia ea tantum ratione traducitur, qua Adæ filij absque gratia nascũtur, cum tamen cum ea essent nascituri (ipso non peccante) quæquidẽ negatio cum sit contra ordinationem Dei, rationem habet priuationis, & consequẽter peccati in ipsis posteris, nulla ex parte Dei omnino iniustitia facta. Huius sententiæ fundamentum est, quia iuxta eam Adami posteri per originale peccatum, nihil prorsus secundum substantiam positiuum habent, quam habituri essent in puris naturalibus, sed tantummodo spoliantur dono gratuito, quod habituri erãt Adamo non peccante, in quo nulla est iniustitia. Solummodoque est differentia in hoc, quod propter ordinationem Dei, & demeritum primi nostri parentis Adæ, supradicti doni negatio, iam non tantum est negatio, verum etiam & priuatio, & dicitur vitium naturæ. Nihilominus tamen eiusmodi doni negatio, etiam esset in puris naturalibus, quamvis tantum sub ratione puræ negationis, & non culpæ aut pœnæ. Et secundum hanc sententiam dicitur, quod anima pueri inficitur, cum infunditur corpori siue carni traductæ ab Adam, & non prout creatur à Deo, quoniam absque omni prorsus macula creatur. Neque vero etiam inficitur ab aliqua morbida qualitate, quæ producta sit in carne, sed qua eo ipso quo infunditur carni ab Adamo traductæ, cum id fiat per generationem naturalem, in posteriori alio instanti postquam creata est, & iam constitutus est Adę filius, ex anima & carne, & reperitur absque gratia: eo ipso negatio eiusdem gratiæ rationem in eo priuationis habet, & in hoc (inquiunt) consistit originalis peccati formalis ratio. Hæc sententia aliquantulum accedere videtur ad veritatem, sed non rectè atque perfectè explicat rationem & causam, ob quam prædicta priuatio & carentia supradictæ originalis iustitiæ, in Adami posteris imputari possit & debeat ad culpã, siue peccatum absque vlla prorsus in iustitia facta ex parte Dei. Quod vt fiat, quæ ad hoc spectant propositum, breuiter atque resolutorie dicentur per sequentes

Conclusiones.

Quarta sententia.

Prima Conclusio.

Adam & ipsius actualepecatū, non fuit causā physica sed moralis, nostri originalis peccati.

PECCATVM actuale Adami primi nostri parentis, quatenus fuit capitis in esse morali, in posteros transfunditur & fuit causa nostri originalis peccati, non quidem physica sed moralis, per modū causæ efficientis moralis, & media quadam morali resultantia. Hæc cōclusio est certa & vera. Sed oportet explicemus & probemus eam per omnes ipsius particulas. Et quidem quod Adami primi nostri parentis actuale peccatum in posteros traducatur, sitque causa nostri originalis peccati, quatenus fuit peccatum capitis in esse morali, iam superque satis constat ex supradictis, & expresse illud insinuauit D. Paulus ad Rom. 5. quando dixit: *Quod per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Quod nihil est omninò aliud quam dicere, quod primus noster parens Adā, fuit causa nostri originalis peccati, & vt mors intraret in hunc mundum: idque non quomodocunq; sed quatenus illo peccante, omnes nos simul cum illo peccauimus. Sicque prædictum locum explicat D. August. lib. 2. de nuptijs & concup. cap. 26. tom. 7. vbi ait. *Quod voluntarium peccatum primi hominis, nostri est causa originalis peccati.* Et sequenti cap. 27. interrogantibus Pelagianis, quid inueniatur in paruulis quod in ipsis habere possit rationem peccati, & quonam pacto peccatum transfundatur ad ipsos, per propriam ipsorum voluntatem, per nuptias aut per parentes: respondet per nihil istorum, sed tantùm per supradictum primi hominis peccatum. Quod & confirmat ex supradicto testimonio Diui Pauli. *Non est* (inquit D. August.) *cur quærant Pelagiani latentem rimulam, cum in hoc habeāt apertissimam ianuam, nam per vnum hominem ait Apostolus, per vnius delictum dicit Apostolus, per vnius hominis inobedientiam inquit Apostolus. Quid quærunt amplius, quid quærunt apertius?* Videatur D. August. loco citato cap. 28. Sed quod id ipsum factum fuerit, non quidem cōcursu aliquo physico aut naturali, sed morali tantùm: exinde probatur. Nam Adam virtute propria aut virtute prædicti sui peccati quod commisit, nihil reale transferre potuit in posteros, quod verā habeat seu habere possit rationem peccati (vt de se patet) eo vel maxime cum eiusdem peccatum iam transierit, fueritque omninò per pœnitentiam deletum, vt satis insinuatur Sapient. 10. per illa verba iam superius allata: *hæc illum qui primus formatus est à Deo Pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodiuit, & eduxit illum à delicto suo.* Vnde cum Adæ peccatum nūc non sit physicè aut realiter in rerum natura, cum quispiam puer concipitur, ab eoque originem ducit, manifeste profecto sequitur, quod nihil omninò reale efficere aut causare potest concursu physico & naturali, sed tantùmodo morali, Nam quod physicè in rerum natura

non

non est, nihil physicum & reale potest causare. Quod & constat præterea, quia Adæ peccatum prædictum non transfunditur ad posteros (vt statim dicemus) nisi media carnali generatione: & certū est quod carnalis generatio aut propagatio, nō est aut esse potest alicuius peccati productiua physicè & naturaliter, sed moraliter. Relinquitur ergo quod Adam siue ipsius peccatum actuale, non fuit aut esse potuit causa nostri originalis physica & naturalis, sed tantummodo moralis, per modum causæ efficientis moralis, & media quadam morali resultantia. Nam sicut ex diuina institutione, ordinatione siue pacto dicto in præcedenti quæstione, ex Adami primi nostri parentis volūtate, pependit in posteros transfundere originalem iustitiam, tanquā caput ipsorum in esse morali; ita & ex eadem pependit, vt eo peccante voluntate sua propria, & nos in illo voluntate nostra virtuali siue habituali cum illo similiter peccaremus, & amitteremus supradictam iustitiam originalem, cuius carentia aut priuatio cum deberet esse & vere habeat rationem debiti, verè etiam habet rationem originalis peccati. An prædictus moralis causandi modus, dici debeat per modum meriti aut demeriti: aliqualiter controuertitur ab Scholasticis Doctoribus, & nonnulli ex Thomistis ea super re carpunt nostrum Docto. Scotū, qui in 2. sentent. dist. 32. quæst. vnica §. ad argumenta questionum per ordinem, in solutione ad tertium: non semel, sed iterum atque iterum vtitur verbo, meriti siue demeriti, dicendo prædictum originale peccatum, cum formaliter consistat in priuatione originalis iustitiæ, duas habere causas, vnam negatiuam (hoc est non dātem iustitiam, & hæc est Deus) alteram verò de meritoriā (& hęc est ipse Adam peccans) quia Adam peccando demeruit ne suis posteris iustitia daretur. Sed reuera non video causam, ob quam propterea reprehensione dignus videatur Scotus, cum prædictus moralis causandi modus, si non verissime & proprissime meriti aut demeriti rationem habeat, propter rationes quas adducit Zumel in 1. 2. D. Thom. quæst. 81. ar. 1. de peccato originali disp. 3. in primo dicto, quam maxime accedat ad illam: nec negari vllo modo potest, quod Adā (vt pluries est iam dictum) constitutus fuerit suorum omnium posterorum caput in esse morali, pro habenda, vel non habenda supradicta origili iustitia. Et quod id non fiat, factumve fuerit per modum influentiæ in sua membra, ad modum quo Christus Dominus in eadem influit suam gratiam: parum refert ad hoc vt non vti potuerit Scotus verbo meriti, aut demeriti; maxime cum iste loquendi modus frequentissime reperiatur apud Sanctos Patres. Leo enim serm. 5. de Natiuitate Domini hac de re agendo inquit. *Quod Adamus vsque ad præuaricationem obtemperans diabolo, meruit vt in ipso omnes sui posteri morerentur.* Vbi notādum venit verbum, *meruit*. Quo verbo si prædictus Leo fuit vsus, non propterea adeò acriter reprehendi debuit Scotus.

Secunda Conclusio.

Ad hoc vt originale peccatum in Ada posteros traducatur, necessaria est generatio naturalis, facta virtute seminis.

AD hoc vt ex primo parente originale peccatum in posteros deriuetur, & ipsi reuera & secundum efficaciam illo inficiantur & maculentur, necessario requiritur generatio naturalis facta virtute seminis, decisi ab eodem primo parēte, immediate vel mediate, nō quidem vt productio talis peccati, sed vt productio talis subiecti, cū debito siue necessitate habendi ipsum, ob carentiam siue priuationē supradictæ debitæ iustitiæ originalis. Hæc conclusio est omnium Doctorum communis resolutio, & eam tanquam certam atque indubitatam præsupponit D. Thom. 1. 2. quæst. 81. art. 1. & sequentib. vbi agit de hac materia peccati originalis. Quod & facit Scotus, & omnes qui Magistrum Sentent. sequuntur in 2. dist. 32. q. 1. & sæpe alibi. Et de ea videndus est Ambros. Cather. lib. de casu hominis, & peccato originali, in collectione doctrinæ resultantis ex toto libro, appendice 6. vbi dicit modum transfusionis peccati originalis, non esse quia in semine aut in carne fit aliqua morbida qualitas, quæ trāsferatur de subiecto in subiectum (id enim fictitium, ridiculū, atque impossibile est) sed traduci & transferri dicitur, quia eiusmodi peccatum ipso iure & facto, cōsequitur naturam per rationem seminalem ex Adamo propagatam: nam ex trāsmisione naturæ in quenlibet posterorum Adami, per prædictam rationem seminalem ab ipso Adamo immediate, vel mediate, fit trāsmissio originalis peccati: non tanquam quilibet nostrum vt distincta ab eo persona peccauerit, sed vt homo habens eandem naturam, & eo ipso quo concipitur & fit filius Adæ.

Sed quod ad id ipsum necessario requiratur generatio facta virtute seminis, decisi ab Adam immediate vel mediate, vt ipsius posteri inficiantur & maculentur, quoad efficientiam, efficacissima hac ratione probatur. Nam originale peccatum quoad efficaciam participari non potest, nisi á natura iam actu existente: sed ad hoc vt natura actu existat, necessaria est actualis generatio facta virtute seminis: ergo intentum. Quod vero prædicta generatio non requiratur vt productio originalis peccati, sed vt productio talis subiecti, cum debito siue necessitate habendi ipsum; probatur etiam hac ratione. Quia originale peccatum in Adæ posteris habet rationem defectus moralis & esse debet á causa morali agente defectuose in genere moris, vt sic proportio seruetur inter causam & effectum: sed generatio prædicta facta virtute seminis, nec ratione parentis proximi, nec ratione primi parentis Adami pertinet ad genus moris: ergo eiusmodi generatio non est actio per quam originale peccatum in Adæ posteris producatur: sed conditio necessaria vt producatur subiectum, cum debito & necessitate habendi ipsum. Quæ est expressa sententia Diui Anselmi

ſelmi lib. de Concept. Virgin. cap. 7. vbi inquit. *Ex ſemine & in conceptione ipſa contrahi originale peccatum, non quia in ſemine ſit peccati immunditia ſiue iniquitas: ſed quoniam ab ipſo ſemine, & in conceptione ipſa ex qua homo incipit eſſe, neceſſitatem accipit vt habeat peccati immunditiam.* Ex qua doctrina colligitur, quod quando Sancti Patres & Concilia ſacra dicũt, originale peccatum generatione cõtrahi, aut propagatione transfundi, non eſt ſenſus quod contrahatur aut traducatur per generationẽ tanquam per actionem per ſe productiuam ipſius peccati, ſed quod traducitur per ipſam tanquam per conditionem neceſſario requiſitã, ad hoc vt ſubiectum fiat membrum Adæ, & habeat debitum & neceſſitatem habendi eiuſmodi peccatum. Nam ad generationem naturalem ſeminis virtute factam, conſequenter ſiue cõcomitanter ſequitur originale peccatum: nam cum illud non habeat cauſam efficientem phyſicam ex actuali peccato primi parentis, ſed tantum moralem (vt dictum eſt) manifeſte ſequitur, quod non traducitur per generationẽ tanquam per actionem eiuſdem peccati productiuam; ſed productiuam ſubiecti, ad cuius exiſtentiam naturaliter, vel quaſi naturaliter, ex diuina inſtitutione, ordinatione & pacto conſequitur ipſum peccatum.

Tertia Concluſio.

Quãvis ad hoc vt tota natura humana p peccatum originale quoad ſufficientiam dicatur maculata & infecta, neceſſaria non fuerit actualis hominum multiplicatio, bene tamen quoad efficaciam.

QVAMVIS ad hoc vt tota natura humana per peccatum originale quoad ſufficientiam diceretur maculata & infecta, neceſſaria non fuerit actualis hominum multiplicatio; bene tamen quoad efficaciam. Pro huius Concluſionis intelligentia, vt plenius innoteſcat, aduertere oportet: quod naturam humanam ex peccato Adæ infici & maculari, dupliciter poteſt intelligi, & quoad ſufficientiam & quoad efficaciam. Quoad ſufficientiam infici & maculari dicitur: quia Adæ peccatum fuit capitis, ac proinde totius humanæ naturæ, quatenus continebatur in illo. Quo fit vt quantum erat de ſe, ſufficiens erat ad maculandam, & inficiendam actu omnem humanã naturam indiuiduã, deductam virtute ſeminis ab illo capite ad actualem exiſtentiam, & iſto modo verè tota humana natura erat infecta in Adam, antequam ipſe actu filios generaret (nam vt dixit Diuus Paulus ad Roman. 5. omnes in Adam peccauerunt) at verò quoad efficaciã, humana natura dicitur infici & maculari ex peccato Adæ, quando iam actu in ſe ipſa participat eiuſmodi peccatum, ad quod (vt de ſe patet) neceſſario requiritur iam ipſam exiſtere actu. Hoc ſuppoſito dicit noſtra concluſio, quod quamvis ad hoc vt tota humana natura per peccatum originale dicatur maculata, & infecta quoad ſufficientiam, neceſſaria non fuerit actualis omnium multiplicatio, per actualem propagationem, & generationem: nam ex hoc quod

Adam peccauit, tanquam eiusdem caput in esse morali, tota humana natura erat (quoad sufficientiã) infecta & maculata: attamen ad hoc vt aliqua humana natura indiuidua, & numero distincta ab illa quæ fuit in Adam, ex ipsius peccato (quoad efficaciã) infici & maculari dicatur, & actu participare eiusmodi peccatũ intrinsecè & verè & realiter: necessaria fuit actualis generatio & propagatio, facta virtute seminis decisi ab Adam, immediatè vel mediatè. Quæ sententia est omnium Doctorum communis, & eam tenet expresse D. Thom. prima secundæ quæst. 81. art. 1. in corpore & in solutione ad secundum, vbi dicit, quod quamvis anima rationalis non producatur virtute seminis, dici tamen potest semen ipsum virtutem habere ad producendũ in ea peccatum originale: non quia immediatè agat in ipsam: sed quia virtutem habet ad producendum humanam naturam, seu filiũ Adæ, disponendo ad vnionem animæ cum materia, & quia ad naturam ita productam virtute seminis ex primo parente decisi, necessario consequitur originale peccatum. Quod & ita esse hac vel vnica ratione probatur efficacissime, Nam certe originale peccatum (quoad efficiẽtiam) participari minime potest, nisi à natura actu existẽte, sed vt hæc natura singularis & indiuidua actu existat, necessaria est actualis generatio: ergo intentum. Quod autem eiusmodi generatio fieri deberet ab Adam virtute seminis ab ipso decisi, immediatè vel mediatè: etiam probatur: quia Adæ peccatum tantummodo transfunditur ad eos quorum ipse fuit caput in esse morali, sed Adam tantum fuit caput in esse morali, illorum quorum fuit caput in esse naturali (vt satis constat ex supradictis) & in esse naturali non fuit caput nisi illorũ qui ab eodem descendunt naturali propagatione, quod est generari virtute seminis ab eo decisi immediatè vel mediatè: ergo etiam intentum.

Ex supradictis conclusionibus sequuntur quadã notabilia, siue corolaria, quam maxima animaduersione digna.

Ex quibus conclusionibus nonnulla sequuntur corolaria quam maxime notatu digna.

Primum Corolarium Quando peccauimus in Adam, & quo tempore originale peccatum contrahitur?

Primò sequitur, quod quia aliud est naturam humanam infici & maculari ex Adami primi nostri parẽtis peccato (quoad sufficientiã) aliud vero quoad efficaciam & in executione: inde etiam & aliud est homines originaliter peccasse in Adam, aliud verò actu contrahere prædictam originalem maculam. Nam peccasse in Adam (vt satis cõstat ex supradictis) nihil est omnino aliud, quam cum illo eiusdem transgressioni consensum præstitisse: ille quidem actualiter, nos verò in ipso virtualiter existentes habitualiter & originaliter: quod factũ fuit quando Adamus ipse peccauit, At verò contrahere peccatũ prædictum originale, est peccatum illud quod de se erat sufficiens totam humanam naturam inficere, propriam nostram singularem & indiuiduam actu inficere & maculare; cum per actualem existentiam dũ concipimur aut nascimur, de nouo incipimus esse eiusdem filij. Quod

& ita

& ita esse satis colligitur ex doctrina D. Augustin. lib. 4. contra duas epistolas Pelagian. cap. 4. vbi explicando illa Diui Pauli verba ad Romin. 5. *In quo omnes peccauerunt*: postquam dixit relatiuum illud *in quo*, Adamum referri e. Ita vt sit sensus (*in quo Adamo peccante omnes peccauerunt*) Subdit. *Quodlibet ergo eligant, in illo homine peccauerunt omnes: quod ideo dictum est, quia quando ille peccauit, in illo erãt omnes*, Et paulo inferius. *Restat igitur in illo primo homine peccasse omnes intelligatur, quia in illo fuerunt omnes quando ille peccauit, vnde peccatum nascendo trahitur.* Quibus in verbis declarat D. Augustin. non obscure quidem, sed clare: quando omnes in Adam peccauimus, & quando actu ipsius originale peccatum contrahimus. Nam peccauimus, dum in ipsius lumbis eramus originaliter, & quando Adamus ipse peccauit: contrahimus autem ipsius originale peccatum actu, non quando ipse peccauit (quia tunc nondum eramus) sed quando dum concipimur aut nascimur, sumus in nobis met ipsis, & per actualem existentiam esse incipimus eiusdem filij. Quod etiam expresse dicit Diuus Anselmus in lib. de Concept. Virg. & origin. peccat. cap. 7. cuius sunt quæ sequuntur expressa verba. *In Adam omnes peccauimus, quando ille peccauit: non quia tunc peccauimus ipsi (qui nondum eramus) sed quia de illo futuri eramus, & hunc facta est illa necessitas, vt cum essemus, peccaremus.* id est originale peccatum contrahere mus. Quid quæso clarius aut expressius dici potuit? Et certè hoc est valde notandum, ac memoriæ commendandum.

Secundum Corolarium.

Secundò sequitur ex dictis, quod quamvis originale peccatum in cunctis hominibus ab Adamo per rationem seminalem descendētibus, sit vnum specie & proportione, per respectum ad primum principium, & quia fuit priuatio vnius dumtaxat habitus, nempe originalis iustitiæ debitæ inesse: est nihilominus in singulis hominibus vnicuique proprium, per propriam actualem existentiam contractum, & numero distinctum ab originali peccato cuiuslibet alterius. Ita quod in diuersis hominibus sunt plura numero distincta originalia peccata, quæ & ex hac parte omnia sunt æqualia, quamvis ex diuersa subiectorum dispositione hominum, diuersum interdum sortiantur effectum, & alter alio pronior esse possit, & magis inclinatus ad malum. Hoc corolarium est etiam expressa sententia & doctrina D. Thom 1. 2. quæst. 82. art. 2. vbi dicit prædictum originale peccatum in cunctis hominibus esse vnum specie, & proportione, per respectum ad primum principium: & quia est priuatio vnius dumtaxat habitus, nempe iustitiæ originalis debitæ inesse, & sic formaliter rātummodo importat vnam deformitatem secundum speciem. Quo nihilominus non obstāte, dicit in singulis hominibus esse vnicuique proprium, numero distinctum ab originali peccato alterius: & in diuersis hominibus plura numero distincta originalia peccata, quæ in sequenti art. 4. dicit in omnibus omnia esse æqualia quantum ad suū formale-

Quamvis originale peccatum in cunctis hominibus sit vnū spe. se, & proportione, in singulis tamē est vnicuique proprium, & ex parte principij & sua rationis formalis omnia sunt æqualia: quamvis interdum diuersum sortiantur effectum ex varia hominum dispositione.

formale significatum:nam vna fuit tantummodo actualis deformitas peccati Adami primi nostri parentis,necnon & habitualis, quæ in nobis ex ipsius peccato resultauit: quo fit,vt licet multiplicentur humanæ naturæ indiuidua: quantum est ex hac parte,in omnibus originale peccatum est æquale, cum priuationes quæ totaliter aliqua re priuant,magis aut minus non recipiant. Cui & alia accedit ratio. Quia cum prædictum originale peccatum sit,peccatum naturæ, non vero personæ; & natura humana in omnibus indiuiduis sit æqualis: ita & originale peccatū ipsum ex hac parte æquale debet esse in omnibus. Cum quo quidem stat quod ex varia corporis dispositione, & indiuiduali complexione cuiusque, fieri optime possit,vt in quibusdam maior sit propensio & inclinatio ad bona sensibilia, quam in alijs: sicut supposita æquali remotione prohibentis, vnum graue velocius potest descendere quam aliud,si maiorem grauitatem habeat. Sic in proposito dicendum est,quod cum priuatio originalis iustitiæ respectu illorum effectuum, se habeat vt remouens prohibens, ex inæqualitate positiua dispositionis & complexionis corporis & appetitus, prouenire etiam potest inæqualitas effectuum: sed per hoc non tollitur,quod peccatum originale quantum ad eius formale,non in omnibus sit æquale.

Tertium Corollarium.

Quonammodo anima originali peccato infici & macularidicatur?

Tertiò sequitur ex dictis, id quod communiter dicitur,rationalem animam infici & maculari à carne propter originale peccatum, non sic esse intelligendum,quasi anima à carne reale aliquid in se contrahat,cū certū sit quod anima quæ est spiritus, tanquā à causa efficiente à carne nequit maculari: sed sensus est, quod simul atque anima corpori infunditur,inficitur& maculatur,quia priuata reperitur dono cœlesti originalis iustitiæ,collatæ Adamo primo nostro parenti, pro se & omnibus suis posteris,ab ipso per rationem seminalem descendentibus, si ipsi & ille in innocentiæ statu permansissent, & in ea rectitudine quam erga Deum obseruare tenebantur,se cōseruassent. Et in hoc sensu interpretandus est Beda lib.quæst.quæst.14.non longe à fine 8.tomo quando dicit, *Animam ex vnione cum carne peccato maculari,& infici*. Quo fit,vt si quis miraculose produceretur à Deo,& nō per carnis seminalem propagationē, anima eius à carne minime macularetur:non quia caro esset purior aut perfectior: sed quia corpori infunderetur sine debito habendi originalem iustitiam, ac proinde neque reperirentur priuata & destituta ipsa.Neque enim Adam accepit prædictam originalem iustitiam pro omnibus hominibus vt cunque essentibus, sed tantummodo ab ipso naturali propagatione per rationem seminalem descendentibus. Quæ doctrina est expressa nostri Subtilis Scoti in 2.dist.32.§. quantum ad tertium,& idem tenere videtur D.Thom.1.2 quæst. 81. artic. 4. vbi dicit omnes peccatum contrahere originale (intellige nisi ex speciali Dei gratia & priuile-

gio

gio ab eodem præseruarentur) qui fuerunt in lumbis Adæ, & ex eius semine naturaliter generantur. Quo circa (inquit) si quis ex humana carne aut qualibet alia materia miraculosè formaretur, ille talis haud quaquam peccatum originale contraheret.

Quartò sequitur ex dictis, quod quamvis Adæ primi nostri parentis peccatum, per pœnitentiam sibi fuerit remissum, adhuc tamen omnes ab eo per rationem seminalem descendentes ipsum contrahūt (Beata Virgine semper excepta) non ex eo solum, quia cum ardore libidinis generentur (vt sentent. Magist. in 2. dist. 31. & alijs quibusdam placuit) sed quia vt constat ex supradictis, habitualiter & originaliter cum eo peccauerunt, & eiusdem peccato consensum præstiterunt, & concipiuntur atque nascuntur priuati originali iustitia, quam Adam pro se & illis accepit, similiter & amisit quæ per ipsius pœnitentiam minime fuit restituta, sed in sola Christi Domini passione restituitur, quantum ad effectum remissionis ipsius peccati. Ad hoc propositum D. Augustin. lib. 2. de peccato, meritis cap. 4. & lib. 6. cap. 9. & 9. contra Pelagian. adducit similitudinem de Patribus veteris Testamenti. Nam pater circuncisus generabat filium cum præputio, & non quia patri erat iam remissum peccatum originale, filius nascebatur aut concipiebatur sine ipso. Et solet ad id adduci exemplum de grano frumenti, quod licet sit purgatum ab aristis & palleis, producit nihilominus granum simile quidē sibi, sed cū aristis & palleis, ex eo quod nō fuit purgatum, vt principiū alterius grani, sed vt speciale suppositū. Ita in proposito ab Adamo per pœnitentiā iustificato, descendere potuerunt (quin verò & de facto descenderunt) filij cū originali peccato, & nunc ab homine baptizato, filij nō baptizati generantur & cū prædicto originali peccato: quia nullus generat in quātum est iustificatus aut baptizatus; sed in quantum habet in se aliquid vetustatis ex Adamo, & quatenus est Adæ filius, à quo contraxit naturam vitiatam. Etenim sicut Adam accepit originalem iustitiam, nō tantum vt erat particularis persona, sed vt etiam erat caput & principium suorum posterorum: sic & ea deperdita, non tantum fuit maculatus, vt erat persona singularis, sed etiam vt erat caput & principium eorundem posterorum. Vnde propria ipsius iustificatio, prodesse nō potuit illis, ad hoc vt conciperentur, siue nascerentur ipsi sine prædicto originali peccato: quia hoc pertinet ad naturam, illud verò ad suam propriam personam.

Quartum Corolarium. Quamvis peccatum Adami per pœnitentiam sibi fuerit remissum, omnes tamen ab eo per rationem seminalem descendētes, ipsum contrahūt (Virgine excepta.)

Quintò etiam sequitur ex supradictis, quod cætera Adæ primi nostri parentis peccata (præter primum) & alia parentum aliorum nostrorum proximorum, non transferuntur nec deriuantur ad posteros aut imputari illis possunt ad culpam; sed tantummodo quandoque forsan ad pœnam. Hoc etiam corolarium est valde notandum ac memoriæ commendandum. Neque enim modica esse videbatur dubitandi

Quintum Corolarium. Cætera primi nostri parentis peccata & alia parentū proximorū, nō transferuntur ad posteros.

tandi ratio, cur magis primum Adæ primi nostri parentis peccatum in posteros transferatur & deriuetur, quam cætera eiusdem peccata? Et de peccatis aliorum proximorum parentum, non etiam immerito id ipsum quæri posset. Etenim si ratio ob quam profitemur quod omnes ab Adamo per rationem seminalem descendentes, eo peccante cum illo pariter peccauerunt: ea est, quia secundum rationem seminalem fuerunt in ipsius lumbis (vt dicit D. Augustin. lib. 10. de Genesi ad litteram cap. 19. & duobus sequentibus) cum eadem omninò militet ratio de alijs Adami primi nostri parẽtis peccatis, & aliorum parentum proximorum, in quibus fuimus secundum prædictam seminalem rationem: non quidem parua inest dubitandi ratio. Maxime cum iuxta communem doctrinam, quilibet homo plus possit communicare illud quod habet ex se, quam id quod habet ex alio: ignis exemplo, qui plus potest calefacere, quã aqua calefacta, pro eo quod calorem habet ex se, aqua verò non ex se, sed ab alio, nempe ab igne. Si igitur parentes proximi per carnalẽ suam generationem, in nos trãsfundunt originale peccatum quod ab Adamo contraxerunt: cur non & propria ipsorum peccata quæ propria sua voluntate commiserut? Difficultas est hæc, non alia quam tetigit D. August. in lib. Enchir. tom. 3. cap. 46. & 47. & illam insolutam reliquit, neque (vt videtur) ausus est eam diffinire: sed disputando probabiliter dicit potuisse paruulos obligari peccatis, non solùm primorum parentum, verum etiã & aliorum à quibus ortum & originem ducunt. Quod & tenere videtur Diuus Leo Papa in epist. 84. vel secũdum alios codices 86. quæ est ad Nicetam. Sed his nihilominus non obstantibus, absolutè est tenendum, id quod dictum est in corolario predicto. Quæ est expressa sententia Diui Thomæ prima secundæ quæst. 81. art. 2. vbi hac de re agit. Et de Adamo primo nostro parente ea est præcisa ratio. Quia si primum ipsius peccatum (quod fuit carentia originalis iustitiæ) nobis etiam ad culpam imputatur, ex eo est, quia accepit prædictam originalem iustitiam, vt donum quoddam toti humanæ naturæ diuinitus collatum, ab ipso in posteros deriuandum, illam si ipse seruasset, & in innocentiæ statu permãsisset: vnde sicut iustitia originalis prædicta per ipsum traducenda erat ad posteros, simul cum natura ipsa: ita etiam & deordinatio illi opposita, scilicet carentia originalis iustitiæ. At postquam Adam per primum suum peccatum prædictam amisit iustitiam (quod erat donum naturæ) non habuit amplius quid in posteros transfunderet: & cætera ipsius peccata fuerunt personalia; quæ non corrumpunt naturam, quantum ad id quod est naturæ: sed solummodo quantum ad id quod est personæ. Vnde neque ad posteros potuerunt transfundi, sicut nec modo per carnalem generationem transfunduntur in filios ea quæ personalia sunt, sed tantummodo ea quæ sunt naturæ. Verba sunt expressa D. Thom. loco vbi supra.

Notentur valde verba D. Thom. de peccato Adami, quod in nos transfunditur & ratio ob quã non trãsferantur cætera Adami eiusdem peccata, si qua fuerunt.

supra in corpore articuli. Nō enim (inquit) Grammaticus traducit in filium scientiam Grammaticæ, quam proprio studio acquisiuit; sed ea tantummodo quæ pertinent ad naturam speciei humanæ. Hæc est igitur ratio & causa, ob quam alia primi nostri parētis peccata (si quæ fuerunt) non transfunduntur in posteros: quia peccata fuerunt personalia & propria, & non totius humanæ naturæ, nec pro illis accepit prædictam originalem iustitiam, sed tantūmodo pro primo præcepto sibi imposito: atque ita ipsa per eiusdem transgresionem amissa, non habuit amplius quid transfunderet in pósteros. Eadem est omninò ratio de peccatis proximorum parentum, quia illis nullum fuit naturæ donum commissum, quod sibi posteris communicarent, ac proinde nullum est etiam peccatum quod ad eosdē possent transfundere, sed omnia sunt personalia quæ ad culpam imputari nō possunt, sed tantummodo quandoque forsan ad pœnam (vt dictum est in corolario) Supradicta omnia confirmantur ex sententia D. Anselmi, lib. de Concept. Virg. & origin. peccati cap. 23. cum sequentibus vbi inquit. *Quod solus Adam accepit iustitiam originalem, pro se & pro tota humana natura transfundendam in posteros, tanquam caput & pater totius suæ posteritatis, ex quodam pacto inter Deum & Adamum ea de re inito.* Et certè negari minime potest (vt supra diximus) quod ad hoc vt Adam seu quilibet alius aliquod peccatum suum transferre posset in posteros, necdum erat necesse vt esset illorum caput quoad esse naturale, verū etiam & quoad esse morale: & satis etiam cōstat ex supradictis, quod Adam non in id ipsum fuit constitutus per totam suam vitam, sed quandiu in innocentiæ statu permansisset, & iustitiam originalem amisisset. Cum igitur per primum suum peccatum, illam & eiusmodi statum amiserit: manifestè sequitur quod nullum aliud peccatum ad suos posteros potuit transferre, aut ex ipso in illos deriuari, & idem est iudicium dē alijs parentibus proximioribus. Pro etiam quibus alia de nouo accedit ratio. Et ea est. Nam certè lex quæ obligaret mēbra in capite non valente in ipsa transferre aliquod bonum, vt transferretur malum, iniqua quidem esset, & quammaximam inæqualitatem contineret, si ex obseruatione mandatorum nullum omninò bonū participarent membra, & ex transgressione ipsorum malum & culpa ad eadem deriuarentur. Cum igitur ex bonis operibus Adami primi nostri parentis, seu aliorum parentum proximorum, nullum bonum participent eorundem posteri, cum Adam neque ipsi quidpiam possent promereri pro illis, cum in id ipsum necessarium fuisset habere gratiam capitis, quām non habuit nisi solus Christus Dominus: manifestè profectò sequitur, quod cætera Adæ primi nostri parentis peccata post primum, & alia aliorum proximorum parentum: non in ipsorum posteros transferuntur, aut illis possunt ad culpam seu peccatum imputari.

Nota etiam rationem ob quā alia parentū peccata non trāsfundūtur in posteros.

Ad rationes dubitandi, propositas in initio corolarij, iam superque satis constat solutio ex supradictis, postquam tot ac tantas adduximus differentiæ rationes. Etenim licet Adæ posteri respectu aliorũ suorum peccatorum, & peccatorum aliorum suorum parentum proximorum, etiam contineantur in ipsis, secundum seminalem rationẽ, sintque illorum caput & principium, quantum ad esse naturale; non tamen sunt quantum ad esse morale, quod esset necessum ad hoc vt aliquod suum peccatum in illos possent transfundere. Ad illud verò quod dicitur, quod magis potest quispiam in alium transferre, illud quod habet ex se ipso, quam id quod habet ex alio: respondet D. Thom. loco vbi supra in solut. ad secundum, concedendo id ipsum, dummodo id quod est traducendum, sit traducibile: at in proposito alia peccata primi nostri parentis post primum (& idem dico de peccatis proximorum parentum) cum vt dictum est sint purè personalia & non naturæ, non sunt traducibilia. Circa illud verò quod dicitur in fine corolarij, quod filij aliquando puniuntur temporalibus pœnis peccatorum, quæ fuerunt in proprijs suis parentibus dico, quod difficultas hæc longam requirebat disputationem, quę breuitati consulendo meritò in præsentiarum prætermittitur, neque enim id esse videtur præsentis loci quo agimus de originali peccato, quod vt satis constat ex supradictis non pœnæ, sed culpæ & peccati veram & propriam rationem habet, de cuius proinde in posteros transfusione iam supra quæst. 3. in solut. ad quintum diximus, ex eo in ipsos transfundi, quia illi in Adam tanquam in quodam sui originis vniuersali principio simul cum eo peccauerunt, & eiusdem transgressioni consensum præstiterunt, per propriam voluntatem suam (si non expressam siue explicitam) saltem virtualem, habitualem, implicitam & interpretatiuam.

Sextum Corolarium.

Adamo non peccante, & peccante Eua, filij eius originale peccatũ non contraherent. E contra verò illud cõtraherent, peccante solummodo Adamo quamvis Eua non peccaret.

Sexto & vltimo sequitur ex dictis, quod Adamo non peccante, peccante verò Eua, filij eius originale peccatum non contraherent: è contra verò illud contraherent, peccante solummodo Adamo, quamvis Eua non peccaret. Hoc etiam corolarium est valde notandum, & quam maximè memoriæ commendandum. Quia ad existimandum contrarium, nec modica esse videbatur dubitandi ratio: cum Eccle. 25. habeatur: *quod à muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur*. Ex quo inferri videtur, quod existente talis peccati initio, adhuc foret peccatum, & moreremur omnes, quamvis Adam non peccaret. Cui rationi accedit, quod teste Diuo Hieronymo & Diuo Ambrosio, quando Diuus Paulus ad Roman. 5. dixit: *quod per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors*: vnius hominis nomine etiam Eua venit intelligenda, iuxta communem Sacræ Scripturæ phrasim. Etenim Adam commune nomen est vtrique, vt constat ex illo Genes. 5. vbi loquendo de primis nostris parentibus dicitur:

quod

quod vocauit Deus nomen eorum Adam, in die quo creati sunt. Et prætera primum nostrorū parentum peccatum (vt statim dicemus) fuit inobedientia & transgresſio mandati sibi positi, de non comedendo de ligno vetito scientiæ boni & mali: sed eiusmodi præceptum, tâm fœminę quâm viro fuit impositum, vt constat ex contextu litteræ Genesis 2. ergo per cuiuslibet parentis transgresſionem, & inobedientiam originale peccatum transijsset in posteros. Sed eo nihilominus non obstante, standum est in dictis in præcedēti corolario, quæ est expresſa sententia D. Thom. 1. 2. quæst. 81. art. 5. & communis omnium Doctorum Scholasticorum, asserentiū quod si Adam non peccasset, aut consensisset suæ mulieris persuasioni; Eua peccante, sui posteri non nascerentur in originali peccato: è contra verò illud contraherent peccante Adamo, quamvis Eua non peccaret. Cuius quidem rei ea prima ratio est, quia omnia Sacræ Scripturæ testimonia quæ hac de re agunt, totam peccati nostri originalem causam in Adamum referunt, non verò in Euam: vt satis constat ex illo Diui Pauli ad Rom. 5: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, &c.* Quem quidem locū omnes vbique Sancti Patres (præter Hieronymum & Ambrosium, necnon & Anselmum lib. de Concept. Virgin. cap. 9.) de Adamo, non verò de Eua interpretantur, & id ipsum insinuari videtur in illo alio Diui Pauli loco, vbi dicit. *Quod sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*. Quæ sane collectio & cōparatio, non proprie videtur intelligi posse de Eua muliere, sed de Adamo viro. Quod & confirmari videtur à Concilio Tridentino Sesſione 5. decret. de peccato originali cap. 2. vbi dicitur (nulla prorsus mentione facta de Eua) quod Adam suo peccato amisit sibi & nobis iustitiam quam à Deo acceperat, & transfudit in nos peccatum, quod est animæ mors. Quod etiam ipsum dicitur in sequenti cap. 3. & 4. & Sesſione 6. decreto de iustificatione cap. 3. quibus omnibus in locis semper fit mentio de Adam, & non de Eua. Ex quo non incongrue colligitur id quod dictum est: etenim si sola Eua peccasset, sine viro, originale peccatū etiam in nos transfunderetur atque deriuaretur, manifeste profecto sequeretur, quod modo de facto potius eiusdem Euæ peccatum esset ratio & causa nostri originalis peccati, quam Adami peccatū: & quod illa fuit quæ sanctitatem nobis atque iustitiam amisit: postquam (vt satis constat ex contextu litteræ) ipsa fuit quæ prius tempore peccauit, ac serpentis suggestioni assensum præbuit: quod si hoc erit absurdum dicere, nec satis consonum modo loquendi Sacræ Scripturæ, & dictis Concilij Tridentini, satis aperte nostrum concluditur intentum.

Sed quod in secundo corolario continetur, secunda sequenti hac ratione probatur. Nam (vt satis constat ex supradictis) ille solus potuit peccatum in alios transfundere, qui fuit ipsorum principium & caput

caput in esse morali; sed ex diuina ordinatione & pacto solus Adam fuit constitutus à Deo suorum posterorum caput in esse morali, non vero Eua: ergo ipse solus potuit in ipsos transfundere originale peccatum, ac proinde eo non peccante, etiam si Eua peccaret, eiusdem filij illud minime contraherent.

Quæ prædicta omnia confirmãtur ex auctoritate Bedæ lib. quæst. quęst. 14. in 8. tomo, vbi agendo de prædicto originali peccato, inquit, nos illud contrahere ex Adamo, & non ex diabolo: quia ex diabolo non propagamur, neque ab Eua; quia vir (id est Adam) non est à muliere, sed à viro. Verba sunt expressa. Quod certe fuit ac si expressius dixisset, quod Adamo non peccante etiamsi Eua peccaret, non foret originale peccatum. D. etiam Thomas loco vbi supra, eius rei peculiarem etiam rationem affert, dicendo id pro eo esse, quia mulier non actiue, sed passiue se habet ad generationem prolis. Sed hæc ratio à multis etiam ex Thomistis non probatur. Nam licet vera esset medicorum sententia asserentium mulieris semen actiue etiam concurrere ad generationem, non propterea recedendũ esset à supra dicta doctrina: quinverò firmiter dicendum est, originale peccatum (quãtum ad transfusionem) tantummodo ex Adamo dependere: nam eiusdẽ traductio non necessario dependet ex actiuitate feminis, sed ex facultate & potestate traducendi originalem iustitiam, ex diuina ordinatione & pacto, & eiusmodi facultas tantummodo fuit in Adamo, quẽ Deus constituit caput totius humanæ naturæ in esse morali, non vero in Eua. Quo circa quamvis demus mulierem virtutem habere actiuã ad generationem medio suo semine, & actiue concurrere ad generationem prolis, adhuc originale peccatũ non traducitur ex ea, sed per virtutem actiuam principalem seminis viri, à qua virtus actiua mulieris (si vlla est) reducitur ad actum, & producitur humanæ naturæ suppositum, ad cuius actualem existentiam, naturaliter vel quasi naturaliter consequitur originale peccatum, cum reperiatur cũ debito, & priuatione supradictæ originalis iustitiæ.

Respondetur ad rationes dubitandi adductas in initio corolarij.

Ad rationes dubitandi adductas in initio corolarij, superque satis patet solutio ex dictis. Nam in illo testimonio Eccles. 25. non dicitur quod ab Eua siue muliere detinetur originale peccatum, sed tantum initium peccati: pro eo quod ea fuit quæ cœpit sugerere viro vt comederet de ligno vetito, quo comedente & peccante, peccatum intrauit in mundum, vt dicit Diuus Paulus respectu humanæ naturæ propagandæ, non quidem ex vi peccati mulieris, sed viri. Qua quidẽ ratione illud sapientis, intelligendum est de peccati initio, per modũ occasionis, & persuasionis, & non aliter, & simili modo per Euam dicimur quod omnes morimur. Neque vero quidquam in contrarium conuincit, id quod adducitur de mente Hieronymi & Ambrosij, necnon & Anselmi: nam licet nomen Adam commune sit vtrique, nẽpe

tam

tam viro quam mulieri: ex verbis tamen Pauli tam ad Rom. 5. quam 1. Corinth. 15. satis aperte & clare colligitur, quod loquitur de Adamo, non verò de Eua: alias non satis consona esse videretur collatio quam ibi facit de primo homine cum Christo. Sicque D. Thom. 1. Corinth. 15. lect. 3. supradictam explicationem reijcit, & dicit non esse sequendam. Quinverò & Diuus ipse Anselmus loco supra citato, rationem quærés cur originale peccatū potius tribuatur Adæ quam Euæ, aperte dicit totam illam duorum parentum copulam, in nomine principalis, scilicet Adami intelligendam esse, & insinuare videtur quod eiusmodi peccatum à viro contrahitur, non verò à muliere. Ad aliud vero quod dicitur, præceptum illud de non commedendo de ligno vetito, impositum esse tam fœminæ quâm viro: dico quod non satis clare id ipsum ex contextu litterę colligitur. Habetur enim sic. *Tulit ergo Dominus Deus hominem & posuit eum in Paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illum: præcepitq; ei dicens, ex omni ligno paradisi commede, de ligno autem scientia boni & mali ne commedas, in quocunque enim die commederis ex eo, morte morieris.* Et est multum notandum quod prædicta verba ponuntur ante formationem Euæ. Nam postea subsequitur: *Dixit quoque Dominus Deus, non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.* Sed quamvis concedamus quod tâm fœminę quâm viro impositum fuerit eiusmodi præceptum, adhuc non concluditur intentum: quia latissimum est discrimē. Nam Adamo impositum fuit tanquam cōstituto capiti totius humanæ naturæ in esse morali, á quo omne bonum siue malum in posteros deriuaretur: quod non contigit in Eua: neque enim legitur aut dicitur, quod ipsa cōstituta sit suorum filiorum caput in esse morali prædicto.

Sed circa propositam difficultatem nonnulla parua insurgunt dubia, quæ aliqualem ingerunt difficultatem, quæ & curiositatis & exercēdi ingenij gratia, haudquaquam volui prætérire: quinverò breuiter ea hic complecti libuit, vt huius negotij, quod notatu dignum sit, intactum reperiatur nihil. *Primum dubium*

Primo quæri solet circa hanc materiam transfusionis originalis peccati, an Adamo non peccante, si eiusdem filij peccarent, ipsorum peccatum transfunderetur ad posteros? *An Adamo non peccante, si eiusdem filij peccarent, originale peccatum transfunderetur in posteros?*

Quæ difficultas supponit tanquam certum, quod Adamo primo nostro parente non peccante, & in iustitia originali perseuerante, ipsius nihilominus filij & posteri, de facto peccare potuissent mortaliter, si non nascerentur confirmati in gratia, neque essent præuenti extrinseca aliqua Dei prouidentia. Quod (vt videtur) est certū. Neque enim esse deberent melioris conditionis, quam fuerit ipse Adā (quidquid nonnulli in contrarium dicant) ac proinde sicuti Adam peccauit mortaliter de facto, ita & ipsius filij siue posteri, peccare possent similiter, in quo casu insurgit prædicta dubitatio.

Circa

Resolutio dubij.

Circa quam licet sint nonnulli Doctores Scholastici, qui partem sustinent negatiuam, & esse videatur sententia Ambros. Catheri. lib. de casu homin. & peccato originali, non longe à fine §. vide & decimũ: nihilominus tamen contraria sententia est Scoti in 2. dist. 32. quæst. vnica §. ad argumenta tertiæ quæstionis, ibi, ad aliud de proximo parente respondeo, cuius sunt quæ sequuntur verba: *Quicunque accepisset iustitiam originalem in se formaliter, vel voluntate consequente, debitor illius fuisset pro se & tota sua posteritate, pro qua illam accepisset virtualiter. Et ita si Adam non peccasset, sed Cain, filij tamen Cain contraxissent peccatum originale, non ab Adam, sed à Cain, nunc autem certum est quod nullus accepit illam formaliter nisi Adam.* Verba sunt expressa Scoti. Eãdem sententiam tenet Driedo de captiuit. & redempt. generis humani, tract. 2. cap. 2. part. 4. in solut. 1. arg. contra conclusio. & Diuus Thomas de malo quæst. 5. art. 4. ad octauum argumentum, vbi expresis verbis dicit, quod si aliquis ex posteris Adæ, ipso non peccante peccasset, moreretur propter suum peccatum actuale, sicut mortuus fuit Adam, & eius posteri similiter morerentur, propter peccatum ipsorum origiginale. Cuius sententię fundamentum est: quia in tali casu filij tanquã in radice continerentur in suis parentibus peccantibus, quemadmodum & omnes homines continebamur in Adam, & eo peccante peccauimus, & quia si Adam per suum peccatum iustitiam originalẽ nõ amisisset, ex eo ea deriuaretur in posteros, etiam pro se & tota sua posteritate: & sic eorum primo mortaliter peccante, pro se & suis etiam posteris illam amisisset. Quæ prædicta sententia confirmari potest exemplo adducto ex humanis. Nam priuilegium Regis siue Principis, concessum alicui tanquam capiti, pro se & tota sua familia siue posteritate: non solum amittitur & deperditur per peccatum proditionis illius primi capitis, verum etiam & per simile peccatum, cuiuscunque alterius suorum descendentium pro se & sua posteritate. Idem ergo dicendum est in proposito. Sed qui in contraria versantur sententia & opinione, fundantur in hoc, quod originalis iustitia prædicta collata fuit soli Adæ, tanquam vniuersali totius humanæ naturæ capiti, vt donum naturæ, non sic autem reliquis ab ipso descendentibus, sed tanquam donum quoddam personale: quo fit vt ex solo peccato Adę tota fuerit infecta humana natura, nec sic inficeretur ex peccatis aliorum suorum descendentium, ac proinde ex ipsis non deriuaretur in alios supradictum originale peccatum. Hac in re vnusquisq; in suo sensu abundet. Hæc de prædicta difficultate dicta sufficiant, & qui de eadem plura videre voluerit, consulat Zumel in 1. 2. D. Tho. quæst. 81. art. 2. disp. 2. in primo dubio, & in eadem quæst. art. 5. in 2. dub. circa finem.

Notentur valde hæc Scoti verba.

Secundum dubium.

Sit secundum dubium, vtrum si Adam ante peccatum, in statu innocen-

nocentiæ filios genuisset, & postea peccaret, filij iam geniti peccatum contraherent originale?

An si Adam ante peccatum in innocentiæ statu filios genuisset, & postea peccaret, filij prius geniti contraherent peccatum originale?

Circa hoc dubium Ambros. Catherin. in supradicto lib. de casu homin. & peccato originali, illat. 9. & 15. partem tenet affirmatiuam, quam & probare contendit aliquibus rationibus. Quarum est prima atque potissima, quoniam in eo casu Adæ filij, geniti etiam antequã ipse peccaret, adhuc remanerent & essent eiusdem membra, cum igitur Adam iustitiam supradictam originalem accepisset, non vt singularis persona, sed vt totius humanæ naturæ caput, sequi videtur quod Adamo eandem per peccatum amittente, omnes etiam participantes illam naturam, similiter illam amitterent: & consequenter contraherent originale peccatum. Et solet adduci exemplum de priuilegio adducto in præcedenti dubio, concesso à Rege alicui, tanquam capiti pro se & tota sua familia, siue posteritate: nam certum est quod in eo casu primo illo parente propter aliquod infidelitatis crimen amittẽte eiusmodi ius, similiter eius filij illud amitterent, etiam ante delictũ nati; idem ergo dicendum est in proposito, quod cum originalis iustitia data fuerit Adamo primo nostro parenti, tanquam capiti, necdũ in esse naturæ, verum etiam in esse morali, pro se & tota sua posteritate: quod eo peccante & ipsam amittente, similiter & eandem amitterent filij eius, etiam ante delictum nati, & consequenter contraherẽt peccatum originale. Aliâs enim sequeretur diuidendos esse eiusdem filios in distinctas Respublicas, & diuersos viuendi ordines, & in eo casu eorum quidam subiacerent morti & peccato, alij verò non ita: quod quammaximum esse videretur inconueniens.

Resolutio dubij.

Sed his nihilominus non obstantibus, vera resolutio est, quod in proposito casu Adæ filij, geniti ante ipsius peccatum, nullo modo peccatum originale prædictum contraherent. Et quia aliqui Doct. circa hoc distinctionem faciunt inter filios adultos & paruulos, qui nondum actu proprio iustificari potuerunt, dicendo quod isti illud contraherent, illi vero minime: verior tamen resolutio est, quod neque illi. Quæ est expressa sententia Durandi in 2. dist. 33. quæst. 1. num. 7. & esse videtur D. Thom. prima secundæ quæst. 81. art. 5. & fundatur super doctrinam D. August. in epist. 23. ad Bonifatium circa principium. Vbi expresse dicit: *Quod cum homo alius est genitus à Patre, & est alter, & distinctus ab illo qui ipsum genuit, nunquam fit peccato sui parentis obnoxius, sine consensu sua voluntatis.* In cuius comprobationem adducit illud quod habetur Ezech. 18. *Omnes animæ meæ sunt, vt anima patris ita & anima filij mea est: anima quæ peccauerit ipsa morietur.* Et infra. *Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij.* Quibus verbis satis datur intelligi, quod quando anima & vita filij est iam distincta ab anima & vita Patris, filius nunquam portat iniquitatem Patris, sine consensu suæ voluntatis, & quod tunc tantum Patris peccatum

L transit

transit in filium, quando filius est in Patre peccante, non distinctus ab ipso, sicut & nos fuimus in Adamo primo nostro parente. quo peccante, omnes pariter cum illo simul peccauimus. Et idem Augustin. super Psalm. 84. explicans illa verba *Nunquid in æternum irasceris nobis, aut extendis iram tuam à generatione in generationem?* inquit: *Quod ea parentū peccata non pertinent ad filios, quæ faciunt parentes, ipsis filijs iam natis.* Ex quo etiam loco nostrum colligitur intentum. Et resolutioni eidē facere videtur Concil. Trident. Sess. 6. decreto de iustificat. cap. 3. vbi dicitur. *Quod homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur iniusti: cum ea propagatione per ipsum dum concipiuntur, propriam contrahant iniustitiam.* Quibus verbis aperte insinuare videtur Concilium, ob id originale peccatum propagatione, siue generatione cōtrahi, quia homines ex semine Adæ propagati fuerunt in ipso tempore, suæ conceptionis: & consequenter quod eo tempore transacto, eiusmodi originale peccatum non posset contrahi. Quæ quidem ratio militat in filijs, tam paruulis quam adultis, quamvis de adultis sit specialis ratio, Nam ipsi iam habentes vsum rationis, optime repugnare possent prædictæ actuali transgressioni Adæ, & Deum super omnia diligendo, illi non consentire. Ex quo manifeste sequitur, quod non ab eo cōtraherēt peccatū originale. Haud enim capit intellectus, quod quispiam inuitus fiat peccator. & multo minus quod actu diligens Deū super omnia, fit ab eo auersus & illi inimicus.

Respondetur ad rationes Catherini.

Ad rationes dubitandi, siue argumenta adducta pro sententia Catherini, facilis est solutio dicendo: quod Adam respectu eorum filiorum quos ante peccatum genuisset, iam non esset ipsorum caput quoad esse morale, & quoad effectum transfundendi in ipsos peccatum, siue iniustitiam: sed solummodo quoad esse naturale, & quoad gubernationē & institutionē eorum. Et quãvis (vt præmittitur) Adamo data fuerit originalis iustitia, vt totius humanæ naturæ capiti, ad communicādam illam simul cum ipsa natura singulis hominibus, vt erat quoddam donum naturæ: non tamen prout prædicta originalis iustitia erat iam effecta, quasi donum personale collatum alicui in particulari. Vnde ex argumento adducto solummodo sequitur, quod per superueniens peccatum amisisset eiusmodi originalem iustitiam vt erat naturæ donum: & adhunc sensum, vt non posset eam amplius communicare cum ipsa natura; non tantum quod illam amitteret, secundum quod in aliquo præexistente filio, fuerat quasi iam effecta donum personale. Ad exemplum vero in argumenti confirmationē adductū de priuilegio Regis, respōdetur plura esse in humanis priuilegia, quæ non amittuntur ob crimen Patris, à filijs prius genitis, præcipue si illa possideant, & quamvis id esset in humanis, exemplum tamen non est ad propositum in diuinis cum in hisce rebus Deus aliter se gerat nobiscum, quam Principes sæculi cum suis ciuibus siue

nobilibus. Ad illud vero de diuisione hominum in diuersas Respublicas, facile etiam respondetur dicendo, quod ad diuinam prouidentiã pertineret, prouidere de modo & ordine quo eiusmodi homines in illa vel alia Republica se deberent gubernare & gerere, coniunctim vel separatim: nam cum id non fuerit effectum de facto, non est cur in huius rei ratione redenda amplius immoremur. Hæc de prædicta quæstione dicta sufficiant, & qui plura videre desiderat consulat Zumel in prima secundæ D. Thom. quæst. 81. art. 5. dub. 2. & Vazquez ibidem disput. 183. cap. 3. num. 11.

QVÆSTIO VII.

Quodnam fuerit Adami primi nostri parentis peccatum, quod nunc actu in posteros trãsfunditur: & an si ante illud fuisset aliud primum, amitteretur per illud originalis iustitia, & peccatum originale transfunderetur in posteros?

HVIC quæstioni omissis pluribus superfluis, ac meo videri inutilibus, quæ passim hic à Doctoribus Scholasticis circunferuntur, breuiter atque resolutiue fiet satis per sequentes Conclusiones.

Prima Conclusio.

DE facto loquendo, certissime tenendum est, quod Adami primi nostri parentis peccatum, quod originaliter nunc in eiusdẽ posteros transfunditur, fuit illud idem quod commisit transgrediendo impositum sibi præceptum de non commedendo de ligno vetito. Hæc conclusio satis colligitur ex ipso litteræ contextu. Nam Genes. 2. postquam Adæ eidem fuit dictum: *ex omni ligno Paradisi commede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne commedas, in quocunque enim die commederis ex eo, morte morieris:* in sequenti cap. 3. dicitur. *Quod serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus: qui dixit ad mulierem, cur præcepit vobis Deus vt non commederitis de omni ligno Paradisi? Cui respõdit mulier. De fructu lignorum quæ sunt in Paradiso vescimur: de fructu vero ligni quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus ne commederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Dixit autem serpens ad mulierem. Nequaquam morte moriemini: scit enim Deus quod in quocunque die commederitis ex eo* ape-

De facto loquẽdo Adæ peccatum quod in posteros transfunditur, fuit illud quod cõmisit de ligno vetito commedendo.

aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij scientes bonum & malum. Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile: & tulit de fructu illius & commedit, deditq; viro suo, qui commedit. Quo vltimo verbo *commedit*, satis aperte indicatur, quodnam fuerit de facto peccatum primi nostri parentis Adam, nempe violatio impositi sibi præcepti, de non commedendo de fructu arboris, siue ligni scientiæ boni & mali: quo suo inobedientiæ scelere, supradictam originalem maculam in sibi posteros transmisit, in quo maximum naturæ humanæ nostræ exitium. Et sic sine fidei præiudicio, haudquaquam negari potest id ipsum, maxime cum post supradicta sequatur in textu. *Quod aperti sunt oculi amborum, & cum cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata & cum audissent vocem Domini deambulãtis in Paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni Paradisi. vocauitq; Dominus Deus Adam & dixit ei Vbi es? Qui ait, Vocem tuam Domine audiui in Paradiso, & timui eo quod nudus essem, & abscondi me. Cui dixit Dominus, quis enim indicauit tibi quod esses nudus, nisi quod ex ligno ex quo præceperam tibi ne commederes, commedisti? Dixitq; Adam, mulier quam dedisti mihi sociam dedit mihi de ligno & commedi. Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc fecisti? Quæ respondit Serpens decepit me, & commedi. Et ait Dominus Deus ad serpentem: quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram commedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Mulieri quoque dixit, multiplicabo ærumnas tuas & cõceptus tuos, in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Adæ verò dixit. Quia audisti vocem vxoris tuæ, & commedisti de ligno ex quo præceperam tibi ne commederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus commedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: spinas & tribulos germinabit tibi, & commedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es, quia puluis es & in puluerem reuerteris.* Ex quibus omnibus supradictis verbis, superque satis colligitur, quod Adami peccatum fuerit prædictum, & per ipsum incurrisse nos mortis pœnam, & omnia mala & damna quæ sunt commemorata. Quod quidem negari minime potest, præsertim cum Diuus Paulus ad Roman. 5. agendo de eiusmodi peccato, tam aperte dixerit: *Quod per vnũ hominem* (Adam scilicet) *peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatũ mors: & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt*, Pauloque inferius dicitur. *Quod regnauit mors ab Adam.* Quæ supradicta omnia confirmantur per id quod habetur in Concil. Tridentin. Sessione 5. decreto de peccato originali cap. 1. vbi dicitur. *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & iustitiam in qua constitutus fuerat, amisisse; incurrisseq; per offensam præuaricationis huiusmodi, iram & indignationem Dei, atque ideò*

mortem

mortem quam antea illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captiuitatem sub eius potestate, qui mortis deinde habuit imperium (hoc est diabolo) totũq; Adam per illam præuaricationis offensam, secundum corpus & animam in deterius commutatum fuisse, anathema sit. Quid quæso clarius, aut expressius dici potuit. Denique supradicta conclusio communis est omnium Doctorũ Scholasticorum resolutio, & Sanctorum Patrum sententia, firmissimeque proinde tanquam de fide tenenda.

Secunda Conclusio.

QVAMVIS prædicta conclusio vera sit, potest nihilominus dici, quod initium & motiuum supradicti peccati Adami, & suæ transgresionis fuit superbia. Hæc conclusio est etiam expressa sententia multorum Sanctorum Patrum. D. August. lib. 14. de ciuitate Dei cap. 13. & 15. & lib. 11. de Genes. ad litter. cap. 30. & 41. & in dialogo 65. quæstion. quæst. 4. & super Psalm. 68. 70. & 81. Et idem dicit D. Chrysost. homil. 16. super Genes. & homil. 11. ad Populum Antiochen. & lib. 1. de prouidentia. Idem D. Gregor. lib. 34. Moral. cap. 17. Damascen. lib. 2. fidei ortod. cap. 10. Bernard. serm. 1. de Aduentu. Idẽ dicit sentent. Magist. in 2. dist. 22. quem omnes fere Scholastici Doctores sequuntur ibidem. Et D. Thom. 2. 2. quæst. 163. Et facile constabit supradicta conclusio legenti sacrum textum vbi supra. Nam ex eo & discursu litteræ satis aperte colligitur, per superbiam Adamum primum nostrum parentem expetiuisse excellentem quandam similitudinem Dei, ac propterea cõmedisse de fructu ligni vetiti. Quod ita fuisse haud incõgrue declarant verba illa quæ habentur in textu, & sequutur dixisse Deũ paulo inferius post superius dicta. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum nunc ergo ne forte mittat manum suam & sumat etiam de ligno vitæ, & commedat & viuat in æternum, emisit eum Dominus de paradiso voluptatis, &c.* Cui resolutioni concinit & illud quod habetur Tobiæ 4. quo loco loquendo cum filio suo, dixit illi. *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Facit ad idem & id quod habetur Eccles. 10. vbi dicitur. *Quod odibilis est coram Deo & hominibus superbia.* Et infra. *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo: quoniam ab eo qui fecit illum, recessit cor eius, & initium omnis peccati est superbia.*

Initium, & motiuum supradicti peccati quodnam fuerit.

Sed quamvis supradicta vera sint, non etiam incongrue dici potest, quod initiũ atq; motiuũ supradictæ transgresionis primi nostri parentis Adami, fuerunt & alia multa, & quod ipsius peccatum non fuit simplex, & vnius rationis siue modi, sed quasi multiplex, & fœcundum nimium iniquitatis fœtu. Nam secundum varios, prauos & inordinatos affectus & motus, quibus ipsius mens & animus eo tempore fuit permotus & exagitatus, dicere possumus quod ad transgres-

Ponũtur etiã variæ sententiæ circa peccatum Adami primi nostri parentis.

gressionem supradictam, nonnulla alia habuit motiua. Qua quidem ratione & noster Scotus in 2. dist. 21. quæst. 2. inquit, primum Adami parentis nostri peccatum, seu potius eiusdem initium, fuisse inordinatum suæ vxoris amorem. Quod probat de mente & sententia D. Augustin. lib. 11. super Genes. cap. vltimo, vbi ait. *Quod noluit contristare eam, quam credebat sine suo solatio contabescere, & à se alienatum omninò interire.* Ab alijs verò dicitur, fuisse Adami primi nostri parentis peccatum, in probam quandam auiditatem, & pestiferam curiositatem, experiendi quidnam lateret in eo fructu quem ipsi Deus tantopere interdixerat, & quid consequendum esset eo gustato, præsertim cum videret Euam, percepto eiusmodi fructu, non fuisse mortuam. Alij dicunt interfuisse ibidem peccatum gulæ: nam cernés pomi pulchritudinem quammaximam, & audiens ex ore vxoris suæ suauissimi esse saporis: illius æstum ardentissime concupiuit. Et multo melius dici potest, in prædictis omnibus repertum fuisse inobedientiæ peccatum: nam comedendo de ligno sibi vetito, inobediens quammaxime fuit Deo: verum licet sit quod tale peccatum non fuit inobedientiæ specialiter, sed solummodo generice & materialiter. Nam non peccauit Adam volens esse inobediens: quamvis cõmedendo de fructu sibi vetito, inobediens fuit. Ex quo plane sequitur quod supradictum peccatum Adæ, fuit prædicta transgressio præcepti specialis, quod acceperat à Deo, de non comedendo de ligno vetito, & in hoc est standum, idque firmiter tenendum.

Tertia Conclusio.

Non de facto, sed de possibili loquendo si Adam primũ aliud peccatũ mortale commisisset, per illud etiam originalem iustitiam amisisset.

NON de facto, sed de possibili loquendo, haud improbabiliter dici potest, quod si Adam ante prædictum peccatum trãsgressionis impositi sibi præcepti, aliud mortale commisisset: per illud etiam iustitiam originalem amisisset, & transfunderetur ad posteros. Circa hanc conclusionem Doctores Scholastici multa dicunt: sed quidem de ea nihil certe atque determinate potest dici, cum dependeat ex solo beneplacito diuinæ voluntatis, in cuiusnam præcepti transgressione posuerit Deus pactum, de amittenda originali iustitia pro tota humana natura: an solummodo in transgressione supradicti præcepti, de non cõmedendo de ligno vetito: an verò etiam in quocunque alio peccato, si illud antea commisisset: Sed stando in principijs Theologiæ, non improbabiliter potest dici (loquendo de possibili) quod si Adam ante supradictum peccatum, primum aliud actuale & mortale commisisset, per illud etiam iustitiam originalem amisisset: & illud ipsum transfunderetur ad posteros. Quæ assertio esse videtur sententia Diui Thomæ 1.2. quæst. 81. art. 2. vbi dicit quod solum primum primi nostri parentis peccatum transfunditur in posteros, Quibus verbis

bis insinuare videtur, quod qualecunque illud esset primum peccatum, per illud iustitiam originalem amisisset, transfunderetur que ad posteros. Quod & sequenti hac ratione probatur. Nam quodcunque esset illud primum peccatum (dummodo esset mortale) repugnaret cum illo innocentiæ statu, destrueretque originalem iustitiã. Et quod illud ipsum transfunderetur ad posteros, non esse videtur dubium, cum Adam (vt pluries dictum est) constitutus fuerit omnium ipsorum caput in esse morali, & per illud corrupta atque vitiata remaneret tota humana natura, & destituta prædicta originali iustitia; ergo intentum. Quod & confirmatur ex eo, quia iustitia originalis prædicta, si non fuit vnus & idem habitus cum Dei gratia & amicitia: saltim adeò fuerunt coniunctæ, quod ad inuicem minime potuerint separari (vt dictum fuit supra). Sed per quodcunque, peccatũ mortale amittitur gratia; ergo & per quodcunque amitteret etiam originalem iustitiam. Quod etiam illud ipsum transfunderetur, ex eo patet, nam si non transfunderetur illud, nullum esset quod transfundi posset, postquam per illud amissa originali iustitia, etiam amitteret rationem capitis in esse morali, & consequenter suis posteris, neque in bonis, neque in malis vllo posset modo prodesse, aut præiudicare. Hæc hac de re dicta sufficiant, & qui plura videre voluerit, consulat Zumel in 1. 2. D. Thom. quæst. 81. art. 2. disput. 1. in 2. puncto & primo dicto cum sequentibus latissime.

QVÆST. VIII.

Quodnam sit subiectum originalis peccati: & an illud sit in carne, an vero in anima. Et si in anima, an potius sit in eiusdem essentia, quam in potentijs, & quænam potentiarum magis fuerit infecta?

CIRCA propositas difficultates consultò omitto multa dicere quæ passim hic à Doctoribus Scholasticis circũferũtur, & adducuntur (mihi vt videtur) minus vtiliter, & quæ silẽtio ob volui iure optimo possent. Vt tamẽ aliqua dicamus, & magis ipsæ in suo puncto constituantur, & vt ex opositione contrariorum, veritas & id quod tenendum est amplius elucidetur: aliquot libet proponere argumẽta, quibus (saltim apparenter) monstretur, quod peccatum originale prædictum, potius sit in carne, quam in anima, & dato quod sit in anima: quod potius sit in eiusdem essentia, quam in potentijs.

Quoad

Primum arg. Quoad primum sic argumentor, & probo quod originale peccatum sit in carne, non verò in anima. Nam certum est quod repugnantia carnis ad mentem, procedit ex corruptione originalis peccati: sed radix huius repugnantiæ est in carne, non verò in anima: vt enim dicit Apostolus ad Roman. 7. *Video aliam legem in membris meis* (hoc est in carne mea) *repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati quæ est in membris meis*: ergo originale peccatum magis est in carne, quàm in anima.

Secūdum arg. Secundò sic argumentor ad idem. Nam certum etiam est, quod vnumquodque potius est in sua causa, quam in effectu: sicut calor magis est in igne calefaciente, quam in aqua calefacta; sed anima inficitur infectione originalis peccati, per carnale semen: ergo & peccatum originale ipsum, magis est in carne, quam in anima. Certum est enim quod peccatum originale ex primo nostro parente contrahimus, prout in eo fuimus secundum rationem seminalem, & quod ibi non fuit nostra anima, sed sola caro: ex quo proinde sequi videtur, quod ipsum non sit in anima, sed in carne.

Tertium arg. Tertiò sic argumentor, & probo ex suppositione quod originale peccatum non sit in carne, sed in anima, quod potius esse debeat in eiusdem essentia, quam in potentijs. Nam certum est etiam quod hoc peccatum penes hoc differt ab alijs, quod alia propria voluntate, hoc autem non propria voluntate, sed generatione contrahitur: sed generatio prius attingit animæ essentiam quam potentias: ergo & peccatum ipsum, quod generatione transfunditur, primo seu potius est in animæ essentia, quam in potentijs.

Quartū arg. Quartò sic argumentor ad idem. Nam, (vt satis constat ex supradictis) originale peccatum consistit in priuatione originalis iustitiæ, quæ vel fuit idem realiter cum gratia, aut saltim sine illa non potuit adinueniri: ergo dicendum est, collocandum esse illud vbi eadē gratia residet: sed gratia per prius est in animæ essentia, quam in potentijs: ergo intentum.

Pro harum difficultatum resolutione, supposito quod dupliciter potest dici aliquid esse in alio, vno modo tanquam in causa principali, siue instrumentali; alio verò sicut in subiecto: quæstioni propositæ breuiter respondetur per sequentes Conclusiones.

Prima Conclusio.

Originale peccatum fuit in Adam tāquā in prima principali causa, à quo in omnes suos posteros fuit deriuatū.

LOQVENDO de origiuali peccato tanquam in causa, certissime tenendum est, quod originale omnium hominum peccatū, fuit in Adamo nostro primo parente tanquam in causa primá & principali, à quo in omnes suos posteros ab eo per rationem seminalem descendentes per originem deriuatur. Hæc cōclusio est expressa D. Thom.

Thom. prima secundæ quæst. 83, artic. 1. in corpore; quam & probat per illud Pauli ad Roman. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Circa quam conclusionem parum vel nihil de nouo se se offert dicendum, præter ea quæ superius sunt dicta. Oportebit tamen eadem in memoriam recolere, & qualiter Adam cõstitutus fuerit à Deo totius humanæ naturæ caput, necdum in esse naturali, verum etiam & in esse morali, ita quod ab eo originalis iustitia deriuaretur in posteros, diuinum si ipse obseruaret præceptum positum de non comedendo de ligno vetito, ob cuius transgressionem prædictã amisit originalem iustitiam, pro se & pro illis, in cuius carentia & priuatione consistit originale peccatum, quod contrahitur naturali generatione. Nam eo ipso quo rationalis anima infunditur corpori, & reperitur quispiam verè filius Adæ, per rationem seminalem ab eodẽ descendens, carentia & priuatio iustitię eiusdem, eidem imputatur ad peccatum, & ad culpam, seu (vt rectius loquar) est in ipso verè peccatum & culpa: propter virtualem seu habitualem consensum, præstitum transgressioni supradicti Adami. Ex quo satis constat, qualiter ipse fuit prima & principalis causa nostri originalis peccati.

Secunda Conclusio.

ORIGINALE peccatum prædictum, etiam esse dicitur in humano semine, tanquam in causa instrumentali, actiue attingente naturæ humanæ communicationem: quia per virtutem eiusdẽ, simul cum ipsa natura, originale peccatum in omnes Adæ posteros deriuatur. Hæc etiam conclusio est expressa Diui Thomæ loco vbi supra. Circa quam est notandum, prædictum humanum semen instrumentalem causam dici prædicti originalis peccati, pro eo quod originale peccatum ipsum traducitur consequenter ad propagationem humanæ naturæ, quæ corrupta atque vitiata fuit, & destituta originali iustitia, per Adami primi nostri parentis peccatum. Quo fit, vt cum eiusmodi semen ad prædictæ naturæ humanæ propagationem primo & per se disponat, & in id ipsum habeat virtutem actiuam: iure optimo dicitur causa instrumentalis eiusdem originalis peccati, quia secundario & per accidens disponit etiam ad ipsum, quãvis non physice, sed moraliter. Ex quo sequitur vlterius, quod quando in conclusione dicimus, originale peccatum esse in semine tanquam in causa instrumentali: non sic est intelligendum, quasi ipsum sit instrumentalis causa alicuius actionis, per quam peccatum originale ipsum per se in nobis producatur; sed quia est causa instrumentalis actionis necessario requisitæ ad humanæ naturæ propagationem, & ad hoc vt in nobis resultet eiusmodi peccatum. Concurrit enim semen ad generationem

Originale peccatum esse dicitur, in humano semine tanquam in causa instrumentali humanam generationem actiue attingente.

tionem instrumentaliter, & per generationem fit subiectum capax originalis peccati: nam eo ipso quo quispiam cōstituitur filius & mēbrum Adæ, statim resultat in eo originale peccatum, virtute actualis peccati sui capitis, ad sensum superius explicatum. Ex quo etiam sequitur adhuc vlterius, quod rationalis anima quando actu contrahit originale peccatum, non inficitur virtute alicuius qualitatis spiritualis, quæ sit in semine: sed ex eo quod efficitur pars humanæ naturæ, hoc est, ex eo quod anima prædicta simul cum carne siue corpore, efficitur membrum Adæ: ad quod consequitur originale peccatum, quod contrahunt omnes ab eo descendentes per naturalem propagationem. Et hoc est quod dixit D. Thom. prima secundæ quæst. 81. articulo 1. in solut. ad secundum & tertium, nempe quod quamvis originalis culpa actu non sit in semine, est tamen ibi virtute humanæ naturæ, quam in omnibus hac via descendentibus concomitatur eiusmodi culpa. Et idem dicit de malo quęst 4. art. 3. in solut. ad secundū, quod cum peccatum originale sit peccatum naturæ, non pertinet ad animam, nisi in quantum & ipsa est pars humanæ naturæ. Et in sequēti art. 6. in solut. ad 13. ait, quod semen concurrit ad infectionem animæ, agendo ad complementū humanæ naturæ. Vnde sequitur quod si rationalis anima non vniretur corpori, sicut forma materiæ, ita vt ex tali vnione fieret pars humanæ naturæ, sed vniretur eidem corpori tanquam motor mobili (vt dicebant Platonici) non contraheret originale peccatum. Etenim illud solummodo respicit animam, quatenus per vnionem cum corpore efficitur pars humanæ naturæ. Hoc etiam dicit supradictus Diuus Thomas de potentia quæst. 3. art. 9. in solut. ad tertium & ad quartum.

Tertia Conclusio.

Originale peccatum, secundum ipsius formalem rationem, non est in carne, sed in anima, tanquam in subiecto.

ORIGINALE peccatum secundum suam formalem rationē, & secundum id quod in eo veram culpæ rationem habet: nullo modo dici potest quod sit in carne, siue corpore, tāquam in subiecto, sed solummodo in anima. Hæc etiam conclusio est etiam expressa sententia D. Thom. loco vbi supra. Aduertēdum tamen est, quod non per id negat D. Thomas, aut negari vllo modo potest, quod subiectū originalis peccati sit totus homo compositus ex anima & corpore, & non sola anima. Nam homo & non anima sola, est qui ab eo denominatur peccator, sicut & à quocunque alio peccato personali, quo trāsacto actu remanet in illo per modum habitus. Et præterea totus homo, & non anima sola, tenetur se diuinæ legi conformare: & toti homini, & non tantum animæ imponitur lex siue præceptum, ex cuius transgressione, siue violatione incurritur peccatum: per quod non anima sola, sed totus homo dicitur auersus & deordinatus: sed quia homo,

homo non habet quod sit capax legis, aut eidem se posit conformare, vel ab ipsa deficere, ratione carnis aut corporis: sed tantum ratione animæ & suarum potentiarum: inde est quod dicit D. Thomas & omnes Doctores communiter, originale peccatum secundum suam rationem formalem, & secundum id quod in eo veram habet rationem culpæ, tanquam in subiecto esse in sola anima, & nullo modo in carne.

Quarta Conclusio.

SVBIECTVM proximum & immediatum originalis peccati, non est animæ essentia, sed voluntas: quod originale peccatum prædictum substantia & essentia animæ participat, media voluntate, tanquam subiecto quo. Pro huius conclusionis intelligentia aduertere oportet, ex principijs philosophiæ, duplex esse subiectum cuiuscunque formæ, vnum quod communiter vocatur subiectum, quod, primum & principale: & est illud cui principaliter inest talis forma: aliud vero dicitur subiectum quo, siue immediatum & proximum: & est illud, quo mediante inest eiusmodi forma. Vt (verbi gratia) respectu accidentium materialium ipsa materialis substantia est subiectũ, quod, primum & principale: quãtitas verò est subiectum, quo, proximum & immediatum. Hoc supposito dicit prædicta conclusio, quod quamvis subiectum quod, primum & principale originalis peccati sit anima (ea enim est cui ipsum principaliter inest) & totus homo originali peccato infectus dicitur, ratione animæ, & non ratione carnis siue corporis: attamen subiectum quo proximum, & immediatũ eiusdem originalis peccati, non est ipsa animæ substantia & essentia, sed voluntas: & animæ substantia & essentia participat illud media voluntate, tanquam subiecto quo. Quo fit vt formale originalis peccati, proxime & immediate subiectetur, non quidem in animæ essentia immediate, sed in voluntate. Hæc conclusio sic explicata est expressa sententia nostri Scoti in 2. sentent. dist. 32. quæst. vnica §. ad argumenta secundæ quæst. ad quintum, vbi expresse dicit, voluntatem esse proximum & immediatum subiectum originalis peccati: ita vt substantia & essentia animæ, non participet illud, nisi media voluntate, tanquam subiecto quo. Quam etiam sententiam tenere videtur Diuus Anselmus de Concept. Virgin. cap. 3. vbi dicit solam voluntatem esse subiectum iustitiæ & iniustitiæ, & originale peccatum fuisse quandã iniustitiam, ob idque esse in voluntate. Idem dicit D. Bonauentura in 2. dist. 32. quæst. 2. quin verò & Durand. in eodem 2. dist. 31. quæst. 3. & multi Thomistarum, quantum ad hoc recedunt à suo Diuo Thoma, qui omnino tenet contrarium, in 1. 2. quæst. 83. art. 2. quem sequitur Caietan, ibidem & omnes communiter Thomistæ. Sed quid

Originalis peccati, subiectũ proximum & immediatum, non est essentia animæ, sed voluntas.

quidquid de hoc sit, veniamus ad rationes, quia pro sententia & opinione Scoti sunt quamplures, eædemque fortissimæ.

Prima ratio. Probatur primò conclusio: quia animæ substantia & essentia, vt essentia & substantia est, non est proxime capax obligationis inductæ per legem, nisi media voluntate, & ratione ipsius, neque est susceptiua alicuius culpæ; ergo non est aut esse potest in ea, primo, proxime, atque immediate originale peccatum. Consequentia est legitima, antecedẽs autem probatur. Quia certum est quod non est animæ secũdum suã substantiã & essentiã, seruare aut transgredi legem, sed medijs suis potentijs, maxime voluntate & ratione quibus exercet suos actus in id ipsum necessarios.

Probatur præterea id ipsum; quia anima non est capax aut susceptiua alicuius culpæ & peccati, nisi ratione suæ voluntatis: etenim si non accedat voluntatis consensus, nihil est quod in ea habere possit rationem peccati: cum teste Diuo Augustino, peccatum in tantum sit peccatum, in quantum est voluntarium, sed voluntarij ratio non reperitur nisi in voluntate: ergo ea est & non animæ essentia siue substantia, in qua tanquam in subiecto proximo & immediato, residet originale peccatum.

Secũda ratio. Secundò probatur conclusio: quia eius tantum est culpa & peccatum, cuius est inordinatio & recessus à debita regula: item & eius est inordinatio & non conformatio cum illa, cuius est oppositum: sed ordinare & se conformare cum debita regula, tantum est voluntatis, & non animæ essentiæ, siue substantiæ: ergo voluntas est in qua primo, proxime atque immediate residet originale peccatum.

Tertia ratio. Tertiò probatur conclusio: quia id quod fuit primum peccatum in Adam origine in nos transfusum, est nostrum originale peccatum, & eiusdem rationis in genere moris cum eo quod mansit in Adam transacto actuali peccato, solummodo differt ab eo in modo participandi ipsum: sed primum peccatum in Adam fuit velle commedere de ligno vetito, quæ volitio ad eiusdem pertinuit voluntatem, & in ea resedit tanquam in subiecto immediato & proximo: ergo idem ipsum dicendum est in nobis, & quod peccatum originale nostrum, proxime & immediate, tanquam in subiecto quo, in nostra subiectatur voluntate.

Quarta ratio. Quartò probatur conclusio: nam eidem potentiæ cui inest actus inest etiam & habitus relictus ex tali actu: sed actuale peccatũ Adæ, (quod comparatur ad originale nostrum, sicut actus ad habitum) fuit in eius voluntate quatenus erat voluntas totius generis humani: ergo & peccatum originale nostrum, est immediate & proxime in nostris voluntatibus, cum sit eiusdem rationis in genere moris cum eo quod commisit Adam.

Quinta ratio. Quintò eadem probatur conclusio: quia originale peccatum (vt com-

constat ex supradictis) est formaliter priuatio habitualis rectitudinis debitæ inesse subiecto, per respectum ad Dei violatam legem (cum sit deformitas conformitatis ad legem, quam transgressus est Adam) sed ista priuatio vel deformitas, non inest nobis nisi media voluntate: quia nemo est proxime aptus habere conformitatem cum lege nisi media voluntate: & priuatio non est nisi in subiecto apto nato, habere oppositam formam: ergo voluntas, & non animæ substantia siue essentia, est subiectum proximum & immediatum supradicti originalis peccati.

Sextò & vltimo probatur conclusio, & est argumentum ad hominem. Nam D. Thom. docet originale peccatum esse priuationē originalis iustitiæ, secundum suam formalem rationem, quæ consistit in subiectione mentis ad Deum; & formaliter loquendo nihil est omninò aliud, quam priuatio eiusdem subiectionis quæ pertinet ad voluntatem, quemadmodum & eius contrarius actus: vt enim inquit Aristotel. contraria habent fieri circa idem: ergo proximum atque immediatum subiectum originalis peccati, est ipsa voluntas & non animæ essentia, siue substantia. Maxime cum proprium munus & officium originalis peccati, sit inclinare ad actus prauos, quod nullo modo cōuenit animæ essentiæ, sed potentijs, & præsertim voluntati. Vt vero liquidum fiat quo ordine prædictum peccatum originale, procedat in inficiendis & vulnerandis animæ potentijs, sequens etiam statuitur conclusio, quæ erit quinta in ordine. *Sexta ratio.*

Quinta conclusio.

PECCATVM originale Adami, prius infecit voluntatem, quā reliquas animæ potentias, & inter ipsas vis generatiua, concupiscibilis, & sensus tactus, fuerunt magis infectæ, quam aliæ vires. Hæc conclusio duas habet partes, & quoad vtranque est expressa sententia D. Thom. 1. 2. quæst. 83. art. 3. & 4. & probatur prima pars. Nempe quod prædictum peccatum originale prius infecerit voluntatem, quam reliquas animæ potentias. Nam quamvis ipsum ex eo quod est principium, fons, & origo omnium deprauatarum operationum, generaliter omnes animæ potentias infecerit, prius tamen infecit illam quæ est primum principium operandi, & omnium humanarū actionum, nempe voluntatem, quæ primam habet facultatem & inclinationem ad peccandum. Ex quo plane nostrum colligitur intentum, nempe quod voluntas prædicta inter omnes animæ potentias prius fuerit infecta, vt pote quæ (vt dictum est) radix est & principium operandi, merendi atque demerendi omnium humanarum operationum. Quod & confirmari potest ex eo, quod licet aliæ animæ potentiæ (nempe sensitiuæ) propinquiores sint carni: attamen voluntas

Peccatum originale Adami prius infecit voluntatē, quā reliquas animæ potentias, & inter ipsas vis generatiua concupiscibilis, & sensus tactus, fuerūt magis infecta.

tanquam potentia superior, propinquior est ipsius animæ essentiæ. Ex quo plane sequitur, quod peccati originalis infectio, prius peruenerit ad ipsam, quam ad reliquas animæ potentias. Est etiam ad id ipsum in via Scoti alia noua quædam ratio, & ea est: quia originale peccatum prædictum, subiectatur immediate in voluntate, in alijs verò potentijs (quoad suum formale significatum) non sic immediate subiectatur, sed mediate: quo fit vt neque ipsę formaliter dicantur participare originale peccatum, nisi prout mouentur à voluntate. Quod certe valde est notandum.

Quod verò inter alias potentias, vis generatiua, concupiscibilis, & sensus tactus, fuerint magis infectæ: exinde patet: quia peccati originalis corruptio, transfunditur per generationis actum, & generatio magis residet in actibus istarum potentiarum, quam aliarum. Ex quo sequitur, quod prædictæ potentiæ fuerunt magis infectæ, seu potius participent magis vim infectiuam; cum eiusmodi potentiæ potissime concurrant ad generationis actum, per quem traducitur infectio originalis peccati. Multa alia hac de re forent dicenda, quæ breuitas, cui tantopere studemus, haud quaquam tractare permittit.

Respondetur ad argumẽta. Ad argumenta proposita in quæstionis initio, mihi vt videtur iam satis patet solutio ex dictis.

Ad primum argumentum. Ad primum dico, quod quamvis repugnantia carnis ad mentem, ex corruptione originalis peccati procedat, & radix eiusmodi repugnantiæ potissime reperiatur in carne: non tamen inde sequitur, quod caro ipsa sit subiectum immediatum originalis peccati: sed tantummodo sequitur, quod in ea potissime experiamur prædicti originalis peccati pœnam: culpa verò non subiectatur in carne, sed in anima: nec verò secundum suam essentiam, siue substantiam immediate; sed media voluntate (vt dictum est in quarta conclusione.)

Ad secundũ. Ad secundum respondetur, quod quamvis vnum quodque potius sit in sua causa, quam in effectu: non tamen inde sequitur, quod originale peccatum potius sit in semine, quam in anima: nam semen non est nisi eiusdem instrumentalis causa, ad sensum explicatum in secunda conclusione. Et hac ratione de ipsius causalitate loquendo, potius est dicendum, quod originale peccatum causaliter fuit in Adam, qui fuit eiusdem prima potissima & principalis causa, vt dictum est in conclusione prima. At vero in præsenti non loquimur de hoc, sed de subiecto immediato prædicti originalis peccati, quod esse dicimus, nõ carnem sed animam: neque animam immediate secundum suam essentiam, siue substantiam: sed mediante voluntate, quæ suarũ est potentiarum præcipua, propter rationes, in quarta conclusione adductas.

Ad tertium, Ad tertium respondetur, quod animæ essentia, non immediate attingitur per generationem, sed per creationem: generatione enim

quod primo attingitur, non est ipsa animæ essentia: sed compositum ex coniunctione animæ & corporis. Quocirca, si argumentum aliquid valeret, originale peccatum in essentia totius, potius quam in animæ essentia deberet collocari. Sed hæc ratio non est ad propositum, nam (vt diximus supra conclusione secunda agendo de semine) originale peccatum per generationem, non primo & per se producitur, tanquam per actionem propriam in id ipsum ordinatam, sed secũdario & quasi per accidens, tanquam quid consequens ad naturalem generationem. Qua ratione parum refert quod generatio ipsa prius terminetur ad essentiam animæ, siue ad essentiam totius, vt originale peccatum secundum suam formalem rationem, in vno aut altero immediate esse dicatur: nam cum peccatum (teste Diuo Augustino) in tantum peccatum sit & esse dicatur, in quantum est voluntariũ, certum est quod ipsum resultans in homine, semper resultet media voluntate, non tantum vt causa efficiente, verum etiam & vt a subiecto immediato, in quo est.

11 Ad quartum respondetur, quod hoc argumentum longam requirebat disputationem, de existentia gratiæ proxime in essentia animæ, & an ipsa sit habitus distinctus a charitate. Cuius quidem rei pertractatio, cum propria non sit huius loci, & breuitati tantopere studeamus, consultò in præsentiarũ prætermittitur. Et dico, quod quidquid de hoc sit, in sententia & opinione Scoti constanter asserendum est, quod originale peccatum proxime & immediate est in voluntate: & quod animæ essentia, siue substantia, participat ipsum media voluntate, tanquam subiecto quo, vt dictum est in quarta conclusione. *Ad quartum.*

12 Circa prædictam quæstionem insurgit parua quædam difficultas: Vtrum Adami primi nostri parentis peccatum, dici debeat originale, an verò actuale. *Dubium. Vtrũ Adami peccatum dici debeat originale, an verò actuale?*

13 Circa quam difficultatem, quæ potius esse videtur de nomine, quã de re, Doctores Scholastici aliqualiter sunt inter se diuisi.

14 Quidam enim dicunt, verè, realiter & essentialiter, originale peccatum fuisse in Adamo primo nostro parente, tanquam in subiecto. Hoc sensit Alexand. Alensis quæst. 102. memb. 5. vbi ait originalem culpam fuisse in Adamo primo nostro parente tanquam in subiecto, & eam fuisse causam transmittendi originale peccatum in posteros. Et eadem esse videtur sententia D. Thom. prima secundæ quæst. 83. ar. 1. in solut. ad secundum, vbi dicit, quod originale peccatum potiori modo fuit in Adam: quod etiam dicit Caietan. in comentario huius articuli: in Adam verè & essentialiter fuisse originale peccatum tanquam in subiecto. Quod etiam tenent quamplurimi Thomistarum, qui etiam dicendi modus sequentibus rationibus fundatur. Primò: quia peccatum originale, formaliter est carentia illius rectitudinis debitæ, quam in anima Adæ efficiebat originalis iustitia, aut saltim est *Qutrundam sententia.*

defor-

deformitas, & priuatio conformitatis ad legem, quam vt morale caput omnium nostrum transgressus est Adam: sed hæc omnia verè, realiter & essentialiter fuerunt in ipso Adamo; ergo & in ipso etiam fuit originalis culpa. Nam quod prædicta deformitas, siue naturæ deordinatio, causata sit non per generationem, sed per actum proprium, accidentale esse videtur ad rationem originalis culpæ.

Secunda ratio ad idem est. Quia peccatum originale Adami primi nostri parentis, est vnum secundum speciem in omnibus hominibus (vt supra remanet dictum) à quo omnes dicuntur peccatores, & in eodem peccauisse: quamvis (vt etiam supra diximus) in singulis etiam sit vnicuique proprium. Item & iustitia originalis quam Adamus ipse accepit, fuit vnius & eiusdē speciei & rationis, cum illa quæ deriuanda erat in posteros: ergo verè & realiter dicendum est, quod in ipso fuit originale peccatum, eo modo quo in nobis, postquam in eo fuit similis carentia eiusdem originalis iustitiæ.

Aliorum sententia & vestor. Alij verò diuersa procedentes via, dicunt in Adam verè & propriè non fuisse peccatum originalē, sed solummodo actuale. Hoc dicit Hugo de Sancto Victore lib. 1. de sacra. part. 7. cap. 26. & 27. Cui sententiæ subscribere videtur noster Scotus in 2. sent. dist. 32. quæst. vnica §. ad argumenta secundæ quæstionis, & idem dicunt multi ex Thomistis sequentes D. Thom. loco supra citato, vbi ait quod peccatum originale in Adam fuit ratione actualis peccati, & quæst. 82. art. 4 dicit quod in peccato originali sunt duo, nempe defectus originalis iustitiæ, & relatio huius defectus ad primum Adæ peccatum: sed in peccato Adami esse non potuit ista relatio: ergo etiam de mēte Diui Thomæ non fuit in eo originale peccatum. Quod & probari potest sequenti ratione. Nam originale peccatum (vt nomen ipsum sonat) hoc præ se fert ac formaliter significat, quod traducatur per originem, & seminalē rationem, & naturalē propagationē: sed hoc non reperitur, aut reperiri potuit in Adæ peccato (non enim fuit, aut esse potuit traductum ex alio in ipsum) ergo intentum. Quod & præterea confirmatur: quia peccato originali (vt amplius inferius est dicendum) solummodo debetur pœna damni, non verò pœna sensus: sed Adami peccato debita fuit pœna sensus: ergo eiusdem peccatum propriè & in rigore loquendo, dici non debet originale, sed actuale.

Auctoris resolutio. Pro huius difficultatis resolutione, breuiter dico, negari haudquaquam posse, Adami primi nostri parentis peccatum propria sua fuisse voluntate contractum & commissum, ac proinde voluntariū in ipso, diuerso genere voluntarij, quā fuerit in omnibus suis posteris. Quo fit vt quamvis priuatio originalis iustitiæ, ac rectitudinis debitæ, fuerit vnius & eiusdem speciei in ipso & in suis posteris (licet differat ex parte causæ) & ex hac parte Adæ peccatum originale, secundum rem, essentialiter, & substantialiter cum originali nostro conueniat

sienlat, nihilominus tamē, quia non aliena, sed propria sua fuit voluntate contractum, neque ex alio per originem traductum: nostrum vero fuit contractum voluntate, non ita propria nostra, sed aliena, & ex ea in nos per carnalem generationem traductum: inde est quod proprie & in rigore loquendo, non ita proprie Adæ peccatum dici debet originale, quam actuale: nostrum vero simpliciter & absolutè dicendum sit originale. Qua ratione Albertus Magnus lib. de mirabili scientia Dei, ad tollendam eiusmodi æquiuocationem, & dicēdi modi differentiam, Adæ originale peccatum, *originale originans nuncupauit*: nostrum vero *originale originatum*. Et præsupposito quod in re omnes conuenimus, & differentia tantummodo stat in nomine & modo loquendi, non est cur hac in re amplius immoremur, & defatigemur. Liceat cuilibet affirmare quod voluerit. De hac difficultate videatur Medina in 1.2. D. Thom. quæst. 83. art. 1. in explicatione art. & ibidem Zumel in primo dubio, proposito etiam pro eiusdem articuli explicatione.

QVÆST. IX.

Vtrum originali peccato aliqua debeatur pœna, & quæ & qualis sit illa?

HVIVS quæstionis materia latissima est, & quæ longissimam exposcebat disputationem: quia tamen hæc omnia non hic ex professo à nobis dicuntur, sed dumtaxat ad parandam viam ad principalem nostram tractationem, pro tuenda atque defendenda Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione ab omni prorsus originali labe: omissis pluribus quæ circa difficultatem prædictam, hic communiter adducuntur à Doctoribus Scholasticis, eidem breuiter & resolutiue respondeo per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

SALVA fide negari nullatenus potest, quod originali peccato aliqua correspondeat pœna, non solum spiritualis, verum etiam & temporalis, in præsenti hoc vel futuro sæculo ex soluenda, loquendo de pœna proprie & in rigore. Hæc conclusio communis est omnium Doctorum resolutio, constatque superque satis ex quam pluribus Sacræ Scripturæ locis. Et vt congruentiori ordine à temporalibus pœnis exordiamur, colligitur id ipsum in primis, ex eo quod habetur

Nullatenus negari potest salua fide, quod originali peccato aliqua pœna correspondeat, non solū

N Ge-

spiritualis, verum etiam & temporalis, in præsenti hoc vel futuro sæculo exsoluenda.

Genes. 3. vbi refertur dixisse Deum Euæ matri nostræ, postquam peccauit Adamus primus noster parens: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Adæ vero prædicto dixit: *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & commedisti de ligno ex quo præceperam tibi ne commederes, maledicta terra in opere tuo: in labore comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: spinas & tribulos germinabit tibi, & commedes heruas terræ, in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua assumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Quæ omnes supradictæ pœnæ, executioni traditæ sunt in Adamo, & Eua primis nostris parentibus, & in omnibus suis posteris ab eisdem per carnalem propagationem, & rationem seminalem descendentibus, experiunturque à nobis in singulos dies. Sed de morte specialiter loquendo, habetur in id ipsum expressum testimonium ex D. Paulo ad Roman. 5. vbi ait: *Quod per vnum hominem peccatum intrauit in mundũ, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Sed quod eiusmodi mors, & supradictæ ærumnæ & calamitates, in primis nostris parẽtibus, & etiam in nobis, veram & propriam habeant pœnæ rationem, loquendo de pœna proprie & in rigore; probat Diuus Thomas sequenti, eleganti & efficacissima ratione: Nam si quis (inquit) propter aliquam suam culpam priuetur beneficio aliquo sibi dato, certum est quod carentia illius beneficij, proprie & in rigore loquendo, est pœna illius culpæ quam ille talis commisit: sed primis nostris parentibus in prima eorum conditione collatũ est hoc beneficium diuinitus, pro se & ab eisdem descendẽtibus, quod quamdiu ipsi in iustitia originali permanerent, & ipsorum mens & voluntas subiecta esset Deo, vires etiam eorum inferiores subijcerentur menti & corpus animæ: ergo cum per peccatum isthæc omnia perdiderint, manifeste profecto sequitur, quod rebellio appetitus carnalis ad rationem, & corporis ad animam non subiectio, mors & omnes alij corporales defectus, veram & propriam in eisdem habuerunt rationem pœnæ, & eandem habent similiter in nobis. Neque obstat dicere, quod homini secluso etiam originali peccato prędicto naturale esset mori, cum esset compositus ex contrarijs, & â quibusdam in eiusdem diffinitione dicatur, quod sit animal rationale mortale: ex quo sequi videtur, quod in eo mors potius sit naturę conditio, quã pœna. Nã huic objectioni facile respondetur dicendo, in primis quod mors non est homini naturalis ex parte animæ, seu ex parte suæ formæ: sed solummodo ex parte materiæ (nempe corporis) pro eo quod corpus compositũ est ex rebus contrarijs, ad quam contrarietatem necessario sequitur corruptibilitas. Cæterum quamvis ex hac parte mors homini esset naturalis, Deus tamen suo beneficio illi ab eodem primitus condito, eiusmodi moriendi ademerat necessitatem, atque ita cum ipse suo peccato, pro se & nobis eiusmodi beneficium perdiderit,

Nota rationẽ, et causã ob quã mors in Adã, & nobis verã habeat & propriam rationẽ pœnæ.

derit, manifeste profecto liquet, quod mors in illo & in nobis pœnalis sit facta, vtpote incursa propter culpabilem amissionem prædicti diuini beneficij, potentis ipsum & nos à prædicta morte præseruare. Sicque veram & propriam habere rationem pœnæ dicendum est.

52 Sed quod prædicta pœna peccato originali debita, necdum temporalis exstiterit, verum etiam & spiritualis in præsenti, & futuro sæculo exoluenda: constat etiam manifeste ex supradicto testimonio Diui Pauli ad Roman. 5. quando dixit *Quod per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.* Nam ibi mortis nomine, ex communi Sanctorum omnium resolutione, intelligenda venit, necdum temporalis & corporalis, verum etiam spiritualis & æterna. Quod & ita esse colligitur adhuc expressius, ex eo quod dixit idem D. Paulus ad Ephes. 2. de eodem originali peccato agendo. *Quod per ipsum facti sumus omnes natura filij iræ.* Quod certe fuit, ac si expressius dixisset, factos nos esse dignos ira, punitione atq; vindicta. Etenim iuxta Sacræ Scripturæ phrasim, ille dicitur filius mortis, qui dignus est morte, & similiter filius iræ, qui dignus est ira, punitione & vindicta. Quod intelligendum est etiam, necdum de ira, punitione, & vindicta temporali, verum etiam & de æterna: nisi eiusmodi peccatum originale per baptismum deleatur. Neque enim negari vllo potest modo, quod originali peccato prædicto per se loquendo, pœna correspõdeat æterna, cum priuet hominem Dei amicitia & gratia, ipsumque eiusdem inimicum constituat, sitq; vera animæ mors, vt expresse tenet ac diffinit Tridentin. Concil. Sessione 5. de peccato originali cap. 2. quod proinde tenendum est de fide, & in id conuenit communis Doctorũ resolutio: solumque est differentia inter eos, an prædicta æterna pœna, quæ per se loquendo originali peccato prædicto correspondet, sit tantum (vt dicitur) pœna damni, an vero etiam pœna sensus.

53 Circa quod Doctores Scholastici, quin vero & expositiui, quam maxime sunt inter se diuisi. Quidam enim dicũt, quod paruuli ex hoc mundo in originali peccato sine baptismi sacramento decedentes, similiter & amentes, quamvis non puniantur inferni igne, ita acriter ac puniuntur adulti qui actualia peccata commiserunt: puniuntur tamen eiusdẽ generis igne, etsi cum minore molestia & pœna. Quin verò & nonnulli addunt, quod eadem prorsus pœna sensus puniũtur, & æterno excruciantur igne quo & adulti, nec solũ patiuntur damni pœnã quæ est carentia diuinæ visionis. Qua de re qui multa videre desiderat, consulat D. Aug. lib. 5. Hyponost. post mediũ, arguentẽ contra Pelagium; & lib. de fide ad Petr. cap. 23. & lib. 5. contra Iulia. qui est in septimo tomo, & serm. 14. de verbis Apostoli. Item & in Enchyr. ad Laurent. cap. 93. & serm. de baptismo paruulorum, & lib. 1. de peccato meritis & remis. cap. 19. Cujus D. Augustin. testimonia adducit Gregor. de Arimino, in 2. sentent. dist. 30. & 31. quæst. 3. Et

Dubium circa cõclusionẽ. An pœna quæ originali peccato correspondet, sit tantũmodo pœna dãni, an vero etiam sensus?

Sixtus Senensis lib. 5. suæ Blibiot. sacræ annotat. 137. Consulat etiam D. Gregor. Magnum lib. 9. Moral. cap. 12. & 16. Et videatur ea de re Driedo lib. 1. de Gratia, & lib. arbi. tract. 3. cap. 2. Et Doctores Scholastici cum Magistro 2. sent. dist. 33. & Ambros. Catherinus in speciali opusculo de statu puerorum decedentium sine baptismo. Sed breuitati consulendo prætermissis multorum Sanctorum auctoritatibus & rationibus, quibus Doct. supradicti ad suam probandam sententiam vtuntur, quod verius & tenendum hac in re nobis videtur, explicabitur per sequentem conclusionem.

Secunda Conclusio.

Paruuli ex hoc mundo cũ solo originali peccato sine baptismo decedentes similiter et amentes, in futuro sæculo nõ puniuntur aliqua pœna ignis aut sensus, sed tantummodo patiuntur pœnã damni, quæ est carentia diuinæ visionis.

PARVULI ex hoc mundo cũ solo originali peccato sine baptismo decedentes, similiter & amentes, in futuro sæculo non puniuntur aliqua pœna ignis, siue sensus: sed tantummodo patiuntur pœnam damni, quæ est carentia diuinæ visionis. Hæc conclusio duas habet partes, quarum prima specialiter statuitur contra Ambros. Catherin. Dried. & Gregor. de Arimino locis supra citatis, qui decepti quibusdam Diui Augustini, & nonnullorum Sanctorum auctoritatibus, dicunt pueros supradictos cum solo originali peccato, ex hoc mundo sine Baptismi sacramento decedentes, similiter & amentes, in alio sæculo verè & realiter pati pœnam ignis & sensus. Quam sententiam esse aiunt probabiliorem, quam oppositam, & Sacræ Scripturæ testimonijs magis consonam: sed nihilominus istorum opinio, nimis dura & aspera Doctoribus omnibus Scholasticis esse videtur, & contrarium omninò dicunt. Et nostræ sententiæ & opinionis sunt in primis sentent. Magist. in 2. dist. 33. Et D. Bonauentura ibidem articulo 3. quæst. 1. Et Ricardus artic. etiam 3. quæst. 1. Ægidius art. 1. quæst. 1. Scotus quæst. vnica. Et Durand. eadem dist. 33. quæst. 3. Et Gabr. ibidem quæst. vnica art. 2. conclus. 2. & sequentib. D. Thom. de malo quæst. 5. art. 2 Albertus Magnus in 4. dist. 4. art. 8. Alexand. Alensis 1. part. quæst. 39. memb. 3. artic. 4. & 1. Thomas de Argentina, quæst. 1. art. 3. conclus. 1. Marsilius 2. quæst. 19. artic. 5. post secundam conclusionem. Soto lib. 1. de natura & gratia cap. 14. Et eandem sententiam tenuisse atque determinasse videtur Innocentius III. *in capit. maiores de Baptismo, § sed adhuc quæritur.* Vbi dicit: *Pœnam actualis peccati esse cruciatum gehennæ originalis vero carentiam diuinæ visionis.* idem tenere visus est D. Ambros. in epist. ad Roman. capit. 5. explicando illa verba: *Per vnũ hominem peccatũ intrauit in hunc mundũ, & per peccatũ mors.* Vbi sic ait: *Mori autem dissolutio est corporis, cum anima separatur à corpore: sed est & alia mors quæ secunda dicitur in gehenna, quam non peccato Adæ patimur, sed eius occasione proprijs peccatis acquiritur.* Ecce qualiter D. Ambros. expressè dicit, quod ex peccato Adæ non patimur ignis gehennam.

nam. Id quod & confirmari videtur, celebris illa Diui Bernardi sententia qua dicit: *Quod in inferno sola ardet propria voluntas*. Ex quo dicto pro probatione nostrae propositae conclusionis, prima sic potest formari ratio. Puerorum originale peccatum, similiter & amentium ex hoc mundo sine Baptismo decedentium, non est propria voluntate commissum: propria (inquam) actuali, sed tantummodo virtuali, sive habituali, & actuali primi nostri parentis Adami: sed de mente & sententia Diui Bernardi, & omnium Sanctorum communiter, in inferno non ardet nisi propria voluntas: nec poena ignis aut sensus puniuntur, nisi peccata propria actuali voluntate commissa: ergo puerorum & supradictorum amentium originale peccatum, non ibi punitur poena ignis aut sensus. *Prima ratio.*

Secundo probatur conclusio. Quia indignum atque iniquum esse prorsus videtur, vt is qui secundum nullum sensum peccauit, secundũ sensum in aeternum puniatur à iusto iudice: sed paruuli & amentes cum solo originali peccato ex hoc mundo decedentes, secundũ nullum sensum peccauerunt: ergo nullatenus est dicendum quod aliqua puniatur poena ignis aut sensus. Deus enim iustus iudex, licet quandoque remuneret vltra condignum, nunquam tamen punit vltra cõdignum. Vnde & ortum habuit illa communis Theologorum vox, quod Deus in remunerando quamvis praemiet vltra condignum: in castigando verò puniit citra dignum. *Secunda ratio*

Tertio probatur conclusio speciali alia ratione. Nam illi peccato in quo nulla reperitur conuersio ad bonum commutabile, nulla prorsus correspondet poena sensus: vt enim tenet communis Theologorũ schola, poena sensus correspondet conuersioni, quae est ad bonum commutabile, sicut & poena damni auersioni quae est à Deo bono incommutabili. Qua ratione Apocalyp. 18 dicitur. *Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit, tantum date ei tormentum & luctum*. Sed paruuli & amentes cum solo originali peccato ex hoc mundo decedentes, nullam prorsus conuersionem habere potuerunt ad bonum commutabile: ergo non in illo sensu puniuntur poena sensus. Haec quoad primam conclusionis partem, quae est verior & longe probabilior, quam sententia contraria. *Tertia ratio.*

Quoad secundam verò partem, nempe quod praedicti paruuli & amentes ibidem solũmodo patiantur poenam damni, quae est carentia diuinae visionis: praeterquã quod id tenendum est de fide (vt dicunt omnes Doctores communiter) & habetur expresse determinatum in cap. *maiores de Baptismo, & eius effectu*, vbi diffinitur poenam originalis peccati esse carentiam diuinae visionis: probatur ex illo quod dixit Christus Dominus Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest intrare in Regnum Dei*. Sed praedicti paruuli & amentes in originali peccato decedentes (vt supponitur) non fuerunt praedicto *Probatur secunda pars cõclusionis.*

modo renati: ergo neque introire possunt in regnum Dei: ac propterea neque eiusdem frui diuina visione. Probatur praeterea id ipsum ratione. Quia nemo potest introire in regnum Dei, aut frui ipsius diuina visione, nisi mediante gratia: vt enim inquit Diuus Paulus ad Roman. 6. *Gratia Dei vita aeterna*: & certum est quod qui non habet gratiā, non etiam habet ius ad gloriam. Sed praedicti paruuli & amentes, in originali peccato sine Baptismo decedentes, non decedunt in statu gratiae, quin verò in peccato originali (quod est mors animae) ergo introire non possunt in regnum Dei, sed puniuntur perpetua poena damni, quae (vt dictum est) est carentia diuinae visionis.

Dubium circa conclusionem. An paruuli ex poena damni quam patiū tur, tristentur seu aliquo spirituali affició tur dolore?

Circa praedictam conclusionem, grauis quaedam sese offerebat difficultas. An scilicet supradicti paruuli ex praedicta poena damni quā patiuntur, in alio mundo tristentur, & aliquo spirituali dolore afficiātur? Qua quidem de re latissime agit Zumel in 1.2. D.Tho. quaest. 83. post art. 4. in disput. de poena originalis peccati, in tertia disputationis parte. Et licet difficultatem praedictam ex his quae ab ipso dicūtur facile possem expendere, breuitati tamen consulendo, nunc ab ipsius tractatione supersedeo, & consulto illam facio missam, vtpotè quae non ita esse videatur praesentis speculationis, supradictis iactis fundamentis, superest vt deueniamus iam ad optatissimum nobis certamen, pro tuenda & defendenda Immaculata Conceptione Deiparae Virgin. Mariae: & in medium producamus celeberrimam illam quaestionem agitari solitam, circa verba illa Apostoli Pauli ad Roman. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt*: & inquiramus an praedicta vltima verba, *in quo omnes peccauerunt*: ita sint vniuersalia & generaliter intelligenda, vt nullam omninò patiantur exceptionem, & verificentur etiam in Beata Virgine? Qua de re sequens instituitur quaestio.

QVAESTIO X.

An tenendum sit de fide, omnes ex Adam naturali propagatione, & per rationem seminalem descendentes, peccatum contrahere originale: & B. Virginem etiam illud contraxisse?

DIFFICVLTAS quaestionis praesentis celeberrima est, & praecipua omnium, quae in praesenti tractatu à nobis sunt proponendae & elucidandae, vtpotè ex qua magna ex parte depēdet resolutio eorum

eorum, quæ in subsequentibus sunt dicenda. Et vt in ea recto gradu procedamus, & paulatim certa & indubitata, ab incertis & dubijs separemus, nonnulla libet præmittere notabilia, quæ ad veritatē eandem indagandam, quammaximi erunt ponderis ac momenti.

Primò præmitto, esse certum atque indubitatum, quod difficultas præsentis quæstionis locum non habet in Christo Domino & Salvatore nostro, id quod vel ex ipsius titulo satis colligitur, vtpotè qui (vt certa fides docet) non quidem naturali propagatione, aut per rationem seminalem sit genitus, sed Spiritu Sancti virtute & operatione conceptus, iuxta illud Gabrielis Archangeli Lucæ 1. ad Deiparam Virginem. *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi Ideóq; & quod nascetur ex te Sanctum vocabitur filius Dei.* Facit & ad idē id quod habetur Matth. 1. *Cum esset desponsata Maria Mater Iesu Ioseph, antequam conuenirent inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto.* Et infra. *Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Non itaque est aut esse potest dubiū, quod difficultas quæstionis præsentis locum non habet in Christo Domino & Saluatore nostro; habet tamen illum in omnibus alijs à Christo, ex Adā naturali propagatione (seu quod dicitur) per rationem seminalem descendentibus, etiam in Beata Virgine, de qua certum & citra dubium est, eam à suis parentibus Ioachimo & Anna, naturali propagatione, & per rationem seminalem fuisse conceptam: non verò ex Spiritu Sancto, aut per osculum (vt inepte imperiti quidam olim dixerunt) sed ex vero & reali concubitu maris & fœminæ, atque ex virili semine, vt & cæteri homines concipiuntur. Hoc itaque est certum & citra dubium.

Primum notabile.

Quod hæc difficultas locum non habet in Christo, habet tamen in omnibus alijs, ab Adam per rationem seminalem descendentibus.

Secundò præmitto, quod Sacræ Scripturæ testimonia quæ à Doctoribus Scholasticis cōmuniter afferuntur, ad probandum esse tenēdum de fide quod omnes homines ab Adamo naturali propagatione, & per rationem seminalem descendentes, peccatum contrahunt originale, sunt quæ sequuntur. In primis facit ad hoc, illud quod habetur ex Paulo ad Rom. 3. vbi agendo de necessitate gratiæ, quæ per Christum Dominum & Saluatorem nostrum, & ipsius fidem erat conferēda cunctis in vniuersum hominibus, tàm Iudæis, quàm Gētilibus, siue Græcis, absque delectu & discrimine, inquit. *Quod omnes peccauerunt & egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem quæ est in Christo Iesu. quem proposuit Deus propitiatorem* (seu vt alia littera dicit) *propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum.* Quibus sane verbis manifeste ostendit Diuus Paulus, vniuersum humanum genus sub peccato esse, & omnes homines in Adamo primo nostro parēte peccasse: & egere gloria, siue gratia Dei; ac penes hoc nullam esse omninò differentiam & distinctionem, inter Iudæos & Græcos, siue Gentiles. Quod adhuc expres-

Secundum notabile.

In quo ponuntur testimonia Sacræ Scripturæ asserentia omnes homines ab Adam per rationem seminalē descendentes peccatum contrahere originale.

expressius dixit in eadem epist. in sequenti capit. 5. per illa notabilia verba quæ communiter ad idem propositum adducuntur. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam si cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est, multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius: multo magis reconciliati salui erimus in vita ipsius. Non solum autem, sed & gloriamur in Deo per Dominũ nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. Propterea sicut per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors, ita & in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Vbi ex communi omnium Sanctorum Patrum sententia, verba illa, *peccatum intrauit in hunc mundum*, sic interpretari debent, id est, in omnes homines, ab illo per carnalem propagationem descendentes, & relatiuũ illud *in quo*, Adamum refert, ita vt sit sensus *in quo homine* (Adamo scilicet) *omnes homines peccauerunt*. Sic prædictum locum interpretatur D. August. lib. 4. contra duas epistolas Pelagian. cap. 4. vbi postquam ostendit relatiuum *in quo*, referre non posse peccatum, quod per vnũ hominem intrasse dicitur in hunc mundum: quia huic interpretationi & dicendi modo resistit vox Græca quæ est fœminini generis, cũ tamen relatiuum sit generis masculini: nec referre posse mortem, quam etiam per peccatum in omnes homines dicitur pertransijsse, quia faceret sensum omninò absurdum, neque enim in morte peccare dicimur homines, sed in peccato mori: prædictos sensus impugnando idem D. Augustin. tandem concludendo dicit. *Restat igitur vt in illo primo homine peccasse omnes intelligantur, quia omnes in illo fuerunt omnes quando ille peccauit, vnde peccatum nascendo trahitur.* Quam etiam interpretationem prosequitur lib. 1. de peccato meritis cap. 9. & 10. & teste eodem D. Augustino in supradicto lib. cap. 4. contra duas epist. Pelagian. prædictum locum ita interpretatur. Diuus etiam Hilarius, & idem facit Auctor Commentariorum in epist. Pauli, quæ tribuuntur Diuo Ambrosio, vbi verba Pauli ita habent: *In quo* (scilicet Adamo) *omnes peccauerunt: nam manifestum est, omnes nos in eodem peccasse quasi in massa*, eodem modo locum prædictum interpretatur D. Chrysostom. serm. 10. in epist. ad Roman. cap. 5. & Theophilatus ibidem. Et idem Chrysost. homil. 1. de lapsu primi homi. in medio. & Diuus Anselmus in epist. ad Roman. cap. 5. Et Theodoretus & Cucumanius ibidem, & Origines lib. 5. in epistol. ad Roman. cap. 5. Estque communis explicatio omnium Patrum tâm Latinorum, quâm Græcorum, vt refert Pereira in epist. ad Roman. cap. 5. disp. 8. num. 44.

Facit & ad prædictum propositum, de peccato quod per Adamum primum nostrum parentem introiuit in hunc mũdum, id quod dixit idem Diuus Paulus loco supracitato, vbi post supradicta verba addit, *Non sicut per vnum peccatum* (siue peccantem vt alia littera dicit)

ita & donum: nam iudicium quidem ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multomagis abundantiam gratiæ & donationis, & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum. Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi. Ex quibus etiam verbis satis aperte colligitur, de mente & sententia D. Pauli, omnes in Adamo primo nostro parēte peccasse, ac per illū mortuos fuisse, & conferre eundē ibidē Adami primi nostri parentis peccatū, quo omnes nos perdidit, cum dono gratiæ Christi, qua nos omnes saluauit: atque ostendere voluisse, longe copiosiorem & potentiorē fuisse gratiam Christi ad saluandos homines, quam fuerit Adami peccatum ad perdendos eosdem, perditione peccati & mortis, vt satis liquet ex contrapositione quam facit inter Adamum & Christū. Nec prædictis obstat, quod loco prędicto in fine, vtatur supradictus Diuus Paulus hoc nomine *multi*, dicendo *quod sicut per inobediētiā vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi*. Nam (vt dicit D. Augustin. lib. 6. contra Iulianum capit. 24. & lib. de perfect. iust. cap. vltimo, tomo septimo, nomen *multi* (quod iuxta vocem, multitudinem potius, quam vniuersitatem designat) in proposito idem pollet, ac si dixisset *omnes*, & ea est communis Doctorū & Sanctorum Patrum expositio, quod non semel, sed sæpe ac sæpissime in Scriptura Sacra multorum nomine intelliguntur *omnes*, vt tradit etiam D. Augustin. lib. 20. de ciuitate Dei cap. 23. Et satis constat id ipsum ex verbis eiusdem Diui Pauli, loco supra citato paulo superius, nam quos postmodum dixit multos, prius iam appellauerat omnes dicens. *Quod sicut per vnius delictum mors intrauit in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam intrauit etiam vita in omnes homines in iustificationem*. Id quod & expresse dixit scribens ad Corinth. 1. Corinth. 15. in illis verbis. *Quoniam quidem per hominem mors & per hominem resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*. Et 2. Corinth. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt*. Quæ quidem omnia supradicta verba, iuxta communē sententiam Sanctorum Patrum, intelligenda sunt necdum de morte corporis, verum etiam & principaliter de morte animæ per peccatū. Quod & satis colligitur ex subsequentibus verbis. *Pro omnibus mortuus est Christus, vt & qui viuunt iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit*. Vbi cum sermo fiat de spirituali vita, quam per Christi mortem consequuturi erant iusti: satis aperte colligitur in verbis immediate præcedentibus locutum fuisse etiam Diuum Paulum de spirituali morte, per culpam, quam omnes contraximus ex Adami primi nostri parentis peccato. Et quod dicta omnia loca in sua generalitate

accepta,in prædictum sensum sint intelligenda atque interpretanda, & simpliciter & absolutè concedendum tanquam de fide, quod omnes homines naturali propagatione ex Adam per rationem seminalem descendentes,peccauerunt in ipso: communis est omnium Doctorum Expositiuorum & Scholasticorum sententia. Et videatur ea de re specialiter D.August.lib.1. de peccat. meritis & remissio. cap. 10.& lib.3.cap.7.& lib.14.de Ciuitate Dei cap.2. & lib.1.retractat. cap.10.& lib.4.contra duas epistolas Pelagian.cap.4.& lib.1.ad Simplician.quæst.2. Quibus omnibus in locis aperte dicit, propositionē hanc, *omnes in Adam peccauerunt*: simpliciter prolatam, esse indubitatam & absolutè concedendam. Id quod affirmat dixisse Diuum Hilarium in supradicto lib. 4. contra duas epist. Pelagian. cap. 4. Et idem tenet Origin.lib.5.in epist.ad Roman.cap.5. & D. Hieronym. in Oseam cap.6.explicando illa verba.*Omnes sicut Adam transgressi sunt pactum ibi præuaricati sunt in me.* Quæ sic intelligenda esse dicit, *ibi* (hoc est in Paradiso) *omnes peccauerunt in me*. Quod etiam dicit super Micheam cap.2.Et idem dixit D.Dionysius de Ecclesiast. Hierarc.cap. 3.nempe naturam nostram humanam in Adamo ab initio fuisse prolapsam,& à vera bonitate defecisse,sacram legem fuisse præuaricatā, & à recto itinere (hoc est à Deo) auersam.Idem dixit Diuus Iustinus Martyr in dialogo cum Triphone, asserendo humanum genus, & vniuersam hominum multitudinem,per Adamum non solum in mortem,verum etiam in fraudem,seductionemque incidisse, ita vt Adami casus omnibus fuerit hominibus communis, & quod hæc fuit causa aduentus filij Dei in hunc mundum. Idem dicit Irineus lib. 5. cap. 17. Per lignum factos esse omnes debitores Deo. Intelligens per lignum commestionem ligni vetiti, cuius fructum Adamo commedente, omnes commedimus. Videatur hac de re Tertulian. lib. de Anima cap. 40. Ciprianus in epistol.8. quæ est ad fidum. D. Atanas. in serm. ad illa verba. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Cyrilus. Hierosol. chathechesi 2. Nazianzenus orat.de pace. Chrysost. in hom. ad Neoph. Diuus Bernardus serm.1.post octauam Epiphaniæ. Rupertus Abbas lib.3.in Oseam Prophet.cap. 6. in illa verba. *Ibi præuaricati sunt in me.* Et lib.5.in Genes.cap.35.Eucher.lib.2.cap.24.Procop.in Genes.lib. 1.cap.17.in illa verba. *Quia pactum meum irritum fecerunt.* Quorum omnium expressa testimonia, videre qui voluerit, consulat Ægidium Augustin.lib.2.de Immacula a Concept.Virgin. Mariæ quæst.2.art. 2.vbi illa refert ad litteram, atque ex ipsis colligit propositionē prædictam *omnes in Adam peccauerunt*: simpliciter prolatam, absolute esse concedendam, & ab omnibus communiter Sanctis Patribus approbatam. Id quod & faciunt omnes Doctores Scholastici vnanimiter, cum Magistro in 2.sentent. dist. 30. cum sequentibus, & Thomistas cum D. Thom.1.2.quæst.81.art.1.2. & 3. Et ea de re videatur idem

Diuus

Diuus Thomas de malo, quæst. 5. art. 2. ad quartum, & super epist. ad Roman. cap. 5. ad prædicta verba: *omnes in Adam peccauerunt*. Vbi videndus est Caietan. & omnes communiter interpretes, & Catherin. lib. de casu homi. & peccat. origin cap. 8. & 10. & lib. 2. de Concept. Virgin. cap. 7. Soto lib. 1. de natura & gratia cap. 7. & 9. Corduua in suo quæst. lib. 1. quæst. 10. post principium & inferius §. ideò ad primam rationem. Alber. Pyghius in controuers. ratispon. controuer. 1. de peccato originali. Vega lib. 2. in Concil. Tridentin. cap. 2. Martinus Martinez in Hypotheposion. cap. 3 Medina in 3. part. D. Thom. quæst. 27. art. 2. & Bellarmin. lib. 4. de statu peccat. cap. 16. §. iam igitur, quod attinet ad primum. Suarez secundo tomo ad 3. part. disput. 3. sect. 2. Qui omnes vnanimi consensu dicunt, propositionem prædictam: *omnes in Adam peccauerunt*, apud omnes Doctores Scholasticos, & Sacræ Scripturæ Interpretes, in sua vniuersalitate & generalitate acceptam esse prorsus indubitatam, & simpliciter, & absolutè concedendam.

Quibus præmissis notabilibus dico, quod circa propositam difficultatem: an scilicet tenendum sit de fide, omnes ex Adam naturali propagatione & per rationem seminalem descendentes, peccatum contrahere originale, & B. etiam Virginem illud contraxisse: quadruplex versatur opinio. *Circa propositam difficultatem.*

Prima opinio est Sancti Thomæ, prima secundæ quæst. 81. art. 3. vbi proposita difficultate: Vtrum peccatum primi nostri parentis Adami transeat per originem in omnes homines (nullo excepto) & absque delectu & discrimine: respondendo dicit. *Secundum fidem Catholicam firmiter esse tenendum, quod omnes homines (præter solum Christum) ex Adamo deriuati peccatum contrahunt originale*. Quibus in verbis, quammaxime notanda sunt illa (*præter solum Christum*) & quod ab hac generali regula non excipit sacram Virginem. Pro cuius sententiæ & opinionis fundamento, citat testimonium Diui Pauli ad Roman. 5. vbi dicit: quod per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt. *Prima opinio S. Thom. asserentis Virginem sacrã conceptam fuisse in peccato originali.*

Probat id ipsum præterea D. Thomas duabus rationibus, quarũ est prima. Quia alias sequeretur, quod non omnes indigerẽt redemptione quæ est per Christum: quod (inquit) dicere est erroneum. *Primum arg.* Secunda verò ratio est, quia ex peccato Adami primi nostri parentis traducitur originalis culpa in posteros, sicut à voluntate animæ permotionem membrorum traducitur actuale peccatum ad membra corporis: sed actuale peccatum traduci potest ad omnia corporis membra (nullo excepto) quæ nata sunt moueri à voluntate: ergo & originale peccatum traducitur etiam ad omnes illos, qui mouentur ab Adam naturali motione generationis (nullo excepto) Ex quibus plane *Secundũ arg.*

colligitur, quod de mente & sententia D. Thomæ, omnes ab Adam naturali propagatione, & per rationalem seminalem descendentes, peccatum contrahunt originale, & B. etiam Virginem illud contraxisse: cum nullius prorsus exceptionem faciat, nisi de solo Christo, pro eo quod ab Adam non per rationem seminalem descendit, sed de Spiritu Sancto fuit conceptus, vt supra diximus. Quam etiam D. Thomæ opinionem, quantum spectat ad Beatam Virginem (de qua specialis est difficultas) plurimi olim auctores sunt sequuti, & publice atque priuate illam docere non erubuerunt, tempore Sixti IIII. & tenendum esse de fide Beatam Virginem originale peccatum cõtraxisse: & contrarium dicere esse hæreticum. Ita scripsit olim Barthol. de Spina in proprio tract. de Concept. Virgin. & Ioannes Dominicus de Florentia, in alio simili tract. cap. 22. 23. & 26. Similiter & Vincentius Vandelus in lib. quem inscripsit. Disputatio solemnis de Conceptione Virgin. Mariæ à cap. 33. vsque 41. Guydo etiam Carmelita quodlib. 3. quæst. 13. Atque ita iudicasse omnes sui temporis Magistros, referunt quidam ex Albert. Magn. in 3. dist. 3. art. 4. affirmantes eundem ita sensisse: quamvis ipse illud non dicat, sed solummodo hæresim esse damnatam à Diuo Bernardo, dicere Beatam Virginem sanctificatam fuisse ante animationem. In eadem etiam opinione persistunt & hodie multi nostri temporis hæretici, quos refert Canisius lib. 1. de Maria Deipara cap. 1. & 6. & Bellarmin. lib. 4. de amis. gratiæ & statu peccat. cap. 15. 16. & 17. Et Payua lib. 5. defensionis Trident. fidei, & in secunda parte serm. 1. de Concept. Virgin. Et Vazquez tom. 2. ad 3. part. D. Thom. disput. 117. cap. 14. nu. 141. & 142. Quorum omnium vnicum fundamentum est, quia existimant sententiam illam, quæ Beatam Virginem ab originali peccato eximit, siue liberat, sacris litteris & Ecclesiæ diffinitionibus expresse repugnare, & esse contrariam vnanimi Sanctorum Patrum consensui.

Secunda opinio, asserentiũ Virginem sacram ab originali peccato fuisse praeseruatam.

Secunda est aliorum opinio in alio extremo, dicentium Beatam Virginem Mariam ab omni prorsus originali labe fuisse immunem; & contrarium affirmari non posse absque hæresi. Quod etiam sensisse plures olim, testatur supradictus Sixtus IIII. in sua Extrauag. quæ incipit, *graue nimis*, posita inter communes, lib. 3. de reliq. & venerat. Sanctorum, de qua infra amplior futurus est sermo. Pro hac sentẽtia Suarez in 3. part. D. Thom. quæst. 27. art. 1. & 2 disp. 3, sect. 5: citat Almainum in tract. de potest. Eccles. cap. 16. Sed expressius id videtur sentire in 3. sent. dist. 3. quæst. 1. quando dicit Beatam Virginem originale peccatum non contraxisse, & hoc esse iam diffinitum atque determinatum per Ecclesiam in Concilio Basiliensi: qua quidem ratione oppositam sententiam dicit esse hæreticam. Pro eadem opinione refertur Iodocus Clitoueus in annotat. ad Damascen. lib. de fide

cap.

cap.2. ante medium, & Titelmanus in ca.2. Ioannis, & plures dicunt; Doctores omnes Parisienses olim in ea etiam fuisse opinione & sententia, fundatos in prædicta determinatione Concilij Basiliensis, in quo Virginis puritas atque immunitas (vt dicitur) fuit determinata & diffinita: Et in eo quod Ecclesia publice festum Conceptionis celebrat, quæ publica solemnitas, esse videtur quasi diffinitio fidei. Qua quidem ratione multi hanc sententiam & opinionem sequuti, dicunt esse erroneum prædictam Virginis immunitatem negare: & asserere Beatam Virginem in originali peccato fuisse conceptam. Alij verò mitiori & magis moderata censura vtendo, aiunt oppositam sententiam esse ad minus scandalosam, male sonantem, & piarum aurium offensiuam. Qua de re ex Iurisperitis videatur specialiter Andræas Siculus, *in Clement. 1. de summa Trinit. & fide Catholica.*

Tertia sententia & opinio est Caietan. 1. 2. quæst. 81. art. 3. & in tract. de Concept. Virgin. cap. 3. §. in secundo autem sensu: vbi media quadam procedendo via, asserit omnia Sacræ Scripturæ testimonia quæ hac de re loquuntur, & dicunt omnes ab Adam per rationem seminalem descendentes, peccatum contrahere originale, intelligenda quidem esse (non de facto) sed solummodo de debito, siue necessitate incurrendi, & contrahendi: illud & inquit, quod ex sacris litteris non quidpiam aliud colligitur esse tenendum de fide. Ex quibus subinde colligit Diuum Thomam in supradicto articulo, non velle aut intendere esse de fide, quod omnes præter Christum contrahunt peccatū originale: sed hoc solummodo, quod omnes contrahunt siue incurrunt debitum, necessitatem atque obligationem contrahendi ipsum quamvis de facto illud non contrahant. *Tertia sententia Caietani, media quadā procedentis via.*

Ad quod probandum primo argumentatur Caietanus, & sequēs adducit exemplum. Quia de fide est etiam quod ex peccato Adami omnes homines contrahunt necessitatem moriendi, & tamen nō est de fide quod omnes homines de facto moriantur: quin verò probabile est de facto aliquos nunquam esse morituros, vt refert D. Thomas in supradicto articulo in solut. ad primum, de mente & sententia D. Hieronym. epist. 152. ad Minerium & Alexandrum, quæ est in 3 tomo, vbi paulo post principium Diuus Hieronymus ex sententia cuiusdā Theodori dicit. *Quod sicut Helias & Enoch nunc reseruantur, ita etiam in die iudicij aliqui reperientur viui, qui non morientur.* In cuius rei confirmationem adducit illud Diui Pauli 1. ad Thesalonic. cap. 4. secundum quādam translationem. *Non quidem omnes ob dormiemus: omnes tamen immutabimur.* Cum igitur (inquit Caietanus) eodem contextu & sub eodem verborum tenore dicatur ab Apostolo Paulo, omnes homines incurrisse peccatum & mortem (vt constat ex verbis superius citatis ad Roman. cap. 5. *Ita & in omnes homines mors pertransijt in quo omnes peccauerunt*) si non est certum secundum fidem de facto omnes homines

contraxisse mortem, similiter neque erit de fide omnes homines contraxisse originale peccatum, de facto. Quam suam sententiam confirmat secundo Caietan. ex eo, quia ista necessitas siue debitum contrahendi originale peccatum, sufficiens est ad hoc vt omnes homines dicantur indigere gratia Dei, & redemptione quæ est in Christo Iesu: quod est intentum Apostoli Pauli in prædicta epistola ad Romanos. Hanc Caietani sententiam, ex antiquis tenent Ioannes Maior in 3. sentent. dist. 3. quæst. 2. art. 10. Et Catherinus tractatu secũdo de Conceptione Virginis lib. 2. cap. 3. Ex Iunioribus autem Medina in prima secundæ Diui Thomæ quæst. 81. art. 2. ad finem. Palacius in 3. sentent. dist. 3. quæst. 2. artic. 10. disput. 1. ad primum argumentum. Et Canisius lib. 1. de Virgin. Deipara cap. 6. & 7. Et Salmeron lib. 2. in epistolam ad Romanos. Qui omnes tenent & dicunt Sacræ Scripturæ testimonia quibus dicitur omnes homines in Adamo peccasse, ac per ipsum mortem incurrisse; explicanda & interpretanda esse adhunc sensum: quod omnes ab Adamo contraxerunt debitũ, obligationem & necessitatem subiacendi originali peccato, & morti. Cum quo statvt aliqui de facto eximantur ab effectu huius obligationis & necessitatis. Quod applicando ad Sanctissimam Virginẽ, dicunt, propositionem hanc vniuersalem, quod omnes Adami posteri contrahunt peccatum originale, esse quidem de fide, si intelligatur secundum debitum: secus est autem, si intelligatur de facto. Vnde neque esse putant contra fidem, asserere quod Beata Virgo actu, non cõtraxerit peccatum originale.

Quarta sententia verior & tenenda, quod sacra Virgo nõ peccatum contraxit originale.

Quarta & verior est aliorum sententia, qui confitentes (vt teneri tur) omnes ab Adamo naturali propagatione, & per rationem seminalem descendentes peccatum contrahere originale: idque esse tenẽdum de fide: quantum spectat ad sacram Beatam Virginem asserunt, necdum non esse de fide eandem originale peccatum contraxisse, verũ & constantissime tenent, eam ex speciali priuilegio, & ex Christi Domini meritis præuisis ab eo preseruatam fuisse. Quod multo verius & probabilius reputant, & aiunt firmiter esse tenendum & credendum, interim quod aliud non diiudicauerit, & determinauerit Ecclesia: qua de re in sequentibus latissimus futurus est sermo. In ista autem quæstione solũmodo ostendendum est, haudquaquam esse de fide Sacram Virginem originale peccatum contraxisse. Quibus omnibus sic præmissis, pro propositæ quæstionis resolutione, sequentes statuo Conclusiones.

Prima Conclusio.

Firmiter tenẽdum est de fide, omnes ho-

FIRMITER tenendum est de fide, omnes homines ex Adam per carnalem generationem, & rationem seminalem descendentes (Beata Virgine excepta) dum actu concipiuntur peccatum contrahere

trahere originale. Huius conclusionis vnicum atque potissimũ fundamentum est, Sacræ Scripturæ testimonia quæ adducta sunt in secundo notabili, quæ (vt ibidem diximus) in sua generalitate accepta, simpliciter intelligenda atque interpretanda sunt vt sonant, nec solum de peccati originalis debito (vt voluit Caietan. & qui illius sententiam & opinionem sequuntur) sed de vera & reali ipsius contractione: nam in hoc sententia Caietani non tenetur, quinvero & ab omnibus communiter reprobatur. Et in primis hac de re acriter reprehendit illum Ferrara 4. contra gentes cap. 50. dicens ipsius opinionem & sententiam periculosam esse, parumque fidei consonam, ac minime necessariam, neque conuenientem ad defendendam doctrinam Diui Thomæ. Quod etiam dicit Zumel sup. 1. 2. D. Thom. quæst. 81. art. 3. disput. vnica conclus. 1. vbi inquit, quod si Caietani dicendi modus verus esset, sequeretur ex eo, non esse de fide, quod aliquis nũc de facto peccatũ incurrat originale. Nã posset respõderi & dici, quod & si omnes secundũ Sacrã Scripturã ex Adamo fuerint originali peccato obligati: non tamen est de fide, quod de facto quispiam illud incurrerit: cum iuxta Caietanum de hoc Sacræ Scripturæ, aut Concilia non loquantur: sed solummodo de debito & obligatione incurrendi ipsum. Et certum est quod potuit Deus per infinitam suam misericordiam, hunc vel illum, aut verò omnes, ab eiusmodi peccato præseruare; nec Scripturæ Sacræ testimonijs posset conuinci contrarium qui diceret, si ea solũmodo essent intelligenda & interpretãda de debito, & necessitate contrahendi peccatum originale, non verò de facto. Et argumentatur præterea contra Caietan. Nam omnia Concilia sacra aperte, clare, atque expresse, diffiniunt paruulos omnes de facto peccatum contrahere originale, ac propterea indigere ablutione Baptismi in remissionem suorum peccatorum (quod probant ex Sacræ Scripturæ testimonijs positis in secundo notabili) ergo eiusmodi testimonia intelligenda & interpretanda sunt, non de solo debito & necessitate contrahendi peccatum originale, sed revera de facto. Quod & confirmatur, nam Concil. Tridentin. Sessione 4. decreto 2. de æditione & vsu sacrorum librorum, stricte pręcipit Scripturam Sacram semper esse intelligendam atque interpretandam, iuxta communem sensum & intelligentiam Sanctorum Patrum: sed omnes vbique Sancti Patres cum hac de re loquuntur, supradicta Sacræ Scripturæ testimonia interpretantur, de contractione originalis peccati de facto, & non de solo debito, & necessitate contrahendi ipsum: ergo intentum. Hac de re qui videre voluerit plura Sanctorum Patrum testimonia id ipsum dicentia atque attestantia, consulat supradictum Ægidium Augustinum lib. 5. de præseruatione Virgin. à peccat. origin. quæst. 4. art. 3. §. 2. Et Salazar Iesuitam lib. quem ędidit pro Immaculata Conceptione Deiparæ Virgin. cap. 41. can. 1. vbi multis hoc argumentũ prosequun-

mines ex Adam per carnalem propagationem descendentes (B. Virgine excepta) peccatum contrahere originale.

sequuntur, afferendo etiam in id ipsum Concil. Tridentin. Sessionē de peccato originali cap. vltimo, vbi declarat Concilium, nō esse suæ intentionis in eo decreto, vbi de peccato originali agitur, comprehēdere Beatam & Immaculatam Virginem Mariam Deigenitricem. Ex quo decreto sic argumentantur. Certum est secundum fidem, quod omnes ex Adamo per rationem seminalem descendentes virtute decreti ibidem positi in cap. 2. contrahunt peccatum originale: sed Cōcilium ab hac generali regula excipit Beatam semper Virginem Mariam: ergo loquitur aperte de facto, & non de debito. Etenim si de debito solummodo intelligeretur, haudquaquam posset Concilium illam ab eo decreto eximere, siue liberare, cum vt plurimum in Virgine debitum agnoscatur: aut saltim non esset licitum debitum vllū in ea ponere, & contrarium dicere esset hæreticum. Sed hac de re infra latius futurus est sermo. De opinione Caietani prædicta, videantur Doctores superius citati, & Corduua in suo quæstion. Mag. lib. 1. quæst 44. post tertiam conclusionem, ad tertium argumentum, & Valentia secundo tomo disp. 6. quæst. 11. in secundo puncto, & in lib. de peccato originali cap. 3. §. verum hæc opinio.

Secunda Conclusio.

Loquendo de B. Virgine haudquaquā est de fide eam originale peccatum contraxisse.

LOQVENDO de Beatissima Virgine, haudquaquam est de fide eam originale peccatum contraxisse. Volo dicere, quod quāuis sit de fide omnes ex Adam per rationem seminalem descendentes peccatum contrahere originale (non solum secundum debitum, verū etiam & de facto, iuxta prædicta Sacræ Scripturæ testimonia) haudquaquam tamen est de fide Beatissimam Virginem illud contraxisse; quia ex eisdem testimonijs non constat, ab ea generali regula præseruationis priuilegium illi concessum non fuisse. Hæc conclusio statuitur contra Diuum Thomam loco supracitato: aut saltim debite & reuerenter ipse est interpretandus: ita vt tantummodo fuerit loquutus de iure, & secluso priuilegio, & virtute regularum generalium quę in Sacra Scriptura continentur, contra quarum tenorem nihil omninò voluit determinare aut definire, quempiamve excipere, præter solū Christum, qui non naturali propagatione, sed Spiritus Sancti virtute fuit conceptus: quāvis in B. ipsius Matrē nimio amore & deuotione semper fuerit affectus. Sed quidquid de hoc sit quod prædicta nostra conclusio sit vera, probatur aperte primo, ex præallegato testimonio Concil. Trid. Sessi. 5. de peccato originali cap. vltimo. Vbi postquam in cap. 2. diffiniuit atque determinauit, omnes ab Adam per rationem seminalem descendentes peccatū contrahere originale, & eam fuisse dixit mentem Apostoli Pauli dicentis ad Roman. 5. quod per vnū hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt:

pie-

ab hac generali regula excipiendo Beatam Virginem, in sequentia notabilissima verba prorumpit. *Declarat tamen Sancta Synodus non esse sua intentionis comprehendere in hoc decreto vbi de peccato originali agitur, Beatam & Immaculatam Virginem Mariam Deigenitricem, sed obseruandas esse constitutiones fælicis recordationis Sixti Pp. IIII sub pœnis in eius constitutionibus contentis, quas innouat.* Ex quibus verbis satis aperte colligitur, haudquaquam esse de fide, Beatam Virginem originale peccatū contraxisse: postquam Concilium declarat ac dicit, eandem in supradicto decreto minime comprehendi: quinverò circa hoc innouat constitutiones Sixti 4. quibus sub excommunicationis latæ sententiæ pœna Sedi Apostolicæ reseruata, prohibet ne quis harum sententiarum aliquam dicat esse de fide, aut vnam vel alteram tanquam hæreticam condemnet. Quarum constitutionum, quia tanti refert exactam habere notitiam, dico quod constitutiones circa rem hanc æditæ â prædicto Sixto Quarto sunt duæ, vt & Concil. ipsum Tridentinum aperte dicit, plurali numero vtendo dum, *obseruandas dicit Sixti Quarti constitutiones, quas innouat*, quamvis in Extrauag. communibus non referatur nisi dumtaxat vna, quæ habetur in cap. *Graue nimis lib. 3. de reliq & venerat. Sanctorum.* Sed re vera sunt duæ, quarum quælibet incipit *graue nimis*, & prima habetur in Monumentis nostri sacri Ordinis primæ impres. fol. 34. & secundę fol. 117. conces. 257. Secunda verò habetur in dicto lib. 5. de reliq. & venerat. Sanctorū, & etiam in eisdē Monumentis primæ impresio. fol. 74. & secundæ fol. 158. conces. 376. & vtraque refertur in priuilegiorum compendio, verbo *Conceptio Virgin. §. 6. & 8.* Quæ etiam supradictæ constitutiones innouatæ fuerunt postmodum per Alexand. 6. in quadam alia sua constitutione, quæ incipit *illius qui se*, data Romæ apud Sanctum Petrum anno Domini 1502. decimo Kalend. Martij Pontificatus sui anno 11. Quæ habetur in supradictis monumentis primæ impres. fol. 74 & secundæ fo. 158. conces. 376. & refertur in compendio vbi supra §. 9. Deinde vero innouatæ etiam sunt â Concilio Tridentino loco vbi supra, vt constat ex verbis supradictis. Ac tandem â Pio Quinto in quodam suo motu proprio siue Extrauag. quæ incipit *super speculam*, data Romæ anno 1570. pridie Kalend. Decembris Pontificatus sui anno quinto, & est 45. in ordine, vbi, *Liberam cuique concedit facultatem opinandi huius controuersiæ quamlibet partem, prout vel magis piam, vel magis probabilem esse iudicauent.* Ex quibus omnibus plane sequitur, quam sit temerarium prædictarum opinionum alterutram de hæresi damnare, & qualiter id ipsum facientes, & asserentes publice vel secrete, opinionem quæ liberat Beatam Virginem ab originali labe, non solum esse nouam & solis ignorantibus probatam: verum etiam hæreticam, & â Sathana inuentam, & igne dignam (vt quidam temerarie dicere ausi sunt) qui haudquaquam liberari possunt â supradicta excōmunicationis pœna latæ

Nota valde sacra Conci. Tri. verba quibus comprehendere non voluit sacram Virginem sub decreto peccati originalis.

Quanam sint & vbi reperiantur Sixti Quarti constitutiones, quæ hac de re agūt.

latæ sententiæ soli Sedi Apostolicæ reseruata, à Sixto Quarto imposita, & ab Alexandro postmodum, & Concilio Tridentino confirmata, & à Pio Quinto renouata. Quod pro nunc dixerim, nam infra in quæst. 14. hac de re amplior futurus est sermo, & constitutiones supradictæ ad vnguem sunt ponendæ & referendæ, vt ne vllus vnquã ignorantiam prætendat: vbi etiam & determinabitur eiusmodi temeraria verba proferentes, an ne aliqua etiam hæreseos sint censura digni, quod non difficultate caret quammaxima.

Tertia Conclusio.

Excipere aliquem præter B. Virginem, à contractione originalis peccati, quamuis non sit aperte hæreticum, esse tamen videtur plusquam temerarium & in fide erroneum.

EXCIPERE aliquam præter Beatissimam Virginem, à contractione originalis peccati, quamvis non sit aperte hæreticum, esse tamen videtur plusquam temerarium, & in fide erroneum. Circa veritatem propositæ conclusionis, non sunt vnanimes Scholastici Doctores, nam Cano lib. 12. de locis Theologicis cap. 11. dicit, eum qui diceret puerum recenter natum, ex speciali gratia & priuilegio originalis peccati maculam non contraxisse, neque esse hæreticum: hæresimve dixisse: sed temeritatis solummodo fore nota damnandũ, nisi sufficientibus rationibus eiusmodi gratiæ priuilegium ostendat. Cuius positionis fundamentum est, quia (inquit) Sacræ scripturæ propositiones vniuersales de transfusione originalis peccati in omnes homines: sunt vniuersales vniuersalitate legali, ac proinde ex sua ratione excipiuntur ab eis, qui ex speciali gratia & priuilegio ab eiusmodi macula præseruantur. Vnde cum prædicta assertio diuinã gratiam à macula præseruantem constituat, qui illud diceret prædictis propositionibus vniuersalibus haudquaquam contradiceret, sed onus solummodo sibi incumberet (vt ne temeritatis nota arguatur) probãdi eiusmodi priuilegium. Itaque dicit quod eiusmodi propositionibus ille solus contradicit, qui seclusa speciali Dei gratia & priuilegio, ab Adam per rationem seminalem descendentes indifferenter ab originali peccato liberat, absque delectu & discrimine, qualis solus fuit Pelagius, & qui illum sequuntur. Hæc Cano loco vbi supra.

Sententia Magistri Cani.

Sentent. Ferrara.

Sed Ferrara quarto contra gentes cap. 50. §. an autem absolutè, dicit eiusmodi hominem esse hæreticum, cum neque per Sacrã Scripturam, nec per Ecclesiæ determinationem probare vllo modo possit, in supradicto puero eiusmodi speciale gratiæ suæ priuilegium. Censet enim Ferrara tenendum esse de fide, à prædictis propositionibus vniuersalibus nullum prorsus esse eximendum, nisi eiusmodi exemptio in sacris litteris contineatur, aut ex ipsis deducatur, aut habeatur id ipsum ex determinatione Ecclesiæ. In cuius sententiam venire videtur Corduua in suo quæstion. lib. 1. quæst. 44. ad primum argumentum contra sextam conclusionem, licet diuerso innixus fundamẽto: putat

putat enim prædictum hominem esse censendum hæreticum, si non sufficienter ostendat gratiæ priuilegium: quoniam licèt non sit de fide eiusmodi puerum esse priuilegiatum; est tamen de fide eundem peccatum originale contraxisse, si non sufficienter ostendatur ipsius priuilegium. Cum quo etiam dicendi modo consentire videtur Bellarminus lib. 4. de amissione gratiæ, & statu peccati ca. 15. post principium §. dices. Si ita se res habet, quàvis non ita expresse dicat illum esse hæreticum, sed tantummodo talem esse præsumendum. Quod & sentire videtur Vazquez secundo tomo ad tertiam partem D. Thom. disput. 117. cap. 8. nu. 97. dum ait non esse licitum quempiam preter Beatam Virginem à prædicto peccato originali excipere. Hæc Auctores prædicti.

Nos vero quasi media procedentes via, in conclusione diximus, quempiam (præter Beatam Virginem) à peccato originali excipere, quamvis non sit aperte hæreticum, esse tamen plusquam temerarium, & in fide erroneum. Qui decendi modus est Magist. Zumel in prima secundæ D. Thom. quæst. 81. art. 3. disput. vnica conclus. 3. Et quod id non sit aperte hæreticum exinde probatur, quia oppositum non est expresse determinatum aut diffinitum per Ecclesiam, neque est in Sacra Scriptura expressum, neque etiam habetur ex communi Ecclesiæ traditione, ad quæ tria capita omnes propositiones hæreticæ reducuntur. Licet enim Sacræ Scripturæ testimonia aperte dicant, omnes homines ex Adamo per rationem seminalem descendentes peccatum contrahere originale: idque non solum de debito, sed etiam de facto sit intelligendum, nisi quispiam ex speciali aliquo priuilegio præseruetur: non tamen ex ipsa SacraScriptura habetur, aut ex ea cóstat tenendum esse de fide, eiusmodi priuilegium non contrahendi originale peccatum nulli vnquam fuisse concessum, ad quod tamen contrahendum ex vi suæ conceptionis, & descendentiæ ex Adamo erat obnoxius. Ex quo proinde sequitur quod id dicere nó est hæreticum. Quod verò id de quopiam asserere (Virgine excepta) sit plus quam temerariū, & in fide erroneum, probatur satis aperte: nam Concil. Tridentin. Sessione 5. de peccat. origin. cap. vltimo hac de re agẽdo, ab illo vniuersali decreto de eiusdem reali & actuali cótractione, solummodo excepit prædictam Beatam Virginem. Quo suo dicto (iuxta commune Iuris Cósultorum præscriptum) firmare videtur regulam in contrarium, illamque extendere ad omnes non ibidem exceptos. Quod & faciunt omnes sancti communiter, & in id ipsum est communis totius Ecclesiæ consensus: ergo contrarium dicere & asserere (si non aperte hæreticum) ad minus est plusquam temerarium & (vt dixi) in fide erroneum. Multa hac de re forent dicenda quæ breuitatis gratia facio missa: sicque breuiter & resolutiue dico, esse plusquam temerarium & in fide erroneum, quépiam à prædicta vni-

Sententia Authoris.

uersali regula excipere, vt cumque ille sit sanctus & iustus: quia nullum esse potest ad id ipsum asserendum sufficiens adeo fundamentum, quale in prædicta sacratissima Virgine reperitur, in cuius præseruatione ab originali labe (vt suo loco infra amplius constabit) præter superius dicta, simul concurrunt multæ congruentiæ, & efficacissimæ rationes: nonnulla etiam Sacræ Scripturæ testimonia, si non satis ad litteram adducta, non tamen contra eorum genuinum & legitimum sensum, multa præterea Sanctorum Patrum dicta, haud contemnenda quidem. Ac denique in id ipsum, est modo fere totius Ecclesiæ vnanimis consensus, quæ adeo incredibili gaudio, conceptionis eiusdem sacrum festum ritu solemni celebrat.

Respondetur ad arg. aliorū & opinionū.

Solummodo superest respondeamus argumentis adductis pro supradictis opinionibus, quantum ad id in quo contrariantur nostris propositis assertionibus.

Ad argumenta D. Thom. *Ad auctoritatem D. Pauli.*

Ad testimonium D. Thom. adductum ex Diuo Paulo ad Rom. 5. facile respondetur dicendo quod illud & omnia alia Sacræ Scripturæ testimonia, quæ loquuntur de transfusione originalis peccati in omnes, sunt quædam generales regulæ, quæ non excludunt Deiparæ Virginis priuilegium, eidem à Deo magno cum fundaméto concessum, de non contractione originalis peccati: neque in hoc prædictis generalibus regulis aliquod fit præiudicium. Nam etiam est vniuersalis regula fidei, quod omnes adulti, maxime si per longum tempus vixerint, habēt aliquod actuale peccatum, iuxta illud Psalm. 52. *Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum non est vsque ad vnum*: quod etiam dicit D. Paulus ad Roman. 3. & iuxta id etiam quod dixit sapiens Ecclesiast. 7. *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum & non peccet*: & tamen secundum communem sensum Ecclesiæ approbatum à Concil. Trident. Sessione 6. cap. 23. ab ea generali regula excipitur Sacratissima Virgo: Si igitur id ita est, quid obstat quominus etiam tanto cum fundamento dicamus, quod quāuis sit vniuersalis fidei regula, omnes ex Adam per rationem seminalem descendentes de facto peccatum contrahere originale: ex speciali priuilegio excipiamus ab illa prædictam sacratissimam Virginem? Hac de re infra amplior futurus est sermo. Sed pro nunc dico, esse certissimum ac firmiter tenendum, supradictas generales regulas haudquaquam excludere singularia & particularia priuilegia. Ex quo plurima qui videre voluerit exempla, consulat D. Mart. Mart. lib. 6. Hypo. cap. 3. vbi ex sacris litteris & ex doctrina Sanctorum Patrum, adducit multa. Consulat etiam Origenem lib. 5. super Paul. ad Rom. 5. dicentem, non continuo esse falsa, quæ in Scriptura Sacra de omnibus dicuntur: proterea quod reperiatur facta aliqua Dei dispensatio in vno vel duobus. Consulat etiam D. Chrysostom homil. 23. super epist. Paul. ad Hebr. cap. 11. vbi annotat quod sine ylla falsitate dixit

Apo-

Apostolus, iuxta fidem defunctos esse omnes antiquos Sanctos Patres, cum tamen Enoch defunctus non fuerit, sed illum Dominus transtulerit, vt ibidem dicit Apostolus. Multa ad hoc propositum possem adducere, sed prædicta sufficiant, & aliqua alia etiam dicemus infra.

Ad primam rationem D. Thomæ. Ad primum argumentum siue primam rationem D. Thom. qua agit de omnium hominum redemptione per Christum, dico, ita revera esse, quod ipse vniuersalis est omnium redemptor, etiam respectu Sacratissimæ Virginis: sed specialissimo atque honorificentissimo quodam modo ipsam redemit, ab originali labe illam præseruando ex suis meritis præuisis. Qua de re quia infra amplior futurus est sermo, pronunc ab ampliori illius tractatione supersedeo.

Ad secundam rationem. Ad secundum argumentum siue rationem, respondetur esse verum id quod in eo dicitur, respectu omnium hominum in communi, & secluso speciali priuilegio: sed hoc argumentum nihil contra nos concludit, propter ea quæ superius sunt dicta.

Ad argumenta secundæ opinionis. Ad primum. Ad primum argumentum adductum pro secunda opinione, de determinatione Conc. Basilien. dico rem esse quæ maiorem requirit indaginem, & de qua infra amplior futurus est sermo: qua propter ab hoc pronunc supersedeo.

Ad secundum. Ad secundum de Conceptionis festo, quod publice celebratur, & esse videtur quasi definitio fidei, dico similiter, quod hæc res ampliori etiam indiget tractatione, & de qua infra futurus est sermo, ac ideò pronunc omittitur, & proprio suo loco reseruatur.

Ad argumenta tertiæ opinionis quæ est Caietan. Ad primum. Ad primũ argumentũ adducto de morte, dico breuiter, quod quamvis forsan defendi possit sine erroris periculo aliquos exceptos fuisse ab vniuersali moriendi lege, non tamen ita sine eodẽ, absque speciali priuilegio defendi posset, aliquem esse exemptum ab vniuersali lege contrahendi peccatum originale. Et ratio discriminis est: quia in vno casu mors incurritur per modum pœnæ (quam Deus facile poterit remittere cui voluerit) in alio verò originale peccatum habet rationem culpæ, quam præsupposito diuino pacto (vt videtur) Deus non ita facile potuit remittere. Hæc solutio est Ferraræ quarto contra gentes cap. 50 & videtur esse D. Thom. prima secundæ quæst. 81. artic. 3. in solut. ad primum & ad quartum. Sed melius dici potest, quod sicut ab vniuersali regula originalis peccati, propter speciales rationes, excipitur Beatissima Virgo: ita etiam & ab illa qua statutum est hominibus semel mori, excipi possunt illi qui tempore iudicij reperientur viui: de quibus est multorum Sanctorum & antiquorum Patrũ sententia, quod non morientur. Qui hac de re plura videre voluerit consulat Zumel in 1. 2. D. Tho. q. 81. art. 3. disp. vnica in solut. ad secundum argumentum.

Ad secundum. Ad secundum vero argumentum respondetur, quod quamvis

(vt dicit Caietanus) debitum siue necessitas contrahendi originale peccatum, sufficiens sit ad hoc vt omnes homines indigere dicantur gratia Dei, & redemptione quæ est in Christo Iesu, quod est intentũ Apostoli Pauli in epistol. ad Roman. non tamen est sufficiens ad hoc, vt Sacræ Scripturæ testimonia quæ hac de re loquuntur, intelligantur & interpretentur simpliciter & absolute, accepta in ea generalitate qua sonant: vt enim diximus in probatione secundæ conclusionis, non illa loquuntur solummodo de originalis peccati debito, verũ etiam de vera & reali ipsius contractione, propter rationes ibidem dictas, sicque Caietani argumentum non est ad propositum. Quæ pro hac quæstione dicta sufficiant.

QVÆST. XI.

An saltim necessario sit concedendum, quod Beata Virgo Maria in Adamo primo nostro parente peccauerit?

SVPPOSITO iam ex præcedenti quæstione, haudquaquam esse tenendum de fide, Beatam Virginem originale peccatum contraxisse: quinverò ipso facto esse excommunicatos id ipsum qui dixerint esse de fide, vt cõstat ex supradictis Summorum Pontificum constitutionibus, vt congruo ordine ad vlteriora procedamus: noua alia difficultas insurgit, & ea est, an saltim sit necessario concedendum tanquam de fide, quod ipsa in Adamo primo nostro parente peccauerit? Quam quidem quæstionem præmittere necesse visum fuit, vt exinde veniamus ad inuestigandum, an sit de fide quod habuerit debitum contrahendi originale peccatum, & post modum ad principalem quæstionem, an scilicet illud contraxerit de facto, seu vero potius diuina præueniente gratia ab eodem fuerit præseruata, in meritis Christi Domini præuisis. De quibus omnibus difficultatibus agendum est à nobis per ordinem, in hac & sequentibus quæstionibus.

Quidnã sit in Adamo peccare, secundum aliquorũ sententia.

Et vt ne æquiuoco laborare videamur, primo explicemus oportet, quidnam sit in Adamo peccare: ex hoc enim quammaxime pendet supradictorum resolutio. Et omisso modo dicendi Galatini lib. 7. contra Iudæos cap. 4. de illa humani generis massa ab eo conficta, Adami primi nostri parentis peccato infecta atque vitiata (prius tamen nobiliori quadam ipsius parte pro formatione sacræ Virginis reseruata) vtpotè qui præterquam quod multa falsa & improbabilia, nec-

non

non & Sacræ Scripturæ contraria continet, esse potius videtur anilis quædam fabula, quam sententia & opinio eo digna nomine, & quæ merito referri debeat. Quæ prima hac in re sese offert est Magistri Soti lib. 1. de natura & gratia cap. 9. vbi dicit: in Adamo peccare, formaliter loquendo, non esse quidem in eo aut cum illo elicuisse illum præuaricationis actum, quo Adamus ipse peccauit: sed contrahere peccatum ex Adamo deductum, hoc est peccati maculam quam Adamus in Paradiso commisit: & in se quempiam recipere humanam naturam eiusdem peccato vitiatam, & facta in Deo inuissam, & iustitia originali spoliatam. Et vt plenius hæc opinio intelligatur, ipsius formalia verba libet referre, & sunt quæ sequuntur. Postquam retulit illa Pauli verba ad Roman. 5. sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obeditionem iusti cōstituentur multi: subdit. *Omnes ergo homines in Adam peccasse, nihil est omninò aliud, quam humanam naturam nostram ob participium sua culpa ingratam atque inuissam Deo fuisse, vnde tota eius soboles nascimur filij iræ, sicut & in Christo iustificari, est quod ob eius gratiam nobis participatam omnes sumus Deo grati, in quo proinde renascimur filij misericordiæ.* Et inferius id ipsum explicando, addit: *quod natura nostra habet participium culpæ Adami, cum illam contrahit dum concipimur.* Hæc prædictus Soto. Ex quibus verbis constat quod ex eiusdem sententia & opinione, in Adamo peccare, idem omninò est, atque ipsius naturam culpa sua vitiatam quempiam in se recipere, & Adami peccatum actu contrahere. Qui etiam dicēdi modus placuisse videtur Driedoni lib. 1. de gratia & libero arbitrio tract. 3. in prima parte 1. capitis tomo 3, vbi expressis verbis dicit: quod omnes in Adamo peccasse, non est in Adamo, aut cum Adamo actū peccati operatos fuisse: neque etiam nos cum concipimur aliquid mali agere: sed singulos ab Adamo accipere humanam naturam originali iustitia destitutam: in qua priuatione originalis iustitiæ, ponit rationē formalem originalis peccati, quod pluries ibidem repetit. Hanc etiā sententiam atque dicendi modum, multi ex Iunioribus Thomistis sequuntur, & eam tenere videtur Medina in 3. parte D. Thom. quæst. 27. art. 2. Palacios in 3. sentent. dist. 3. disp. 1. Et Vazquez 1. tomo in 3. parte D. Thom. disput. 115. cap. 2. num. 15. Vbi expresse dicit in Adamo peccare idem omninò esse, atque ex Adamo in se peccatum habere. Quem etiam dicendi modum sequuntur quāplurimi ex Doctoribus expositiuis, sed præsertim Franciscus Turrianus in epist. de peccato originali folio 53. pag. 2. vbi asserit propositionem Diui Pauli ad Roman. 5. quod omnes in Adam peccauerunt, intelligendam esse, tum de his quos possibile fuit peccare (vt Christum Dominum excludat) tū etiam de his quos peccare in Adamo non fuit indecorum (vt excludat Virginem) & ait quod in Adamo peccare, est in Adamo induere dissimilitudinem Dei, in qua ponit rationem formalem originalis pec-

Sententia & opinio Magistri Soti.

cati. Ex quibus etiam verbis haud obscure colligitur, quod iuxta ipsum, peccare in Adamo, nihil est omninò aliud, quam per naturalem eiusdem propagationem, naturam suo peccato vitiatam, & originalem culpam in se quempiam recipere. Quem etiam dicendi modum sequitur Pereira super epist. ad Roman. cap. 5. disp. 8. nu. 47. vbi hac de re agendo sic ait. Illud igitur in quo omnes peccauerunt, non significat aliud, quam quod peccante Adamo, in quo erat origo & seminarium totius humani generis, omnes eius posteros peccasse: illud autem est ex Adamo nascendo accipere naturam eius actu vitiatam. Idem dicit Cerda in comment. ad supradictam epist. ad Roman. cap. 5. explicando supradicta verba, vbi sic ait: *peccauerunt* (inquam) *id est originali macula sunt maculati.* Quem prædictum dicendi modum sequütur alij plures grauissimi Doctores moderni, & esse videtur quasi communis explicatio & sententia.

Quidnam sit in Adamo peccare iuxta mētem & sententiā Autoris.

Sed quod cum bona eorum venia dixerim, eiusmodi dicendi modus haudquaquam placet, neque vsquequaque satisfacit: quapropter eo prætermisso, melius multo videtur dicendum, id quod & supra quæst. 2. conclus. 1. diximus, agendo de ratione formali originalis peccati, & explicando in quo eius essentia & natura consistat. Quod in Adamo peccare formaliter loquendo, nihil est omninò aliud, quam in eo & cum illo elicuisse illum præuaricationis actum, quo Adamus ipse peccauit, diuinum transgrediendo præceptum de non commedendo de ligno vetito. Ita vt eadem præuaricationis, siue transgressionis actio, sua fuerit simul & nostra: sua quidem actualiter, nostra vero originaliter, virtualiter siue habitualiter, quatenus omnes fuimus in illo tanquam in vniuersali quodam naturæ nostræ principio, non solum in esse naturali, verum etiam & in esse morali, vt de mente D. Augustin. atque Anselmi, & multorum aliorum Doctorum superque satis ostendimus loco superius dicto. Et quidem si Doct. prædictæ sententiæ nihil omninò aliud dicere volunt, quam in Adamo peccare idem esse prorsus, atque eiusdem peccatum quempiam in se contrahere, & ipsius naturam per peccatum vitiatam & factam Deo ingratam, siue inuisam actu recipere: hic certe dicendi modus haudquaquam (vt videtur) sustineri potest: nam omnes vbique Sancti Patres, sed præsertim D. Augustin. lib. 4. contra duas epistolas Pelag. cap. 4. & lib. 1. de peccatorum meritis cap. 10 & ibidem lib. 3. cap. 7. & lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 27. & D. Anselmus lib. de Concept. Virgin. & origin. peccat. cap. 7. dum hac de re loquuntur, incunctanter & expresse dicunt explicādo illa D. Pauli verba ad Rom. 5. omnes in Adam peccauerunt: quod tunc omnes homines in Adamo peccarunt, quando ille peccauit: & certum est ac citra omne dubium, quod non tunc illius peccati maculam contraxerunt; sed quando in suarum matrum concipiuntur vteribus. Quod etiam expresse determinare

videtur

videtur Concilium Tridentinum Sessione 5. de peccat. origin. cap. 3. dicēdo, originale peccatum prædictum origine esse quidem vnum, sed propagatione transfusum, inesse omnibus vnicuique proprium. Quibus plane verbis satis aperte datur intelligi, non esse idem prorsus in Adamo peccare, & eiusdem peccati maculam actu quempiam in se recipere, siue contrahere. Præterea ijdem Sancti Patres vbique dicunt, homines omnes in terrestri Paridiso simul cum Adamo primo nostro parente peccasse, & tamen certum est quod eiusdem peccati maculam actu contrahere non fuit simul; quinverò singuli illam contrahunt, dum in suarum matrum vteribus concipiuntur: neque id quidem in Paradiso, sed extra, & iam prorsus ab eodē exules effecti. His omnibus accedit, quia non modica, quinverò quammaxima est differentia atque distinctio, inter peccatum in Paradiso commissum, seu quod nos ibidem cum Adamo primo nostro parente commisimus: & nostrum quod contrahimus, quando actu concipimur. Illud enim (vt diximus de mente Concil. Tridentin.) origine fuit in omnibus vnum: quod est dicere specie & proportione omnibus fuisse hominibus commune. Hoc verò nostrum propagatione transfusum (vt ibidem etiam dicitur) non quidem est omnibus cōmune: sed singulare, & quod vnicuique nostrum inest proprium. Præterea probatur id ipsum, de mente & sententia D. August. loco vbi supra, vbi dicit, quod quādo in Adamo peccauimus, omnes fuimus in ipso, quasi quidam Adam; & ipse Adam fuit quasi omnes nos: & tamen quando actu ipsius originale peccatum contrahimus, iam nos non sumus ipse Adam, neque Adam est quasi omnes nos: quinverò singuli personaliter ab eo sumus distincti. Et quis non videat causam distinctam atque diuersam esse ab effectu? Et quod nostri originalis peccati causa, fuit illud peccatum quod simul cum Adamo commisimus: hoc vero quod actu contrahimus dum concipimur, est quasi effectus quidam illius qui ex Adamo prædicto deriuatur? Quis etiam cæcus adeò est vt non videat, longe aliud esse in Adamo peccare, aliud verò peccati maculam quempiam in semetipso contrahere? & quod horū primum fuerit quasi vere agere; secundum verò non tam agere, quàm recipere & pati. Ex prædictis omnibus superque satis nostrum colligitur intentum, nempe rem esse distinctam atque diuersam, quempiam in Adamo peccare, & peccati eiusdem maculam in semetipso recipere, siue actu contrahere. Prædicta quidem sufficerent, superque satis essent ad hanc opinionem comprobandam: sed tandem vltimo in hac sententia persisto, & à prima prædicta discedo, pro eo quod secundum veram Philosophiam, & Theologiæ principia, communiter ab omnibus Doctoribus approbata, nullius prorsus peccati macula in alicuius anima potest reperiri aut drai, nisi ex aliquo actu aliquo modo commisso ab eo in cuius anima talis macula reperitur, & quia repugnat

pugnat quempiam vere & proprie dici posse peccatorem intrinsece, per maculam peccati actualis alicuius, quod ille nullo modo commisit, aut in propria sua persona, aut saltim originaliter in persona alterius, quæ aliquo modo fuerit sua. Qua quidem ratione cum vera fides doceat, omnes nos dum concipimur, in propria nostra persona contrahere maculam actualis peccati, quod Adam primus noster parens in Paradiso commisit, vt habetur expresse in Concilio Tridentino Sessione 5. de peccato originali cap. 3. vbi dicitur: quod actualis præuaricatio qua Adam diuinum mãdatum fregit, propagatione ad nos transfunditur: non potest (meo quidem videri) vllo modo negari actualem illam præuaricationem Adami fuisse aliquo modo nostram, pro eo quod nos etiam eramus in illo, & ipse Adam (vt dictũ est) fuit ibi quasi omnes nos, vt sæpe ac sæpissime dicit D. August. loquendo de peccato originali prædicto: quo proinde peccante, & nos simul cum illo peccauimus: quamvis aliter & aliter; quia ille sua propria voluntate peccauit, nos vero voluntate (non quidem propria nostra) sed ipsius Adæ: tamen non tam aliena fuit, quin etiam possit aliquo modo nostra propria dici, originaliter & habitualiter saltem, vt latius remanet dictum in supradicta quæstione secunda, conclusione prima. Ex dictis constat superque satis, quidnam sit in Adamo peccare. Hac de re qui plura videre voluerit consulat supradictum Ægidium August. loco supra citato lib. 2. quæst. 1. art. 3. §. 1. 2. & art. 6. & vltimo, vbi ad hoc propositum multa satis notatu digna licebit adinuenire.

Circa propositam difficultatẽ sunt tres opiniones.

Hoc igitur præmisso atque præsupposito, tanquam certo, circa propositam difficultatem, qua quæritur, an cõcedendum necessario sit, quod Beatissima Virgo Maria in Adamo primo nostro parente peccauerit? Dico, quod hac de re tres versantur opiniones, duæ extremæ, & quasi ex diametro pugnantes: altera vero media quæ ambas nititur conciliare, aut saltim dicit id quod est tenendum.

Prima opinio est negatiua, quæ nullo modo admittit Deiparam Virginem in Adã primo nostro parẽte peccasse, sed diuersimo'e defenditur à Doctorib' eiusmodi opinio.

Prima opinio est negatiua quæ nullo modo admittit Deiparam, Virginem in Adam primo nostro parente peccasse. Cuius Auctores quamvis in re ipsa conueniãt, in modo tamen suam sententiam explicandi atque tuendi, haudquaquam conueniunt, sed quammaxime sunt inter se diuisi. Qui enim credunt in Adamo peccasse absolute loquendo, nihil omnino esse aliud quam peccati quod Adamus in Paradisso commisit, maculam actu quem pi m contraxisse, cum (vt ex interius dicendis constabit) Beatissima Deipara Virgo eiusmodi originalem maculam haudquaquam actu in semetipsa contraxerit: consequenter dicunt, nõ esse concedendũ ipsam in Adamo primo nostro parẽte peccasse: quoniã in ipso peccasse, nihil aliud omnino esse credũt quam eiusdẽ maculam actu in se contraxisse. Huius opinionis est Magist. Soto, & omnes alij Doctores superius citati. Qui vero dicunt alia

alia procedentes via, in Adamo peccasse, esse simul cum ipso in Paradiso de ligno vetito commedisse: ac simul tenent quod ipsa in Adamo non peccauit: aiunt Beatam Virginem in Adamo primo nostro parente fuisse quidem, tanquam in quodam generali naturæ nostræ principio, & cum eo simul de prædicta arbore ligni vetiti cum omnibus alijs suis posteris commedisse; sed tamen commedendo ideò cũ illo aut in illo non peccasse, quia diuina dispensatione ex speciali priuilegio sibi concesso in meritis Christi præuisis, exempta fuit à pacto & communi illa lege, quam Deus Adamo & omnibus suis posteris imposuit, de non commedendo de ligno arboris scientiæ boni & mali. Ita quod non negant isti Auctores, Beatam Virginem de prædicta simul cum Adamo, & omnibus nobis arbore commedisse: dicunt tamen quod commedendo, eiusmodi comestio sibi ad culpam, siue ad peccatum non est imputata: neque id ipsum faciẽdo cum Adamo aut in Adamo peccasse debet dici, pro eo quod fuit comestio sibi nõ prohibita, quia (vt dictum est) ex diuina dispensatione & speciali priuilegio, in meritis Christi præuisis, sibi concesso, à pacto & communi illa lege fuit excepta: qua quidem ratione, diuinam illam legem haudquaquam potest dici eandem fuisse præuaricatam. Hic est secũdus dicendi modus. Addunt vero Doct. qui hanc tuentur sententiam & opinionem, quod quamvis superius dicta vera sint, ex conditione tamen suæ naturæ fuit nihilominus prædicta Beata Virgo subiecta eiusmodi præcepto, de non commedendo de ligno vetito, quatenus continebatur seminaliter in Adami lumbis tanquam vera ipsius filia, cum posuerit Deus illud præceptum omnibus qui in virtute seminali continebantur in ipso; quo fit vt ex conditione suæ naturæ, vere in Adamo peccaret faciendo contra legem prædictam prohibitiuam, nisi (vt dictum est.) ab illa fuisset excepta. Ex quibus etiam subinde colligunt, Virginem eandem ex conditione suæ naturæ, debitum quidem habuisse in Adamo peccandi, & ipsius peccati maculam in se cõtrahendi, quamvis de facto illam non contraxerit, propter rationem superius dictam. Id quod & sufficere dicunt, ad hoc vt vere & proprie dicatur redempta ex meritis Christi præuisis, cum Deus Optimus Maximus ex eisdem meritis illam exemerit à pacto, & prædicta communi legé Adamo ac suis posteris imposita: nam ad hoc (inquiũt) vt redempta dicatur, sufficit superque satis est, vt debitum habuerit peccandi, illud nempe quod dictum est, ortum ex conditione suæ naturæ. Huius opinionis ac dicendi modi Auctores, quamvis diuersimode loquantur (neque enim omnes supradicta omnia ad modum quo à me relata sunt dicunt) sunt in primis Galatinus lib. 6. contra Iudæos cap. 2. & 6. & Ambros. Catherin. tract. 1. de Concept. Virgin. prima parte cap. 1. §. quarto igitur, & tract. 2. lib. 2. cap. 1. in principio & lib. de casu homi. & peccat. origin. cap. vltimo, & super epist. Diui

 Pauli

Pauli ad Rom.cap.5.§. nunquid autẽ, explicando illa D. Pauli verba, *in quo omnes peccauerunt*, quibus omnibus in locis expresse dicit, prædictam Beatam Virginem in Adamo haudquaquam peccasse: quinvero exemptam fuisse à supradicto pacto, & communi illa lege primo nostro parenti,& suis posteris imposita,de non commedendo de ligno vetito.Idem dicit Viguerius explicando eadem Diui Pauli supradicta verba, *in quo omnes peccauerunt*: & Beatam Virginem ab ea generali regula fuisse exemptam. Quod etiam insinuat in suis institutionibus Theologicis cap.18.§. 5.dum de morte sua agendo, dicit eandem quidem mortuam fuisse, non in alicuius peccati pœnam, sed ex conditione suæ naturæ. Certum est autem,si in Adamo primo nostro parente peccasset, quod mortua fuisset in eiusdem peccati pœnam.Eandem sententiam ex antiquis tenet Franciscus Mayronis in 3. sentent.dist.3.quæst.2.art.10.Et Martinus de Martinez lib.6.Hypo. cap.3.multique alij.Ex Iunioribus autem tenet illam Franciscus Turrianus in epist.de peccato originali, vbi semel atque iterum dicit Beatam Virginem,necdum in Adamo primo nostro parente non peccasse: verum & omninò fuisse liberam atque immunem à debito quod habebant omnes qui in Adam peccauerunt. Et subdit propositionem prædictam, *omnes in Adam peccauerunt*, esse solum vniuersalem figura, non vero sententia: quia (inquit) non comprehendit eos qui peccare non poterant (qualis fuit Christus) neque quos peccare dedecebat(qualis fuit Beatissima Virgo.) Plures alij Doctores pro hac sententia & opinione citantur, quos breuitatis gratia prætermitto, & forte postea dicentur.

Nota valde. Prædictæ positionis fundamentum vnicum atque potissimum.

Fundamentum huius opinionis vnicum ac potissimum est, quia (vt de se patet & negari nullo modo potest) Deus Optimus Maximus optime potuit Virginem sacram præseruare ab eo quod in Adamo peccaret, eximendo illam à pacto & communi illa lege, Adamo ac sibi posteris imposita,de non cõmedendo de ligno vetito,& quod id ipsum faceret quammaxime decuit summam Dei ipsius bonitatẽ, sapientiam atque prouidentiam; necnon & prædictæ Beatæ Virginis excellentiam & dignitatem: vt vel sic illa esset congrua & digna filij sui mater, omninò purior, & à peccato magis aliena. Et præterea quia prædicto modo præseruando ipsam in Christi Domini meritis præuisis,eiusdem redemptio etiam redditur altior &efficacior,dum maiori gratiæ priuilegio, atq; illustriori dono à peccato præuenitur: ergo de facto dicendum est,quod si Deus facere id ipsum potuit, re vera fecit: ipsamque exemit à supradicto pacto & communi lege. Prędictam sententiam esse probabilem & valde piam, tenent multi grauissimi Doctores,sed inter alios Valentia 2.tomo disput.6.quæst.13. puncto 2.& alij de quibus dicemus infra.

Secunda sen.

Secunda est in alio extremo sententia & opinio aliorũ Doctorũ,

asse-

asserentium Deiparam Virginem in Adamo cum omnibus alijs suis posteris peccasse. Quæ & apud Doctores tam antiquos quàm neotericos, siue recentiores, esse videtur communior. Sed nunc ex nouissimis mordicus eandem defendere conatur Ægidius August. in supradicto suo tractatu quē ædidit de Immaculata Conceptione Virginis lib. 2. quæst. 3. art. 2. §. 1. cum sequentibus. Quamvis in sequenti lib. 3. Beatissimam prædictam Virginem cum multis alijs, vt & iam fere tenet communis sententia, liberet, atque immunem prorsus eam esse dicat ab actuali contractione originalis peccati. Citatur in primis ab ipso pro hac sententia Iacobus de Valentia sup. Psalm. 46. vbi multis probare contendit, à generali illa D. Pauli sententia posita ad Roman. cap. 5. *omnes in Adam peccauerunt*, præter Christum nullum omninò fuisse exemptum, siue exceptū, neque etiam prædictam B. Virginē. Nec valere dicit hanc consequentiā: Virgo peccauit in Adamo: ergo habuit peccatū originale: sicut neque è contrario, non contraxit originale peccatum: ergo neque peccauit in Adamo. Nam bene stat quod peccauerit in Adamo, & quod de facto peccatū originale non contraxerit: sunt enim (inquit) hæc longe inter se diuersa. Idē dicit in expositione ad Canticum Virginis, vbi expresse tenet Virginē in Adamo ad originalem culpam fuisse obligatam, quamvis in propria persona ipsam haudquaquam contraxerit. Hanc sententiam tenet etiam Canisius de Maria Deipara lib. 1. capit. 5. littera A. & B. Et Bellarmin. tomo quarto lib. 4. de amissione gratiæ & statu peccat. controuersia 2. cap. 16. vbi expresse se huic sententiæ subscribit, quod Beata Virgo Maria in Adamo peccauit. Quod & facit Suarez 2. tom. ad 3. p. D. Tho. disp. 3. sect. 2. §. dicendum ergo sentio. Vbi dicit simpliciter & absolute esse dicendū *Virginem Beatam in Adamo peccasse*. Idē dicit Vazquez secundo etiam tomo ad dictam 3. part. disp. 115. cap. 3. vbi post longum discursum, concludendo ait, esse manifestum Virginem in Adamo peccasse. Quam etiam sententiam approbat Azor lib. 4. suarum institutionum mora. cap. 34. quæst. vltima, vbi etiam ait, nihil nos cogere vt cum Catherino dicamus Virginem in Adamo nō peccasse. Quod adhuc expressius dicit Henriquez tomo 1. summæ Thelogiæ moralis lib. 3. cap. 1. de Confirmatione, & de Extremavnctione §. 3. littera L. & Zumel in 1. 2. D. Thom. quæst. 81. art. 3. conc. 5. & Petrus Morales de Christo Domino & Deipara Virgine, lib. 3. tract. 1. conclus. 4. littera B. vbi dicit nullam dari repugnantiam quod Beata Virgo Maria in Adamo peccauerit, & tamen de facto originalem maculam non cōtraxerit. Quod adhuc expressius dicit & probat post quintam conclusionem. §. ex qua conclusione. Huic etiam sententiæ adhæret Corduua lib. 1. sui quæstion. quæst. 45. vbi constituēs differentiam inter Christum & Virginem, postquam ostendit Christum ex vi suæ generationis in Adamo non peccasse, nec Adamum

tentia est affirmatiua, quæ asserit ac mordicus tenet Deiparam Virginem in Adamo primo nostro parite peccasse.

eum suo peccato à iure hæreditario habendi originalem iustitiam exclusisse: loquendo de Virgine, dicit eam Adami peccato exclusam fuisse ab ipsius hæreditate, & à iustitia originali in Adamo perdita, propter ipsius peccatum cui & fuit obnoxia, & cum nullus dicatur alicui obnoxius esse peccato, quod ipse nullo modo commisit: aut quod excludatur ab hæreditate, propter peccatum quod non aliquo modo fecit, manifeste conuincitur Corduuam in ea fuisse sententia, vt credat Beatam Virginem in Adamo primo nostro parente peccasse. Quam etiam sententiam præter alios nouissimos, probabiliorem dicit Silas 2. tom. ad primam secundæ D. Thom. quæst. 81. tract. 13. disp. 11. sect. 5. quæst. 2. ad finem. Omnes isti pro hac opinione citantur à supradicto Ægidio loco vbi supra.

Primum arg. Quæ sententia à prædictis Doctoribus, multis probatur Sanctorũ auctoritatibus, & rationibus, sed in primis auctoritate Gilberti Porretani in commentario ad Boetium lib. de duabus naturis, vbi loquẽdo de Christo Domino dicit. *Corpus Christi ex Maria sumptum est, quæ sicut cæteri omnes, ex primorum parentum præuaricatione, peccato & morti subiacuit.* Ex qua auctoritate sic colligi potest argumentum. Cæteri omnes Adami posteri, ex eo peccato & morti subiacuerunt ex primorum parentum præuaricatione, quia simul cum ipsis præuaricationi eidem consensum præstiterunt, ac diuinam legem siue præceptum transgressi sunt, iuxta illud Diui Augustini epist. 23. ad Bonifatium, vbi agendo de paruulis omnibus in communi, & quolibet eorum in particulari, dicit: *Traxit ergo reatum quia vnus erat cum illo, & in illo à quo traxit, quando quod traxit admissum est.* Et iterum lib. 4. contra duas epistolas Pellagian. cap. 4. etiam inquit. *Restat vt in illo primo homine peccasse omnes intelligantur: quia in illo fuerunt omnes, quando ille peccauit, vnde peccatum nascendo trahitur.* Ergo de mente & sententia Gilberti Porretani, simul & Diui Augustini, cum Beata Virgo sicut & cæteri omnes ex primorũ parentum præuaricatione, peccato & morti subiacuerit, simpliciter & absolute cõcedendum est, quod ipsa sicut & cæteri omnes in Adamo primo nostro parente peccauit.

Secundum argumentum. Secundo probatur id ipsum, ex alia sententia D. Augustin. super Psalm. 34. concio. 2. explicando illa verba. *Ego autem cum mihi molesti essent*, vbi ait, *Maria ex Adam mortua est propter peccatum: Adam vero mortuus est propter peccatum, sed caro Domini ex Maria mortua est propter delenda peccata.* Quibus verbis (vt videtur) satis aperte datur intelligi, id quod prætenditur, nempe quod Beatissima Virgo Maria in Adamo peccauerit, postquam de mente & sententia Diui August. mortua est propter Adæ ipsius peccatum. Et argumentum potest sic formari. Omnis qui moritur propter peccatum Adami, vel moritur ex ipsius merito, & quia participauit eiusdem peccatum in quo & ipse simul peccauit, vel moritur vt deleat Adami peccatum: sed Virgo sacra non est mor-

ltua propter delendum Adami peccatum: quia hoc solummodo conuenit Christo qui solus mortuus est sine proprio demerito ad delendum peccatum primi nostri parentis Adami: de quo loquendo dicit D. August. lib. 2. de peccatorum meritis cap. 30. *Teneamus ergo indeclinabilem fidei confessionem, quod solus vnus est qui sine peccato mortuus est, propter delendum peccatum.* Et lib. 4. contra duas epist. Pelagian. capit. 4. ait. *Mortem pati sine meritis mortis, de vno solo mediatore Dei, & hominum homine Christo Iesu catholica fides nouit.* Ergo dicendum est simpliciter & absolute, quod Beata Virgo mortua est, quia participauit peccatum Adami, & ex merito ipsius: & quia simul cum Adamo nostro primo parente peccauit. Potest præterea ad idem alia sic formari ratio ex verbis D. August. Maria mortua est propter peccatum: sed non fuit mortua in sua propria persona: quia actu originale peccatum non contraxit (vt postea dicetur) ergo mortua est quia peccauit in Adamo, quod est intentum. Multas alias auctoritates reperire licebit apud Bãdellum Dominicanum, maximum Deigenitricis Innocentiæ & puritatis oppugnatorem, lib. quem inscripsit contra purissimam eiusdẽ Conceptionem, quibus dici & insinuari videtur, Beatissimam Virginem mortuam quidem fuisse peccato, & in Adamo primo nostro parente peccasse; sed prædicta sufficiant: quia omnes tendunt ad idem, & eandem expostulant difficultatem, & vt ex inferius dicendis patebit, congruentissimam etiam habent solutionem.

Tertio pro eadem sententia & opinione arguitur ab Ægidio supradicto, & probatur Beatam Virginem in Adamo peccasse ac peccato mortuam fuisse; quamvis actu in sua propria persona peccatum originale non cõtraxerit: ex illo vniuersali principio, siue axiomate, quod tradit Diuus Paulus 2. Corinth. cap. 5 vbi loquendo de Christo Domino inquit: quod si vnus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus. Quem quidem locum intelligendum esse, non de morte corporis, sed animæ per peccatum: satis aperte colligitur ex verbis immediate sequentibus: ait enim vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit: quæ verba (vt de se patet) intelligi non possunt nisi de spirituali vita, quam iusti per mortem Christi consequuntur, contraposita spirituali peccati morti, quam omnes homines per culpam & peccatum Adami primi nostri parentis incurrimus, prout latius explicat D. Augustinus lib. 20 de Ciuitate Dei cap. 6. & expressius lib. 6. contra Iulianum cap. 4. Quo præmisso atque præsupposito, & quod prædictum vniuersale principium, & axioma Diui Pauli (vt supra remanet dictum) non est vniuersale tantum figura, sed sensu, ex dicto loco sic conficitur argumentum ad probandum quod Beata Virgo in Adamo primo nostro parẽte peccauerit, ac mortua fuerit. Nam quale est antecedens, tale & esse debet consequens: sed illud antecedens

Tertium arg.

dens, quod si vnus pro omnibus mortuus est: vniuersale est non solū figura, verum etiam sensu: ita vt sensus fiat, quod Christus Dominus pro omnibus (nemine excepto) mortuus est: ergo & consequens similiter esse debet vniuersale, non figura, sed sensu: nempe quod omnes mortui sunt, quemadmodum & pro omnibus mortuus est Christus: & sic Beata Virgo in Adamo mortua fuit, & in Adamo peccauit. Etenim si ipsa in Adamo mortua non fuit, neque in Adamo peccauit: (vt videtur) sequitur quod neque pro ipsa mortuus fuit Christus, cū mortuus non fuerit, nisi pro illis qui peccato mortui fuerunt. Quod & confirmatur de mente & sententia Diui Augustini lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 6. vbi explicando supradicta Diui Pauli verba, quod si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, post alia concludendo dicit: *omnes vtique mortui sunt in peccato, nemine excepto*. Et lib. 6. contra Iulianum cap. 4. inquit *Nullo modo hoc negare permittitur, non nisi pro eis qui mortui sunt, mortuum fuisse Christum*. Facit & ad hoc illud quod dixit ipse Christus Matth. 15. *Non sum missus* (scilicet in hunc mundū, & ad moriendum) *nisi ad oues quæ perierunt domus Israël*. Facit & illud quod dixit D. Paulus ad Roman. 5. *Quod Christus pro impijs mortuus est*. Ex quibus omnibus locis, alijsque similibus quæ passim adducuntur, & à me breuitatis gratia prætermittuntur (vt videtur) colligitur, quod si Beatissima Virgo in Adamo non peccauit, mortuaque in ipso fuit: non participat aut participare potest de sanguine Christi, & de ipsius meritis: quod cum non sit dicendum, aperte credit supradictus Ægidius suum concludi intentum, nempe quod peccauit in Adamo: & quod mortua fuit in ipso. Ad quod etiam probandum simili etiam argumento vtitur, quod sit quartum in ordine, & ponuntur sic, vt cōgruentius illis postea possit satisfieri.

Quartum argumentum, Quarto argumentatur Ægidius pro prædicta sua sententia & opinione, dicendo quod ex contraria positione sequeretur, si Beata Virgo in Adamo non peccauit, & ipsius peccato subiacuit, quod nulla ratione dici posset sanguine Christi redempta. Consequens autem (inquit) necdum est falsum, verum etiam & hæreticum, vt omnes cōmuniter fatentur: ergo illud non est dicendum. Quod vero sequatur sic probat. Etenim si Beata Virgo in se ipsa peccatum originale non contraxit (vt ipse tenet cum communiori sententia, & latius infra dicetur) neque etiam in Adamo peccauit: nulla (inquit) ratione sanguine Christi dici potest redempta: consequentis autem falsitatem probat etiam ex multis Sacræ Scripturæ testimonijs. Primo ex illo Pauli 2. Corinth. 5. *Christus pro omnibus mortuus est*. Item & 1. ad Thimot. 4. vbi dicitur: *quod Christus est omnium saluator*. Quod etiam Virgo ipsa sacra de se ipsa fatetur in suo Cantico, cuius initium est: *Magnificat*, ipsum vocando salutare suum, per illa verba: *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*: ergo intentum. Ad idem propositum plura adducit Sacræ Scrip-

Scripturæ testimonia Ægidius prædictus, quæ sciens & prudens prætereo, cum omnia eandem difficultatem expostulent, ac similem habeant solutionem. Item & adducit ad idem propositum Diuum Augustinum de natura & gratia in principio, dicentem: *quod qui non pertinent ad eos qui peccauerunt, nullam habent necessitatem quod Christiani fiant.* Ex quibus omnibus colligit, quod si Beata Virgo, neque in se, neque in Adamo peccauit, nullum proinde habuit peccatum à quo redimi posset: quia omnis qui peccat, in se aut in alio peccat: ac proinde quod nulla ratione posset dici sanguine Christi redempta.

Neque (inquit) satis est dicere, quod ad hoc vt aliquis dici possit redemptus, sufficit quod ex sua natura habeat debitum peccandi, quamvis non peccet: nam eiusmodi debitum non est satis ad veram & propriam redemptionem: nec vero habere potest quispiam debitũ peccandi, ex eo quod ipse in se, neque in alio commisit: dicendum ergo est, quod revera Beata Virgo in Adamo peccauit.

Quintum argumentum. Quinto argumentatur Ægidius prędictus ad idem. Quia (inquit) si Beata Virgo in Adamo non peccauit, sequeretur quod neque peccatum contraheret originale, etiam si diuina gratia nõ præueniretur: consequens autem est falsum, & parum tutum in fide: nam iuxta cõmunem sententiam Virgo sacra indiguit gratia Christi iustificatiua præueniente, vt à contrahenda peccati macula præseruaretur, & de facto illam contraheret, nisi præueniretur: ergo intentum. Quod verò cõsequens sequatur, probat hac ratione. Quia nemo (inquit) maculam peccati recipit, nisi illud in se personaliter vel in alio originaliter cõmiserit (macula enim peccati in peccatore permanens, necessario debet causari ab aliquo peccato in se vel in alio commisso) ergo si Beata Virgo, neque in se, neque in Adamo peccauit, contrahere haudquaquam posset ipsius peccati maculam, etiam si diuina gratia non præueniretur; quod fuit supradicti antecedentis consequens. Cum igitur id non sit dicendum, adeò aperte cogitat supradictus Ægidius ipsius concludi intentum, vt supradictam Catherini, & ipsum sequentium sententiam, non solum falsam, improbabilem & plusquam temerariam esse dicat, nullam pietatis speciem præseferentem: quinverò potius expressam impietatem includentem, ac proinde nullo modo sustinendam, sed procul relegandam, vtpotè quæ Christi Domini redemptionem minuat, & (vt ipse credit) non est in fide tuta, sed erronea. Ad quod probandum pluribus alijs vtitur medijs & argumentis, supponendo primo, latissimum discrimen & differẽtiam quæ versatur, inter gratiam simpliciter sanctificantem, qualis fuit illa quæ collata fuit Angelis, & Adamo primo nostro parenti in sua creatione, iuxta communem seu potius magis probabilem opinionem: & gratiam iustificantem, quæ communiter confertur peccatoribus, & prius existentibus in peccato. Nam (inquit) harum prima per se inci-

Nota valde, quæ ad propositum redemptionis, dicit Ægidius de Beata Virgine.

pit à contradictorio, id est à non sancto siue non grato. Secunda verò per se, non incipit nisi à contrario positiue, nempe ab iniquo, impio, Deo inuisso atque ingrato: ad quod secundum genus gratiæ pertinere dicit gratiam redemptionis Christi. Ex quo proinde infert, quod ad hoc vt Beatissima Virgo ab eodem vere & proprie dici posset redempta, necessum est quod saltim per aliquod temporis instans in Adamo primo nostro parente fuerit peccatrix, iniusta, iræ filia, gratiæ mortua, peccato captiua, Deo ingrata atque inuisa. Multa alia ad hoc propositum dicit supradictus Ægidius, vt Christi Domini redemptionem extollat, & suæ matris sanctitatem & puritatẽ minuat, quæ meo quidem videri Sacram Virginem quammaxime dedecent, & optime ipse excusare posset, talia proferre de Deipara Virgine: quia certe illa humanæ ipsæ aures abhorrent exaudire. Videatur loco vbi supra art. 4. à prædicto §. 2. vsque ad §. 11. quibus in locis supradicta omnia latissime probare contendit multis rationibus, necnon & Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum auctoritatibus. Sed quia hac de re iterum infra redibit sermo in sequenti quæstione, vbi agemus, vtrum Beata Virgo habuerit debitum peccandi originaliter in Adamo: pro nunc ab ampliori eiusdem tractatione consulto supersedeo, vt non eadem semel & iterum dicere cogamur: procedamus ad alia.

Tertia sententia est media, quæ prædictas duas sententias conciliare & vt cunque ad pacem reducere contendit.

Tertia sententia & opinio circa propositam difficultatem, est media, aliorũ qui prædictas duas ita extremas atque contrarias conciliare, & ad pacem & concordiam, vt cumque contendũt reducere, dicendo esse quidem verum, quod Beata Virgo in Adamo primo nostro parente peccauit, de iure tamen & secundum meritum, non tamen de facto. Quam sententiam tenet Medina in tertia parte D. Thom. quæst. 27. art. 2. & Palacios in 3. sent. dist. 3. disput. 1. Et pro eadem nouissime allegatur Salmeron tomo 13. in epist. ad Roman. cap. 5. disput 50. vbi dicit Sacram Virginem secundum Adami meritum fuisse peremptã, actu tamen peremptã minime fuisse. Videatur ibidem pag. 461. col. 1. §. mirum est. Multique alij huic adhærent sententiæ & opinioni. Quibus omnibus præmissis atque præsuppositis, vt quod vere sentio de prædictis opinionibus proferam, & quam ipsarum quælibet probabilitatem habeat, quod etiam iuxta fidem & communiorem atque probabiliorem sententiam sit tenendum, & sentiendum, breuiter & resolutiue dicam, sequentes statuo Conclusiones.

Prima Conclusio.

Iuxta sententiam & opinionem illorũ qui dicunt in

IVXTA sententiam & opinionem illorum, qui docent in Adamo peccare, absolute & formaliter loquendo, nihil omnino esse aliud quam originalis peccati maculam quempiam in semetipso & in sua propria persona contrahere: sustinendo etiam quod Beata Virgo actu illam

illam non contraxit, consequenter dicendum est, quod nec ipsa in Adamo primo nostro parente peccauit. Prædictæ opinionis auctores iam supra in huius quæstionis initio sunt commemorati, nempe Soto, Driedo, Medina, multique alij, qui sustinétes vt communiorem, piã & magis probabilem opinionem, quod Beata Virgo de facto originale peccatum non contraxit, consequenter omninò negant, eandem de facto in Adamo etiam peccasse: bene tamen de iure, & secundum meritum: ad hunc sensum, quod si diuina gratia non præueniretur & à peccato prædicto præseruaretur, de iure & secundum meritum illud debuisset omninò contrahere, & de facto in Adamo peccasset. Sed tamen hæc sententia & dicendi modus, quantum ad id quod dicit in Adamo peccare nihil esse omninò aliud quam originalis peccati maculam quempiam in se contrahere: etiam supra à nobis est reiectus atq; explossus, nulloque modo probatur Ægidio Augustiniano, imo vero multis rationibus & argumẽtis illum reprobat & impugnat, in supradicto tractatu lib. 2. q. 1. a. 3. §. 1. & 2. & q. 3. a. 3. & q. 4. art 7. & vltim. §. 1. in prima propositione earum quas ponit pro resolutione omnium eorum quæ in dicto lib. 2. dixit. Vbi dicit eiusmodi sententiam parum esse in fide tutam, neque sustinendam siue admittendam, aut hac in re audiendum esse Vazquez Bellomontanũ secundo tomo ad 3. par. D. Thom. disput. 115. cap. 2. num. 15. dum simpliciter negat originale peccatum non esse actionem, seu potius consistere in actione illa, qua nos simul cum Adamo primo nostro parente in Paradiso diuinum præceptum violauimus. Et quod sententia prædicta, quatenus dicit in Adamo peccare, absolute & formaliter loquendo, nihil esse omninò aliud quam ipsius peccati maculam actu quempiam in semetipso contrahere: sit falsa & parum in fide tuta, & non sustinenda, neque admittenda, cum falso innitatur fundamẽto: probat supradictus Ægidius ostendendo quam lõge aliud atque diuersum sit, vnum & aliud, quia (vt iam diximus supra) in Adamo peccare, fuit cum in ipsius lumbis eramus: eiusdem vero peccati maculam in nobis metipsis actu contrahere, non est nisi dum actu concipimur, & in nobis metipsis sumus iã existentes personaliter. Nec (inquit Ægidius) ratione formę valet hęc consequentia. Peccauit quis in Adamo: ergo contraxit peccatum originale. Cum per diuinam potentiam possit prius à posteriori separari: sicut nec è contrario valet: non contraxit quis de facto peccatum originale: ergo neque in Adamo peccauit. Cum ex diuino etiam priuilegio speciali, posterius hoc sine priori illo de facto inueniri possit. Dicit præterea supradictus Ægidius, simpliciter atque absolute concedendum esse, omnes in Adamo peccasse (nullo excepto) per aliquem actum à se ellicitum saltim originaliter, virtualiter siue habitualiter: cũ illud expresse dicat D. Paul. ad Roman. 5. in illis verbis, in quo omnes peccauerunt, quæ quidem verba (vt de se patet) haudquaquam deno-

Adamo peccare, esse eiusdẽ maculam originalem contrahere, dicendum est quod Beata Virgo in Adamo non peccauit.

tant receptionem maculæ, sed actû quo eiusmodi macula ab aliquo recipitur. Et addit Ægidius, quod neque vllo modo hac in re admittenda est euasio eorum qui dicunt, prædicta D. Pauli verba intelligenda esse non proprie, sed impropriè ad hunc modum, vt fiat sensus, omnes in Adamo (id est per Adamum) peccauerunt: nam cum intelligi & verificari possint proprie, & in suo genuino litterali sensu, haudquaquam recurrendum est ad sensum improprium, iuxta communem & generalem regulam, quam tradunt Doct. qui præbent modum intelligendi Sacram Scripturam. Et quis (inquit) est qui non videat, quod verbum, peccare, actionem denotat, siue peccati actum à nobis simul cum Adamo nostro primo parente ellicitum: & quod peccati maculam quempiam in se contrahere, non est agere, sed quid resultans ex actione qua eiusmodi macula recipitur? Ex prædictis omnibus probare contendit Ægidius falsitatem opinionis supradictæ, & eam nullatenus esse admittendam aut sustinendam; sed simpliciter & absolutè concedendum Beatam Virginem in Adamo primo nostro parente peccasse, quamvis de facto in semetipsa originale peccatum non contraxerit. Addit prætereà supradictus Ægidius, haudquaquam etiam esse satis dicere, quod quamvis Beata Virgo in Adamo non peccauerit de facto, peccauit tamen de iure, & secundum meritum: nam (inquit) quid est peccare de iure & secundum meritum? Etenim si peccare in Adamo (vt volunt Doct. contrariæ opinionis) nihil est omninò aliud quam ipsius peccati maculam in se contrahere: si Virgo sacra (vt pro nunc supponitur) iuxta piam & magis probabilem opinionem illam non in se contraxit, sicut non peccauit de facto, ita neque peccauit de iure, aut secundum meritum. Nam vbi potest fundari eiusmodi ius, siue meritum, in ea quę peccati originalis maculam nunquam contraxit? Nec valet dicere, quod fundatur in illa actuali Adami trãsgresfione siue præuaricatione, qua in Paradiso diuinum fœdus siue præceptum violauit: nam si nos in eo existentes simul cum illo præuaricationi eidem consensum non pręstitimus, ex eo solûmodo quod ex Adamo præuaricatore sumus propagati, ad culpam siue ad peccatum, id ipsum nobis haudquaquam potest imputari. Etenim ex parentum præuaricatione filij, quamvis pœnam aliquam temporalem possint contrahere, & multoties propter ipsorum peccata & scelera puniantur: culpam tamen siue peccatum ex alio, nullus omninò potest contrahere sine proprio suo consensu & volũtate, præstito in sua vel aliena persona, quæ quodammodo reputetur sua, virtualiter, habitualiter, siue interpretatiue (vt dictum est) quod contigit solummodo & specialiter in peccato originali. Ex dictis colligit supradictus Ægidius, quod Adami filij siue posteri, nullatenus contrahere potuerunt intrinsece & formaliter maculã, siue culpam originalis peccati, propter Adami ipsius actuale peccatum, quod non reuera illi simul cum ipso,

ipso commiserunt. Nec satis esse quempiam à parente peccatore esse propagatum, ad hoc vt in semetipso recipiat intrinsece & formaliter maculam originalis peccati, per quam sit Deo inuissus & ingratus, iræ filius, aut aliqua pœna dignus. Esset enim (inquit) quodammodo iniustitia ex parte Dei, obligare nos peccato alterius, aut nos punire, propter illud quod nullo modo, nec actualiter, virtualiter, habitualiter, siue interpretatiue commisimus. Hæc prædictus Ægidius locis supracitatis. Cuius quidem discursus hinc inde collectus (quod vere fatear) haudquaquam non placere potest: quinvero optimus & rationi quammaxime consonus esse videtur, quidquid sit de alijs. Sed progrediamur vlterius, nam statim ad Ægidium reuertemur, & videbitur in quo cum illo non conueniamus.

Secunda Conclusio.

IVXTA sententiam & opinionē Catherini, & aliorū asserentium in Adamo peccare, omninò esse idem atque in illo & cū illo diuinū pactum, siue præceptum præuaricasse: dicendum est, quod Beatissima Virgo pro eo in Adamo primo nostro parente non peccauit, quia fuit exempta siue excepta ab illo pacto siue communi lege, à Deo Adamo & omnibus suis posteris imposita. Hæc etiam sententia haudquaquā placet Ægidio supradicto: quinverò quammaxime sibi displicet, illam que reprobat & multis fortissimis atque vrgentissimis rationibus impugnat (vt supra vidimus) contendendo simpliciter & absolute esse dicendum, Deiparam Virginem simul cum omnibus nobis in Adamo primo nostro parente peccasse. Quam opinionem apud Theologos, tam antiquos quàm recentiores, esse dicit probatissimam & receptissimam, & omninò tenendam. Quod in tantum credit esse verum, vt contrariam Catherini & aliorum eūm sequentium sententiam, non solum dicat esse falsam, improbabilem & plusquam temerariam: non quidem pietatis speciem præseferentem (vt quibusdam placet) quinvero potius impietatem expressam includentem, cum tollat (sibi vt videtur) aut saltim minuat vniuersalem redemptionem Christi, & neget Sacram Virginem, ipsius sanguine fuisse redemptam. Qua quidem ratione dicit eiusmodi opinionem nullo modo esse sustinendam, sed procul relegandam, vtpotè quæ non sit in fide tuta: quinvero potius erronea. Videatur hac de re in supradicto secundo lib. de Immacul. Concept. B. Virg. quæst. 3. a. 1. §. 1. & 2. & art. 2. §. etiam primo & 2. & art. 4. per decem continuos parraphos. Item art. 5. & vltimo & quæst. 4. art. 6. vbi ponit resolutionem omnium quæ dixit in dicto 2. lib. propositione 3. & art. 7. & vltim. §. 3. & 4. Quibus omnibus in locis de prędicta Catherini sententia latissime agit. Sed reuera valde miror Ægidium, virum alias religiosissimum, doctissimum atque eminen-

Iuxta sententiam Catherini, Beata Virgo pro eo in Adamo non peccauit, quia fuit excepta à pacto & communi lege, Adamo & suis posteris imposita.

tissimum, in expendendis, censendis & qualificandis grauiorum aliorum Doctorum sententijs & opinionibus, adeò se rigidum exhibeat (vt dicitur) Catonem Censorinum, & seuerissimis notis easdem audeat adnotare: ita vt necdum falsam & improbabilem, verum & plusquam temerariam esse dicat, sententiam & opinionem quæ tot ac tantis grauissimis Doctoribus probatur, & vera probabilis & quàmmaxime pietati cōsona ab eisdem communiter dicitur & acclamatur. Nam præter supradictos Galatinum, Catherinum, Viguerium, Franciscum Maironem, & alios quos supra commemorauimus, & sententiam prædictam sustinere & defendere diximus: ex neothericis & iunioribus, nunc denuo (vt certa relationem accepi) tenent & defendunt illam omnes Doctores Complutenses: viri doctissimi atque eminentissimi, quorum nonnulli in eiusdem defensionem quamplurimos tractatus ædiderunt, qui & constantissime dicunt eam nulla tali nota siue censura esse dignam, vllove modo censeri siue notari posse. Quod præsertim facit Doctor Gundisaluus Sanchez Lucero, in suo speciali tractatu, vulgari sermone conscripto, cui titulus: *Que la Virgen Santissima no peco en Adan, ni quedo en el deudora al pecado original.* Vbi in primo discursu cap. 2. fol. 6. pag. 1. §. *lo segundo*: constantissime affirmat supradictam Catherini & aliorum doctrinam, non esse nouam: quinverò antiquam & probatam multis grauissimis Ecclesiæ Patribus. Quod etiam dicit F. Ioannes Baptista de Lezana Ordinis Carmelitarū, in suo libro Apologetico pro Immaculata Deigenitricis Conceptione, cap. 32. fol. 145. pag. 2. Vbi prædictam sententiam tanquam verissimam constanter etiam defendit. Quod etiam facit Doctor Albarus Pisanus de Palacios, in suo libro pro confirmanda immunitate Conceptionis B. Virginis Mariæ, discursu primo: vbi opinionem hanc vt verissimā etiam probat. Qui prædicti duo pro eadem Auctores, alios quam plurimos referunt, & dicunt eiusmodi sententiam quæ dicit Beatam Virginem in Adamo nunquam peccasse, nulla prorsus notari posse censura mala: quinvero putant esse verissimam atque certissimam. Præter supradictos, sunt etiam quamplurimi alij, qui licet eiusdem similē certitudinem non habeant, habere tamen dicunt quammaximam probabilitatem, æqualem aut forte maiorem, quam de sententia opposita, illamque ab omni nota & quavis mala censura liberant. Etenim (inquiunt) quod in se probabile est & falsitatem nullam habet, nulla est simili censura dignum, sed illud duntaxat quod ita est in se falsum, vt nulla ratione esse posit verum. Cuius quidem generis Doct. qui opinionem & sententiam prædictam referentes nulla eandem censura mala confingunt, reperire licebit quamplures ac fere innumeros, qui nec tacite nec expresse illam condemnant: quinvero vt videtur quammaxime probabilem reputant. Inter quos ennumerari potest Enriquez lib. 3. de Confirmatione, & Extremavnctione cap. 11. ca. 3.

litteraI. Et Angles sacræ nostræ Religionis Doctor, in 2.sent.dist. 31.quæst.1.difficult.2.appendice 6. Vbi expendens illam generalem Diui Pauli regulam, *omnes in Adam peccauerunt*, dicit, sic esse intelligendam, vt ab eadem Beata excipiatur Virgo. Quod etiam dixit Albertus Magnus (licet pro contraria sententia adducatur) lib. de laudibus B. Virg. vt refertur à Canisio lib.5. de Maria Deipara, vbi ab eadem generali regula Beatam Virginem excipit. Pro eadem etiam sententia referri potest Suarez 2.tomo ad tertiam partem D. Thom. disput.3. sect. 2. §. quæret aliquis, littera B. vbi dicit opinionem illam quæ docet Beatam Virginem in Adamo non peccasse, non posse vlla censura notari: quia vtcunque Sacræ Scripturę locutiones saluantur. Videatur eadem de re Azor lib.4.disput.moral.cap.34.quæst.3.pag.477. paulo ante finem, & Ouando in 3.sentent.dist.3. quæst. 1. art. 2. propositione 8. Valentia tom.2.disp.6.quæst.11.puncto 2.ad primum argumentum, & 4.tomo disput.2.quæst.1. puncto 2. Salas 2. tomo ad p.2.D.Thom quæst.81.tract.13.disput.11.sect.5.quæst.11. Barradas tomo 1.lib.6.cap.3.in quinta gemma §.à lege filium: vbi dicit, Beatã Virginem exclussam fuisse ab vniuersali illa lege, *omnes in Adam peccauerunt*. Idem insinuare videtur Basilius Legionensis, prima parte suarum variarum resolut.relect.3. vbi licet opinionem prædictam nõ dicat esse veram, haudquaquam tamen putat ipsam aliquam posse notari censura. Quod idem facit Cosmas Magallanus super epist. Diui Pauli 1.ad Thim.cap.2.sect.3.notab.6.in fine. Videatur etiam hac de re Ioannes Cartagena nostræ etiam Religionis Doctor, in homilijs catholi.quas ædidit de Virgine Deipara, homil.16. Tandem vt (dicitur) prædictam Catherini & suorum sequatium sententiã, cum magno Theologorum Complutensium applausu, annis præteritis publice tutatus est, atque constanter defendit, frater Antonius de Velasco nostri etiam sacri Ordinis Minorum, sacræ Theologiæ Lector, Prouinciæ Castellæ, affirmans nullius censuræ nota inurendam esse positionem quæ dicit, haudquaquam Beatam Virginẽ in Adamo primo nostro parente peccasse: quin verò probabili veritate eandem gaudere, insuper & piam esse, & altißimæ redemptioni Christi Domini nostri quammaxime consonam. Quod etiam alias publice, compluti defensum esse dicitur à Doctore Henrico de Villegas, sacrorum Bibliorum interprete, & à Patre Albornoz Dominicano, Cathedræ Vesperarum sacræ Theologiæ ibidem regente, necnon & à Doctore Ludouico Montesinos, Theologiæ eiusdem ibidem primario professore. Et omnium nouißimus haud minus quidem docte, quam eleganter sententiam & opinionem eandem defendit, Ferdinandus Quirinus de Salazar Conchensis è Societate Iesu, in Complutensi Collegio sacrarum litterarum interpres, libro quem ędidit, & direxit ad nostrũ Philippum Tertium, Hispaniarum simul & Indiarum Catholicißimũ Regem,

Regem, cui titulus: *Defensio pro Immaculata Deipara Virginis Conceptione.* Omnes superius adducti, opinionem supradictam defendunt, aut saltim probabilem reputant, ac nulla mala censura eam dignam esse dicunt. Quod cum ita sit, iterum atq; iterum mirari non satis queo Ægidium Augustinianum prædictum, virum alias doctissimum atque religiosissimum, adeò acri & rigorosa censura, Catherini & aliorum sententiam supradictam inussisse, illam vt dixerit (necdum falsam, improbabilem, plusquam temerariam, nullo modo aut pacto tenendam, aut sustinendã) quinvero potius procul relegandam, vtpote parũ in fide tutam, seu potius erroneam: certe miror quod non eam dixerit manifeste esse hæreticam, adeò in illam inuehitur. Sed vt hac in re nõ tam Doctorum auctoritatibus, quàm rationibus innitamur, & eiusmodi sententiam (non falsam, sed veram, aut saltem probabilem, nimisnõ quidem erroneam, sed in fide quammaxime tutam, rationibus & argumentis comprobemus) & ostendamus qualiter Beata Virgo haudquaquam in Adamo nostro primo parente peccauerit, & cum hoc simul stet quod vnigeniti filij sui præcioso fuerit sanguine redempta; pro hac opinione sic argumentor.

Primum arg. Primò argumento desumpto ab æterna Virginis huius electione & prædestinatione ad eam à Deo præexcelsam dignitatem, vt cõgrua & digna esset Christi Domini Mater. Et argumentum formatur in hunc modum. Virgo Beata ab æterno fuit efficaciter electa & prædestinata à Deo, ad matris dignitatem, & ad gratiam & gloriam quam habuit in tempore ante omnem creaturam, & ante præuissam conditionem & creationem Adami, & cuiuscunque ipsius peccati: ergo nullo modo dicendum est, quod in ipso peccauit, aut ingressa est vllo modo pactum initum inter Deum & ipsum Adamum, pro se & omnibus suis posteris. Consequentia (vt videtur) legitima est. Etenim si (vt prædictum est) Sacræ Virginis electio & prædestinatio ad Matris dignitatem, & ad gratiam & gloriam quam de facto in tempore habuit, præcessit electionem & prædestinationem Adami, & omnium suorum posterorum: liquidum profecto fit, quod ipsa inuolui haudquaquam potuit in pacto, postea (nostro modo intelligendi) inito cum Adamo, & omnibus suis posteris: cum eiusmodi pactum non nisi pro futuris post Adamum ipsum fuerit celebratum, & ex vi talis decreti (etiamsi Adamus non foret) Deipara Virgo nihilominus existeret. Antecedens verò, nempe quod Virgo sacra (sicut præmittitur) ante Adami & suorum posterorum præuisionem fuerit electa & prædestinata (præterquam quod est expressa sententia nostri Scoti in 3. sent. dist. 7. quæst. 3. §. sed ij sunt, & dist. 19. quæst. vnica §. in ista quæstione, & in reportatis dist. 7. quæst. 4. §. 3. declarandum, & communis omnium Scotistarum) tenet eam Alexand. Alensis 3. p. quæst. 3. art. 13. & Pighius lib. 10. de lib. arb. c. 1. & lib. 18. cap. etiam primo.

Et

Et Catherin. lib. de eximia prædestinatione Christi. Galatinus lib. 7. de arcanis cap. 2. Et Viguerius in suis catho. institut. cap. 2. §. 1. Suarez in 3. part. D. Thom. quæst. 27. disput. 1. sect. 3. Constatque satis aperte ex illis verbis quæ habentur Prouerb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego iã concepta eram.* Quæ quidem verba ad literam, licet de Sapientia increata primo veniant intelligenda, non tamen incongrue, quinverò congruentissime, in sensu spirituali & mystico, etiam Beatæ Virgini tribuuntur, accommodantur, & applicantur ab Ecclesia. Cui certe conuenire minime possent, nisi ipsa à Deo ab æterno in diuina præuisione & electione (ad nostrum modum intelligendi) prius fuisset præuisa, electa & prædefinita, & omnibus alijs creaturis antelata. Ita quod prædicta Beata Virgo post Christum Dominum (qui teste D. Paulo ad Colos. 1. prædestinatorum fuit omnium primus) ante præuisionem & prædeffinitionem Adami, & suorum posterorum, & cuiuscunque originalis peccati primo fuit electa, præuisa, prædestinata, deffinita atque determinata, quod futura erat eiusdem Christi Domini Mater: consequenterque proinde independenter ab omni prorsus peccato. Quibus supradictis verbis concinit & illud, quod habetur, Eccles. 24. *Ego ex ore altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturã.* Quæ etiam verba ad eundem sensum sunt interpretanda, & intelligẽda. Nam quonam pacto Virgo sacra vllo modo dici posset primogenita ante omnem creaturam; nisi id intelligendum veniret (vt dictũ est) in decreto diuino, & diuinis diffinitionibus & prædeterminationibus? Etenim in executione, planum est quod non fuit ante omnem creaturam. Hoc argumentum latissime prosequitur Salazar supradictus, libro suo pro Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione, cap. 3. per totum, vbi & ad idem propositum plura satis notanda dicit, quę videri poterunt ibidem.

Secundò sic potest argumentari ad idem. Nam ad hoc vt quis dicatur in Adamo peccasse (vt satis constat ex supradictis) non satis est vt fuerit in illo tanquam in naturali humanæ naturæ principio, & vniuersali omnium capite: sed vlterius necessum est, vt fuerit in illo, tanquam in capite morali, & comprehensus in pacto à Deo cum Adamo & suis posteris inito: sed Beatissima Virgo, ex filij sui meritis præuisis, excepta & libera fuit à pacto prædicto, & licet fuerit in Adam tanquam in suæ naturæ principio, non tamen fuit in illo tanquam in capite morali: ergo nec dicendum est quod peccauit in ipso. Consequentia cum maiori legitima est, minorem autẽ sic probo. Quia Deus Optimus Maximus (qui fuit legislator, & pacti prædicti cõstitutor) optime potuit eam ab illo eximere; cum neque in hoc aliqua reperiatur contradictionis implicatio, & fuerit quammaxime expediens atq; conde- *Secundum argumentum.*

condecens id ipsum vt faceret, ac Matri suæ diceret, quod olim Asuerus dixisse fertur, Hesth er cap. 6. *Non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est*: quæ verba Sanctissimæ etiam Virgini ab Ecclesia in suæ Cõceptionis officio accommodantur. Dicendum est igitur, quod & illud fecit de facto: & sic Virgo sacra, neque ingressa est pactum prædictum, neque peccauit in Adamo.

Tertium arg. Tertiò argumentari potest ad idem. Quia si propter aliquam rationem & causam Deus illud non fecisset, maxime vt non minueretur Christi Domini redemptio, expediebat enim quammaxime, vt ipse esset vniuersalis omnium hominum redemptor (vt in quampluribus suæ doctrinæ locis docet Diuus Paulus) sed propter hoc non minuitur: quinverò quammaxime extollitur atque illustratur, & Christi meritum efficacius ostenditur: ergo intentum. Consequentia legitima est, minorem sic probo. Quia non minor, quinverò maior Christi meriti efficacia est, Sacram Virginem à peccato in quod cadere poterat præuenire & præseruare, & facere vt in ipsum non caderet: quã eandem post lapsum eripere: ergo id ipsum faciendo altiori modo dici debet eiusdem redemptor. Quod & confirmari potest exemplo. Nam si quis cum mulierem aliquam in seruam vendidisset, in eodem contractu cõstituisset vt primus eius filius liber esset, nec seruus nasceretur: ac tali modo illum exciperet: revera ille talis optimo iure à seruitute diceretur redemptus: idem ergo dicendum est in proposito, & quod Virgo Sacra in tali casu potest & dici debet à Christo Domino redempta, etiamsi in Adamo haudquaquam peccauerit: postquam ex eius meritis præuisis exempta siue excepta fuit à supradicto pacto, & communi lege Adamo & suis posteris imposita, & à peccato in quod incidisset, nisi præuenta & præseruata fuisset.

Quartum argumentum. Quartò sic argumentatur ad idem. Nam certe contrarium dicere, & asserere Beatissimam Virginem in Adamo peccasse, videtur vergere in opprobrium & quammaximam iniuriam Christi Domini, insuper & sanctissimæ suæ Matris: dum de illo dicitur, quod sit peccatricis filius: non bene, quinverò male natus. Nam certe natus ex Patre damnato atque maledicto, damnatus etiam & maledictus diceretur. De illa autẽ diceretur, quod fuerit iræ filia, Deo ingrata atque inuisa, multaque alia exinde sequerentur inconuenientia, quæ lingua timet nec valet dicere, & piæ aures omninò horrent exaudire: non igitur est id vllo modo dicendum.

Quintum arg. Quintò sic argumentari potest ad idem, ex verbis D. Augustini, serm. de Assumptione, vbi ait, quod de Deo semper debemus credere fecisse id quod melius est: sed melius est Deum Beatissimam Virginẽ vt ne in Adamo peccaret eximisse atque liberasse, quam non fecisset: dicendum ergo est quod illud ita fecit de facto. Et vt argumentum magis in suo puncto constituatur, quæro, an Deus id ipsum facere potuit

tuit & non voluit, an vero voluit, & non potuit? Non dici potest primum: etenim impietatem redolet, & vt inquit Diuus Augustinus: *Credendum non est quod fuerit ingratus matri suae, qui Patri, Matriq; honorem praecepit exhiberi.* Nec vero potest dici secundum, quia arguit impotentiam in Deo: ergo intentum, nempe quod potuit & voluit, & de facto, vt non in Adamo peccaret, illam liberauit.

Sextò ad idem sic etiam potest argumentari. Nam (vt dicunt omnes vbique sancti) Beatissima Virgo ex eo quod futura erat Mater filij Dei, melior & superior fuit cunctis Angelis, & in Assumptione sua (vt canit Ecclesia) supra illos omnes est eleuata & exaltata, sed Angeli neque in se, neque in alio vllum vnquam prorsus habuerunt peccatum: ergo id ipsum Sacrae Virgini nullo videtur modo denegādum. Vt quid enim aeternus Deus Pater, vnigenitusve ipsius Filius, Sanctissimae Matri suae denegaret, quod concessum est Angelis: cum adeò longe sit melior ipsis, & maternitatis Christi dignitas, adeò praeexcelsa, vt super ea fauores omnes possibiles optimo iure possint & debeant fundari? *Sextum argu.*

Hoc argumentum ex eo quammaximè comprobatur, & fit septimum argumentum; quia super hoc solummodo innixa atque fundata sancta nostra mater Ecclesia, Virginem praedictam eximit, ac fidelibus credendum firmiter tradit, eam fuisse exemptam ab alijs communibus regulis: vtpote à doloribus partus, à corruptione corporis, alijsque similibus: cur igitur & nos eodem fundamento innixi, ac debita pietate moti, non asseueranter dicemus, exemptam fuisse ab hac communi regula, vt cum nobis omnibus non in Adamo primo nostro parente peccauerit. Aut cur id ipsum factum cuipiam videatur impossibile, cum manus Dei extenta, in id haudquaquam fuerit coarctata? *Septimum argumentum.*

Quod & comprobari potest exemplo rationi nimium conformi quod sit aliud argumentum octauum in ordine. Etenim si Rex quispiam alicuius subditi filiam in sponsam sibi delegisset, ac propterea ipsius patri dignitatem aliquam concessisset, ea conditione & pacto vt si fidelis sibi extitisset eiusmodi dignitas ad omnes ipsius posteros transiret: sin autem quod paterni criminis rei omnes permansissent, quid obest quo minus à tali conditione & pacto, eius quam sibi in sponsam elegerat filiam excepisset? nihil certe. Idem igitur pie credēdum est in proposito, Deum nostrum Opt. Max. cum sacra Virgine fecisse: eamque exemisse à pacto & communi lege, Adamo & omnibus suis posteris imposita, vt non in ipso aut cū ipso peccaret? Ex praedictis omnibus rationibus, sententia & opinio Catherini praedicta satis redditur probabilis, ac pietatis speciē quammaximam praeseferēs. Quo fit vt supradictus Aegidius, immerito quidem eiusmodi nota illam inusserit, vt dixerit eam esse falsam, improbabilem, plusquam teme- *Octauum argumentum.*

 mera-

merariam, non in fide tutam: quinverò potius erroneam, nullo modo sustinendam, sed procul relegandam. Sed quia opinio & sententia quam ipse defendit, negari potest minime quod etiam sit probabilis: quinverò probabilior & apud Theologos omnes, tam antiquos quā recētiores & neothericos communiter magis recipitur: in ipsius gratiam sequens etiam tertia statuitur conclusio.

Tertia Conclusio.

Sententia & opinio quæ dicit B. Virginē in Adamo primo nostro parente peccasse, communior atque probabilis etiam est; quinvero & probabilior, stando in suis fundamentis, si debite explicetur.

SENTENTIA & opinio quæ dicit, Virginem sacram in Adamo primo nostro parente peccasse, stando in suis fundamētis probabilis etiā est: quinveró & probabilior, si sano modo intelligatur, ac debite (vti par est) explicetur. Hæc conclusio non aliter potest probari, quam per ea quæ latissime à nobis dicta sunt supra, in positione secundæ sententiæ, quæ asserit Deiparam Virginem in Adamo primo nostro parente peccasse: vbi hoc argumentum multis Sanctorum Patrum auctoritatibus atque rationibus sumus prosequuti, & apposuimus fundamenta omnia, quibus innixus supradictus Ægidius hanc sententiam & opinionem defendere adeò mordicus conatur. Aduertendum tamen est, quod quia verba prædicta, *Virgo sacra in Adamo primo nostro parente peccauit*, prima facie, primove intuitu, non ita apud omnes bene sonant, & apud non multum peritos hunc videntur efficere sensum: quod eadem sacra Virgo (nec dum habitualiter ad sensum supradictum) quinverò & actualiter in Adamo primo nostro parente peccauerit, seu potius quod de facto in seipsa originale peccatum contraxerit: dicendum videtur, quod eiusmodi verba, non quidem absolute, sed cum hac distinctione & modificatione proferantur & concedantur, vt fiat sensus, quod peccauit in Adamo, & ipsius lumbis tanquam in vniuersali quodam humanæ naturæ principio, & tanquam vera eiusdem filia, virtualiter, habitualiter, siue interpretatiue, eiusdem transgressioni & præuaricationi simul cum omnibus nobis assentiendo & consentiendo, cum fuerit inclusa & comprehensa in pacto inter Deum & Adamum inito, & communi lege ipsi & omnibus suis posteris imposita. Quod revera nihil erit aliud omnino dicere, quam quod contraxit ibidem debitum originaliter peccandi, in quod debitum incurrisset, & peccatum prædictum contraxisset: nisi ex singulari gratia & priuilegio (pro eo quod futura erat æterni filij sui mater) à Deo Optimo Maximo diuinitus fuisset excepta & præseruata. Hoc itaque modo, & cum hac modificatione, limitatione, siue declaratione hac in re loquendum est, non vero aliter. Quod non ita male sonat apud Peritos, & humanæ aures non adeò illud abhorrent exaudire: & prædicto modo explicata & declarata supradicta opinio dico quod (necdum probabilis) quinvero probabilissima est, in suis

In quo sensu & cū qua modificatione concedi potest quod Virgo sacra in Adamo primo nostro parente peccauerit?

stando fundamentis, & quæ apud Doctores, tan antiquos quam recẽtiores communiter habetur. Omnes enim in Virgine sacra peccandi debitum vbique agnoscunt & admittunt, quamvis aliter & aliter, vt latius dicemus in quæstione sequenti.

Respondetur argumẽtis adductis pro secunda sententia contra Catherini opinionem.

Sed tamen quia (vt diximus) Ægidius supradictus Catherini sententiam & opinionem à tot grauissimis Doctoribus, & Auctoribus probatam, adeò acriter impugnauit & reprobauit, eiusdem argumẽtis & rationibus satisfacere operæpretiũ visum est, vt nihil intentatũ remaneat, & vt omnibus constet, quam vim & robur suæ rationes, & argumenta habeant.

Ad primum argumentum.

Ad primum igitur argumentum, quod Gilberti Porretani continet auctoritatem: respondetur. Quod prædicta auctoritas & omnes aliæ similes Sanctorum Patrum asserentes, seu potius sonantes, Beatissimam Virginem cum cæteris Adami posteris peccato originali subiacuisse, intelligendæ & interpretandæ sunt pie, benigne, & cum sale: vtpote qui loquuti fuerint ita generaliter, iuxta exigentiam & necessitatem temporum illorum. Nam agendo cum hæreticis, non sunt ausi pro certo affirmare id quod non aperte & clare ex aliqua Sacræ Scripturæ auctoritate constaret, vt non errandi & Ecclesiam impugnandi ansam & occasionem Hæreticis eisdem præberent: quod hac in re multum est notandum ac memoriæ commendandum. Hinc factum est (vt dicunt Doctores grauissimi) quod multi olim Sancti Patres, quamvis vt rem compertam, ac sibi certam persuasum haberent, Beatissimam Virginem ab omni originali peccato fuisse immunem, & ex singulari Dei gratia & speciali priuilegio exceptam & præseruatam: vt ne cum omnibus nobis in Adamo primo nostro parente peccaueritidque ad Dei sapientiam, pietatem atque bonitatem: quin verò & ad rationem ipsam nimis conformiter: quia tamen in Sacra Scriptura id ipsum non habebatur expressum, & agẽbant, loquebantur, & contendebant cum hæreticis, haudquaquam ausi sunt illud affirmare, vllove modo dicere: vt ne ex hoc ipsi ansam & occasionem errandi haberẽt, asserendi & dicendi aliqua esse tenenda & credenda, quamvis in Scriptura Sacra non contineantur expresse. Hinc etiam factum est multoties, vt Sancti Patres aliquem hæreticorum errorẽ impugnantes, suis dictis & argumentationibus ita se gesserunt cum illis, vt in aliud extremum viderentur incidisse, adeò illis cura erat à sententia Hæreticorum eorundem discedere. Cuius quidem rei apud Diuum Augustinum & alios Sanctos Patres, multa reperire licebit exempla. Etenim contra Pellagium disputantes, cum necessitatẽ gratiæ omninò ipse denegaret, ita acerrime in eundem irruerunt, vt nonnihil libero arbitrio derogare videantur. E contra verò disputantes & contendentes cum alijs, arbitrij libertatem (vt videbatur) penitus tollentibus, ita in fauorem libertatis eiusdem propenderunt, vt

tant receptionem maculæ, sed actũ quo eiusmodi macula ab aliquo recipitur. Et addit Ægidius, quod neque vllo modo hac in re admittenda est euasio eorum qui dicunt, prædicta D. Pauli verba intelligenda esse non proprie, sed impropriè ad hunc modum, vt fiat sensus, omnes in Adamo (id est per Adamum) peccauerunt: nam cum intelligi & verificari possint proprie, & in suo genuino litterali sensu, haudquaquam recurrendum est ad sensum improprium, iuxta communem & generalem regulam, quam tradunt Doct. qui præbent modum intelligendi Sacram Scripturam. Et quis (inquit) est qui non videat, quod verbum, peccare, actionem denotat, siue peccati actum à nobis simul cum Adamo nostro primo parente ellicitum: & quod peccati maculam quempiam in se contrahere, non est agere, sed quid resultans ex actione qua eiusmodi macula recipitur? Ex prædictis omnibus probare contendit Ægidius falsitatem opinionis supradictæ, & eam nullatenus esse admittendam aut sustinendam; sed simpliciter & absolutè concedendum Beatam Virginem in Adamo primo nostro parente peccasse, quamvis de facto in semetipsa originale peccatum non contraxerit. Addit præterea supradictus Ægidius, haudquaquam etiam esse satis dicere, quod quamvis Beata Virgo in Adamo non peccauerit de facto, peccauit tamen de iure, & secundum meritum: nam (inquit) quid est peccare de iure & secundum meritum? Etenim si peccare in Adamo (vt volunt Doct. contrarię opinionis) nihil est omninò aliud quam ipsius peccati maculam in se contrahere: si Virgo sacra (vt pro nunc supponitur) iuxta piam & magis probabilem opinionem illam non in se contraxit, sicut non peccauit de facto, ita neque peccauit de iure, aut secundum meritum. Nam vbi potest fundari eiusmodi ius, siue meritum, in ea quę peccati originalis maculam nunquam contraxit? Nec valet dicere, quod fundatur in illa actuali Adami trãsgresfsione siue præuaricatione, qua in Paradiso diuinum fœdus siue præceptum violauit: nam si nos in eo existentes simul cum illo præuaricationi eidem consensum non pręstitimus, ex eo solũmodo quod ex Adamo præuaricatore sumus propagati, ad culpam siue ad peccatum, id ipsum nobis haudquaquam potest imputari. Etenim ex parentum præuaricatione filij, quamvis pœnam aliquam temporalem possint contrahere, & multoties propter ipsorum peccata & scelera puniantur: culpam tamen siue peccatum ex alio, nullus omninò potest contrahere sine proprio suo consensu & volũtate, præstito in sua vel aliena persona, quæ quodammodo reputetur sua, virtualiter, habitualiter, siue interpretatiue (vt dictum est) quod contigit solummodo & specialiter in peccato originali. Ex dictis colligit supradictus Ægidius, quod Adami filij siue posteri, nullatenus contrahere potuerunt intrinsece & formaliter maculã, siue culpam originalis peccati, propter Adami ipsius actuale peccatum, quod non reuera illi simul cum

ipso,

ipso commiserunt. Nec satis esse quempiam à parente peccatore esse propagatum, ad hoc vt in semetipso recipiat intrinsece & formaliter maculam originalis peccati, per quam sit Deo inuisus & ingratus, iræ filius, aut aliqua pœna dignus. Esset enim (inquit) quodammodo iniustitia ex parte Dei, obligare nos peccato alterius, aut nos punire, propter illud quod nullo modo, nec actualiter, virtualiter, habitualiter, siue interpretatiue commisimus. Hæc prædictus Ægidius locis supracitatis. Cuius quidem discursus hinc inde collectus (quod vere fatear) haudquaquam non placere potest: quinvero optimus & rationi quammaxime consonus esse videtur, quidquid sit de alijs. Sed progrediamur vlterius, nam statim ad Ægidium reuertemur, & videbitur in quo cum illo non conueniamus.

Secunda Conclusio.

IVXTA sententiam & opinionẽ Catherini, & aliorũ asserentium in Adamo peccare, omninò esse idem atque in illo & cũ illo diuinũ pactum, siue præceptum præuaricasse: dicendum est, quod Beatissima Virgo pro eo in Adamo primo nostro parente non peccauit, quia fuit exempta siue excepta ab illo pacto siue communi lege, à Deo Adamo & omnibus suis posteris imposita. Hæc etiam sententia haudquaquã placet Ægidio supradicto: quinverò quammaxime sibi displicet, illam quę reprobat & multis fortissimis atque vrgentissimis rationibus impugnat (vt supra vidimus) contendendo simpliciter & absolute esse dicendum, Deiparam Virginem simul cum omnibus nobis in Adamo primo nostro parente peccasse. Quam opinionem apud Theologos, tam antiquos quàm recentiores, esse dicit probatissimam & receptissimam, & omninò tenendam. Quod in tantum credit esse verum, vt contrariam Catherini & aliorum eum sequentium sententiam, non solum dicat esse falsam, improbabilem & plusquam temerariam: non quidem pietatis speciem præseferentem (vt quibusdam placet) quinvero potius impietatem expressam includentem, cum tollat (sibi vt videtur) aut saltim minuat vniuersalem redemptionem Christi, & neget Sacram Virginem, ipsius sanguine fuisse redemptam. Qua quidem ratione dicit eiusmodi opinionem nullo modo esse sustinendam, sed procul relegandam, vtpotè quæ non sit in fide tuta: quinvero potius erronea. Videatur hac de re in supradicto secundo lib. de Immacul. Concept. B. Virg. quæst. 3. a. 1. §. 1. & 2. & art. 2. §. etiam primo & 2. & art. 4. per decem continuos parraphos. Item art. 5. & vltimo & quæst. 4. art. 6. vbi ponit resolutionem omnium quæ dixit in dicto 2. lib. propositione 3. & art. 7. & vltim. §. 3. & 4. Quibus omnibus in locis de prędicta Catherini sententia latissime agit. Sed reuera valde miror Ægidium, virum alias religiosissimum, doctissimum atque eminentissi-

Iuxta sententiam Catherini, Beata Virgo pro eo in Adamo non peccauit, quia fuit excepta à pacto & communi lege, Adamo & suis posteris imposita.

tissimum, in expendendis, censendis & qualificandis grauiorum aliorum Doctorum sententijs & opinionibus, adeò se rigidum exhibere (vt dicitur) Catonem Censorinum, & seuerissimis notis easdem audeat adnotare: ita vt necdum falsam & improbabilem, verum & plusquam temerariam esse dicat, sententiam & opinionem quæ tot ac tantis grauissimis Doctoribus probatur, & vera probabilis & quàmaxime pietati cōsona ab eisdem communiter dicitur & acclamatur. Nam præter supradictos Galatinum, Catherinum, Viguerium, Franciscum Maironem, & alios quos supra commemorauimus, & sententiam prædictam sustinere & defendere diximus: ex neothericis & iunioribus, nunc denuo (vt certa relationem accepi) tenent & defendunt illam omnes Doctores Complutenses: viri doctissimi atque eminentissimi, quorum nonnulli in eiusdem defensionem quamplurimos tractatus ædiderunt, qui & constantissime dicunt eam nulla tali nota siue censura esse dignam, vllove modo censeri siue notari posse. Quod præsertim facit Doctor Gundisaluus Sanchez Lucero, in suo speciali tractatu, vulgari sermone conscripto, cui titulus: *Que la Virgen Sanctissima no peco en Adan, ni quedo en el deudora al pecado original.* Vbi in primo discursu cap. 2. fol. 6. pag. 1. §. *la segundo*: constantissime affirmat supradictam Catherini & aliorum doctrinam, non esse nouam: quinverò antiquam & probatam multis grauissimis Ecclesiæ Patribus. Quod etiam dicit F. Ioannes Baptista de Lezana Ordinis Carmelitarū, in suo libro Apologetico pro Immaculata Deigenitricis Conceptione, cap. 32. fol. 145. pag. 2. Vbi prædictam sententiam tanquam verissimam constanter etiam defendit. Quod etiam facit Doctor Albarus Pisanus de Palacios, in suo libro pro confirmanda immunitate Conceptionis B. Virginis Mariæ, discursu primo: vbi opinionem hanc vt verissimā etiam probat. Qui prædicti duo pro eadem Auctores, alios quam plurimos referunt, & dicunt eiusmodi sententiam quæ dicit Beatam Virginem in Adamo nunquam peccasse, nulla prorsus notari posse censura mala: quinverò putant esse verissimam atque certissimam. Præter supradictos, sunt etiam quamplurimi alij, qui licet eiusdem similē certitudinem non habeant, habere tamen dicunt quammaximam probabilitatem, æqualem aut forte maiorem, quam de sententia opposita, illamque ab omni nota & quavis mala censura liberant. Etenim (inquiunt) quod in se probabile est & falsitatem nullam habet, nulla est simili censura dignum, sed illud duntaxat quod ita est in se [illegible] vt nulla ratione esse posit verum. Cuius quidem generis [illegible] opinionem & sententiam prædictam referentes nulla ea[illegible] ra mala confingunt, reperire licebit quamplures ac f[illegible] qui nec tacite nec expresse illam condemnant: qu[illegible] quammaxime probabilem reputant. Inter [illegible] Enriquez lib. 3. de Confirmatione, & Extr[illegible]

litteral. Et Angles sacræ nostræ Religionis Doctor, in 2. sent. dist. 31. quæst. 1. difficult. 2. appendice 6. Vbi expendens illam generalem Diui Pauli regulam, *omnes in Adam peccauerunt*, dicit, sic esse intelligendam, vt ab eadem Beata excipiatur Virgo. Quod etiam dixit Albertus Magnus (licet pro contraria sententia adducatur) lib. de laudibus B. Virg. vt refertur à Canisio lib. 5. de Maria Deipara, vbi ab eadem generali regula Beatam Virginem excipit. Pro eadem etiam sententia referri potest Suarez 2. tomo ad tertiam partem D. Thom. disput. 3. sect. 2. §. quæret aliquis, littera B. vbi dicit opinionem illam quæ docet Beatam Virginem in Adamo non peccasse, non posse vlla censura notari: quia vtcunque Sacræ Scripturę locutiones saluantur. Videatur eadem de re Azor lib. 4. disput. moral. cap. 34. quæst. 3. pag. 477. paulo ante finem, & Ouando in 3. sentent. dist. 3. quæst. 1. art. 2. propositione 8. Valentia tom. 2. disp. 6. quæst. 11. puncto 2. ad primum argumentum, & 4. tomo disput. 2. quæst. 1. puncto 2. Salas 2. tomo ad 1.2. D. Thom quæst. 81. tract. 13. disput. 11. sect. 5. quæst. 11. Barradas tomo 1. lib. 6. cap. 3. in quinta gemma §. à lege filium: vbi dicit, Beatã Virginem exclusam fuisse ab vniuersali illa lege, *omnes in Adam peccauerunt*. Idem insinuare videtur Basilius Legionensis, prima parte suarum variarum resolut. relect. 3. vbi licet opinionem prædictam nõ dicat esse veram, haudquaquam tamen putat ipsam aliquam posse notari censura. Quod idem facit Cosmas Magallanus super epist. Diui Pauli 1. ad Thim. cap. 2. sect. 3. notab. 6. in fine. Videatur etiam hac de re Ioannes Cartagena nostræ etiam Religionis Doctor, in homilijs catholi. quas ædidit de Virgine Deipara, homil. 16. Tandem vt (dicitur) prædictam Catherini & suorum sequatium sententiã, cum magno Theologorum Complutensium applausu, annis præteritis publice tutatus est, atque constanter defendit, frater Antonius de Velasco nostri etiam sacri Ordinis Minorum, sacræ Theologiæ Lector, Prouinciæ Castellæ, affirmans nullius censuræ nota inurendam esse positionem quæ dicit, haudquaquam Beatam Virginẽ in Adamo primo nostro parente peccasse: quinverò probabili veritate eandem gaudere, insuper & piam esse, & altissimæ redemptioni Christi Domini nostri quammaxime consonam. Quod etiam alias publice, compluti defensum esse dicitur à Doctore Henrico de Villegas, sacrorum Bibliorum inter[illegible] à Patre Albornoz Dominicano, Cathedræ Vesperarum [illegible]logiæ ibidem regente, necnon & à Doctore Ludouico M[illegible] [illegible]giæ eiusdem ibidem primario professore. Et om[illegible] [illegible]minus quidem docte, quam eleganter sente[illegible] [illegible]ndem defendit, Ferdinandus Quirinus e S[illegible] [illegible]etate Iesu, in Complutensi Collegio fa[illegible] quem ędidit, & direxit ad nostrũ [illegible]nul & Indiarum Catholicissimũ [illegible]

Regem,

Regem, cui titulus: *Defensio pro Immaculata Deipara Virginis Conceptione.* Omnes superius adducti, opinionem supradictam defendunt, aut saltim probabilem reputant, ac nulla mala censura eam dignam esse dicunt. Quod cum ita sit, iterum atq; iterum mirari non satis queo Ægidium Augustinianum prædictum, virum alias doctissimum atque religiosissimum, adeò acri & rigorosa censura, Catherini & aliorum sententiam supradictam inussisse, illam vt dixerit (necdum falsam, improbabilem, plusquam temerariam, nullo modo aut pacto tenendam, aut sustinendã) quinvero potius procul relegandam, vtpote parũ in fide tutam, seu potius erroneam: certe miror quod non eam dixerit manifeste esse hæreticam, adeò in illam inuehitur. Sed vt hac in re nõ tam Doctorum auctoritatibus, quàm rationibus innitamur, & eiusmodi sententiam (non falsam, sed veram, aut saltem probabilem nimis nõ quidem erroneam, sed in fide quammaxime tutam, rationibus & argumentis comprobemus) & ostendamus qualiter Beata Virgo haudquaquam in Adamo nostro primo parente peccauerit, & cum hoc simul stet quod vnigeniti filij sui pretioso fuerit sanguine redempta; pro hac opinione sic argumentor.

Primum arg. Primò argumento desumpto ab æterna Virginis huius electione & prædestinatione ad eam à Deo præexcelsam dignitatem, vt cõgrua & digna esset Christi Domini Mater. Et argumentum formatur in hunc modum. Virgo Beata ab æterno fuit efficaciter electa & prædestinata à Deo, ad matris dignitatem, & ad gratiam & gloriam quam habuit in tempore ante omnem creaturam, & ante præuisam conditionem & creationem Adami, & cuiuscunque ipsius peccati: ergo nullo modo dicendum est, quod in ipso peccauit, aut ingressa est vllo modo pactum initum inter Deum & ipsum Adamum, pro se & omnibus suis posteris. Consequentia (vt videtur) legitima est. Etenim si (vt prædictum est) Sacræ Virginis electio & prædestinatio ad Matris dignitatem, & ad gratiam & gloriam quam de facto in tempore habuit, præcesit electionem & prædestinationem Adami, & omnium suorum posterorum, liquidum profecto fit, quod ipsa inuolui haudquaquam potuit in pacto, postea (nostro modo intelligendi) inito cum Adamo, & omnibus suis posteris: cum eiusmodi pactum non nisi pro futuris post Adamum ipsum fuerit celebratum, & ex vi talis decreti (etiamsi Adamus non foret) Deipara Virgo nihilominus existeret. Antecedens verò, nempe quod Virgo sacra (sicut præmittitur) ante Adami & suorum posterorum præuisionem fuerit electa & prædestinata (præterquam quod est expressa sententia nostri Scoti in 3. sent. dist. 7. quæst. 3. §. sed ij sunt, & dist. 19. quæst. vnica §. in ista quæstione, & in reportatis dist. 7. quæst. 4. §. 3. declarandum, & communis omnium Scotistarum) tenet eam Alexand. Alensis 3. p. quæst. 2. art. 13. & Pighius lib. 10. de lib. arb. c. 1. & lib. 18. cap. etiam primo.

Et

Et Catherin. lib. de eximia prædestinatione Christi. Galatinus lib. 7. de arcanis cap. 2. Et Viguerius in suis catho. institut. cap. 2. §. 1. Suarez in 3. part. D. Thom. quæst. 27. disput. 1. sect. 3. Constatque satis aperte ex illis verbis quæ habentur Prouerb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego iã concepta eram.* Quæ quidem verba ad literam, licet de Sapientia increata primo veniant intelligenda, non tamen in congrue, quinverò congruentissime, in sensu spirituali & mystico, etiam Beatæ Virgini tribuuntur, accommodantur, & applicantur ab Ecclesia. Cui certe conuenire minime possent, nisi ipsa à Deo ab æterno in diuina præuisione & electione (ad nostrum modum intelligendi) prius, fuisset præuissa, electa & prædefinita, & omnibus alijs creaturis antelata. Ita quod prædicta Beata Virgo post Christum Dominum (qui teste D. Paulo ad Colos. 1. prædestinatorum fuit omnium primus) ante præuisionem & prædeffinitionem Adami, & suorum posterorum, & cuiuscunque originalis peccati primo fuit electa, præuissa, prædestinata, deffinita atque determinata, quod futura erat eiusdem Christi Domini Mater: consequenterque proinde independenter ab omni prorsus peccato. Quibus supradictis verbis concinit & illud, quod habetur, Eccles. 24. *Ego ex ore altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturã.* Quæ etiam verba ad eundem sensum sunt interpretanda, & intelligẽda. Nam quonam pacto Virgo sacra vllo modo dici posset primogenita ante omnem creaturam; nisi id intelligendum veniret (vt dictũ est) in decreto diuino, & diuinis diffinitionibus & prædeterminationibus? Etenim in executione, planum est quod non fuit ante omnem creaturam. Hoc argumentum latissime prosequitur Salazar supradictus, libro suo pro Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione, cap. 3. per totum, vbi & ad idem propositum plura satis notanda dicit, quę videri poterunt ibidem.

Secundò sic potest argumentari ad idem. Nam ad hoc vt quis dicatur in Adamo peccasse (vt satis constat ex supradictis) non satis est vt fuerit in illo tanquam in naturali humanæ naturæ principio, & vniuersali omnium capite: sed vlterius necessum est, vt fuerit in illo, tanquam in capite morali, & comprehensus in pacto à Deo cum Adamo & suis posteris inito: sed Beatissima Virgo, ex filij sui meritis præuisis, excepta & libera fuit à pacto prædicto, & licet fuerit in Adam tanquam in suæ naturæ principio, non tamen fuit in illo tanquam in capite morali: ergo nec dicendum est quod peccauit in ipso. Consequentia cum maiori legitima est, minorem autẽ sic probo. Quia Deus Optimus Maximus (qui fuit legislator, & pacti prædicti cõstitutor) optime potuit eam ab illo eximere; cum neque in hoc aliqua reperiatur contradictionis implicatio, & fuerit quammaxime expediens atq; *Secundum argumentum.*

condecens id ipsum vt faceret, ac Matri suæ diceret, quod olim Asuerus dixisse fertur, Hesth. et cap. 6. *Non pro te, sed pro omnibus hac lex constituta est*: quæ verba Sanctissimæ etiam Virgini ab Ecclesia in suæ Conceptionis officio accommodantur. Dicendum est igitur, quod & illud fecit de facto: & sic Virgo sacra, neque ingressa est pactum prædictum, neque peccauit in Adamo.

Tertium arg. Tertiò argumentari potest ad idem. Quia si propter aliquam rationem & causam Deus illud non fecisset, maxime vt non minueretur Christi Domini redemptio, expediebat enim quammaxime, vt ipse esset vniuersalis omnium hominum redemptor (vt in quampluribus suæ doctrinæ locis docet Diuus Paulus) sed propter hoc non minuitur: quinverò quammaxime extollitur atque illustratur, & Christi meritum efficacius ostenditur: ergo intentum. Consequentia legitima est, minorem sic probo. Quia non minor, quinverò maior Christi meriti efficacia est, Sacram Virginem à peccato in quod cadere poterat præuenire & præseruare, & facere vt in ipsum non caderet: quã eandem post lapsum eripere: ergo id ipsum faciendo altiori modo dici debet eiusdem redemptor. Quod & confirmari potest exemplo. Nam si quis cum mulierem aliquam in seruam vendidisset, in eodem contractu cõstituisset vt primus eius filius liber esset, nec seruus nasceretur: ac tali modo illum exciperet: revera ille talis optimo iure à seruitute diceretur redemptus: idem ergo dicendum est in proposito, & quod Virgo Sacra in tali casu potest & dici debet à Christo Domino redempta, etiamsi in Adamo haudquaquam peccauerit: postquam ex eius meritis præuisis exempta siue excepta fuit à supradicto pacto, & communi lege Adamo & suis posteris imposita, & à peccato in quod incidisset, nisi præuenta & præseruata fuisset.

Quartum argumentum. Quartò sic argumentatur ad idem. Nam certe contrarium dicere, & asserere Beatissimam Virginem in Adamo peccasse, videtur vergere in opprobrium & quammaximam iniuriam Christi Domini, insuper & sanctissimæ suæ Matris: dum de illo dicitur, quod sit peccatricis filius: non bene, quinverò male natus. Nam certe natus ex Patre damnato atque maledicto, damnatus etiam & maledictus dicitur. De illa autẽ diceretur, quod fuerit iræ filia, Deo ingrata atque inuisa, multaque alia exinde sequerentur inconuenientia, quæ lingua timet nec valet dicere, & piæ aures omninò horrent exaudire: non igitur est id vllo modo dicendum.

Quintum arg. Quintò sic argumentari potest ad idem, ex verbis D. Augustini. serm. de Assumptione, vbi ait, quod de Deo semper debemus credere fecisse id quod melius est: sed melius est Deum Beatissimam Virginẽ vt ne in Adamò peccaret eximisse atque liberasse, quam non fecisse: dicendum ergo est quod illud ita fecit de facto. Et vt argumentum magis in suo puncto constituatur, quæro, an Deus id ipsum facere potuit

tuit & non voluit, an vero voluit, & non potuit? Non dici potest primum: etenim impietatem redolet, & vt inquit Diuus Augustinus: *Credendum non est quod fuerit ingratus matri suæ, qui Patri, Matriq; honorem præcepit exhiberi.* Nec vero potest dici secundum, quia arguit impotentiam in Deo: ergo intentum, nempe quod potuit & voluit, & de facto, vt non in Adamo peccaret, illam liberauit.

Sextô ad idem sic etiam potest argumentari. Nam (vt dicunt omnes vbique sancti) Beatissima Virgo ex eo quod futura erat Mater filij Dei, melior & superior fuit cunctis Angelis, & in Assumptione sua (vt canit Ecclesia) supra illos omnes est eleuata & exaltata, sed Angeli neque in se, neque in alio vilum vnquam prorsus habuerunt peccatum: ergo id ipsum Sacræ Virgini nullo videtur modo denegâdum. Vt quid enim æternus Deus Pater, vnigenitusve ipsius Filius, Sanctissimæ Matri suæ denegaret, quod concessum est Angelis: cum adeò longe sit melior ipsis, & maternitatis Christi dignitas, adeò præexcelsa, vt super ea fauores omnes possibiles optimo iure possint & debeant fundari? *Sextum argum.*

Hoc argumentum ex eo quammaxime comprobatur, & sit septimum argumentum; quia super hoc solummodo innixa atque fundata sancta nostra mater Ecclesia, Virginem prædictam eximit, ac fidelibus credendum firmiter tradit, eam fuisse exemptam ab alijs communibus regulis: vtpote â doloribus partus, â corruptione corporis, alijsque similibus: cur igitur & nos eodem fundamento innixi, ac debita pietate moti, non asseueranter dicemus, exemptam fuisse ab hac communi regula, vt cum nobis omnibus non in Adamo primo nostro parente peccauerit. Aut cur id ipsum factum cuipiam videatur impossibile, cum manus Dei extenta, in id haudquaquam fuerit coarctata? *Septimum argumentum.*

Quod & comprobari potest exemplo rationi nimium conformi quod sit aliud argumentum octauum in ordine. Etenim si Rex quispiam alicuius subditi filiam in sponsam sibi delegisset, ac propterea ipsius patri dignitatem aliquam concessisset, ea conditione & pacto vt si fidelis sibi extitisset eiusmodi dignitas ad omnes ipsius posteros transiret: sin autem quod paterni criminis rei omnes permansissent, quid obest quo minus â tali conditione & pacto, eius quam sibi in sponsam elegerat filiam excepisset? nihil certe. Idem igitur pie credêdum est in proposito, Deum nostrum Opt. Max. cum sacra Virgine fecisse: eamque exemisse â pacto & communi lege, Adamo & omnibus suis posteris imposita, vt non in ipso aut cû ipso peccaret? Ex prędictis omnibus rationibus, sententia & opinio Catherini prædicta satis redditur probabilis, ac pietatis speciê quammaximam præseferês. Quo fit vt supradictus Ægidius, immerito quidem eiusmodi nota illam inuserit, vt dixerit eam esse falsam, improbabilem, plusquam temera- *Octauum argumentum.*

merariam, non in fide tutam: quinverò potius erroneam, nullo modo sustinendam, sed procul relegandam. Sed quia opinio & sententia quam ipse defendi, negari potest minime quod etiam sit probabilis: quinverò probabilior & apud Theologos omnes, tam antiquos quã recētiores & neotericos communiter magis recipitur: in ipsius gratiam sequens etiam tertia statuitur conclusio.

Tertia Conclusio.

Sententia & opinio quæ dicit B. Virginẽ in Adamo primo nostro parente peccasse, communior atque probabilis etiam est; quinvero & probabilior, stando in suis fundamentis, si debite explicetur.

SENTENTIA & opinio quæ dicit, Virginem sacram in Adamo primo nostro parente peccasse, stando in suis fundamẽtis probabilis etiã est: quinverò & probabilior, si sano modo intelligatur, ac debite (vti par est) explicetur. Hæc conclusio non aliter potest probari, quam per ea quæ latissime à nobis dicta sunt supra, in positione secundæ sententiæ, quæ asserit Deiparam Virginem in Adamo primo nostro parente peccasse: vbi hoc argumentum multis Sanctorum Patrum auctoritatibus atque rationibus sumus prosequuti, & apposuimus fundamenta omnia, quibus innixus supradictus Ægidius hanc sententiam & opinionem defendere adeò mordicus conatur. Aduertendum tamen est, quod quia verba prædicta, *Virgo sacra in Adamo primo nostro parente peccauit*, prima facie, primove intuitu, non ita apud omnes bene sonant, & apud non multum peritos hunc videntur efficere sensum: quod eadem sacra Virgo (nec dum habitualiter ad sensum supradictum) quinverò & actualiter in Adamo primo nostro parente peccauerit, seu potius quod de facto in seipsa originale peccatum contraxerit: dicendum videtur, quod eiusmodi verba, non quidem absolute, sed cum hac distinctione & modificatione proferantur & concedantur, vt fiat sensus, quod peccauit in Adamo, & ipsius lumbis tanquam in vniuersali quodam humanæ naturæ principio, & tanquam vera eiusdem filia, virtualiter, habitualiter, siue interpretatiue, eiusdem transgressioni & præuaricationi simul cum omnibus nobis assentiendo & consentiendo, cum fuerit inclusa & comprehensa in pacto inter Deum & Adamum inito, & communi lege ipsi & omnibus suis posteris imposita. Quod reuera nihil erit aliud omnino dicere, quam quod contraxit ibidem debitum originaliter peccandi, in quod debitum incurrisset, & peccatum prædictum contraxisset: nisi ex singulari gratia & priuilegio (pro eo quod futura erat æterni filij sui mater) à Deo Optimo Maximo diuinitus fuisset excepta & præseruata. Hoc itaque modo, & cum hac modificatione, limitatione, siue declaratione hac in re loquendum est, non vero aliter. Quod non ita male sonat apud Peritos, & humanæ aures non adeò illud abhorrent exaudire: & prædicto modo explicata & declarata supradicta opinio dico quod (nec dum probabilis) quinvero probabilissima est, in suis

In quo sensu & cũ qua modificatione concedi potest quod Virgo sacra in Adamo primo nostro parente peccauerit?

stando fundamentis, & quæ apud Doctores, tam antiquos quam recẽtiores communiter habetur. Omnes enim in Virgine sacra peccandi debitum vbique agnoscunt & admittunt, quamvis aliter & aliter, vt latius dicemus in quæstione sequenti.

Respondetur argumētis adductis pro secunda sententia contra Catherini opinionem.

Sed tamen quia (vt diximus) Ægidius supradictus Catherini sententiam & opinionem à tot grauissimis Doctoribus, & Auctoribus probatam, adeò acriter impugnauit & reprobauit, eiusdem argumẽtis & rationibus satisfacere operepretiū visum est, vt nihil intentatū remaneat, & vt omnibus constet, quam vim & robur suæ rationes, & argumenta habeant.

Ad primum argumentum.

Ad primum igitur argumentum, quod Gilberti Porretani continet auctoritatem: respondetur. Quod prædicta auctoritas & omnes aliæ similes Sanctorum Patrum asserentes, seu potius sonantes, Beatissimam Virginem cum cæteris Adami posteris peccato originali subiacuisse, intelligendæ & interpretandæ sunt pie, benigne, & cum sale: vtpote qui loquuti fuerint ita generaliter, iuxta exigentiam & necessitatem temporum illorum. Nam agendo cum hæreticis, non sunt ausi pro certo affirmare id quod non aperte & clare ex aliqua Sacræ Scripturæ auctoritate constaret, vt non errandi & Ecclesiam impugnandi ansam & occasionem Hæreticis eisdem præberent: quod hac in re multum est notandum ac memoriæ commendandum. Hinc factum est (vt dicunt Doctores grauissimi) quod multi olim Sancti Patres, quamvis rem compertam, ac sibi certam persuasum haberent, Beatissimam Virginem ab omni originali peccato fuisse immunem, & ex singulari Dei gratia & speciali priuilegio exceptam & præseruatam: vt ne cum omnibus nobis in Adamo primo nostro parente peccauerit: idque ad Dei sapientiam, pietatem atque bonitatem: quin verò & ad rationem ipsam nimis conformiter: quia tamen in Sacra Scriptura id ipsum non habebatur expressum, & agébant, loquebantur, & contendebant cum hæreticis, haudquaquam ausi sunt illud affirmare, vllove modo dicere: vt ne ex hoc ipsi ansam & occasionem errandi haberét, asserendi & dicendi aliqua esse tenenda & credenda, quamvis in Scriptura Sacra non contineantur expresse. Hinc etiam factum est multoties, vt Sancti Patres aliquem hæreticorum errorẽ impugnantes, suis dictis & argumentationibus ita se gesserunt cum illis, vt in aliud extremum viderentur incidisse, adeò illis cura erat à sententia Hæreticorum eorundem discedere. Cuius quidem rei apud Diuum Augustinum & alios Sanctos Patres, multa reperire licebit exempla. Etenim contra Pellagium disputantes, cum necessitatẽ gratiæ omninò ipse denegaret, ita accerrime in eundem irruerunt, vt nonnihil libero arbitrio derogare videantur. E contra verò disputantes & contendentes cum alijs, arbitrij libertatem (vt videbatur) penitus tollentibus, ita in fauorem libertatis eiusdem propenderunt, vt

tant receptionem maculæ, sed actū quo eiusmodi macula ab aliquo recipitur. Et addit Ægidius, quod neque vllo modo hac in re admittenda est euasio eorum qui dicunt, prædicta D. Pauli verba intelligenda esse non proprie, sed improprie ad hunc modum, vt fiat sensus, omnes in Adamo (id est per Adamum) peccauerunt: nam cum intelligi & verificari possint proprie, & in suo genuino litterali sensu, haudquaquam recurrendum est ad sensum improprium, iuxta communem & generalem regulam, quam tradunt Doct. qui præbent modum intelligendi Sacram Scripturam. Et quis (inquit) est qui non videat, quod verbum, peccare, actionem denotat, siue peccati actum à nobis simul cum Adamo nostro primo parente ellicitum: & quod peccati maculam quempiam in se contrahere, non est agere, sed quid resultans ex actione qua eiusmodi macula recipitur? Ex prædictis omnibus probare contendit Ægidius falsitatem opinionis supradictæ, & eam nullatenus esse admittendam aut sustinendam; sed simpliciter & absolutè concedendum Beatam Virginem in Adamo primo nostro parente peccasse, quamvis de facto in semetipsa originale peccatum non contraxerit. Addit præterea supradictus Ægidius, haudquaquam etiam esse satis dicere, quod quamvis Beata Virgo in Adamo non peccauerit de facto, peccauit tamen de iure, & secundum meritum: nam (inquit) quid est peccare de iure & secundum meritum? Etenim si peccare in Adamo (vt volunt Doct. contrarię opinionis) nihil est omninò aliud quam ipsius peccati maculam in se contrahere: si Virgo sacra (vt pronunc supponitur) iuxta piam & magis probabilem opinionem illam non in se contraxit, sicut non peccauit de facto, ita neque peccauit de iure, aut secundum meritum. Nam vbi potest fundari eiusmodi ius, siue meritum, in ea quę peccati originalis maculam nunquam contraxit? Nec valet dicere, quod fundatur in illa actuali Adami trāsgressione siue præuaricatione, qua in Paradiso diuinum fœdus siue præceptum violauit: nam si nos in eo existentes simul cum illo præuaricationi eidem consensum non pręstitimus, ex eo solúmodo quod ex Adamo præuaricatore sumus propagati, ad culpam siue ad peccatum, id ipsum nobis haudquaquam potest imputari. Etenim ex parentum præuaricatione filij, quamvis pœnam aliquam temporalem possint contrahere, & multoties propter ipsorum peccata & scelera puniantur: culpam tamen siue peccatum ex alio, nullus omninò potest contrahere sine proprio suo consensu & volūtate, præstito in sua vel aliena persona, quæ quodammodo reputetur sua, virtualiter, habitualiter, siue interpretatiue (vt dictum est) quod contigit solummodo & specialiter in peccato originali. Ex dictis colligit supradictus Ægidius, quod Adami filij siue posteri, nullatenus contrahere potuerunt intrinsece & formaliter maculā, siue culpam originalis peccati, propter Adami ipsius actuale peccatum, quod non reuera illi simul cum ipso,

ipso commiserunt. Nec satis esse quempiam à parente peccatore esse propagatum, ad hoc vt in semetipso recipiat intrinsece & formaliter maculam originalis peccati, per quam sit Deo inuisus & ingratus, iræ filius, aut aliqua pœna dignus. Esset enim (inquit) quodammodo iniustitia ex parte Dei, obligare nos peccato alterius, aut nos punire, propter illud quod nullo modo, nec actualiter, virtualiter, habitualiter, siue interpretatiue commisimus. Hæc prædictus Ægidius locis supracitatis. Cuius quidem discursus hinc inde collectus (quod vere fatear) haudquaquam non placere potest: quinvero optimus & rationi quammaxime consonus esse videtur, quidquid sit de alijs. Sed progrediamur vlterius, nam statim ad Ægidium reuertemur, & videbitur in quo cum illo non conueniamus.

Secunda Conclusio.

IVXTA sententiam & opinionē Catherini, & aliorū asserentium in Adamo peccare, omninò esse idem atque in illo & cū illo diuinū pactum, siue preceptum præuaricasse: dicendum est, quod Beatissima Virgo pro eo in Adamo primo nostro parente non peccauit, quia fuit exempta siue excepta ab illo pacto siue communi lege, à Deo Adamo & omnibus suis posteris imposita. Hæc etiam sententia haudquaquā placet Ægidio supradicto: quinverò quammaxime sibi displicet, illam que reprobat & multis fortissimis atque vrgentissimis rationibus impugnat (vt supra vidimus) contendendo simpliciter & absolute esse dicendum, Deiparam Virginem simul cum omnibus nobis in Adamo primo nostro parente peccasse. Quam opinionem apud Theologos, tam antiquos quàm recentiores, esse dicit probatissimam & receptissimam, & omninò tenendam. Quod in tantum credit esse verum, vt contrariam Catherini & aliorum eum sequentium sententiam, non solum dicat esse falsam, improbabilem & plusquam temerariam: non quidem pietatis speciem præseferentem (vt quibusdam placet) quinvero potius impietatem expressam includentem, cum tollat (sibi vt videtur) aut saltim minuat vniuersalem redemptionem Christi, & neget Sacram Virginem, ipsius sanguine fuisse redemptam. Qua quidem ratione dicit eiusmodi opinionem nullo modo esse sustinendam, sed procul relegandam, vtpotè quæ non sit in fide tuta: quinvero potius erronea. Videatur hac de re in supradicto secundo lib. de Immacul. Concept. B. Virg. quæst. 3. a. 1. §. 1. & 2. & art. 2. §. etiam primo & 2. & art. 4. per decem continuos parraphos. Item art. 5. & vltimo & quæst. 4. art. 6. vbi ponit resolutionem omnium quæ dixit in dicto 2. lib. propositione 3. & art. 7. & vltim. §. 3. & 4. Quibus omnibus in locis de prędicta Catherini sententia latissime agit. Sed reuera valde miror Ægidium, virum alias religiosissimum, doctissimum atque eminentissi-

Iuxta sententiam Catherini, Beata Virgo pro eo in Adamo non peccauit, quia fuit excepta à pacto & communi lege, Adamo & suis posteris imposita.

tissimum, in expendendis, censendis & qualificandis grauiorum aliorum Doctorum sententijs & opinionibus, adeò se rigidum exhibens (vt dicitur) Catonem Censorinum, & seuerissimis notis easdem audeat adnotare: ita vt necdum falsam & improbabilem, verum & plusquam temerariam esse dicat, sententiam & opinionem quæ tot ac tãtis grauissimis Doctoribus probatur, & vera probabilis & quámaxime pietati cõsona ab eisdem communiter dicitur & acclamatur. Nam præter supradictos Galatinum, Catherinum, Viguerium, Franciscum Maironem, & alios quos supra commemorauimus, & sententiam prędictam sustinere & defendere diximus: ex neothericis & iunioribus, nunc denuo (vt certa relationem accepi) tenent & defendunt illam omnes Doctores Complutenses: viri doctissimi atque eminentissimi; quorum nonnulli in eiusdem defensionem quamplurimos tractatus ædiderunt, qui & constantissime dicunt eam nulla tali nota siue censura esse dignam, vllove modo censeri siue notari posse. Quod præsertim facit Doctor Gundisaluus Sanchez Lucero, in suo speciali tractatu, vulgari sermone conscripto, cui titulus: *Que la Virgen Sanctissima no peco en Adan, ni quedo en el deudora al pecado original.* Vbi in primo discursu cap. 2. fol. 6. pag. 1. §. *lo segundo*: constantissime affirmat supradictam Catherini & aliorum doctrinam, non esse nouam: quinverò antiquam & probatam multis grauissimis Ecclesiæ Patribus. Quod etiam dicit F. Ioannes Baptista de Lezana Ordinis Carmelitarũ, in suo libro Apologetico pro Immaculata Dei genitricis Conceptione, cap. 32. fol. 145. pag. 2. Vbi prædictam sententiam tanquam verissimam constanter etiam defendit. Quod etiam facit Doctor Albarus Pisanus de Palacios, in suo libro pro confirmanda immunitate Conceptionis B. Virginis Mariæ, discursu primo: vbi opinionem hanc vt verissimá etiam probat. Qui prædicti duo pro eadem Auctores, alios quam plurimos referunt, & dicunt eiusmodi sententiam quæ dicit Beatam Virginem in Adamo nunquam peccasse, nulla prorsus notari posse censura mala: quinverò putant esse verissimam atque certissimam. Præter supradictos, sunt etiam quamplurimi alij, qui licet eiusdem similẽ certitudinem non habeant, habere tamen dicunt quammaximam probabilitatem, æqualem aut forte maiorem, quam de sententia opposita, illamque ab omni nota & quavis mala censura liberant. Etenim (inquiunt) quod in se probabile est & falsitatem nullam habet, nulla est simili censura dignum, sed illud duntaxat quod ita est in se falsum, vt nulla ratione esse possit verum. Cuius quidem generis Doct. qui opinionem & sententiam prædictam referentes nulla eandem censura mala confingunt, reperire licebit quamplures ac fere innumeros, qui nec tacite nec expresse illam condemnant: quinvero vt videtur quammaxime probabilem reputant. Inter quos ennumerari potest Enriquez lib. 3. de Confirmatione, & Extremavnctione cap. 11. ca. 3. littera

litteraI. Et Angles sacrae nostrae Religionis Doctor, in 2. sent. dist. 31. quaest. 1. difficult. 2. appendice 6. Vbi expendens illam generalem Diui Pauli regulam, *omnes in Adam peccauerunt*, dicit, sic esse intelligendam, vt ab eadem Beata excipiatur Virgo. Quod etiam dixit Albertus Magnus (licet pro contraria sententia adducatur) lib. de laudibus B. Virg. vt refertur à Canisio lib. 5. de Maria Deipara, vbi ab eadem generali regula Beatam Virginem excipit. Pro eadem etiam sententia referri potest Suarez 2. tomo ad tertiam partem D. Thom. disput. 3. sect. 2. §. quaeret aliquis, littera B. vbi dicit opinionem illam quae docet Beatam Virginem in Adamo non peccasse, non posse vlla censura notari: quia vtcunque Sacrae Scripturę locutiones saluantur. Videatur eadem de re Azor lib. 4. disput. moral. cap. 34. quaest. 3. pag. 477. paulo ante finem, & Ouando in 3. sentent. dist. 3. quaest. 1. art. 2. propositione 8. Valentia tom. 2. disp. 6. quaest. 11. puncto 2. ad primum argumentum, & 4. tomo disput. 2. quaest. 1. puncto 2. Salas 2. tomo ad 1.2. D. Thom quaest. 81. tract. 13. disput. 11. sect. 5. quaest. 11. Barradas tomo 1. lib. 6. cap. 3. in quinta gemma §. à lege filium: vbi dicit, Beatā Virginem exclussam fuisse ab vniuersali illa lege, *omnes in Adam peccauerunt*. Idem insinuare videtur Basilius Legionensis, prima parte suarum variarum resolut. relect. 3. vbi licet opinionem praedictam nō dicat esse veram, haudquaquam tamen putat ipsam aliquam posse notari censura. Quod idem facit Cosmas Magallanus super epist. Diui Pauli 1. ad Thim. cap. 2. sect. 3. notab. 6. in fine. Videatur etiam hac de re Ioannes Cartagena nostrae etiam Religionis Doctor, in homilijs catholi. quas aedidit de Virgine Deipara, homil. 16. Tandem vt (dicitur) praedictam Catherini & suorum sequatium sententiā, cum magno Theologorum Complutensium applausu, annis praeteritis publice tutatus est, atque constanter defendit, frater Antonius de Velasco nostri etiam sacri Ordinis Minorum, sacrae Theologiae Lector, Prouinciae Castellae, affirmans nullius censurae nota inurendam esse positionem quae dicit, haudquaquam Beatam Virginē in Adamo primo nostro parente peccasse: quinverò probabili veritate eandem gaudere, insuper & piam esse, & altissimae redemptioni Christi Domini nostri quammaxime consonam. Quod etiam alias publice, complutí defensum esse dicitur à Doctore Henrico de Villegas, sacrorum Bibliorum interprete, & à Patre Albornoz Dominicano, Cathedrae Vesperarum sacrae Theologiae ibidem regente, necnon & à Doctore Ludouico Montesinos, Theologiae eiusdem ibidem primario professore. Et omnium nouissimus haudminus quidem docte, quam eleganter sententiam & opinionem eandem defendit, Ferdinandus Quirinus de Salazar Conchensis è Societate Iesu, in Complutensi Collegio sacrarum litterarum interpres, libro quem ędidit, & direxit ad nostrū Philippum Tertium, Hispaniarum simul & Indiarum Catholicissimū

Regem,

Regem, cui titulus: *Defensio pro Immaculata Deipara Virginis Conceptione.* Omnes superius adducti, opinionem supradictam defendunt, aut saltim probabilem reputant, ac nulla mala censura eam dignam esse dicunt. Quod cum ita sit, iterum atq; iterum mirari non satis queo Ægidium Augustinianum prædictum, virum alias doctissimum atque religiosissimum, adeò acri & rigorosa censura, Catherini & aliorum sententiam supradictam inussisse, illam vt dixerit (necdum falsam, improbabilem, plusquam temerariam, nullo modo aut pacto tenendam, aut sustinendã) quinvero potius procul relegandam, vtpote parũ in fide tutam, seu potius erroneam: certe miror quod non eam dixerit manifeste esse hæreticam, adeò in illam inuehitur. Sed vt hac in re nõ tam Doctorum auctoritatibus, quàm rationibus innitamur, & eiusmodi sententiam (non falsam, sed veram, aut saltem probabilem, nimis nõ quidem erroneam, sed in fide quammaxime tutam, rationibus & argumentis comprobemus) & ostendamus qualiter Beata Virgo haudquaquam in Adamo nostro primo parente peccauerit, & cum hoc simul stet quod vnigeniti filij sui præcioso fuerit sanguine redempta; pro hac opinione sic argumentor.

Primum arg. Primò argumento desumpto ab æterna Virginis huius electione & prædestinatione ad eam à Deo præexcelsam dignitatem, vt cõgrua & digna esset Christi Domini Mater. Et argumentum formatur in hunc modum. Virgo Beata ab æterno fuit efficaciter electa & prædestinata à Deo, ad matris dignitatem, & ad gratiam & gloriam quam habuit in tempore ante omnem creaturam, & ante præuissam conditionem & creationem Adami, & cuiuscunque ipsius peccati: ergo nullo modo dicendum est, quod in ipso peccauit, aut ingressa est vllo modo pactum initum inter Deum & ipsum Adamum, pro se & omnibus suis posteris. Consequentia (vt videtur) legitima est. Etenim si (vt prædictum est) Sacræ Virginis electio & prædestinatio ad Matris dignitatem, & ad gratiam & gloriam quam de facto in tempore habuit, præcesit electionem & prædestinationem Adami, & omnium suorum posterorum; liquidum profecto fit, quod ipsa inuolui haudquaquam potuit in pacto, postea (nostro modo intelligendi) inito cum Adamo, & omnibus suis posteris: cum eiusmodi pactum non nisi pro futuris post Adamum ipsum fuerit celebratum, & ex vi talis decreti (etiamsi Adamus non foret) Deipara Virgo nihilominus existeret. Antecedens verò, nempe quod Virgo sacra (sicut præmittitur) ante Adami & suorum posterorum prouisionem fuerit electa & prædestinata (præterquam quod est expressa sententia nostri Scoti in 3. sent. dist. 7. quæst. 3. §. sed ij sunt, & dist. 19. quæst. vnica §. in ista quæstione, & in reportatis dist. 7. quæst. 4. §. 3. declarandum, & communis omnium Scotistarum) tenet eam Alexand. Alensis 3. p. quæst. 2. art. 13. & Pighius lib. 10. de lib. arb. c. 1. & lib. 18. cap. etiam primo.

Et

Et Catherin. lib. de eximia prædestinatione Christi. Galatinus lib. 7. de arcanis cap. 2. Et Viguerius in suis catho. institut. cap. 2. §. 1. Suarez in 3. part. D. Thom. quæst. 27. disput. 1. sect. 3. Constatque satis aperte ex illis verbis quæ habentur Prouerb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego iã concepta eram.* Quæ quidem verba ad literam, licet de Sapientia increata primo veniant intelligenda, non tamen in congrue, quinverò congruentissime, in sensu spirituali & mystico, etiam Beatæ Virgini tribuuntur, accommodantur, & applicantur ab Ecclesia. Cui certe conuenire minime possent, nisi ipsa à Deo ab æterno in diuina præuisione & electione (ad nostrum modum intelligendi) prius fuisset præuissa, electa & prædefinita, & omnibus alijs creaturis antelata. Ita quod prædicta Beata Virgo post Christum Dominum (qui teste D. Paulo ad Colos. 1. prædestinatorum fuit omnium primus) ante præuisionem & prædeffinitionem Adami, & suorum posterorum, & cuiuscunque originalis peccati primo fuit electa, præuissa, prædestinata, deffinita atque determinata, quod futura erat eiusdem Christi Domini Mater: consequenterque proinde independenter ab omni prorsus peccato. Quibus supradictis verbis concinit & illud, quod habetur, Eccles. 24. *Ego ex ore altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturã.* Quæ etiam verba ad eundem sensum sunt interpretanda, & intelligẽda. Nam quonam pacto Virgo sacra vllo modo dici posset primogenita ante omnem creaturam; nisi id intelligendum veniret (vt dictũ est) in decreto diuino, & diuinis diffinitionibus & prædeterminationibus? Etenim in executione, planum est quod non fuit ante omnem creaturam. Hoc argumentum latissime prosequitur Salazar supradictus, libro suo pro Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione, cap. 3. per totum, vbi & ad idem propositum plura satis notanda dicit, quę videri poterunt ibidem.

Secundum argumentum. Secundò sic potest argumentari ad idem. Nam ad hoc vt quis dicatur in Adamo peccasse (vt satis constat ex supradictis) non satis est vt fuerit in illo tanquam in naturali humanæ naturæ principio, & vniuersali omnium capite: sed vlterius necessum est, vt fuerit in illo, tanquam in capite morali, & comprehensus in pacto à Deo cum Adamo & suis posteris inito: sed Beatissima Virgo, ex filij sui meritis præuisis, excepta & libera fuit à pacto prædicto, & licet fuerit in Adam tanquam in suæ naturæ principio, non tamen fuit in illo tanquam in capite morali: ergo nec dicendum est quod peccauit in ipso. Consequentia cum maiori legitima est, minorem autẽ sic probo. Quia Deus Optimus Maximus (qui fuit legislator, & pacti prædicti cõstitutor) optime potuit eam ab illo eximere; cum neque in hoc aliqua reperiatur contradictionis implicatio, & fuerit quammaxime expediens atq;

condecens id ipsum vt faceret, ac Matri suæ diceret, quod olim Asuerus dixisse fertur, Hester cap. 6. *Non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est*: quæ verba Sanctißimæ etiam Virgini ab Ecclesia in suæ Cõceptionis officio accommodantur. Dicendum est igitur, quod & illud fecit de facto: & sic Virgo sacra, neque ingressa est pactum prædictum, neque peccauit in Adamo.

Tertium arg. Tertiò argumentari potest ad idem. Quia si propter aliquam rationem & causam Deus illud non fecisset, maxime vt non minueretur Christi Domini redemptio, expediebat enim quammaxime, vt ipse esset vniuersalis omnium hominum redemptor (vt in quampluribus suæ doctrinæ locis docet Diuus Paulus) sed propter hoc non minuitur: quinverò quammaxime extollitur atque illustratur, & Christi meritum efficacius ostenditur: ergo intentum. Consequentia legitima est, minorem sic probo. Quia non minor, quinverò maior Christi meriti efficacia est, Sacram Virginem à peccato in quod cadere poterat præuenire & præseruare, & facere vt in ipsum non caderet: quã eandem post lapsum eripere: ergo id ipsum faciendo altiori modo dici debet eiusdem redemptor. Quod & confirmari potest exemplo. Nam si quis cum mulierem aliquam in seruam vendidisset, in eodem contractu cõstituisset vt primus eius filius liber esset, nec seruus nasceretur: ac tali modo illum exciperet: reuera ille talis optimo iure à seruitute diceretur redemptus: idem ergo dicendum est in proposito, & quod Virgo Sacra in tali casu potest & dici debet à Christo Domino redempta, etiamsi in Adamo haudquaquam peccauerit: postquam ex eius meritis præuisis exempta siue excepta fuit à supradicto pacto, & communi lege Adamo & suis posteris imposita, & à peccato in quod incidisset, nisi præuenta & præseruata fuisset.

Quartum argumentum. Quartò sic argumentatur ad idem. Nam certe contrarium dicere, & asserere Beatißimam Virginem in Adamo peccasse, videtur vergere in opprobrium & quammaximam iniuriam Christi Domini, insuper & sanctißimæ suæ Matris: dum de illo dicitur, quod sit peccatricis filius: non bene, quinverò male natus. Nam certe natus ex Patre damnato atque maledicto, damnatus etiam & maledictus dicitur. De illa autẽ diceretur, quod fuerit iræ filia, Deo ingrata atque inuisa, multaque alia exinde sequerentur inconuenientia, quæ lingua timet nec valet dicere, & piæ aures omninò horrent exaudire: non igitur est id vllo modo dicendum.

Quintum arg. Quintò sic argumentari potest ad idem, ex verbis D. Augustini, serm. de Assumptione, vbi ait, quod de Deo semper debemus credere fecisse id quod melius est: sed melius est Deum Beatißimam Virginẽ vt ne in Adamò peccaret eximisse atque liberasse, quam non fecisse: dicendum ergo est quod illud ita fecit de facto. Et vt argumentum magis in suo puncto constituatur, quæro, an Deus id ipsum facere potuit

tuit & non voluit, an vero voluit, & non potuit? Non dici potest primum: etenim impietatem redolet, & vt inquit Diuus Augustinus: *Credendum non est quod fuerit ingratus matri suæ, qui Patri, Matriq; honorem præcepit exhiberi.* Nec vero potest dici secundum, quia arguit impotentiam in Deo: ergo intentum, nempe quod potuit & voluit, & de facto, vt non in Adamo peccaret, illam liberauit.

Sextò ad idem sic etiam potest argumentari. Nam (vt dicunt omnes vbique sancti) Beatissima Virgo ex eo quod futura erat Mater filij Dei, melior & superior fuit cunctis Angelis, & in Assumptione sua (vt canit Ecclesia) supra illos omnes est eleuata & exaltata, sed Angeli neque in se, neque in alio vllum vnquam prorsus habuerunt peccatum: ergo id ipsum Sacræ Virgini nullo videtur modo denegãdum. Vt quid enim æternus Deus Pater, vnigenitusve ipsius Filius, Sanctissimæ Matri suæ denegaret, quod concessum est Angelis: cum adeò longe sit melior ipsis, & maternitatis Christi dignitas, adeò præexcelsa, vt super ea fauores omnes possibiles optimo iure possint & debeant fundari? *Sextum argu.*

Hoc argumentum ex eo quammaxime comprobatur, & sit septimum argumentum; quia super hoc solummodo innixa atque fundata sancta nostra mater Ecclesia, Virginem prædictam eximit, ac fidelibus credendum firmiter tradit, eam fuisse exemptam ab alijs communibus regulis: vtpote à doloribus partus, à corruptione corporis, alijsque similibus: cur igitur & nos eodem fundamento innixi, ac debita pietate moti, non asseueranter dicemus, exemptam fuisse ab hac communi regula, vt cum nobis omnibus non in Adamo primo nostro parente peccauerit. Aut cur id ipsum factum cuipiam videatur impossibile, cum manus Dei extenta, in id haudquaquam fuerit coarctata? *Septimum argumentum.*

Quod & comprobari potest exemplo rationi nimium conformi quod sit aliud argumentum octauum in ordine. Etenim si Rex quispiam alicuius subditi filiam in sponsam sibi delegisset, ac propterea ipsius patri dignitatem aliquam concessisset, ea conditione & pacto vt si fidelis sibi extitisset eiusmodi dignitas ad omnes ipsius posteros transiret: sin autem quod paterni criminis rei omnes permansissent, quid obest quo minus à tali conditione & pacto, eius quam sibi in sponsam elegerat filiam excepisset? nihil certe. Idem igitur pie credẽdum est in proposito, Deum nostrum Opt. Max. cum sacra Virgine fecisse: eamque exemisse à pacto & communi lege, Adamo & omnibus suis posteris imposita, vt non in ipso aut cũ ipso peccaret? Ex prędictis omnibus rationibus, sententia & opinio Catherini prædicta satis redditur probabilis, ac pietatis specię quammaximam præseferẽs. Quo fit vt supradictus Ægidius, immerito quidem eiusmodi nota illam inuserit, vt dixerit eam esse falsam, improbabilem, plusquam temera- *Octauum argumentum.*

merariam, non in fide tutam: quinverò potius erroneam, nullo modo sustinendam, sed procul relegandam. Sed quia opinio & sententia quam ipse defendit, negari potest minime quod etiam sit probabilis: quinverò probabilior & apud Theologos omnes, tam antiquos quã recẽtiores & neothericos communiter magis recipitur: in ipsius gratiam sequens etiam tertia statuitur conclusio.

Tertia Conclusio.

Sententia & opinio quæ dicit B. Virginẽ in Adamo primo nostro parente peccasse, communior atque probabilis etiam est; quinvero & probabilior, stando in suis fundamentis, si debite explicetur.

SENTENTIA & opinio quæ dicit, Virginem sacram in Adamo primo nostro parente peccasse, stando in suis fundamẽtis probabilis etiã est: quinverò & probabilior, si sano modo intelligatur, ac debite (vti par est) explicetur. Hæc conclusio non aliter potest probari, quam per ea quæ latissime à nobis dicta sunt supra, in positione secundæ sententiæ, quæ asserit Deiparam Virginem in Adamo primo nostro parente peccasse: vbi hoc argumentum multis Sanctorum Patrum auctoritatibus atque rationibus sumus prosequuti, & apposuimus fundamenta omnia, quibus innixus supradictus Ægidius hanc sententiam & opinionem defendere adeò mordicus conatur. Aduertendum tamen est, quod quia verba prædicta, *Virgo sacra in Adamo primo nostro parente peccauit*, prima facie, primove intuitu, non ita apud omnes bene sonant, & apud non multum peritos hunc videntur efficere sensum: quod eadem sacra Virgo (nec dum habitualiter ad sensum supradictum) quinverò & actualiter in Adamo primo nostro parente peccauerit, seu potius quod de facto in seipsa originale peccatum contraxerit: dicendum videtur, quod eiusmodi verba, non quidem absolute, sed cum hac distinctione & modificatione proferantur & concedantur, vt fiat sensus, quod peccauit in Adamo, & ipsius lumbis tanquam in vniuersali quodam humanæ naturæ principio, & tanquam vera eiusdem filia, virtualiter, habitualiter, siue interpretatiue, eiusdem transgressioni & præuaricationi simul cum omnibus nobis assentiendo & consentiendo, cum fuerit inclusa & comprehensa in pacto inter Deum & Adamum inito, & communi lege ipsi & omnibus suis posteris imposita. Quod revera nihil erit aliud omnino dicere, quam quod contraxit ibidem debitum originaliter peccandi, in quod debitum incurrisset, & peccatum prædictum contraxisset: nisi ex singulari gratia & priuilegio (pro eo quod futura erat æterni filij sui mater) à Deo Optimo Maximo diuinitus fuisset excepta & præseruata. Hoc itaque modo, & cum hac modificatione, limitatione, siue declaratione hac in re loquendum est, non vero aliter. Quod non ita male sonat apud Peritos, & humanæ aures non adeò illud abhorrent exaudire: & prædicto modo explicata & declarata supradicta opinio dico quod (necdum probabilis) quinvero probabilissima est, in suis

In quo sensu, & cũ qua modificatione concedi potest quod Virgo sacra in Adamo primo nostro parente peccauerit.

stando

ſtando fundamentis,& quæ apud Doctores, tan antiquos quam recētiores communiter habetur. Omnes enim in Virgine ſacra peccandi debitum vbique agnoſcunt & admittunt, quamvis aliter & aliter, vt latius dicemus in quæſtione ſequenti.

Sed tamen quia (vt diximus) Ægidius ſupradictus Catherini ſententiam & opinionem à tot grauiſsimis Doctoribus,& Auctoribus probatam, adeò acriter impugnauit & reprobauit,eiuſdem argumētis & rationibus ſatisfacere operępretiū viſum eſt, vt nihil intentatū remaneat,& vt omnibus conſtet,quam vim & robur ſuæ rationes, & argumenta habeant.

Reſpondetur argumētis adductis pro ſecunda ſententia contra Catherini opinionem.

Ad primum igitur argumentum, quod Gilberti Porretani continet auctoritatem:reſpondetur. Quod prædicta auctoritas & omnes aliæ ſimiles Sanctorum Patrum aſſerentes, ſeu potius ſonantes,Beatiſsimam Virginem cum cæteris Adami poſteris peccato originali ſubiacuiſſe,intelligendæ & interpretandæ ſunt pie, benigne, & cum ſale: vtpote qui loquuti fuerint ita generaliter , iuxta exigentiam & neceſsitatem temporum illorum. Nam agendo cum hæreticis,non ſunt auſi pro certo affirmare id quod non aperte & clare ex aliqua Sacræ Scripturæ auctoritate conſtaret, vt non errandi & Eccleſiam impugnandi anſam & occaſionem Hæreticis ciſdem præberent: quod hac in re multum eſt notandum ac memoriæ commendandum. Hinc factum eſt (vt dicunt Doctores grauiſsimi) quod multi olim Sancti Patres,quamvis vt rem compertam, ac ſibi certam perſuaſum haberent, Beatiſsimam Virginem ab omni originali peccato fuiſſe immunem,& ex ſingulari Dei gratia & ſpeciali priuilegio exceptam & præſeruatam:vt ne cum omnibus nobis in Adamo primo noſtro parente peccauerit:idque ad Dei ſapientiam,pietatem atque bonitatem: quin verò & ad rationem ipſam nimis conformiter: quia tamen in Sacra Scriptura id ipſum non habebatur expreſſum,& agēbant, loquebantur,& contendebant cum hæreticis, haudquaquam auſi ſunt illud affirmare, vllove modo dicere: vt ne ex hoc ipſi anſam & occaſionem errandi haberēt, aſſerendi & dicendi aliqua eſſe tenenda & credenda, quamvis in Scriptura Sacra non contineantur expreſſe. Hinc etiam factum eſt multoties, vt Sancti Patres aliquem hæreticorum errorē impugnantes, ſuis dictis & argumentationibus ita ſe geſſerunt cum illis,vt in aliud extremum viderentur incidiſſe , adeò illis cura erat à ſententia Hæreticorum eorundem diſcedere. Cuius quidem rei apud Diuum Auguſtinum & alios Sanctos Patres, multa reperire licebit exempla. Etenim contra Pellagium diſputantes, cum neceſsitatē gratiæ omninò ipſe denegaret,ita acerrime in eundem irruerunt, vt nonnihil libero arbitrio derogare videantur. E contra verò diſputantes & contendentes cum alijs,arbitrij libertatem (vt videbatur) penitus tollentibus, ita in fauorem libertatis eiuſdem propenderunt, vt

Ad primum argumentum.

gratiæ necessitatem visi fuerint, veluti è medio tollere, licet revera neque gratiæ necessitatem, neque arbitrij libertatem abnegare vllo modo præsumpserint vtrique. Ad propositum ergo dico, quod cum Pelagius originale peccatum in pueros naturali generatione träsfundi omninò negaret, & (vt ipse dicebat) capere nullo modo posset, quonam pacto eiusmodi peccatum in paruulorum animas illaberetur; vt os illi obstruerent omnes antiqui Sancti Patres, vniuersales propositiones & generales illas regulas tradiderunt, quibus omnes (præter Christum) originali peccato esse astrictos, & in Adamo peccasse, sine discrimine & absque vlla prorsus distinctione declararunt, de Sacræ Virginis exceptione (quam vt dixi sibi persuasam habebant) nihil omninò dicentes: quinverò potius aliquando in generalibus prædictis regulis includentes, vt non vllo modo à Sacræ Scripturæ expressis verbis viderētur discedere, aut errandi hæreticis occasionem quamlibet præberent. Cum quo quidem stat, quod si eiusmodi Sancti Patres, tam antiqui quam Iuniores, hoc nostro sæculo quo eiusmodi nō subest periculum vixissent: haudquaquam talia dixissent: quinverò Deiparæ Virginis à quolibet peccato immunitatem, sicut fecerunt de actuali (quamvis in Scriptura Sacra id ipsum non habeatur expressum) ita & de originali totis viribus constantissime defendissent. Hęc pro nunc dicta sufficiant, vt fiat satis prædictæ Gilberti Porretani auctoritati, alijsq; similibus Sanctorū Patrū: nā hac de re iterum redibit sermo, infra in quæstione 13. vbi loquendo de facto, multis rationibus & argumentis monstrabimus, Deiparam Virginem liberam, & immunem fuisse ab omni prorsus contractione prædicti originalis peccati.

Ad secundum argumentum. Ad secundum argumentum, quo etiam continetur alia sententia Diui Augustini, dicentis, Beatissimam Virginem mortuam esse, quemadmodum & Adam propter peccatū: respondeo & dico, D. Augustinum ibidem haudquaquam intendere Virginem mortuam fuisse, eo quod alicuius peccati fuerit rea, seu ex aliquo peccato ab eadem cōmisso (etiam originaliter in Adam) necessitatem moriendi incurreret, aut tali peccato & mortis debito vllo modo fuerit adstricta: sed mortua dicta est propter peccatum Adami: quia illud peccatū sibi & omnibus suis posteris remedium abstulit, quo vitam perennem conseruare possent: arborem scilicet vitæ, quo vita conseruaretur ipsa, & repararetur id quod ab æstuante calore naturali deperditum fuisset. Pro quo supponendum est de mente & sententia eiusdem D. Augus. lib. de Genes. ad litteram, & communiter omnium Sanctorum Patrum, & tradit illud specialiter Diuus Thomas prima parte quæst. 2. art. 3. quod mors seclusο peccato, cunctis est hominibus naturalis, pro eo quod in nobismetipsis à natura ipsa gerimus corruptionis semina, compositi cum simus ex qualitatibus contrarijs. Quo fit vt quamvis Adamus primus noster parens nō peccaret, ac peccato suo

Quod mors Adæ & cunctis suis descendētibus etiam seclusо peccato erat naturalis.

poste-

posteros omnes suos infecissent, nihilominus tamen tam ipsi quam illi aliquando mortem naturalem obirent, nisi ex superna providentia, & dispositione præsto illis esset arbor vitæ, cuius esu vires & valetudinem in dies instaurarent, atque recuperarent. Etenim si primo homini ante culpam naturale fuisset nunquam mori, frustra illi ad tuendam vitam tributa illi fuisset arbor vitæ, ac prorsus sine causa dicta fuissent verba illa, quæ habentur Genes. 3. post Adami peccatum: *ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum: nunc ergo ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & commedat, & viuat in æternum, eijciamus eum de Paradiso.* Ad cuius etiam hostium dicitur ibidem, *quod collocauit Deus Cherubim flammeum gladium, versatilem habentem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Ex quibus verbis satis clare colligitur, quod quando Dei sententia primũ hominem morti addixit, haudquaquam ipsius naturam commutauit, sed solummodo vitæ conseruandæ remedium illi eripuit: quod est intentum. Et ad præsens propositum prædicta omnia applicando dico, quod quando D. Augustin. dixit Virginem ex Adamo propter peccatum mortuam fuisse, non est sensus, quod morti subiacuit lege naturæ, propter aliquod ipsius peccatum corruptæ & vitiatæ (cum omnes ipsa prorsus peccati leges ignorauerit) sed iure ipsius naturæ quæ alias ex sua conditione & constitutione morti erat obnoxia, sublato prædicto remedio conseruationis suæ vitæ. Quod & generaliter intelligendum est, quotiescunque Sancti Patres sacram Virginem mortis legem obligatam esse dicunt; nam non id alicui eiusdem culpæ, sed naturæ tantum tribuendum est: ad hunc sensum, quod naturali propagatione ex hominibus orta, ex naturali sua conditione morti subiacebat: quia ipsa sicuti & cæteri homines propter Adami peccatum remedio illo caruit, quod ipsam in vita perennem posset conseruare. De Christo vero Domino est dispar ratio: nam licet etiam mortale corpus induerit, quia tamen Deus erat & homo, non naturali propagatione, aut ex aliquo virili semine, sed de Spiritu Sancto conceptus, & anima ipsius sanctissima ab instanti suæ Conceptionis beata, ipsius existendi modus & ipsa sua beatitudo connaturaliter exposcebat, vt corpus illud inter alias gloriæ dotes immortalitatem haberet, & ipse per se vitam suam poterat tueri, atque in æuum producere: vtpotẽ qui solus erat inter mortuos liber, & quem nulla lex & nullum ius ad mortem subeundam constringebat, aut obligabat: sed & mori ipsi liberum prorsus atque voluntarium fuit. Qua ratione & dixit Diuus Augustinus prædicto in loco, quod ipsius caro ex Maria assumpta, mortua non est propter peccatum, sed propter delenda peccata. Quod valde est notandum, ac memoriæ commendandum.

Qualiter intelligendũ sit id quod dicunt Sancti beatam Virginem mortuã fuisse propter Adami peccatum.

Cui vero prædicta non placuerit solutio, dicere etiam poterit, iuxta mentem & sententiam Diui Augustini, & aliorum Sanctorum Patrum.

Nota alium dicendi modum

ad explicandũ qualiter Virgo sacra interdũ à Sanctis Patribus mortua esse dicatur propter peccatum.

Patrum, Deiparam Virginem ex Adam mortuam esse propter peccatum, quia quamvis de facto in Adamo non peccauerit, ex conditione tamen suæ naturæ, debitum quoddam habuit peccandi ac moriendi, necnon & contrahendi peccatum originale: si non à pacto inter Deũ & Adamum inito, & communi lege Adamo & suis posteris imposita, ex singulari beneficio & gratia fuisset exempta & liberata: de quo prędicto debito plura dicemus in sequenti quæstione.

Ad tertiũ argumentum.

Qualiter intelligendum sit quod Christus Dominus mortuus fuerit, p B. Virgine.

Ad tertium quo continentur auctoritates D. Pauli, dicẽtis, Christum Dominum pro omnibus mortuum fuisse: pronunc breuiter respondetur, concedendo libenter Christum Dominum pro omnibus mortuum fuisse (etiam pro Beata Virgine) quæ & si in Adamo (vt prædictum est) non peccauerit, nec de facto spiritualiter mortua fuerit, pro eo quod exempta fuit à supradicto pacto & communi lege Adamo, & suis posteris imposita: quia tamẽ id effectum est ex Christi Domini meritis præuisis, iure optimo dici potest, eundem etiam pro illa mortuum fuisse. Et in hoc sensu bene potest admitti, quinvero & debet, Beatam Virginem in Adamo mortuam fuisse secũdum debitum, & Christum Dominum etiam pro eadem mortuum fuisse, & quod B. Virgo participauit de meritis sanguinis ipsius. Hoc (inquam) bene absque præiudicio opinionis prædictæ potest concedi & dici.

Ad quartum argumentum. Qualiter Beata Virgo dicatur Christi sanguine redempta, etiam si in Adamo non peccauerit.

Ad quartum argumentum, quando dicitur, quod si Beata Virgo in Adamo non peccauit, nulla ratione dici potest sanguine Christi redempta: respondetur negando illud. Et si dicatur quod vbi nõ est captiuitas, nullum prorsus habet locum redemptio: id ipsum similiter est negandum: nam est duplex redemptionis, siue liberationis genus: alterium subleuatiuum, aliud verò præseruatiuum: quorum primum est quando aliquis eripitur siue liberatur à captiuitate, damno, siue morte in quam revera incidit: secundum verò quando eripitur, siue liberatur à captiuitate, damno siue morte, inquã (nisi præseruaretur) incidisset: quo vltimo redẽptionis genere Beata Virgo à Christo Domino fuit redempta: nam ad id satisfuit ex conditione suæ naturæ (vt prædictum est) habuisse eandem peccandi debitum, priori verò cæteri homines sunt redempti. Hac de re plura in sequentibus quæstionibus sunt dicenda, quæ proinde in præsentiarum consultò prætermittuntur.

Ad quintum argumentum. Nota quod dicit Salazar respondẽdo ad argumentũ Ægidij.

Ad quintum & vltimum argumentum Ægidij, respondet Salazar Iesuita lib. supradicto pro Immaculata Conceptione Deiparæ Virginis, cap. 8. §. 2. num. 12. & 13. concedendo libenter, quod Beata Virgo in Adamo minime peccauit, & etiam id quod exinde sequitur, nempe quod nec peccatum contraheret originale, etiamsi iustitia habituali non præueniretur; negat tamen illud quod perinde prædictus Ægidius infert, nempe Sacram Virginem non indiguisse Dei gratia præueniente, siue præseruatiua, vt à contrahenda originalis peccati

macula

macula præueniretur & præseruaretur. Non enim (inquit) sequitur, ex eo quod Beata Virgo non indiguerit habituali gratia, quod non etiam indiguerit Dei gratia præseruante illam, ab eo quod est peccare in Adamo, & à contractione originalis peccati. Nam quod exempta fuerit à pacto inter Deum & Adamum inito, & à communi illa lege cum eo & suis posteris imposita, & quod ipsius salus non in discrimen cum alijs Adæ filijs vocaretur, supposita præscientia futuræ ruinæ: gratia quidē fuit Dei (nec verò minima) sed quammaxima: & beneficium Deo Optimo Maximo tribuendum & referendum, cum non illud haberet ex conditione suæ naturæ. Quo fit (inquit Salazar) quod tam Catherinus quam omnes qui illius sententiam & opinionē sequuntur, prædictam Beatę Virginis liberationem à supradicto pacto & communi lege, in Dei gratiam quammaximam referant, & illam dicant ex Christo atque per Christum illi fuisse concessam. Etenim Beata Virgo licet in intentione, ante præuisa Christi merita fuerit electa, præordinata & prædefinita: in executione tamen omnia ipsius dona ex eiusdem Christi Domini meritis iam præuisis sibi fuerunt data & concessa. Et nec dum Catherinus & qui ipsum sequuntur (inquit prædictus Salazar) in hoc negotio præseruationis Virginis à peccato Adami, Dei gratiam non auferunt siue excludunt: quin verò duas simul gratias ex Christi meritis in illa ponūt: alteram quod non in sua Conceptione peccatum originale incurrerit (sicuti incurrerunt omnes Adami posteri) ortam ex eo quod à prædicto pacto, & communi lege per Christi merita fuit excepta: alteram verò quod tantam gratiam iustitiam & sanctitatem eidem Deus in sua Conceptione donauit, vt fuerit sibi quodammodo debita; pro eo quod illam efficaciter propter eadem Christi merita in Matrem Sanctissimam suam elegerat. In quo (inquit) vincunt Catherinus, & qui illum sequuntur Doctores oppositæ sententiæ, qui ad præseruandam Beatam Virginem à contractione originalis peccati vnam tantummodo gratiam illi fuisse dicunt impensam, habitualem scilicet iustitiam, per cuius infusionem originale peccatum formaliter impeditum est, vt ne in ipsius animam introiret. Hæc supradictus Salazar, & pro prædicta vtraque gratia remittit se, ad ea quæ dicit infra capite 24. §. 9. & 10. vbi fusius agit de redemptione Virginis ab originali peccato, quæ & illic licebit videre.

Et hæc pro hac quæstione dicta sufficiant.

QVÆST. XII.

An saltim necessario sit concedendum, quod Beata Virgo contrahendi originalis peccati maculam, habuerit debitum?

DISCVSSA & explicata iam difficultate præcedẽtis quęstionis, an scilicet Beatissima Virgo in Adamo primo nostro parente peccauerit, & qualiter id fit explicandum, intelligendum & concedendum: rectus procedendi ordo expostulat vt inquiramus, an exinde contrahendi originalis peccati maculam habuerit debitum? Pro cuius rei intelligẽtia oportet in memoriam recolere, id quod iam satis constat ex supradictis, nempe non esse omninò idem: quinverò longè aliud atque diuersum, in Adamo peccare, & originalis peccati maculam quempiam in semetipso contrahere: & ex infra dicendis constabit, vnum sine alio inueniri optime posse. Nam multi in ea sunt sententia & opinione, vt credant Sacram Virginem in Adamo primo nostro parente peccasse: & nihilominus eam liberant ab actuali contractione originalis peccati. Certum est etiam, quod in Adamo peccasse nos, fuit in Paradiso adhuc in ipsius lumbis existentes: at vero originalis peccati maculam in nobis metipsis contrahere, est dum actu in vtero matrum nostrarum concipimur. Præterea peccatum in Adamo commissum fuit in omnibus nobis vnum tantum specie: at eiusmodi peccatum generatione trãsfussum (vt inquit Concil. Tridentin. Sessione 5. cap. 5.) non est vnum tantum in nobis, sed vnicuique nostrum inest proprium. Item peccatum Adæ in ipso fuit actuale (actualis nempe illa inobedientia & diuini præcepti transgressio) quæ in nobis tantummodo fuit habitualis, ex qua peccatum resultat originale, quod actu contrahimus dum concipimur. Quibus præmissis atque præsuppositis, postquam in precedenti quæstione in controuersiam adduximus, Vtrùm Beata Virgo in Adamo primo nostro parente peccauerit, & qualiter id ipsum sit intelligendum, dicendum aut concedendum: rectè nunc subsequitur, an exinde in ea, contrahendi originalis peccati maculam debitum aliquod resultauerit: Statim dicturi an de facto eadem Sacra Virgo originale peccatum actu contraxerit, certum cum sit, quod eiusmodi macula nisi ex aliquo præcedenti debito non contrahitur.

Nota quod nõ est omnino idẽ in Adamo peccare, & originalis peccati maculam quẽpiam in se contrahere: quinimo vnum sine alio potest inueniri.

Qua de re plures sunt Doctorum Scholasticorum, tam antiquorum quàm Iuniorum sententiæ & opiniones.

Prima

Prima opinio (vt à Iunioribus exordiamur) est eorum qui simpliciter & absolute negant Sacram Virginem habuisse debitum aliquod ad contrahendum originale peccatũ. Hæc opinio (vt dicitur) tutata atque defensata fuit Toleti anno Domini 1615. à non nullis sacri nostri Ordinis Fratribus, in publicis quibusdam concertationibus: qui inter alias assertiones hanc absolute simpliciter & indistincte posuerunt, Virginem sacram, non solum non contraxisse originalis peccati maculam, verum neque contrahendi illam habuisse debitum. Qua de re cum inter ipsos fratres & alios Prædicatorum Ordinis, grauissima fuisset excitata controuersia, tandem causa deducta est ad Tribunal sanctæ Inquisitionis, vbi consultis viris doctissimis (sed maxime Cõplutensibus) supradicta propositio vt probabilis ab eisdem est qualificata. Hæc sententia & opinio tribuitur Valentiæ secundo tomo disputat. 6. quæst. 11. puncto 2. §. quare ad primum respondeo. Et etiam Vazquez tomo 2. ad tertiam partem disput. 115. cap. 3. Azor tomo 1. Institut. moral. cap. 34. quæst. 3. Enriquez tomo 1. suæ Summæ lib. 3. de Confirmatione & Extremavnctione cap. 1. num. 3. littera L. Basilio Legionensi lib. variarum disput. repet. 3. pag. 546. Angles in 2. sent. disp. 31. de traductione originalis peccati. Turriano in epist. de peccato originali. Stephano Mendez lib. 3. de dignitat. sacratissimæ Virgin. cap. 34. §. 2. Neque desunt qui illam etiam tribuant Catherino tractatu de Conceptione Virginis (sed falso) vt amplius infra patebit, pro qua sententia & opinione argumentari potest sequentibus auctoritatibus & rationibus.

Prima opinio eorum qui absolute negant fuisse in Beata Virgine vllũ omnino debitũ originaliter peccandi.

Primo ex auctoritate Ricardi de Sancto-Victore, cuius verba referuntur in officio Conceptionis, approbato ab Ecclesia, composito à quodam Leonardo de Noguerrol vbi inter alia sic dicitur. *Non decuit vt caro Mariæ qualicunque foret obnoxia culpæ.* Cuius similia verba recitantur in alio eiusdem Conceptionis officio, etiam ab Ecclesia approbato, & composito à Bernardino de Bustos, vbi similiter dicitur. *Beatus Mariæ venter, qui nulli vnquam fuit obnoxius culpæ.* Quibus verbis (vt videtur) datur intelligi, nullum omnino eandem habuisse debitum contrahendi originale peccatum: alias enim non recte diceretur, quod nulli vnquam fuit obnoxia culpæ.

Primum argũ.

Secundò argumentor ad idem, ex sententia Diui Anselmi, adducta in vtroque prædicto Conceptionis officio ab Ecclesia approbato, super epistol. Diui Pauli ad Corinth. 1. cap. 5. vbi ait. *Decuit Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi.* Ex qua auctoritate sic colligi potest argumentum. Puritas quæ non solum non admittit aliquã culpam, verum neque ad eandem debitum: maior certe est illa quæ admittit debitum, quamvis culpam non admittat, & talis puritas intelligi potest sub Deo: ergo de mente & sententia Diui Anselmi tribuenda est sacræ Virgini eiusmodi puritas, non solum excludens om-

Secundum argumentum.

nem culpam, verum etiam & debitum quodcunque habendi illam.

Tertium argumentum. Tertiò argumentari potest ad idem, ex tertia Synodo Generali act. 3. vbi etiam dicitur: *Quod Beata Virgo est purior omni sensibili atque intelligibili creatura, ac subinde purior Angelis ipsis.* Sed hoc non esset verum si aliquod ipsa habuisset debitum ad contrahendum originale peccatum: quin verò Angeli ipsa essent puriores: cum (vt præmissum est) maior sit sanctitatis puritas, quæ omnem culpam & debitum excludit, quam illa quæ solum excludit culpam, quæ etiam reperta est in Angelis: ergo absolute dicendum est, quod sacra Virgo, nedum non peccauit in Adamo, verum neque contrahendi originale peccatum aliquod ex ipso incurrit debitum.

Quartum argumentum. Quartò argumentari potest ad idem, ex auctoritate Diui Augustini lib. de natura & gratia, cap. 36. vbi de prædicta Sacra Virgine loquendo ait. *Cum de peccatis agitur, de Beata Virgine Maria propter honorem Domini nullam prorsus habere volo quæstionem. Inde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quod concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Quæ quidem verba secundum quorundam expositionem, intelligenda sunt, non solũ de peccatis actualibus, verum etiam & de originalibus: postquam dicit idem Augustinus plus gratiæ eidem collatum esse ad vincendum omni ex parte peccatum (nempe tam originale quàm actuale) sed nõ vinceitur omni ex parte originale peccatum, si ab eo excludimus solummodo culpam, & non etiam debitum: ergo dicendum est de mẽte Augustini, quod ad peccandum originaliter nullum fuit in ea omnino debitum.

Quintum argumentum. Quintò etiam argumentari potest ad idem, ex quampluriũ Sanctorum Patrum auctoritatibus, quibus innui videtur, Beatam Virginem ab omni originalis peccati debito immunem fuisse. Et in primis sese offert Diuus Hieronymus, relatus etiam infra in supradicto Conceptionis officio, serm. de Assumptione: & habetur in quinto tomo: qui loquendo de prædicta sacratissima Virgine, dum eam Immaculatam esse dixit, post alia in sequentia verba prorumpit. *Ideò Immaculata, quia in nullo corrupta.* Quod certe de illa minime dixisset, originaliter peccandi si debitum vllum habuisset, cum eiusmodi debitum incurrendi originalem maculam, absque mentis corruptione non detur. Cui Diui Hieronymi dicto, succedere etiam potest aliud Origenis, in eodem Conceptionis officio relati, homil. ex varijs collecta, tomo secundo, vbi de eadem Virgine loquendo dixit. *Quæ neque serpentis suasione decepta, nec eius venenosis afflatibus infecta est.* Ex quibus verbis plane datur intelligi, quod si Beata Virgo antiqui serpentis in Paradiso non fuit persuasione decepta, neque eius venenosis afflatibus infecta, & Adami primi nostri parentis peccato, & transgressioni minime assensum præstitit, quod neque in ipso peccauit, aut contrahẽdi

oris

originalis peccati vllum habuit debitum. Prædictis succedat D. Augustin. cuius etiam esse dicuntur sequentia verba. *Sicut primus Adam fuit de terra virgine, & nunquam maledicta formatus: sic & fieri decuit in secundo Adam, qui quasi de intacta & rudi terra de Virginis carne formatus est.* Hæc eadem verba tribuuntur Diuo Andreæ Apostolo: quinverò & sancto Dominico, Prædicatorum Ordinis fundatori inclyto, & ex ipsis aperte satis concludi videtur huius sententiæ & opinionis intentum: nempe quod Beata Virgo nullum etiam originaliter peccandi habuit debitum. Diuus etiam Bernardus in sermon. de Natiuit. Virg. de eadem Virgine verba faciens, post alia ait: *Caro Mariæ ex Adamo assumpta, Adæ maculas non admisit.* Et alibi (vt refert Bernardinus de Bustos, de illa dixit. *Quod fuit immaculata & maculas peccati Adami, & suæ damnationis & debiti non admisit.* Succedat prædictis omnibus D. Ildephonsus. lib. de perpetua Virginitate Virginis prædictæ, & habetur tomo nono Bibliothecæ Patrum, pag. 678. *Vbi non solum Virginem dicit originale peccatum non contraxisse, verum & Euæ maledicto non subiacuisse, aut corruptioni peccati & primi originis: & quod à maledicto primæ damnationis, omninò prædicatur extranea:* ac tandem, *quod in Adamo sordes aliquas nõ admisit.* Hæc in substantia D. Ildephonsus dicit. Sit vltimum testimonium Cardinalis Nicolai de Cusa, lib. 8. suorum exercitiorum, in sermone sicut lilium, vbi post multa alia dicit. *Beatam Virginem non indiguisse liberatione à seruitute peccati.* Ex quibus omnibus auctoritatibus, pluribusque alijs à me breuitatis gratia prætermissis, quæ passim hic à Doctoribus circunferuntur (vt videtur) plane colligitur, prædictam Beatissimam Virginem, necdum in Adamo primo nostro parente minime peccasse, verum neque ex eo debitum aliquod originaliter peccandi contraxisse.

Sextò & vltimo pro eadem sententia & opinione potest argumentari ad idem, ex sententia hac super relata Matriti à supremo Sanctæ Inquisitionis officio, vbi (vt supradictum est) sequens propositio vt probabilis est qualificata. *Beata Virgo Maria non contraxit debitum originalis peccati,* vt constat ex fide secretarij eiusdem Sancti Officij. Quæ propositio sic absolute & generaliter prolata (vt volunt Auctores huius sententiæ & opinionis) intelligenda est de omni debito: vt scilicet absolute & sine vlla distinctione nullum contraxerit debitum. In quem sensum dicunt etiam esse intelligendum decretum Conc. Trid. Sessione 5. de peccato origin. cap. vltimo quando dixit. *Non esse suæ intentionis, comprehendere in eo decreto, vbi agitur de peccato originali, Beatam & Immaculatam Virginem Deigenitricẽ Mariam* & prædicta verba esse intelligenda, non solum de contractione peccati originalis, verum etiam & de debito ad contrahendum illud: ita vt sicut Concilium in generalibus regulis de originali peccato non intendit comprehendere sa- *Sextum argumentum.*

eram Virginem, sic neque in regulis de debito eiusdem originalis peccati.

Secunda opinio Catherini, & aliorum qui admittunt in Beata Virgine debitum peccati originaliter non tamen simplex & absolutum, sed secundum quid.

Secunda sententia & opinio est Catherini, qui quidem in Beata Virgine admittit debitum ad contrahendum originale peccatum, nō tamen proprium, simplex & absolutum, sed tantum secundum quid. Quod vt plenius intelligatur, aduertendum est, quod Catherinus in omnibus Adami posteris duplex cōstituit debitum, vnum ante peccatum quo obligati fuimus ad peccandum in Adamo, quatenus ex diuina institutione ipse constitutus est omnium suorum posterorū caput, non solum in esse naturali, verum etiam in esse morali: & statuit Deus vt eiusdem voluntas esset etiam voluntas omnium suorum posterorum: alterum verò post peccatum, quo obligati fuimus ad contrahendam originalis peccati maculam, quod simul cum Adamo cōmisimus. Horum primum, cum ortum habuerit ex conditione naturæ, & non potuerit non esse (quia omnes virtualiter continebamur in Adam tanquam in generali & vniuersali naturæ nostræ principio) vocat Catherinus quasi naturale, cum non penderet ex voluntate Adam: secundum verò vocat voluntarium, quia per se dependebat ex voluntate Adami, quæ etiam fuit simul & nostra. Qua etiam ratione primum non vocat, proprie simpliciter & absolute debitum, sed tantum secundum quid: secundum verò dicit esse proprie, simpliciter & absolute debitum. Hæc ex Catherino tract. 1. de Concept. Virginis, prima parte cap. 1. §. quarto igitur loco asserimus, & §. sed existunt, nonnulli idem dicit in tractatu 2. lib. 2. cap. 1. quæ applicando ad B. Virginem dicit eam habuisse quidem primum debitum dictum secūdum quid, ortum ex conditione suæ naturæ, quatenus fuit vera filia Adæ, & ex suæ naturæ conditione subiecta erat præcepto, quod Deus Adamo & suis posteris imposuit; & consequenter habere debuit debitum, vt Adamo peccante, contraheret etiam peccatum originale, nisi Deus ex speciali priuilegio illam ab eiusmodi præcepti obligatione eripuisset. Non tamen (inquit) habuit secundum supradictum debitum, proprium, simplex & absolutum, quia non habuit obligationē peccandi in Adamo, pro eo quod (vt dictum est in præcedenti quæstione) fuit exempta, siue excepta à pacto inter Deum & Adamū inito, siue à communi lege ipsi, & suis posteris imposita, quæ est causa ob quam Catherinus prædictus (vt vidimus in præcedēti quæstione) dixit illam in Adamo non peccasse: quia (inquit) nullus peccat in trāsgressione alicuius legis à qua ex speciali Dei priuilegio est exceptus, nec incurrit debitum contrahendi maculam peccati, quod ipse vere & realiter non commisit, quamvis commisisset illud, si suæ naturæ esset relictus. Hæc Catherinus vbi supra. Et cum eo, si non in propriis terminis, in substantia tamen cōuenire videtur, & pro eius opinione

Nota valde quæ dicit Catherinus de debito originalis peccati, quod fuit in sacra Virgine.

nione & sententia citantur Franciscus Turrianus, in epist. de peccat. origin. capit. 43. vbi supponens cum Catherino Virginem Beatam in Adamo non peccasse, dicit eam fuisse liberam & immunem à debito, quod habent omnes qui in Adamo peccauerunt. Pro eadem sententia citatur Viguerius in institut. Theolog. cap. 17. §. 5. de peccat. origin. Et Bollanus cuius liber habetur Romæ in Bibliotheca Sancti Petri montis aurei, quem refert & sequitur Carthagena lib. 1. de Beata Maria, hom. 16. Idem tenet Cornelius Mus Episcopus olim Vitontinus, super epist. ad Rom. in. capit. 5 Et Guterrius Placentinus super eandem epist. cap etiam 5. Pro eadem etiam sententia citantur Enriquez lib. 3 suæ Summæ cap. 11. §. 3. Angles in 2. sentent. dist. 31. q. 1. Herrera 2. p. disp. 24. art. 1. Zumel prima secundæ quæst. 81. art. 3. Suarez 2 tomo ad tertiam partem D. Thom. disp. 3 sect. 2. ad finem. Vazquez 2. tom. ad eandem 3. part. disp. 115. Azor tom. 1. instit. moral. cap. 34. quæst. 3. Valentia 2. tomo disput. 6. quæst. 11. puncto 2. §. quare ad primum respondeo. Salas prima secundæ quæst. 83. tract. 5. quæst. 10. Aluarus Pizaño de Palacios, tract. de Concept. Virg. discursu 1. puncto 3. Stephanus Mendez lib. 3. sui Marialis cap. 34. Ioan. Suarez in suis concionibus, concio. 23. Salmeron sup. epist. ad Roma. cap. 5. & Magallanes super epist. ad Thim. & Titum, multique alij. Et cum Catherino prædicto (saltim in sensu) conueniunt illi Complutenses Theologi, qui admittentes in Beata Virgine debitum remotũ, non verò proximum: per debitum proximum intelligunt, debitum ortum ex peccato in Adamo commisso: per remotũ verò illud, quod ex conditione suæ naturæ habuit quisque posterorum Adami, vt eo peccante, ipse similiter peccaret, nisi specialiter eximeretur. Pro hac Catherini sententia & opinione deseruiunt: quinverò & potiori iure omnes Sanctorum auctoritates, quæ adductæ sunt pro præcedenti opinione, necnon & omnia argumenta quæ in præcedenti quæstione conclusione secunda adduximus, ad ostendendum probabiliter, & nimium ad rationem conformiter, Beatam Virginem haudquaquã in Adamo primo nostro parente peccasse, exemptamque fuisse à pacto & cõmuni lege Adamo & omnibus suis posteris imposita. Quinverò hoc est vnicum ac potissimum huius positionis fundamentum. Etenim si in Adamo ipso non peccauit, bene sequitur, quod saltim ex hac parte non habuit contrahendi peccati originalis debitum, quamvis illud habuerit ex conditione suæ naturæ; sed hoc (vt dictum est) non est proprie, simpliciter & absolute debitum: sed tantummodo secundum quid.

Tertia opinio aliorum senti-entium in Virgi-ne debitũ pec-

Tertia sententia & opinio est aliorum, qui facta distinctione de debito proximo & remoto, ad contrahendum origin. le peccatum, dicunt Beatam Virginem non habuisse quidem debitum proximum: bene tamen remotum: sed in constituendo quodnam dici debeat debitum

Candit non qui dem proximũ sed remotum: aliter tamẽ & aliter explicãdo, quid sit proximũ, quod vero remotũ.

bitum proximum, quod verò remotum, non omnes vnanimiter conueniant: quin verò quammaxime sunt inter se diuisi. Quidam enim dicunt, illud esse debitum proximum, quod oritur ex pacto inter Deũ & Adamum inito, seu communi lege ipsi & omnibus suis posteris imposita, de non edendo de fructu ligni vetiti, & vt Adamo peccante omnes etiam cum eo similiter peccarent, illud scilicet quod vocauit Catherinus proprium, simplex & absolutum: remotum verò quod ortum habet ex conditione naturæ, vt in Adam omnes obligari possemus, tanquam in capite & naturæ nostræ generali & vniuersali principio, quod Catherinus vocauit debitum secundum quid. Et vt hoc plenius intelligatur, in memoriam oportet recolere id quod iam diximus supra, fuisse nempe Adamum posterorum omnium suorum caput naturale, insuper & morale. Naturale in quantum in potentia sua generatiua omnes suos posteros virtualiter continebat, tanquam totius humanæ naturæ primum & vniuersale principium, ab eo per naturalem propagationem, in posteros transfundendæ & diffundendæ: morale verò, in quantum Deus, tanquam totius humanæ naturæ dominus, voluit vt Adam esset veluti omnes nos, & omnes nos essemus tanquam quidam Adamus: ita vt ex diuina institutione eiusdem voluntas esset quodammodo nostra, & nostra sua. Qui dicendi modus frequentissimus est in doctrina Diui Augustini, qui & dicit præceptum illud Adamo primo nostro parenti impositum, de non commedendo de fructu ligni vetiti, in eo impositum fuisse etiam & nobis, ea conditione & pacto, vt Adamo peccante ac diuinum illud præceptũ præuaricante, nos in eo similiter peccaremus. Hoc præmisso (inquiũt prædicti Auctores) debitum proximum esse illud quod ortum habet ex prædicto pacto, siue communi lege Adamo & suis posteris imposita, & quod ipsius peccatum esset etiam nostrum: ex quo pacto etiam antequam Adamus ipse peccaret, nos omnes mansimus obligati & obnoxij, ad hoc vt eo peccante, nos etiam in illo peccaremus: & vocant illud debitum proximum: quia non fuit in nobis nisi post prædictum initum pactum. Remotum verò esse dicunt illud, quod ortum habet ex naturæ nostræ conditione: quia scilicet pro eo quod in Adamo virtualiter continebamur, capaces eramus, & aliquo modo astricti, ad hoc vt obligari possemus, ad hoc quod Adamo peccante, nos in illo similiter peccaremus. Quod propterea esse dicunt debitum remotum, quia licet naturaliter esset in nobis, non tamen poterat reduci ad actum, nisi mediante supra dicto pacto, ex quo ortum habuit prædictum debitum proximum, & immediatum. Vnde fit vt illud quidam debiti debitum appellent, pro eo quod oritur ex debito illo, quod habebamus ex naturæ nostræ conditione.

Applicando igitur hæc ad Sanctissimam Virginem, dicunt Doctores prædicti, quod etiam prout in Adamo virtualiter continebatur

non

non habuit debitum proximum, ad hoc vt Adamo peccante, ipsa etiã peccaret: nam cum eiusmodi debitum oriatur ex pacto cum Ad. mo inito, siue communi lege, sibi ac simul suis posteris imposita: & Deus ex speciali suo priuilegio illam à tali pacto & lege exemerit, etiam in Adamo non habuit tale debitum, vt eo peccante, peccaret. Habuit (inquiunt Doct. prædicti) debitum remotum, ortum ex conditione suæ naturæ, quatenus in eiusmodi pacto & lege à Deo statuta comprehenderetur, nisi ex singulari Dei gratia & priuilegio ab eo esset excepta & præseruata: non tamen proximum. Qui dicendi modus, omninò idem est cum modo dicendi Catherini, nisi quod Catherinus nõ meminit debiti proximi aut remoti, sed proprij aut improprij, simplicis & absoluti, aut verò secundum quid. Hæc Doctores qui in prædicta sunt sententia & opinione.

Alij verò Auctores eadem præmissa distinctione, de debito proximo & remoto: alia procedentes via, dicunt, fuisse quidem (vt dictũ est) in Beatissima Virgine debitum remotum, non verò proximum: sed proximũ appellant illud, quod est in propria persona quando cõcipitur aut generatur: remotum verò quod est in eadem, prout descẽdit ab Adamo, cæterisque parentibus: & sic dicunt quod in propria sua persona Beatissima Virgo non habuit debitum proximum, quia in primo suæ Conceptionis instanti, & cum primum anima illa sanctissima corpori infusa est, habuit copiosissimam atque plenissimam gratiam, qua præuenta atque præseruata est, vt ne in ea originalis macula resultaret, aut debitum habendi illam: habuit tamen debitum remotum: quia tam in Adamo quàm in cæteris suis parentibus, quatenus ab ipsis per naturalem propagationem descendit, & eiusmodi naturalis propagatio ex sua natura originalis peccati est transfusiua, subiecta & obnoxia fuit, vt contraheret originale peccatum prędictũ, nisi à Deo ex speciali suo priuilegio fuisset præseruata. Hoc modo explicant prædictam sententiam multi ex Theologis Complutensibus, quorum qui putant Virginem in Adamo peccasse, admittunt in ea & debitum contrahendi originale peccatum ortum ex conditione suæ naturæ, & etiam debitum ortum ex peccato Adami, nisi per gratiam præseruaretur, & vtrumque appellant debitum remotum. Qui verò dicunt in Adamo non peccasse (cum nullum admittant debitum ortum ex ipsius peccato) solummodo ponunt in ea vnum debitum remotum, ortum ex conditione suæ naturæ. Quod multum est notandum ac memoriæ commendandum, pro his quæ in subsequentibus sunt dicenda.

Quarta sententia est eorum, qui in Beata Virgine admittunt non solum debitum remotum duplex illud (de quo superius est dictum) verum etiam & proximum in sua persona propria, quamvis teneant eandem originale peccatum minime contraxisse. Ita quod non solũ

Quarta opinio aliorũ concedentiũ fuisse in B. Virg.

V admit-

ne & in propria sua persona etiam debitum proximum.

admittunt in ea debitum ad peccandum in Adamo, ortum ex conditione suæ naturæ, nec solum debitum ad contrahendum peccati maculam, ortum ex eo quod in Adamo peccauit (quod fuit tantum dum esset in suorum parentum lumbis) verum etiam & in propria sua persona, dicunt habuisse aliud debitum proximum, quod ex eo resultauit, quamvis de facto originale peccatum minime contraxerit. Hæc sententia & opinio est Bellar. tomo quarto & lib.4. de amissione gratiæ, & statu peccati, cap. 16. §. denique obnoxia peccato fuit. Vbi expresse dicit Beatam Virginem in primo suæ generationis instanti, in quo consideratur vt iam habens esse personæ humanæ, in quodam priori naturæ, ante infusionem gratiæ, obnoxiam quidem fuisse originali peccato, & habuisse debitum ad contrahendum illud, & nisi per gratiam præseruaretur, ipsum de facto contraxisset. Hanc sententiam & opinionem, vt veriorem probat etiam Suarez secundo tomo ad tertiam partem disp.3. sect.4. §. tertio & verius, & ante illos probauit eã Caietanus in tract. de Concept. Virg. cap.2. & 3. vbi dicit defendi posse Beatam Virginem in propria sua persona præseruatam fuisse ab originali macula, non tamen à debito contrahendi illam: nam debitum hoc in propria Beatę Virginis persona, non posse non admitti, constanter defendit. Quibus opinionibus sic præmissis, quod verius atq; tenendum videbitur, pro meo more breuiter atque resolutiue explicabitur per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

Sententia & opinio quæ asserit, in Beata Virgine nullum fuisse omninò debitum, nec proximũ nec remotũ, nõ satis videtur probabilis & quibusdam neque tuta in fide.

SENTENTIA quæ dicit simpliciter & absolute in sacra Virgine nullum fuisse omninò debitum ad contrahendũ originale peccatum (nisi præseruaretur) nec ortum ex conditione suæ naturæ, nec verò ortum ex eo quod virtualiter seu habitualiter peccauit in Adamo, haudquaquam mihi placet, vlloue modo videtur probabilis: & (vt credo) non est opinio hæc quam Fratres nostri Toleti conari sunt defendere: aut quæ (vt dicitur) tanquam probabilis, de mente & sententia Doct. Complutensium qualificata est Matriti à supremo Sanctæ Inquisitionis officio. Quę sententia & opinio prædicta acriori atque rigidiori censura qualificatur ab Ægidio lib.2. de Immaculata Virginis Conceptione, quæst.4. art.2. §. 3. dicendo, eam prorsus esse falsam, omninò improbabilem, non in fide tutam: quinverò erroneam, minimeque posse defendi, ac proinde reijciendam & procul relegandam. At ego in recensendis & qualificandis aliorum Doctorum opinionibus, si in aliquod extremorum declinandum fuerit, certe mallẽ in pietate & clemẽtia, quam in seueritate & nimio rigore peccare. Ratio verò ob quam supradicta sententia non mihi placere potest, in primis ea est, quia in re adeò graui nullum pro se habet auctorem (quem vide-

viderim) qui ipsam defendat, ex his qui conceptus suos typis mandarunt & tradiderunt: nam qui pro illa citantur, non quidem eam tenet, vt ex statim dicendis apparebit, quinverò tanquam improbabilis ab omnibus reijcitur. Apparet præterea improbabilis sententia prædicta, quia in omni opinione, tam illorum qui dicunt sacram Virginem in Adamo primo nostro parente non peccasse: quam eorum qui aiũt peccasse, necessario concedendam videtur, habuisse eam aliquod debitum ortum saltim ex conditione suæ naturæ, aut vero ex Adami ipsius peccato: ad hoc vt merito ac iure optimo Christi Filij sui sanguine, fuisse dicatur redempta. Hoc meo videri est certissimum atque constitutissimum & quod nullo modo negari potest. Pro nunc non curo, an eiusmodi debitum dici debeat simplex & absolutum, an verò secundum quid: propinquum an verò remotum (de quo est inter Doctores controuersia) sed non est aut esse potest de hoc quod necessarium sit aliquod debitum in ea ponere, ad hoc vt Christi filij sui sanguine, merito ac iure optimo dicatur redempta. Nam quonam pacto, quave ratione diceretur redempta: aut ad Christi Domini redẽptionem pertinere: si neque in se, neque in Adamo vllo modo peccauit, etiam secundum debitum, saltim ortum ex conditione suæ naturæ? Ad hoc propositũ multa, quinverò & innumera adducit supradictus Ægidius loco superius citato, quæ apud eundem poterunt videri: à quibus in præsentiarum referendis consulto supersedeo, quia superque satis dicta sunt supra in quæstione præcedenti, dum ageremus de difficultate ibidem proposita, an scilicet B. Virgo in Adamo primo nostro parente peccauerit? Diximus enim ibi, quod ad hoc vt ipsa filij sui sanguine proprie dicatur redempta, ad minus necessariũ fuit (iuxta probabilem Catherini opinionem) quod habuerit debitum ortum ex naturæ suæ conditione: iuxta verò communem sententiam, quod habuerit illud etiam ortum ex peccato primi nostri parentis Adami. Et quis (quæso) est qui negare possit, in Virgine ponendum necessario fuisse aliquod debitum: cum Augustin. lib. 10. de Genesi ad litterã cap. 18. expresse dicat carnem esse ex propagine Adami satis esse ad hoc vt ipsius præuaricationi quispiam simpliciter dicatur subiectus? Cum igitur Virginis sacræ caro ex Adamo propaginem duxerit, & ipsius præuaricationi fuerit proinde subiecta: negari certe nullo modo potest, quod contrahendi originalis peccati aliquod habuerit debitum.

Hinc est vt Doctores omnes Theologi, tam qui dicunt non contraxisse Virginem originale peccatum, quam qui aiunt illud contraxisse: qui sentiunt eam in Adamo minime peccasse: & qui in illo peccasse dicunt: omnes vnanimiter tenent, aliquod saltim eandem habuisse debitum proprium, simplex, & absolutum: aut verò secundum quid, propinquum aut remotum. Hoc dicit in primis Gerson prima

V 2 parte

Notentur hæc Gersonis verba, & quæ ad idem propositum docēt plures alij DD.

parte alphab. 15. verit. 10. & 9. vbi ait. *Penes hoc Beatam Virginem à filio suo distinguo, quia necessitatem habuit contrahendi originale peccatum, præcedens quod ab Adam per carnalem propagationem descendit: quam tamen necessitatē non habuit eius filius.* Quibus verbis, necessitatis nomine insinuauit debitum contrahendi originale peccatum. Idem dicit Corduua lib. 1. sui quæstionarij quæst. 44. concl. 1. per totam: sed maxime §. tunc vltra, & §. notanter dici, vbi ait Beatam Virginē in debito peccato fuisse mortuam, & habuisse debitum contrahendi originale peccatum, quod de facto contraheret, nisi præseruaretur. Idem dicit Canisius lib. 1. de Maria Deipara cap. 6. littera B. & D. vbi cum Durando affirmat Virginem in sua radice, & ex natura suæ Conceptionis, obligatam fuisse ad incurrendum originale peccatum: obligationis nomine intelligens supradictum debitum. Idem dicit Caietanus in tractatu de Concept. Virg. cap. 2. & 4. vbi expresse docet fuisse in Virgine debitum contrahendi originale peccatum. Idem dicit Vega lib. 2. in Concil. Tridentin. cap. 6. ad finem, dum ait, Beatam Virginem licet originale peccatum non contraxerit, indiguisse tamen redemptione, qua non indigeret, si debitum illud contrahendi non haberet. Idem dicit Medina in prima secundæ D. Thom. quæst. 81. art. 3. & expresius in 3. p. quæst. 27. art. 2. concl. 1. Et Zumel in prima secundæ D. Thom. quæst. 81. art. 3. concl. 3. Palacios in 3. sentent. dist. 3. disp. 1. Enriquez prima parte suæ Summæ lib. 3. cap. 11. in Glossa littera L. Azor tomo primo instit. moral. lib. 4. cap. 34. quæst. 3. Bellarmin. tomo 4. de amissione gratiæ & statu peccati, cap. 16. §. quod attinet ad secundum, & expresius §. neque illud negamus. Vazquez secundo tomo ad primā secundæ D. Thom. quæst. 81. tract. 9. disputat. 11. sectione 5. Basilius Legionensis lib. variarum disp. relect. 3. pag. 546. Ac tandem Catherinus tract. 2. de Concept. Virgin. lib. 2. cap. 1. licet teneat sacram Virginem in Adamo minime peccasse, nihilominus dicit ex Adami meritis ad contrahendam originalem maculam subiectam fuisse, ex naturæ suæ conditione, nisi alias fuisset excempta. Ex quibus omnibus constat superque satis, debitum aliquod ad contrahendum originale peccatum ponendum in Beata Virgine necessario esse. Et nec Valentia, Vazquez, Azor & Enriquez seu quispiam alius, qui pro alia opinione citantur, contrarium omninò dicunt, vt plane videri licebit in auctoribus eisdem. Nec verò Doctores Complutēses (vt credo) in ea opinione sunt, aut vnquam fuerunt, vt dicant in Virgine sacra nullum fuisse omninò debitum: sed tantummodo quod debitum proximum, probabiliter & absque vlla fidei censura in Beata Virgine potest aut debet denegari, haudquaquam tamen remotum: illud saltim quod ortū habebat ex conditione suæ naturæ. Hæc quantum ad primam supradictam opinionem.

Secunda

Secunda Conclusio.

SENTENTIA Catherini & ipsum sequentium, asserentiū fuisse quidem in Beata Virgine debitum secundum quid (quod appellant remotum) ortum ex conditione suæ naturæ: non verò aliud proprium, simplex & absolutum (quod proximum dicunt) ortum ex peccato Adami, pro eo quod fuerit exempta & liberata à pacto inter Deum & Adamum inito, siue communi lege sibi ac suis posteris imposita: probabilis est & necessario sustinéda ab his qui tenent illā minime in Adamo primo nostro parente peccasse. Hæc conclusio non aliter potest probari, quàm vt in secunda conclusione quæstionis præcedentis probata est multis rationibus, & argumentis, vbi probabile fuit ostensum prædictam Beatam Virginem, haudquaquam in Adamo primo nostro parente peccasse, pro eo quod excepta fuerit à prædicto pacto & communi lege de quo supra. Vbi latisime etiam egimus contra Ægidium contrarium omninò tenentem, ac plenisime satisfecimus argumentis ab illo contra prædictam nostram assertionem propositis. Et quidem quantum ad præsens attinet propositum, certum est quod si Virgo sacra prædictam ob causam non in Adamo primo nostro parente peccauit, quod neque ex eo originalis peccati contraxit debitum, quod à Doctoribus prædictis dicitur proximum, à Catherino verò proprium, simplex, & absolutum: sed tantummodo habuit aliud dictum secundum quid, ortum ex conditione suæ naturæ, quæ reuera fuit sententia & opinio quam Fratres nostri tutati sunt Toleti, non vero illa quam ipsis impingit Ægidius loco supra citato in relatione primæ sententiæ, prout latisime dicit Salazar lib. suo pro Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione cap. 1. §. 8. num. 69. vbi agendo de Catherini sententia ait, quod super ea Compluti inter Theologos excitata est non leuis controuersia & contentio, pro eo quod quidā Doctores eos qui sacram Virginem à prædicto debito proximo originalis peccati immunem esse dicebant, asserendo illam solummodo fuisse astrictam supradicto debito remoto: seuera nota notabant & inurebant. Et addit quod ea super re quæsiti & rogati Proceres & Doctores illius Academiæ toto orbe florentisimæ, opinionem prædictam probabilem esse, non modo annuerunt, verum etiam & eidem subscripserunt: asserētes illam ab omni censura & nota debere esse liberam, pro eo quod ad redemptionem proprie dictā, ipsi satis esse dijudicarunt, habuisse supradictam Beatam Virginem, prædictū debitum remotum, quod Catherinus vocat secundū quid, ortum ex conditione humanæ naturæ per carnalem generationem propagatæ. Quod amplius dicit prædictus Salazar cap. 8. §. 3. num. 2. contendendo hac super re cum supradicto Ægidio. Cuius verba pro

Sententia Cather. & alterū ponentium in Virgine tantum debitum remotū & secundum quid ortum ex conditione suæ naturæ, probabilis est, & necessario sustinenda ab his qui tenent illam in Adamo non peccasse.

Circa controuersiam quæ est inter DD. circa Virginis sacræ debitum ad contrahendum originale peccatum.

Notentur valde omnia ista verba P. Salazar.

eo quod notabilissima sunt, ad vnguẽ hic exinde libuit trãnscribere: & sunt quæ sequũtur. *Sed quod caput est, hanc opinionem ac sententiam ab omni erroris suspitione liberauit censura suprem. Consilij Sanctæ Inquisitionis: nã cum ad sanctissimum illud tribunal aliqui Theologi delati & accersiti fuissent, quod debitum etiam originalis culpæ in Virgine abnegarent, & eandem in Adamo non peccasse dicerent: re examinata & propensa, auditis qualificatoribus, alijsq; sapientissimis viris in Concilium vocatis, tandem statutum est eos qui præfatum dogma protulerunt, nihil demereri, atque adeò indultum vt Fratres Minores Toleti suas de hac re publice theses defenderent, quas auctoritas illius Senatus prius inhibuerat: vt constat ex locupletissimo testimonio Ferdinandi de Villegas, eiusdem Tribunalis à secretis Notarij. Dato Matriti 22. die Ianuarij anno* 1616. Sed his nihilominus non obstantibus, Ægidius loco vbi supra lib. 2. quæst. 4. artic. 7. §. 4. in suo proposito persistens, ait prædictum Sanctæ Inquisitionis tribunal, non hanc vt probabilem propositionẽ qualificasse: quod Beata Virgo non peccauit in Adamo, aut ex ipsius peccato non contraxit debitum: sed propositio (inquit) quæ qualificata est, agebat de debito in persona Virginis contracto, non autem de debito eiusdem in Adamo seu prout in Adamo. Et addit quòd in hoc sensu (non vero in alio) Doctores Complutensis Academiæ propositionem illam ab omni nota liberam esse dixerunt. Cui eius solutioni vt obiet Salazar loco vbi supra, nostrum minorum Fratrum conclusiones Theologicas, quas sanctæ Inquisitionis Tribunal audita aliquorum delatione primo inhibendas censuit, postea verò vt publice Toleti sustineri possent indulsit, in medium proponit, & fuerunt prout sequuntur.

Nota etiam ex Salazar quænam fuerit assertio defensa à nostris fratribus Toleti, anno Domini 1615. pro defensione & liberatione Virginis, non solũ à contractione peccati originalis, verum etiam & ab eiusdem debito.

In aditu & fronte prædictarum assertionum scriptum erat: *Vtrum Virgo Deipara contraxerit debitum incurrendi peccatum originale?* Hæc enim fuit principalis quæstio assertionum prædictarum. In calce verò & fine habebatur. *Conclusio est negatiua.* Delata est supradicta conclusio & propositio, ad Doctores Complutenses per minores fratres: quorum res agebatur, vt sententiam suam dicerent ab ipsisque quæsitum est in hunc modum. *Quæritur vtrum responsio negatiua, vt constat ex verbo illo contraxerit, neget tantum modo debitum proximum, natum ex contractu & pacto inito cum Adamo? quandoquidem is qui thesem istam defendit, concedit aliud debitum remotum antecedens pactum, cum quo vera & propria redemptio optime componitur?* Ad hunc ergo modum Complutensis Academiæ Proceres & Doctores interrogati, responderunt prout sequitur. *In prædicta propositione nihil esse censura dignum.* Post quæ supradicta verba prædictus Salazar de mente grauissimi & sapientissimi Doctoris Ludouici de Montesinos, in sacra Theologia eiusdem Academiæ Primatis, id ipsum probat, & defendit propositionem prædictam esse satis probabilem & nulla mala censura dignam: quin verò pie & probabiliter defendi posse, Beatam Virginem haudquaquam in Adamo

primo

primo nostro paréte peccasse, nec ex ipsius peccato, debitum aliquod peccandi proximum contraxisse, sed tantummodo habuisse supradictum debitum remotum. Quod etiam fuisse dicit placitum, atque iudicium multorum grauissimorum Doctorum eiusdem vniuersitatis, vt constat ex locuplete eorundem transumpto, quo quisque ad propositam sibi quæstionem respondit, & propria sua manu subscripsit, & apud se seruatum habere fatetur. In cuius etiam rei ampliorem cófirmationem, dicit supradictus Salazar, hanc eandem doctrinam in totius Academiæ oculis, & vocatis omnibus Doct. cum magno omniũ applausu, per id etiam tempus sustinuisse & defensasse Compluti, in celebri nostro & religiosissimo Sancti Francisci Conuentu, Patrem Fratrem Antonium de Velasco, ibidem sacræ Theologiæ Lectorem sapientissimum, publicis quibusdam concertationibus: in quibus inter alias theses Theologicas quas defendit, fuit quarta conclusio in ordine: *Beatam Virginem neque in Adamo peccasse, nec debitum proximum incurrendi originalem culpam contraxisse*. Quam sententiam subinde, alij atque alij post modum in eadem Academia sunt tutati. Et quod est amplioris considerationis, aduertit & notat idem Salazar, quod in forma iuramenti quod cum incredibili omnium gratulatione, & incremento quammaximo sui splendoris & nominis celebris illa Complutensis Academia præstitit, semper tutandi & defendendi Immaculatam Deiparæ Virginis Cóceptionem, vt á fide dignis accepit, studiose & de industria apposita fuisse illa verba: *Prædictam Gloriosissimã Virginem Mariam, præueniente & operante diuini numinis gratia, nunquam actualiter peccato originali sublatuisse, sed immunem ab omni originali culpa semper fuisse*. Quæ verba excerpta sunt ex Concilio Basiliensi in decreto de pura Virginis Conceptione. Et vt non derogaretur aut minueretur aliquod de probabilitate prædictæ huius opinionis, quæ dicit debitũ peccandi proximum in Adamo Beatam Virginem non habuisse: eam ob causam actualem ipsius immunitatem ab originali culpa, non dixerunt siue affirmarunt, fuisse per gratiam habitualem illi infusam: sed per gratiam præuenientem & operantem: quæ duo nomina, gratia præueniens, & gratia operans, latius patent, & non solum de habituali gratia, verum etiam de omni in vniuersum auxilio gratiæ dici solent. Circa quá rem videndus est etiam Vazquez, prima parte disp. 88. cap. 2. & 3. Noluerunt enim grauissimi atque doctissimi viri Complutensis Académiæ, illi doctrinæ se astringere, quæ prorsus affirmat liberationem Virginis ab originali culpa, per infusionem habitualis gratiæ formaliter præstitam fuisse, iuxta quam necessum est debitum originalis peccati ita in Virgine statuere, vt nisi ea ratione per infusionem habitualis gratiæ fuisset præuenta, ex iure & vniuersali lege eiusmodi peccatũ contraxisset: quin verò voluerunt liberum esse cuilibet, Virginem sacrame tiá á debito originalis peccati immunem defende-

Qualiter hæc etiam sententia & opinio iterum defensata fuit Compluti, neque semel sed pluries.

Notentur valde verba vniuersitatis Complutensis, circa debitum quod Beatissima Virgo habuit in Adamo originaliter peccãdi.

Quod hæc sententia non est noua, quinvero antiquissima, & tempore Conc. Trid. defensata.

federe: dum tamen in liberatione eius ab originali culpa, gratia præueniens & operans semper agnosceretur & confiteretur, quod nullius ex catholicis non agnoscit: concludendo dicit supradictus Salazar, haudquaquam esse nouum siue recens hoc Doctorum Complutensium iudicium: nam multis ab hinc annis grauissimus pariter atque doctissimus P.F. Ludouicus de Caruajal nostri sacri Ordinis Minorum Regularis obseruantiæ, cuius in Tridentina Synodo adeò spectata fuit auctoritas, pro pura Virginis Conceptione declamationem quandam in lucem edidit, qua docuit & defendit supradictam exceptionem Virginis ab vniuersali lege, & immunitatem ipsius ab originali culpa, & à debito illius. Cuius declamationis caput 23. in hunc modum incipit: *Quod lex vniuersalis peccati originalis in Beatam Virginem non sit lata.* Qui prædictus grauissimus Pater, quamvis ibidem quamplurimos eosdemque accerrimos censores & contradictores habuerit, qui aliquas ipsius propositiones seuerioribus censuris perstrinxerunt & notarunt: adeò vt quindecim erroris nota dignas eidem tribuerunt: contra prædictam Virginis Conceptionem à lege communi, nec verbum quidem vllum illi vnquam obiectum est, quod hac in re magnæ considerationis ac momenti est. Supradicta omnia (inquit prædictus Salazar) se ita late dixisse, vt iam deinceps integrum sit nulli de prædicta sententia & opinione, deque sanctissimi Tribunalis oraculo, & Doctorum Complutensium iudicio dubitare: & vt desinat Ægidius supradictus suis maledictis & obiectionibus illam configere: & fatetur contrariæ sententiæ, quæ immunitatem Virginis à debito originalis culpæ negat, se olim pertinaciter adhæsisse: adeò vt opposita sibi videretur temeraria, seu potius erronea: at postquam didicit supradictum sanctæ Inquisitionis oraculum, & Doctorum Cóplutensiũ hac super re iudiciũ: tot ac tantis splendidissimis Ecclesiæ luminibus fidem (inquit) habere cepit, & à propria sua sententia, quam ediderat discedere, atque omnibus modis cogitauit, qualiter præfatam Sacratissimam Virginem à supradicto peccãdi originaliter debito defenderet, quam mentem & animum (quem à Deo sibi inditũ, in quam maximum beneficium agnouit) omnibus Virginis amatoribus infundi, quammaxime exoptat. Supradicta omnia ex prædicto Salazar adeò late transcribere libuit, vt liquidum atque perspicuum fiat, quam sine ratione & causa, supradictus Ægidius prædictam Catherini & aliorum ipsum sequentium sententiam, adeò acriter atque seuere impugnet, vt dicat eam omninò esse falsam: non in fide tutam: quinvero prorsus erroneam: nullo modo sustinendam, aut defendendam, sed procul relegandam.

(.˙.)

Tertia

Tertia Conclusio.

QVAMVIS Catherini prædicta opinio & sententia satis probabilis sit, longe tamen est probabilior, & que communiter magis tenetur, ea quæ dicit Beatam Virginem duplex habuisse debitum, vnum radicale & remotum, ortum ex conditione suæ naturæ, quod Catherinus vocauit secundum quid: aliud verò proprium, absolutum & proximum, ortum ex peccato Adami, & ex diuini præcepti transgressione, qua eadem sacra Virgo simul cum Adamo & cæteris suis posteris, virtualiter siue habitualiter aut interpretatiue, diuinum fædus violauit. Hæc conclusio est expressa supradicti Ægidij lib. 2. de Immaculata Virgin. Concept. art. 3. vbi inquirit, an in Beata Virgine sit ponendum debitum absolutum & proprium, an verò solum improprium, & secundum quid? Vbi postquam in primo §. refert prædictam Catherini opinionem, & aliorum qui solum admitunt in Virgine debitum improprium & secundum quid, non verò absolutũ & proprium, & pro eadem sententia quamplures Doct. adducit, & aliquas rationes & argumenta proponit: tandem in §. secundo conclusionem statuit qua dicit, admittendum in ea esse non solum prædictum debitum improprium & secundum quid, verum etiam absolutum & proprium, ortum ex peccato Adami. Quod probat multis argumentis atque rationibus.

Quamvis prædicta Catherini & alterius sententia sit probabilis: communior tamen atque probabilior est illorũ, qui in B. Virgine duplex cõstituunt debitum, vnum radicale & remotum, aliud verò proximũ ortum ex peccato Adami.

Sit primum argumentum. Quia alias Virgo sacra non proprie ac vere dici posset redempta Christi Domini sanguine: sed hoc nullo modo est dicendum: ergo. Pro cuius argumenti pleniori intelligentia supponit Ægidius prædictus, differentiam quæ versatur inter vtrunque debitum. Nam (inquit) illud quod Catherinus vocat secundum quid, quod fuit ante peccatum, & ortum habuit ex naturæ conditione, immediate terminabatur ad peccandum in Adamo, illo peccante: alterum verò quod fuit post Adami peccatum, & dicitur proprium simplex & absolutum: ordinabatur ad contrahendam maculã peccati quo Adamus ipse peccauit pro eo quod nos cum eo similiter peccauimus, & præuaricationi eidem consensum præstitimus. Ex hoc colligit Ægidius, quod cum primum illud debitum, quod ponit Catherinus fuerit ante peccatum, nullo modo est sufficiens ad redimendum nos, virtualiter seu verò seminaliter in Adamo prædicto existentes, Dei inimicos, illi exossos atque inuissos, gratiæ mortuos & tales quales necessum est, ad hoc vt vere & proprie dici possimus sanguine Christi redempti. Quod cum necessario sit tenendum atque dicendum secundum fidem, asserit iuxta eandem fidem, esse dicẽdum quod ad hoc necessarium est ponere secundum supradictum debitũ, proprium, simplex & absolutum, postquam nõ sufficit primum illud

Primum argumentum.

ſecundum quid. Et vt hoc plenius conſtet, adducit exemplum de homine condito à Deo in puris naturalibus, in quo quidem (vt plane cõſtat) daretur ſupradictum debitum ſecundum quid ad peccandũ, ortum ex conditione ſuæ naturæ, & ex naturali naturæ ipſius infirmitate, conſtituta in puris naturalibus: eſſet enim talis homo ſubiectus ad peccandum, & de facto peccaret, ſecluſa Dei gratia, ſi naturæ ſuæ tantum relinqueretur, & certum eſt quod nullus dicet eiuſmodi hominẽ ob ſolum prædictum peccandi debitum, antequam actu peccaret, eſſe Deo inimicum, illi exoſſum atque inuiſſum, neque gratiæ mortuũ, ita vt de eo vere dici poſset Chriſti ſanguine fuiſſe redemptum. Idem ergo (inquit) dicendum eſt de Beata Virgine in propoſito, ſi non habuit niſi ſupradictum debitum ſecundum quid, ortum ex naturæ ſuæ conditione: nam licet ſubiecta eſſet peccato, & quantum erat ex naturæ ſuæ infirmitate de facto peccaret, niſi diuina gratia præueniretur, non tamen propterea vllo modo dici poſſet Dei inimica, ſibi ingrata atque inuiſſa, gratiæ mortua nec: haberet illud quod neceſſum eſt ad hoc vt dici poſſet ſanguine Chriſti redempta. Id ipſum probat prædictus Ægidius multis alijs adductis exemplis, à me breuitatis cauſa omiſsis. Ex quibus colligit, quod ſi vt dicit Catherinus, Virgo ſacra non habuiſſet, niſi ſupradictum debitum ſecundum quid, ortum ex naturæ ſuæ conditione, quod erat ante peccatum, non vllo modo dici poſſet hæc filia, Deo inimica, ingrata atque inuiſſa, gratiæ mortua, aut immunda immunditia peccati, vt ſubinde dici poſſet Chriſti ſanguine redempta; & quod ad hoc neceſſario eſt ponendum in ea ſupradictũ debitum ſecundum, proprium, ſimplex & abſolutum, ortum ex Adami peccato, quo antequam actu peccati maculam recipiamus, debitores ſumus originaliter, adhuc in lumbis Adami exiſtentes, ad contrahendam illam. Hoc certe argumentum videtur fortiſsimum, ſed quod ſolutionẽ habet.

Secundum argumentum. Secundo argumentatur ad idem ſupradictus Ægidius, ex auctoritatibus Sanctorum Patrum. Et in primo loco ponit auctoritatẽ Gilberti Porretani, in commentario ad Boetium in lib. de duabus naturis, de qua auctoritate diximus ſupra, vbi ait. Quod Virgo ſacra, ſicut & cæteri omnes, ex primorum parentum præuaricatione peccato & morti ſubiacuit. Quæ verba (vt videtur) aperte ſonant ſupradictum debitum, & quod ad hoc propoſitum ſint omni exceptione atque ſolutione maiora. Poſt quæ adducit plures alias Diui Auguſtini, & aliorum Sanctorum Patrum auctoritates, quibus inſinuatur ſeu potius expreſſe dicitur, ſimpliciter & abſolute, quod omnes (vno ſolo Chriſto Domino excepto) originalis peccati debito ſubiacuerunt. Hoc dicit D. Auguſtin. lib. 2. contra Iulianum capit. 10. vbi poſt longam contra Pelagianos diſputationem, qua probat omnes homines ex vi ſuæ generationis & deſcendentiæ, originali peccato ex Adamo

eſſe

esse obnoxios, neminem excipiendo nisi Christum, qué sine lege peccati Virgo concepit, concludendo dicit: omnes Sanctos Patres & vniuersam Catholicam Ecclesiam id ipsum tenere. Et refert Irenęum, Cyprianum Retitium, Olimpium, Hylarium, Ambrosium, Gregorium, Innocentium, Ioannem, Basilium: illis addendo etiam Hieronymum, qui testatur etiam omnes qui sua tempestate viuebát, idem tenere, & eandem veritatem credere; neminem excipiendo, nisi solum Christum (vt dictum est.) Ex quo satis colligi videtur in sacra Virgine ponendum esse eiusmodi debitum.

Tertiò argumentatur ad idem Ægidius, ostendendo etiam multis Sanctorum Patrum auctoritatibus, quod caro Beatæ Virginis simpliciter & absolute fuit caro peccati, atque peccato obnoxia, & quod omnis caro (vna excepta Christi Domini) peccati caro semper dicenda sit. Quod probat ex Diuo Austugino lib. 5. aduersus Iulian. cap. 15. & super Psalm. 114. & expresśius lib. 2. de pecca. meritis cap. 24. & lib. 10. super Genesim ad litteram c. 18. vbi id ipsum frequenter dicit. Et Diuus Ambrosius super Psalm. 118. serm. 6. Diuus etiam Anselmus lib. 2. cur Deus homo cap. 16. & 18. & lib. de Concept. Virgin. & pecca. origin. cap. 14. & 15. Idem Hugo de Sancto Victore lib. 2. de Sacramētis prima parte cap. 5. Qui omnes affirmant de carne Virginis peccato obnoxia, filium Dei assumpsisse carnem à peccato liberam, & quod ad hoc vt caro Virginis dicatur peccato obnoxia, sufficit quod ex naturali propagatione, & per rationem seminalem ortum duxerit ab Adamo. Et certum est (inquit) quod non dici posset caro Virginis peccati caro, siue peccato obnoxia, nisi propter debitum supradictū, quod habuit contrahendi peccatum originale, ortum ex peccato Adami. Quæ supradicta omnia Diuus Augustinus adeò credidit esse vera, vt dicat carnem etiam Christi legis præuaricationi fore etiam subijciendam, si per rationem seminalem ex Adamo venisset. Quod etiam dicit & probat Diuus Ambrosius loco vbi supra, super Psalm. 118. serm. 6. dum ait. *Carnem peccati ideò dici peccati carnem, quia hæc lacrie iure damnata est, & subiecta maledicto.* Ad quod haudquaquam (inquit Ægidius) sufficiebat debitum secundum quid supradictum, quod ponit Catherinus ortum dumtaxat ex conditione naturæ, prout erat ex Adamo ante peccatum: quia natura humana prout sic, & considerata pro illo statu, non dici poterat alicuius mali propago, cum esset indifferens ad peccandum, & ad vincendum peccatum. Vnde si illud habet, non est solum ex conditione naturæ, sed prout iam erat Adami peccato vitiata, atque peccato affecta: quod est debitum proprium, simplex & absolutum, quod ipse ponit ad contrahendum originale peccatum, & non solum secundum quid. Nam debitum secundum quid (vt ex supradictis constat) non pendebat ex meritis Adami, aut ex voluntate

Tertium argumentum.

ipsius, sed præcise ex conditione naturæ: secundum quã eramus omnes in potentia generatiua Adami.

Quartum argumentum. Quartò probat id ipsum Ægidius: quia iuxta ipsius sententiam & opinionem, quam supra in præcedenti articulo concl.3. communiorē esse diximus: Beatissima virgo in Adamo primo nostro parente, virtualiter siue habitualiter aut interpretatiue peccauit, consentiendo ipsius præuaricationi. Quo præmisso atque præsupposito (inquit) negari nullo modo posse, quod ex tali peccato resultauit debitū quoddam, proprium, simplex & absolutum, incurrendi originale peccatū, & de facto illud contraxisset, nisi ex speciali gratia diuinitus præseruata fuisset. Hoc probat Ægidius specialiter ex quadam auctoritate Diui Anselmi lib. de Concept. Virgin. & orig. peccat. cap.7. vbi postquam dixit, omnes nos in Adamo peccasse quando ille peccauit, addit subsequnetia verba. *Et hinc facta est illa necessitas, vt cum essemus peccaremus:* id est originalis peccati maculam contraheremus, quæ supradicta necessitas (vt iam satis cōstat) nihil est omninò aliud, quā obligatio quædam, & supradictum proprium, simplex atque absolutū debitum, contrahendi originale peccatum. Etenim omnis qui peccat, eo modo quo peccat, fieri non potest vt non sit eiusdem peccati reus, non solum quoad pœnam, verum etiam & quoad culpam, seu maculam commissæ culpæ, quamvis alias ex speciali priuilegio & gratia liberari potuerit sacra Virgo, ab actuali resultātia talis maculæ ex peccato debitæ.

Quintum argumentum. Quintò & vltimo probat id ipsum Ægidius; quia si Beata Virgo ex peccato Adami non incurrit, seu contraxit originalis peccati debitum, proprium, simplex & absolutum, sequeretur ex eo quod neque contraxisset originalem maculam, siue originale peccatum, etiamsi diuina gratia non præueniretur, aut præseruata fuisset: consequens autem est falsum, & nullo modo admittendum: ergo neq; illud ex quo sequitur. Hoc argumento vsi sumus etiam de mente supradicti Ægidij, supra in præcedenti articulo, ad probandum sacram Virginem in Adamo primo nostro parente peccasse. Vbi & sequela prædicta latissime probata est, nec necessum videtur vt eadem simul atque iterum repetamus. Videatur supradictus Ægidius loco vbi supra lib.2. quæst. 4. art.3. §. 6. argumento 4. quo probat quod Beata Virgo non contraheret originalem maculam, etiam si diuina gratia non præueniretur si ex peccato Adami non cōtraxisset, siue incurrisset prædictum proprium, simplex & absolutum debitum. Prædictis argumentis superq; satis manet probata supradicta Ægidij sententia.

Quarta

Quarta Conclusio.

Sacra Virgo in propria sua persona, nullũ omninò habuit, propriũ & proximum originaliter pecc̃ãdi debitum.

SACRA Virgo in propria sua persona, nullum omninò habuit, proprium & proximum originaliter peccandi debitum. Hæc conclusio statuitur contra Caietanum, Bellarminum, & Suarez contrarium dicentes, vt supra referendo quartam opinionem diximus. Quinverò & contra Vazquez 2. tomo ad 3. p. D. Thom. disp. 116. cap. 5. num. 51. & Corduuam lib. 1. sui quæstiona. quæst. 44. concl. 5. & 6. & contra Valentiam 4. tom. disp. 2. quæst. 1. puncto 2. qui omnes quamvis non vna & eadem via, sed diuersis, probare contendunt Sacram Virginem in propria sua persona obnoxiam fuisse ad contrahendum peccatum originale, & habuisse eiusdem proximum debitũ, etiam in primo suæ Conceptionis instanti, quamvis diuina præueniẽte gratia ab actuali contractione originalis maculæ fuerit liberata. Quod etiam tenere videtur Zumel tom. 1. ad primã secundæ D. Tho. quæst. 81. art. 4. dub. vnico ad tertium argumentum principale, in secunda solutione argumenti Ferraræ §. verum ego existimo: vbi dicit, nullam dari repugnantiam, quod in eodem temporis instanti in aliquo priori naturæ, aliquis sit obligatus ad contrahendam originalem maculam, & per gratiam liberatus ab ea: quod contigisse existimat in Beata Virgine, dum ait: ad mittendum esse in ea, in propria sua persona prædictum proximum debitum, & in primo suæ Conceptionis instanti habuisse simul gratiam, & debitum contrahendi originalem maculam. Quam etiam sententiam tenet Pater Franciscus de Pitigianes ad 3. Scoti dist. 3. quæst. 1. art. 5. § ad auctoritates Sanctorum. Et vt videtur etiam Pater F. Ioannes de Ouando ad prædictum tertium Scoti quæst. 2. in titulo an Beata Virgo fuerit in vtero matris sanctificata, & in titulo 3. an Beata Virgo fuerit à debito præseruata? Sentire videtur eam habuisse prædictum debitum personale, contrahendi originale peccatum (quamuis ex diuina gratia illud non habuerit. Sed nihilominus contra omnes supradictos statuitur negatiua cõclusio, mihi (vt videtur) verior atque tenenda, qua dicimus sacram Virginem in propria sua persona, omninò nullum habuisse proprium & proximũ originaliter peccandi debitum. Hanc sententiam & opinionem teneo, vt magis piam, veram & auctoritati, dignitati & puritati sacræ Virginis magis consonam. Quam & tenent & probant omnes Doct. Theologi Complutenses (vt à viris fide dignissimis accepi) & ea est quæ à Fratribus nostris Toleti cum primum, deinde Compluti defensata est: nempe quod Beata Virgo in propria sua persona, nõn cõtraxit debitum ad peccatum originale: quinverò & à quibusdam dicitur, quod in hoc sensu (nõ verò in alio) prædicta propositio à censura defensata est: nam quod Beata Virgo non contraxerit debitum ad originalẽ

maculam, illud prorsus esse dicunt, atque in propria sua persona illud non contraxisse. Et qui hac procedunt via, negantes in Beata Virgine prædictum debitum proximum, concedunt & admittunt in ea aliud quod dicunt remotum, proprium, simplex & absolutum, quod omnes habuimus ex Adami peccato. Pro hac sententia & opinione plures referuntur Doctores, Enriquez primo tomo lib. 3. capit. 11. de Confirmatione & Extremavnctione, littera L. in fine, vbi & pro ea citat Cerduuam lib. 1. quæst. 44. & Viguerium in suis institutio. Theologicis, cap. 18. §. 5. Catherinum lib. 4. contra Caietanum, & Galatinū de Arcanis Scripturæ, lib. 7. cap. 8. Nonnulli etiam pro eadem sententia adducunt Ferraram, quarto contra gentes cap. 50. §. aduertendum quoque præterea: quinverò & Zumel tomo 1. ad primam secundæ D. Thom. quæst. 81. art. 4. dub. vnico ad argumentum tertium principale, in prima solutione. Sed quidquid sit de Doctoribus & auctoritatibus, nunc nouissime qui expressius atque amplius prædictam nostram conclusionem tenet, & illustrat aliquibus propositis fundamentis, & illam probat fortissimis argumentis atque rationibus, est supra dictus Ægidius Augustinianus loco supra citato, lib. 2. quæst. 4. art. 5. §. 1. 3. 4 & 5. cum sequentibus. Vbi dicit firmiter esse tenendum, quod Beata Virgo in propria sua persona nullum omninò proximū habuit debitum, contrahendi originalem maculam intrinsecè, in primo suæ Conceptionis instanti, sed dumtaxat extrinsecè, per primum non esse debiti, in toto illo tempore immediate præcedenti prædictum primum instans generationis personæ ipsius. Iuxta quam sentētiam hoc mysterium sequenti modo est considerandum: quod sicuti primum instans Conceptionis, Beatæ Virginis & suæ sacratissimę personæ, fuit primum esse gratiæ illam sanctificantis: ita etiam & fuit primum non esse debiti contrahendi originalem maculam, & sicut prædictum primum instans, ideò dicitur primum respectu suæ personæ, quia iuxta principia phylosophiæ, tunc primum fuit, & antea non erat, & primum non esse dispositionum, quæ ad generationem talis personæ disponebant, quia tunc primo corruptæ sunt & non fuerunt, cum tamen in toto tempore immediato fuerint: ita & infectio illa carnis quæ ad contrahendam originalem maculam disponebat, in eodem primo instanti non fuit, quia tunc primo non habuit esse, cum tamen in toto tempore præcedenti fuerit. Ex quo plane colligitur, quod prædicta sacratissima Virgo in propria sua persona, & intrinsece (vt dictum est) non habuit debitum contrahendi originalem maculam, sed tamtummodo extrinsecè & negatiue, ad sensum prędictum: iuxta quem apud Philosopos ea quæ in tempore præcedenti fuerunt, & non sunt, in instanti immediate sequenti, aliquo modo pertinere dicuntur ad tale instans, & ad rem pro illo instanti productam. Quod multum est notandum, ac memoriæ commendandum. Hanc sententiam

Qualiter Beata Virgo in propria sua persona nullum omninò habuit debitum contrahendi originalem maculam.

tiam & conclusionem sic explicatam, probat prædictus Ægidius sequentibus rationibus & argumentis.

Primum argumentum. Primò quia iuxta probabilem opinionem (quamvis nos illam non teneamus, vt constat ex his quę diximus supra quęstione quinta) debitum contrahendi originalem maculam, non datur seu reperitur intrinsece, in persona quæ actu illam contrahit, sed tantummodo extrinsece, ad sensum supradictum: cum omne debitum eiusdem solutione soluatur: ergo nec eiusmodi debitum mansit in Sacratissima Virgine, intrinsece in primo suæ Conceptionis instanti, quo fuit per gratiam sanctificata, nisi solummodo extrinsece, ad eundem sensum supradictum. Antecedens latissime probatur à prædicto Ægidio loco vbi supra, consequentia verò inde patet: quia quantum ad hoc eadem est omninò ratio de gratia præseruante à macula, & de actuali contractione illius: nam sicut actualis contractio maculæ est actualis solutio debiti: ita etiam & præseruatio per gratiam à tali macula, ex natura sua est remissio eiusdem debiti.

Secundum argumentum. Secundò probatur id ipsum, ex quodam Phylosophiæ principio, præsupponendo, quod Beatissima Virgo in primo suæ Conceptionis instanti, habuit gratiam illam à peccato præseruantem; & argumentum formatur in hunc modum. Nam si in illo instanti in persona Beatæ Virginis fuit simul debitum, cum gratia eam à peccati macula præseruante: quæro, an eiusmodi debitum fuerit in ea prò toto illo temporis instanti, quatenus in se continet ordinem prioris & posterioris secundum naturam: an verò non pro toto illo ordine, sed solummodo pro primo naturæ signo, non autem pro signo posteriori: sed neutrum horum potest dici: ergo debitum prædictum non esse potuit, simul cum gratia in persona Beatæ Virginis in primo illo suæ Conceptionis instanti. Consequentia legitima est, maior autem de se patet. Nam debitum prædictum non esse potuit, nisi vno aut altero modo prædicto: neq; fingi aut ex cogitari potest vllus alius essendi modus. Minorē verò sic probo, quoad primam partem, nempe quod debitum prædictum non esse potuerit simul cum gratia, pro toto illo temporis instanti: quia sequeretur quod pro illo instanti Sacra Virgo non fuerit in gratia. Etenim qui sunt in contraria sententia & opinione, pro eo constituunt duplex instans naturæ, in quorum primo fuit debitum sine gratia, in posteriori verò gratia sine debito: quia manifeste cognoscunt atq; confitentur (vt tenentur) prædictum debitum simul cum gratia in eodem naturæ signo nullo modo esse posse. Vnde fit, quod si debitum prædictum fuit in persona Beatæ Virginis pro toto illo temporis instanti, prout comprehendit omnia naturæ signa in quæ distingui potest: Beata Virgo pro toto illo instanti non habuit gratiam (quod est inten[t]um, & cuius oppositum tenent etiam aduersarij.) Solummodo restat probare minorem

quoad

quoad secundam partem, nempe quod non esse potuerit eiusmodi debitum in priori instanti naturæ, & non in posteriori. Quod sic probatur. Nam si tale debitum fuit in priori signo, non autem in posteriori: necessario dicendum videtur, illud desijsse per vltimum sui esse: postquam post tale instans immediate non fuit: consequens autem est falsum; quoniam quæ desinunt per vltimum sui esse, ita desinunt vt nunc vltimo sint, & non sint pro tempore immediate sequenti. Et quomodo debitum illud fuit in primo signo naturæ, & non fuit in eodem instanti, pro posteriori naturæ signo, in quo gratia supponitur data? Non hęc capit intellectus. Repugnat enim aliquid desinere per vltimum sui esse, & non habere primum non esse in tempore immediate sequenti: sicut etiam implicat, idem instans temporis intrinsecè mensurare vltimum esse alicuius, & primum non esse eiusdem: nam darentur duo contradictoria simul vera: si quidem idem in eodem tēporis instanti, simul esset & non esset. Vera est igitur secunda pars minoris, & verissimum id quod dictum est in conclusione, nempe Beatam Virginem in primo suæ Conceptionis instanti, non habere simul potuisse intrinsece, debitum contrahendi originalem maculam, cum gratia eandem à tali macula præseruantem: sed solummodo ex intrinsece ad sensum supradictum, per primum non esse dibiti.

Nota hoc argumentum, & eiusdem solutionem.

Huic argumento poterit quis respondere, dicendo, quod in persona Beatæ Virginis non admittitur desijsse debitum per vltimum sui esse (vt argumentum supponit) sed per primum sui non esse, quod habuit in eodem temporis instanti, in posteriori naturæ signo. Sed hæc solutio potius esse videtur euasio, quam argumenti solutio. Nam sicuti Aristoteles docet, ea quæ desinunt per vltimum sui esse, ita desinere esse, vt in hoc instanti sint, & non sint pro primo tempore immediate sequenti: ita etiam docet quod ea quæ desinunt per primum sui non esse, ita desinunt vt in hoc instanti primo non sint, fuerint autem immediate in toto tempore antecedēti. Quare sicut implicat, aliquid desinere per vltimum sui esse, & primo non esse in toto tempore sequenti: ita etiam implicat aliquod desinere per primum sui non esse, & immediata non fuisse, in toto tempore antecedenti, sed in aliquo priori naturæ eiusdē instantis. Vnde desitio per primū sui non esse, ex se includit quod id quod desinit, solum fuerit in tempore antecedenti, & excludit quod fuerit in priori naturæ eiusdem instantis. Quod in hac materia est multum aduertendum atque considerandum, vt huius rei phylosophia plenius intelligatur, & ex eo cōstet, quod cum debitum prædictum in Beata Virgine non potuerit desinere per vltimum sui esse: sed solum desierit per primum sui non esse: quod eiusmodi debitum non fuit intrinsece in persona Beatæ Virginis, simul cū gratia ab originali meculæ illam præseruante, nisi solummodo extrinsece iuxta sensum superius explicatum.

Tertio

Tertiò probatur id ipsum, nempe quod debitum contrahendi originalem maculam, non esse potuerit in persona Beatæ Virginis intrinsece, simul cum gratia illam sanctificante, seu à peccato præseruante: nisi solummodo extrinsece (vt dictum est.) Et formatur argumentum in hunc modum, Nam debitum prædictum nihil est omninò aliud, quam imputatio quædam culpæ Adami, seu veró quidpiam ex ipsa resultans, & ex infectione carnis ex Adamo genitæ: sed eiusmodi imputatio & infectio carnis, esse non potuit in persona Beatæ Virginis intrinsece, simul cum gratia illam sanctificante, seu à peccato præseruãte: ergo neque debitum prædictum, nisi solummodo extrinsece, ad sensum supradictum. Consequentia cum maiori legitima est. Minorẽ autem sic probo. Quia sanctificatio siue præseruatio prædicta, quæ est per gratiam, necessario & per se intrinsece includit, saltim secundum legem & potentiam ordinariam, remissionem culpæ: & remissio culpæ ex natura sua est exclusiua supradictæ imputationis, & cuiuslibet rei ex ipsa resultantis: ita vt primum esse remissionis, sit primum nõ esse imputationis: ac subinde & infectionis carnis & debiti supradicti. Vnde sicut esse & non esse eiusdem rei, simul nõ possunt reperiri, pro aliqua temporis mensura (etiam instantanea) ita nec imputatio culpæ, seu debitum ex ipsa resultans, pro eodem temporis instanti simul reperiri potuerunt in eadem Virginis persona, cum gratia illam sanctificante, seu à peccato præseruante. Etenim ex contraria positione manifeste sequeretur, quod persona Beatæ Virginis pro eodem instanti, simul esset grata & ingrata Deo accepta atq; inuisa: multaque alia similia quæ omninò implicant: quod argumentum latissime prosequitur supradictus Ægidius loco vbi supra §. 7.

Tertium argumentum.

Quartò & vltimo probat id ipsum Ægidius §. 8. argumento deducto ex multis Sanctorum Patrum auctoritatibus. Et primo ex Sedulio lib. 2. operis Paschalis, vbi dicit: *Beatam Virginem dum in mundum excepta surrexit, nihil habuisse, quod ipsam læderet.* Quo satis insinuari videtur, necdum eam non habuisse in propria sua persona originalis peccati maculam actu contractam, verum nec etiam debitum, quod (vt de se patet) satis ipsam læderet, cum secum carnis infectionem coniunctam habeat, ex imputatione culpæ Adami. Id quod & etiam colligitur, ex eo quod dixit Diuus Ildephonsus in lib. de perpetua Virginitate Beatæ Virginis cap. 2. vbi affirmat. *Eam in sua Conceptione alienam fuisse ab omni contagione primi originis.* Fauet & huic resolutioni, id quod dixit etiam Sanctus Idiota, in lib. de Contemplatione B. Virginis, vbi ait: *eam in sua Conceptione totam pulchram fuisse.* Et Sanctus Fulbertus Carnotensis, in Salutatione Angelica eiusdem Virginis: *dicit illam ab exordio sua creationis, semper immaculatam extitisse.* Et Sanctus Damianus serm. de Assumptione, expresse scribit. *Carnem Beatæ Virginis ex Adam quidem assumptam esse, maculas tamen Adæ non admisisse, sed singulari*

Quartum argumentum.

Notentur plures Sanctorum auctoritates, quibus insinuatur nullam fuisse Virginẽ in sua propria persona habuisse originaliter peccandi debitum.

 puritate

puritate in candorem lucis æternæ conuersam fuisse. Et paulo infra etiam ait. *Quod Beata Virgo nullum habuit thorum in delicto tenebrarum.* Diuus etiam Anselmus in lib. de Excellentia Virginis affirmat: *eam ab omni originali macula funditus esse protectam.* Quibus in verbis verbum, *funditus*, quam maxime considerandum venit: nam idem pollet, *ac modis omnibus*: idemque est, ac si expressius dixisset, eam ab ipsa radice maculæ (quæ est debitum ipsum) fuisse protectam. Sanctus etiam Brunus in Psalm. 101. *Virginem Beatam incorruptam terram appellat, ab omni peccati contagione liberam.* Quæ etiam verba debitum excludunt, cum qui illud habet, nec omnino dici possit incorruptus, nec ab omni peccati contagione liber. Quod etiam satis significauit Ibo Carnotensis. serm. de Natiuitate Domini, dum dixit. *Beatam Virginem nullum habuisse originalis peccati neuum.* Neuus enim apud Latinos idem significat, ac aliquod deformitatis signum, quod vulgariter appellamus, *tacha, ò manchas* quod quidem haudquaquam fuit in Virgine. Diuus etiam Damascenus lib. 3. de fide cap. 2. ait: *Beatam Virginem fuisse absque vlla corruptionis macula*, & secunda oratione de Assumptione, inquit: *Serpentem ad hunc Paradisum, aditum minime habuisse.* Et certe (vt videtur) loquitur de B. Virgine in se ipsa, & in propria persona extra parentes subsistente, ac si expressius diceret, quod antiquus ille serpens (id est diabolus iuxta communiorem opinionem) ad cœlestem hunc paradisum, nempe Virginem, additum licet habuerit prout in parentibus contentam (quod est debitum illud remotum quod omnes contrahimus ex peccato Adami) ad eam tamen in se ipsa existentem minime aditum habuit: habuisset autem certe illum, si in propria sua persona originaliter peccandi debitum habuisset. Quibus supradictis verbis addenda sunt etiam alia, quæ scribit in prima oratione de Natiuitate Virginis, vbi dicit. *Naturam in Virgine non gratiam anteuertisse, sed paulisper expectasse, vt gratia fructũ suum produxisset, & naturã gratiæ cessisse, & tremulam extitisse, nec progredi sustinuisse.* Quæ quidem verba intelligenda sunt de natura, vi seminali sua nitente communicare Virgini originale peccatum in propria sua persona, pro eo quod erat per carnalẽ propagationẽ concepta: sed non est (inquit) ausa eadem natura gratiam anteuertisse, sed paulisper expectauit, & vt gratia fructũ suũ produxisset, gratiæ cessit. tremula stetit: nec progredi sustinuit. Qua in re nescio quid amplius, maiorive consideratione dignum vnquam dici potuit, ad ostendendum sacram Virginem in propria sua persona, omninò nullum originaliter peccandi debitum habuisse. Quibus etiam fauet & id quod dixit Origenes, homilia prima ex varijs collecta, nempe: *Virginem venenosis serpentis afflatibus, haudquaquam fuisse infectam.* Item & D. Chrysostomus in lyturgia pro Beata Virgine, in eundem sensum illam appellat, *penitus immaculatam.* Et Diuus Ambrosius serm. 22. in Psal. 118. *Ab omni labe peccati integram.* Diuus etiam Hieronymus in cap. 10. Ecle-

Notentur valde hæc Ioannis Damasc. verba.

clesiastici, ad illa verba: *Væ tibi terra*: affirmat *Beatam Virginem nullum habuisse fructicem: nullum peccati germen: sed totum eius fructum erupisse in florem.* Quæ verba satis aperte confirmant nostram prædictam conclusionem, si consideremus fructicem & germen, in eo ab arboris fructu distingui, quod fructex est quædam arboris virga, germen verò veluti quidam eiusdem sarculus, à quo immediate fructus generatur, quod vulgariter, *la yema del arbol*, nuncupatur: atque ita in eo per fructicem & germen congruentissime peccati supradictum debitum insinuatur, in infectione carnis fundatum, ex quo peccati fructus (idest originalis peccati macula) oritur. Quo circa quando Diuus Hieronymus dicit Sacram Virginem, nullum habuisse peccati fructicem, aut germen: in hunc sensum est intelligendus: quod in propria sua persona nullum habuit peccati originalis debitum, nullam omninò obligationem ad contrahendam talem maculam, sed totum eius fructum erupisse in florem: id est fuisse fructum gratiæ & immunitatis. Quod etiam satis aperte insinuauit Diuus Augustinus, seu (vt alijs placet) Sophronius: sermone de Assumptione Virginis, quãdo de eadem loquendo dixit. *Quod cæteris Virginibus præstatur gratia per partes, in Mariam verò totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit: quamquam aliter.* Quod fuit, ac si expressius diceret. Quod sicuti Christus in hoc sensu gratiæ plenitudinem habuisse dicitur, quia neque peccauit, neque peccandi habuit debitum: ita etiam & sacra Virgo in propria sua persona, nec peccauit, nec peccandi habuit debitum: quamquam id aliter, seu ex alio atque alio processerit capite; pro eo quod Christus Dominus ex vi suæ generationis habuit illam gratiæ plenitudinem, & quod nec peccauerit, nec peccandi habuerit debitum, cum non ab Adamo per carnalem propagationem, seminalemve rationem fuerit propagatus; sed de Spiritu Sancto fuerit conceptus: at verò prædicta Beata Virgo illam gratiæ plenitudinem, & quod non peccauerit, nec peccandi habuerit debitum in propria sua persona, non quidem ex vi suæ generationis habuit (cum per carnalem propagationem, & seminalem rationem fuerit concepta) sed ex speciali gratia, & priuilegio, ipsam à peccato, & peccati debito præseruantis. Qua quidem ratione Esichius etiam iure optimo dixit. *Illam dæmonis audaciam confregisse.* Et Beatus Andreas, ac post ipsum Sanctus Dominicus eandem vocauerunt: *Terram nunquam maledictam.* Et à Sanctis omnibus communiter dicitur: *Non solum immaculata, verum etiam prorsus pura, & ab omni peccati iugo, & contagione libera.* Hæc dicta sufficiant ex varijs Sanctorum Patrum auctoritatibus, ad concludendum nostrum intentum; nempe prædictam sacram Virginem, in propria sua persona & intrinsece, nullum prorsus habuisse originaliter peccandi debitum, nisi tãtum extrinsece, ad sensum supradictum.

De differentia quæ est inter Christum Dominum & sacram Virginẽ, quoad non cõtractionem originalis peccati neq; eiusdem debitum in propria persona prædicta sacra Virginis.

Sed quamvis superius dicta vera sint, pro maiori tamen conclu-

Propositio

Nonnulla argumenta contra conclusionem prædictã vt magis elucescat.

sionis prædictæ intelligentia & explicatione, vt magis elucescat, contra ipsam aliqua libet proponere argumenta, quæ adducit Caietanus in tractatu de Conceptione Beatæ Virginis cap. 3. & 4. Vbi dicit, quod quamvis sententia & opinio quæ docet sacram Virginem originalem maculam in propria sua persona non contraxisse tolerabilis sit, contraria tamen est probabilior. Et addit, quod prima quidem defendi potest, nec contraria erit catholicæ fidei, dum modo explicetur & prædicetur in hoc sensu: quod licet in sua propria persona actu non habuerit originalẽ maculam, habuit tamen ad eandem debitum: quod quidem debitum necessario dicit in ipsa fore admittendum, & esse quoddam maculæ initium: ita vt originalis macula in propria persona & Virginis carne fuerit initiata. Qua etiam ratione (inquit) quod Beata Virgo, in propria persona non fuit omninò extra originalem culpam, cum in proprio debito & initio habuerit illam: nam extra propriam culpã originalem omninò non est, qui in proprio debito & initio illam habet. Hoc præmisso atque præsupposito contra conclusionem prædictam, sic argumentatur Caietanus, & ipsius argumentum formari potest in hunc modum.

Primum argumentum.

Si Beata Virgo in propria sua persona, non habuisset debitum supradictum initiatiuum originalis maculæ, nullo modo posset dici in propria persona mortua morte peccati, & redempta per Christi mortem, quia Christus non est mortuus, nisi pro solis mortuis morte peccati, vt constat ex Diuo Paulo 2. Corinth. 5. sed hoc dicere est hæreticum atque omninò falsum: ergo & illud ex quo sequatur: ac proinde nullo modo dicendum. Consequentia legitima est. Minor etiam de se est nota. Solum modo restat probandum quod sequitur (quod Caietanus tanquam per se notum supponit) Et probatur hoc modo. Quia nullus dici potest mortuus morte peccati, & culpæ quæ vera mors est animæ, & consequenter nec Christi sanguine redemptus: nisi qui habet eiusmodi culpam complete in se, vel saltim initiatiue in debito habendi illam: ergo si Beata Virgo, neque complete in se, neque initiatiue, quod fit per supradictum debitum, ponatur aliquam commisisse culpam, nullo modo dici poterit mortua, & per consequens nec Christi sanguine redempta, quod non est dicendum.

Secundum argumentum.

Secundò sic argumentatur Caietanus ad idem. Quia si prædictum debitum initiatiuum originalis maculæ, in persona Beatæ Virginis non ponatur proprium, sed solummodo commune ex Adamo: duo sequuntur inconuenientia & absurda quam maxima. Primũ est, quod non posset saluari Beatam Virginẽ in propria sua persona fuisse mortuam, & Christi sanguine redemptam, atque reconciliatã Deo: quod sine errore dici non potest. Secundum verò est, quod nulla daretur formalis differentia, inter debitum Beatæ Virginis, & debitum quod in Christianorum filijs olim admisit Iulianus Hæreticus cum Pelagianis,

gianis, & admittunt hodie Lutherani. Nam sicut illi in Christianorũ filijs non admittunt proprium debitum, sed commune: illud scilicet quod solum quisque habet ex Adamo: ita & nos in Beata Virgine videmur non admittere proprium debitum, sed tantum commune, illud quod habuit ex Adamo, quod etiam nullo modo videtur dicendum.

Tertium argumentum. Sed tertiò contra eandem conclusionem argumentatur Belarminus lib. 4. de amissione gratiæ & statu peccat. cap. 16. §. denique ob noxia peccato fuit. Supponendo quod Beata Virgo, licet in eodem tẽporis instanti quo fuit concepta, fuerit etiam iustificata: prius tamen natura fuit concepta, & in se ipsa extra suas causas, quam iustificata: quia subiectum prius natura est, quam suum accidens. Quo supposito probat Beatam Virginem in primo illo instanti naturæ, in propria sua persona habuisse debitum originaliter peccandi. Nam nisi prædicta B. Virgo in posteriori naturæ præuenta fuisset per gratiam, actu procul dubio contraheret originalem culpam: ergo in priori instanti naturæ, habuit debitũ cõtrahendi illam, fuitque illi obnoxia in propria sua persona.

Quartum argumentum. Quartò etiam contra eandem conclusionem argumentatur Suarez secundo tomo ad tertiam partem D. Thom. disput. 3. sect. 4. §. 2. & vberius. Quoniam in illo priori naturæ quo persona B. Virginis consideratur ab Adamo genita, inueniuntur in ea causæ dispositiuæ, & suo modo influxiuæ originalis peccati, nisi à Deo eiusmodi influxus impediretur atque præueniretur: ergo in persona Beatæ Virginis pro illo instanti naturæ, fuit supradictum debitum ad contrahẽdam originalem maculam. Antecedens ex se patet. Quia persona B. Virginis in illo priori naturæ, fuit vera filia Adami, ab eo per carnalem propagationem, & per rationem seminalem genita. Consequentia verò exinde probatur, quia personam aliquam in se ipsa habere debitum, & esse obnoxiam originalis culpæ, nihil est omninò aliud, quã in se ipsa eandem habere causas necessario influxiuas supradictæ originalis maculæ, quod est intentum.

Respondetur argumẽtis adductis contra conclusionem prædictam. Sed quamvis argumenta prædicta apparenter satis efficacia sint, non tamẽ adeò, vt nos cogere possint recedere à supradicta resolutione, sicque ad ea per ordinem respondetur.

Ad primũ argumentum. Ad primum argumentum Caietani respondetur, primo supponere falsum in eo quod dicit contrahendi originalis peccati debitum, esse maculam quodammodo initiatam: qui dicendi modus haudquaquam est admittendus, quia est fraudulentus, & falso innititur fundamento. Nam formaliter significat, eiusmodi debitum esse ipsam peccati maculam, quamvis imperfectam. quod non est admittẽdum, sed vere negandum: quia debitum non est ipsa peccati culpa, etiam initiata & imperfecta, nec est aliqua immunditia, siue fœditas: in quo om- *Quod falsa sit pppositio ac sẽtentia Caieta. circa debitum cõtrahendi originale peccat.*

tam. quando dicit illud esse veluti culpam ipsam initiatam.

Notentur valde hac verba, & nunquam concedendum esse sacrā Virginē actu fuisse peccatricem etiamsi concedatur ipsam in Adamo peccasse iuxta cōmunem opinionem.

Adhoc vt Virgo sacra verè & propriè dicatur redempta Christi sanguine, non necessū est quod

nes fere Auctores nobiscum conueniunt: sed tantummodo quædam (vt sic loquar) obligatio contrahendi illam, seu aliquid ex quo ipsa resultat. Secundo dico, quod ad hoc vt Beata Virgo dici possit sanguine Christi redempta, non est necessum quod in propria sua persona fuerit peccato mortua, prout expresse & in proprijs terminis contra Caietanum probat Suarez ², tom. ad tertiam partem disp. 3. sect. 5. §. tandem hoc idem suadent. Et Bellarmin. tomo 4. & lib. 4. de amissione gratiæ, & statu peccati cap. 16. §. denique non negamus, vbi ait. Non negamus Beatam Virginem natura fuisse filiam iræ, sed addimus gratia semper fuisse filiam misericordiæ. Placuit enim Deo sic eam præuenire in benedictionibus dulcedinis, vt nunquam esset peccatrix, (quod postulat natura) sed semper iusta (quod cōferebat gratia.) Idē contra eundem Caietanum dicit Corduua lib. 1. quæst. 44. concl. 5. in fine ad quartum, vbi ait. Non esse simpliciter concedendum Beatam Virginem peccato fuisse mortuam: nam quo modo (inquit) fieri potest, quod pro eodem temporis instanti, aliqua persona simul dicatur simpliciter mortua, & simpliciter viua? Nā sicuti mors ex sua intrinseca ratione est priuatio vitæ: ita etiam & vita intrinsece in sua formali ratione includit exclusionem mortis: & cum vita siue corporalis, siue spiritualis incipiat per primum sui esse, certum est, quod primū esse vitæ in aliqua persona, esse debet primum non esse corruptionis & mortis in eadem. Qua ratione absolute fieri non potest, quod aliqua persona pro eodem temporis instanti, sit simpliciter viua & simpliciter mortua. Et quis est qui negare possit Beatam Virginem pro illo primo suæ Conceptionis instanti quo fuit per gratiam præuēta & præseruata â macula, fuisse simpliciter viuam: & si fuit simpliciter viua, quonam modo esse vllo modo potuit pro eodem instanti simpliciter mortua: cum hæc duo sint quæ inter se implicant, & pro eodem temporis instanti non possunt simul esse vera, etiam in diuersis instantibus naturæ? Ex quo plane colligitur, haudquaquam esse bonam argumentationem Caietani, nec esse verum id quod dicit, non solum actualem originalis peccati maculam esse veram peccati mortem, verum & debitum habendi illam esse maculam quodammodo initiatam, & esse potuisse simul cum gratia Beatam Virginem â peccato præseruante pro eodem temporis instanti, etiam in diuersis instantibus naturæ: quia esset simpliciter fuisse mortuam, & simpliciter viuam, quod implicat. In forma igitur ad argumentum respondetur, quod ad hoc vt Beata Virgo, etiā in sua propria persona vere & proprie â Christo Domino dicatur redempta, haudquaquam necessum fuit quod in propria sua persona fuerit mortua, & debitum siue initium originalis peccati in se ipsa habuerit (vt perperā Caietanus existimauit) sed sat est vt mortua fuerit in Adamo originaliter, tanquam in suo omniumque nostrum morali capite, ibique obligata fuerit ad morien-

moriendum, nisi ex speciali priuilegio diuinitus per gratiam fuisset præseruata, & ad id satis est quod in præcedenti instanti ad suam purissimam Conceptionem, eiusmodi habuerit debitum.

actu atque in propria sua persona fuerit mortua: sed sat est quod mortua fuerit secundum debitum in Adamo.

Ad secundũ respondetur similiter negando, quod ad hoc vt peccatum originale Adami, quod omnibus est commune, Beatæ Virgini fieret proprium, fuerit necessum quod ipsum in se & in propria sua persona actu contraxerit, & habuerit illud saltim secũdum debitum: nam satis est quod id ipsum fieret ex vi suæ generationis, & naturalis propagationis per seminalem rationem ex Adamo, nisi â diuina gratia præueniretur, quamvis actu, nec peccatum originale, nec eiusdem debitum in propria sua persona fuerit repertum. Nam iuxta veram Philosophiam, dispositiones quæ præcedunt in materia, pro toto tempore ante instans generationis substantialis formæ, satis sunt vt dicãtur propriæ formæ ipsiusque generatur, quãvis nunquã sint cum illa, cũ pro illo primo instanti iã non sint. Falsum est igitur id quod dicitur peccatum originale seu ipsius debitum non posse dici proprium, siue appropriatum, nisi per propriam existentiam, in persona illa quæ ab eo præseruatur. Qua quidem ratione quammaximum est discrimen inter nostram conclusionem & positionem Iuliani & Lutheranorum: nam illi dicunt Christianorum filios in parentibus mundatis ita mundari vt ex vi suæ generationis nullo modo sint obnoxij ad cõtrahendam originalem maculam: qua ratione negant in illis propriũ debitum, & solummodo admittunt commune in Adamo simul cum alijs suis partibus: nos verô non id dicimus, quinvero asserimus Beatam Virginem, & habuisse debitum commune in Adamo, & quod habuerit illud simul proprium in propria sua persona, nisi præueniretur per diuinam gratiam. Quo factum est, vt non habuerit illud intrinsece, & in propria sua persona existens: sed solummodo extrinsece ad sensum supradictum, per primum non esse debiti: cuius tamen ratione indiguit liberatione, & redemptione per Christi sanguinem vt pluries est dictum.

Ad secundum argumentum.

Quod in hoc dicendi modo haudquaquã cõuenimus cum Iuliano seu Lutheranis.

Ad tertium argumentum quod est Bellarmini, concedimus quidem personam Beatæ Virginis in eodem temporis instanti quo fuit concepta, fuisse etiã sanctificatã: & simul admittimus eam prius fuisse natura conceptam, & positam extra suas causas, quã sanctificatã (quia substantia prius natura est quocunque accidenti) negamus tamen fieri potuisse, quod pro eodem temporis instanti, in aliquo priori naturæ, debitum peccandi originaliter habuerit in se ipsa, vt pro posteriori instanti naturæ maculam ipsam contraheret. Nam licet inter sanctificationem, & personam sanctificatam, detur ordo prioris & posterioris naturæ: non tamen datur seu dari potest eiusmodi ordo inter sanctificationem, & quodcunque accidens illi contrarium, in ordine ad existentiam in eodem subiecto pro eodem temporis instanti, cum

Ad tertiũ argumentum.

Qualiter debitum peccandi originaliter, non esse potuerit in Virgine

simul cum gratia illam iustificante, pro eodem temporis instanti etiam in diversis instantibus naturæ.

Nota valde ex Concil. Tridẽ. circa iustificationis ordinẽ.

se inuicem exclu dant, & primum esse vnius, sit primum non esse alterius. Quo fit, vt cum peccandi originaliter debitum, omninò oppo-natur cum gratia Beatam Virginem ab illo & à peccato præseruante, fieri nullo modo potuit vt simul essent pro eodem temporis instanti, etiam in diuersis instantibus naturæ, prout latius dictum est supra. Nam darentur duo contradictoria simul vera, & quod originale peccatum pro eodem instanti imputaretur & non imputaretur, deberetur & non deberetur. Quod ex eo procedit quammaxime, quia iuxta diuinum ordinem in Concilio Tridentino Sesſione 6. cap. 7. satis insinuatum, iustificatio impij includit in se & remissionem peccati, & sanctificationem hominis qui iustificatur. Vnde cum in eadem iustificatione, prius natura sit remissio & nõ imputatio peccati, quam sanctificatio personæ: fieri nullo modo potuit, vt supradictum debitum pro eodem temporis instanti, etiam in aliquo priori naturæ, simul esset cum gratia Virginem sanctificante: quin verò potius Deus (nostro modo intelligendi) prius natura voluit non imputare Virgini peccatum quod in Adamo commisit, quam personam ipsam sanctificare. In quo quammaxime deceptus est Bellarminus, qui in illa gratiæ infusione, vim sanctificatiuam solummodo considerauit, qua macula formaliter impedita fuit: non verò vim remissiuam natura priorem, qua debitum supradictum à persona Beatæ Virginis fuit impeditum vt ne intraret: ita vt primum esse eiusmodi gratiæ culpæ remissiuæ, fuerit primum non esse debiti in illo temporis instanti: nec enim inter gratiam & debitum, dari vllo modo potuit ordo prioris & posterioris naturæ, pro eodem temporis instanti.

Ad quartum argumentum. Nota valde huius argumenti solutionem.

Ad quartum respondetur, concedendo etiam personam B. Virginis in aliquo priori naturæ, prius considerari vt filiam Adami, quam considerari cum gratia illam à peccato præseruante: negamus tamen pro illo priori naturæ inueniri in ea intrinsece causas dispositiuas, & influxiuas originalis peccati, siue eiusdem debiti, propter rationes superius dictas. Nam quamvis ipsius personam fuisse ab Adamo seminaliter genitam, & ipsam esse vere Adæ filiam, per se & absolute loquẽdo causa fuerit sufficiens, dispositiua atque influxiua originalis maculæ, cum tamen id iam per gratiam fuerit præuentum, totum illud nõ vim habebat dispositiuam, aut transfusiuam maculæ prædictæ, nec fieri vllo modo poterat vt vnum simul reperiretur cum alio pro eodem temporis instanti, etiam in aliquo priori naturæ. Esset enim aperta cõtradictio: sicut & quod detur imputatio peccati, simul cum remissione illius, & longe res diuersa est, vnum in aliquo priori naturæ prius considerari quam aliud, & quod vnum & aliud (cum sibi inuicem cõtradicant) in eodem temporis instanti simul reperiantur. In hoc enim prædictum argumentum Suarez deficit: quia ex hoc quod considerari potest persona Virginis in aliquo priori naturæ, prius Adami filiaq; consi-

consideretur cum gratia illam à peccato præseruante: infert eandem gratiam infusam nō in esse eidem pro illo priori naturæ quo consideratur Adami filia, sed solummodo pro alio posteriori instāti, quod est aperte falsum, ac veræ philosophiæ repugnat. Nam licet possimus considerare Virginis personam, non concipiendo gratiam quam habet pro illo instanti naturæ, non tamen possumus considerare siue ipsam concipere, cum negatione eiusdem gratiæ, cum fuerit sibi collata pro toto illo temporis instanti. Quo plenissime supradictis argumentis fit satis.

Respondetur ad argumenta pro parte prima opinionis negantis in B. Virgine vtrūque debitū, & secūdum quid & proprium, simplex & absolutum.

Solummodo superest pro complemento huius quæstionis, respondere ad argumenta proposita pro parte primæ opinionis, negantis in persona Beatæ Virginis vtrumque debitum, & quod constituit Catherinus (& vocat illud secundum quid, ortum ex conditione naturæ) & quod assignatur à Doct. communiter, ortum ex peccato Adami & appellatur proprium, simplex & absolutum.

Ad primum argumentum.

Ad primum igitur argumentum, quod est Ricardi de Sancto-Victore, respondetur verba illa intelligenda esse de subiectione actuali cuiuslibet culpæ, siue actualis, siue originalis: ad hunc sensum quod Beata Virgo nullum omninò actuale peccatum commisit, nec verò contraxit originale. Cum quo bene stat quod subiacuerit originalis peccati debito, illi saltem quod ponit Catherinus, & oritur ex conditione naturæ, quod necessario videtur ponendum (vt dictum est in prima conclusione) vt Christi Domini saluetur redemptio, & B. Virgo vere & proprie ipsius sanguine ea ratione dicatur redempta. Et idem dico de alio quia (vt diximus in secunda cōclusione) cōmunior est illorū sententia & opinio, qui in B. Virgine prædictum duplex constituūt debitum, & primum illud dictum secundum quid ortum ex conditione naturæ, & aliud proprium, simplex absolutum, ortum ex peccato Adami. Cum quibus omnibus etiam bene stat, quod in propria sua persona & intrinsece, Beata Virgo nullum omninò habuerit debitum, nisi solummodo extrinsece per defitionem eiusdem debiti, ad sensum supradictum.

Ad hoc vt B. Virgo vere & proprie dicatur redempta Christi sanguine, necessū fuit vt aliquod saltem originaliter peccādi habuerit debitū.

Ad secundum argumentum.

Ad secundū quo continetur auctoritas D. Anselmi, respondetur, concedendo decuisse Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi, loquendo (non quidem de potentia Dei absoluta) sed de potentia ordinaria, & quæ stat cum ordine a Deo semel tradito de redemptione mundi, & quod simul Christus Dominus esset omniū hominum vniuersalis Redemptor. Quo admisso, ad hoc vt Beata Virgo Christi filij sui vere dici posset sanguine redempta, necessum fuit quod quamvis nullum omnino habuerit actuale siue originale peccatum, habuerit tamen aliquod eiusdem debitum, ad minus illud secūdum quid, quod constituit Catherinus, ortum ex conditione suæ na-

Qualiter intelligendam sint D. Ansel verba, decuit Virginē ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi.

turæ, seu etiam aliud quod constituitur communiter proprium, simplex & absolutum, ortum ex peccato Adami. Vnde prædicta D. Anselmi verba in hunc sensum explicanda atque interpretanda sunt; vt decuerit Virginem ea puritate gratiæ sanctificantis, & ad Christi filij sui redemptionem pertinentis nitere, qua maior sub Deo (iuxta ipsius potentiam ordinariam) nequit intelligi. Quibus prædictis verbis haudquaquam obstat, quod de potentia Dei absoluta, imaginari, siue reperiri possit aliqua maior puritas, quam de facto fuerit reperta in Beata Virgine.

Ad tertium argumentum.

Ad tertium quo continetur auctoritas tertiæ Synodi generalis, qua dicitur Beatam Virginem puriorem esse omni sensibili & intelligibili creatura: respondetur, intelligendam esse eiusmodi auctoritatem de puritate per gratiam sanctificantem, quæ maior sit non in modo sanctificandi, sed in intensione gratiæ quæ sanctificat. Ad hunc sensum, quod gratia sanctificans B. Virgini collata, intensiue longe maior est, omni gratia, quæ vel puris hominibus, vel etiam Angelis ipsis est collata. In hoc sensu Beata Virgo secundum gratiam, purior est omni sensibili atque intelligibili creatura: cum quo nihilominus stat, quod ipsa supradictum peccandi originaliter habuerit debitum, vno vel altero modo, secundum quid, vel etiam proprium, simplex & absolutū, ad sensum supradictum, quia hic non agimus de graduali intensione gratiæ, quæ à culpa purificat, sed de modo quo data sibi fuit eiusmodi gratia in Christi meritis præuisis, & in ordine ad ipsius redemptionem, quod supponit aliquo modo eam fuisse mortuam in Adamo, saltim secundum debitum vnum, vel aliud (vt dictum est) quamvis non in propria sua persona.

Qualiter intelligēdum sit id quod dicitur B. Virginē puriorem fuisse omni sensibili atque intelligibili creatura.

Ad quartū argumentum.

Ad quartum continens auctoritatem Diui Augustini, lib. de natura & gratia, cap. 36. respondetur, concedendo verba illa intelligenda esse non solum de peccatis actualibus; verum etiam & de originalibus, quæ vere & formaliter sunt peccata: non tamen de debito ad habendum originale peccatum, quod licet ex peccato oriatur & ad peccatum obliget, non tamen formaliter est peccatum, vt constat ex supradictis. Qua quidem ratione licet Augustinus dicat, quod cum de peccatis agitur de B. Virgine nullam prorsus vult habere quæstionem, in supradictis verbis, haudquaquam comprehendit quæstionem quæ est de debito & obligatione ad contrahendam originalem maculam: sed de peccatis ipsis. Præterquam quod Diuus Augustinus in illis verbis, solummodo agit de Virgine in propria sua persona, non vero prout fuit in Adamo, & in suis parentibus: nā de hoc nullum omnino facit verbum: quinverò in quamplurimis suæ doctrinæ locis aperte insinuatur, eandem in Adamo primo nostro parente peccasse. Ex quo subinde sequitur, quod & ipsa saltim peccandi originaliter habue-

Qualiter intelligēdus sit D. Aug. st. quando dixit quod cum de peccatis agitur in Virgine sacra non vult considerare peccatum.

habuerit debitum. Et quod dicitur datam sibi fuisse gratiam, ad vincẽdum omni ex parte peccatum: intelligendum id est de victoria contra peccatum actuale siue originale: per id tamen non excluditur quod ad modum supradictum aliquod saltim originaliter peccandi habuerit debitum.

Ad quintũ argumentum.

Ad quintum continens quamplurium Sanctorum auctoritates, respondetur. Et primo ad Diuum Hieronymum dicentem, Beatã Virginem ex eo esse immaculatam, quia in nullo corruptam: quod eiusmodi verba intelligenda sunt de Virgine in propria persona, vt sic enim nulla peccati macula corrupta fuit, quia nullam actualem culpam commisit, nec originalem cõtraxit maculam. Cum quo quidem stat, vt in persona Adami, aliqualiter dici potuerit corrupta, corruptione peccati quod cum illo commisit, habitualiter, virtualiter siue originaliter: & committeret actualiter, nisi præseruaretur: vel de corruptione debiti ad culpam originalem in propria persona contrahẽdam, iuxta vnum vel alterum modum supradictum, nisi etiam præseruaretur: vel dici potest quod debitum contrahendi originale peccatum, non fuit aliqua formalis corruptio, sed virtualis tantummodo.

Qualiter intelligẽdus sit D. Hieron quando dixit B Virginẽ ex eo esse immaculatam quia in nullo corruptam.

Ad illud vero etiam Diui Hieronymi, quo dicitur Beatam Virginem non fuisse serpentis persuasione deceptam, nec eius venenosis afflatibus infectam: respondetur eiusmodi verba sic esse intelligenda, quod Beata Virgo libera fuit ab omnibus diaboli suggestionibus sibi oblatis, neque vllo modo ab eodem decepta, ita vt aliquod vel minimum actuale peccatum commiserit. Et si velimus id ipsum etiam de originali intelligere, intelligendum est de actuali eiusdem contractione: non verò de peccato commisso in Adamo, ex quo nisi præseruaretur, quasi originali sequela, oriebatur originaliter peccandi debitum.

Qualiter sit intelligendum, quod B. Virgo non fuerit serpentis persuasione decepta, neque eius venenosis afflatibus infecta.

Ad illa Diui Augustini verba, quæ etiam tribuuntur D. Andreæ, necnon & Diuo Dominico, quod sicut primus Adam fuit de terra virgine nunquam maledicta formatus, sic & fieri decuit in secundo Adam, &c. Respondetur intelligenda esse de maledictione in propria virginis persona: non tamen de maledictione in persona Adami: nam vt sic, vt dici potuit filia iræ, sic & maledicto obnoxia: postquam vel in eo peccauit habitualiter & virtualiter (vt dictum est) aut saltim peccaret ex naturæ debito, nisi ab illo pacto & lege, ex diuina benignitate & gratia liberaretur: sicque verum est, quod Beata Virgo in se nunquam fuit maledicta: & in hoc tantum sensu tenet comparatio terræ, ex qua vterque Adamus fuit formatus.

Qualiter intelligẽdum sit id quod dicitur quod Christus Dominus fuit natus de terra nunquam maledicta.

Ad illa vero verba Diui Bernardi, quod caro Mariæ ex Adamo assumpta, Adami maculas non admisit, respondetur similiter, intelligen-

Qualiter intelligẽdum sit id

quod dixit D Bernard. quod caro Maria ex Adamo assumpta, Adami maculam non admisit.

ligenda esse de actuali macula peccati Adami, quam Beata Virgo nūquam contraxit: non verò de præcedēti debito. Et ad illa alia eiusdem in eodem argumento adducta, quod fuit immaculata & maculas peccati Adami, & suæ damnationis & debiti non admisit: respondetur intelligenda esse de debito in propria persona, non tamē de illo quod resultauit ex peccato Adami, resultaret vero in illa nisi à supradicto pacto & lege diuinitus fuisset liberata.

Ad illa verò verba Diui Ildephonsi, quibus insinuari videtur Beatam Virginem, necdum originale peccatum non contraxisse, verum neque debitum illius habuisse: respondetur similiter, intelligenda esse de debito in propria sua persona, non tamen de debito in Adamo, aut debito orto ex conditione naturæ, ad sensum iam pluries dictum.

Ad vltimum testimonium quod refertur Cardinalis Nicolai de Cussa, asserentis Beatam Virginem non indiguisse liberatione à seruitute peccati: respondetur intelligendum id esse de liberatione à culpa actuali, siue originali, quam ipsa in propria sua persona incurreret, prout ipse se paulo inferius declarat, non tamen negat eam indiguisse liberatore, & præseruatore atque redemptore, vt non incurreret originale peccatum, ad quod debitum habuit ex peccato Adami, aut saltim illud haberet ex conditione suæ naturæ, nisi diuinitus ad sensum supradictum liberata fuisset.

Ad sextū argumentum. Qualiter intelligendum sit Sancta Inquisitionis decretum, circa debitum originalis peccati in B. Virgine?

Ad vltimum argumentum, quo continetur Sanctæ Generalis Inquisitionis decretū, respondetur, quod propositio quæ ibidē vt probabilis qualificata fuit est, quod B. Virgo Maria non contraxit debitum peccati originalis: quod intelligendum est vel de eadem in propria sua persona, aut verò etiam (vt quibusdam placet) etiam in persona Adami: non tamen per id decretum est (etiam probabiliter) prædictam Beatam Virginem nullum omninò habuisse originaliter peccandi debitum, nec proprium, simplex & absolutum, nec illud secundum quid, quod ponit Catherinus: nam cum hoc vix aut nullatenus posset saluari Christi Domini redemptio: ac vere dici Beatam Virginem fuisse eiusmodi sanguine redemptam, vt amplius diximus in prima nostra conclusione, impugnando & reprobando supradictam primam opinionem. Et sic concludendo hunc articulum dico, recopilando ea quæ expræssius habentur in supradictis conclusionibus, quod licet negandum omninò sit Beatam Virginem in propria sua persona aliquod originaliter peccandi habuisse debitum, non tamen id est negandum, de debito orto ex peccato Adami, aut saltim de illo quod constituit Catherinus, orto ex conditione suæ naturæ: quæ pro ista quæstione dicta sufficiant.

(∴)

QVÆST.

QVÆST. XIII.

Vtrum Beatissima Virgo Maria, de facto à contrahenda originalis peccati macula & labe diuinitus fuerit præseruata: & qualiter id effici potuerit?

QVÆSTIO quidem celebris: quinverò & inter omnes quæ de Beata Virgine adduci possunt celeberrima: nimiũque proinde inter Doctores, tam veteres siue antiquos, quam Neothericos & Iuniores, iam olim sed & nũc etiam controuersa & agitata, multũq; digna scitu, & quæ in scholis à viris Scholasticis ventiletur, & maxime à cunctis prædictæ Virginis amatoribus, pro ipsius honore tuẽdo, defensari conetur: non quidẽ cõtendendi animo, sed solũ indagãdę, & manifestãdæ veritatis, id ipsum cũ vergat in quammaximã Dei Optimi nostri Maximi gloriam, Ecclesiæ totius vtilitatem, & Christianę pietatis, imo verò & cunctorum fidelium edificationem. In qua quidem quæstio (nefauentibus superis) hunc omninò seruabimus ordinem: quod primo loco referemus opinionem Diui Thomæ, & omnium Thomistarum communem, asserẽtium Beatam Virginem in originali peccato fuisse quidem conceptã, & nullo modo ab eodem præseruatam, sed post modum sanctificatã, vt digna esse posit Dei Mater. De tempore quo id factum fuerit, an statim in sequenti instanti, seu in eodem, aut multum postea: non cõuenire inter Doctores prædictos, nisi in hoc quod fuerit ante sanctissimam ipsius natiuitatem. In secundo verò loco, adducemus sententiã & opinionem nostri Scoti, & omnium etiam Scotistarum communẽ, contrarium omninò dicentium, cum proprijs cuiusque fundamentis, & probationibus: ac deniqụe pro sententia & opinione Scoti, affirmatiua conclusione proposita, argumentis in contrarium adductis, pro nostra virili satisfacere conabimur. Quia verò hæc argumenta multa, varia ac diuersa sunt, & nec modicũ vel solum relatu difficilia: quædam petita ex quampluribus Sacræ Scripturæ locis: alia ex diuersis Concilijs: alia ex multiplicibus Sanctorum Patrum auctoritatibus, qui siue in communi, siue in particulari ad præsentis mysterij propositum multa dixerunt de prædicta sacratissima Virgine: ac tandem vltimò afferuntur nonnulla argumenta ex varijs fortissimis (vt quibusdam videtur) rationibus: maioris distinctionis ac claritatis gratia, & ne dum omnia simul dicuntur, confundantur: non ex toto in hac quæstione supradicta absoluetur difficultas, sed tantũmodo agemus

 de

de illa veluti in compendio, referendo in summa ea quæ hinc inde circa ipsam à Doctoribus scholasticis circũferũtur, vt aliqualis saltim rerum omnium habeatur notitia, & quæ maiori explicatione & ampliori tractatione indigent, reseruabuntur, vt postmodum congruo ordine explicentur, & dicantur in subsequentibus quæstionibus, quarum singulæ speciales suas continebunt difficultates, notatu & scitu dignissimas.

Prima opinio D. Thom. asserentis de facto B. Virginẽ in originale peccato fuisse conceptam.

Prima itaque opinio circa propositam difficultatem, est D. Tho. 3. part. quæst. 27. art. 1. & 2. in corpore, & in solutione ad secundum, & 2. sentent. dist. 31. quæst. 1. art. 2. & in 3. sentent. dist. 3. quæst. 1. artic. 1. quæstiuncula 1. & 2. & in 4. sentent. dist. 43. art. 4. quæst. 1. ad tertium, & in Quodlibetis, quodlib. 7. ar. 7. Cum quo conueniunt communiter omnes suæ doctrinæ professores, sed præsertim Capreolus in 3. sent. dist. 3. quæst. 1. art. 1. concl. 1. & Hispalensis ibidem, quæst. 1. Caietan. 3. part. quæst. 27. art. 3. & in opusc. de Conceptione Virgin. cap. 4. Ferrara quarto contragentes capit. 50. Cano de locis Theologicis, lib. 7. cap. 1. Diuus Antoninus prima parte titulo 8. cap. 2. Et pro eadem etiã referuntur Albertus Magnus, in 3. sentent. dist. 3. art. 4. & 5. Et D. Bonauentura ibidem, art. 1. quæst. 1. Et Ricardus art. 1. quæst. 2. Durand. quæst. 1. Paludan. quæst. etiam 1. art. 1. & multi alij Doctores pro eadem sententia referuntur, quos longum quidem esset nimis velle in præsentiarum recensere: neque id facere vtile esse videtur, cum multis hæc eadem tribuatur opinio, qui revera haudquaquam eam tenẽt, vllove modo illi fauent, vt latius infra suo loco patebit. Ex Iurisperitis multi etiam pro ea citantur, de quibus omnibus infra pro veritate indaganda specialis proponenda est quæstio.

Argumẽta pro opinione Diui Thom.

Et probatur sententia & opinio prædicta, ex multis locis.

Primum argumentum.

Sed primo argumento deducto ex quampluribus Sacræ Scripturæ auctoritatibus, quibus passim habetur, & tanquam fidei regula traditur, omnes homines in Adamo primo nostro parente peccasse, atque in eodem mortuos fuisse. Quod specialiter dicit Diuus Paulus in epistola ad Roman. cap. 3. & 5. & 1. Corint. 15. & 2. Corinth. 5. & ad Ephe. cap. 2. A qua prædicta generali regula, quempiam qui per seminalem rationem fuerit conceptus excipere sine Sanctorum Patrum consensu, Ecclesiæ traditione, siue diffinitione, esse videtur temerarium: & (vt quibusdam etiam placet) erroneum. Et potest argumentum formari in hunc modum. Quando in Sacra Scriptura reperitur aliqua lex siue regula communis atque vniuersalis quæ omnes tangit, nemo ab ea omninò est excipiendus, nisi de eo in eadem Scriptura Sacra specialis habeatur exceptio: alioquin enim daretur apertissima & manifestissima occasio quibuslibet negandi Scripturæ Sacræ propositiones vniuersales quæ sunt de fide: quod facere esset hæreticum: sed ex multis Sacræ Scripturæ locis aperte colligitur, quin verò claro atque

atque expresse affirmatur, omnes homines ex Adam per carnalē propagationem, & rationem seminalem descendentes, in ipso originaliter peccasse, atque in eodem morte peccati mortuos fuisse: neque in aliquo loco ab hac generali regula sacra Virgo reperitur excepta: ergo secundum fidem tenendum est, eandem originale peccatum contraxisse, & dicere ab eo fuisse præseruatam, adminus videtur valde temerarium, seu etiam erroneum in fide. Hoc est primum ac potissimū Thomistarum argumentum.

Secundum argumentum. Secundò argumentantur ad idem. Nam ex eisdem sacris litteris apertissime constat, ac passim habetur, Christum Dominum & seruatorem nostrū, vniuersalē esse omnium hominum redemptorem, medicum atque Saluatorem, & simul reconciliatorem cum Deo: sed si Beata Virgo originale peccatum non contraxisset, & ab eo præseruata fuisset, nullo modo dici posset à Christo Domino redempta, curata atque saluata, siue per illum Deo reconciliata; cum verè & propriè nullus possit dici redemptus, nisi qui prius fuerit captiuus: neque curatus qui non prius extitit infirmus: saluatus qui non ante perierat, reconciliatus qui non prius fuerat inimicus (quæ quidem omnia in iniuriam vergunt Christi Domini, & vniuersalis suæ redemptionis) ergo id ipsum nullatenus est dicendum: quinverò potius, quod Beatissima Virgo de facto originale peccatum contraxit, à quo per Christum Dominum fuit redempta.

Tertium argumentum. Tertiò pro eadem sententia potest argumentari, ex multis Conciliorum diffinitionibus, atque decretis Summorum Pontificum: sed præsertim ex Concilio Arausicano, Mellibitano & Florentino: vbi diuersis in locis habetur expresse diffinitum, omnes homines originale peccatum contraxisse (solo excepto Christo Domino & Saluatore nostro) pro eo quod ipse ab Adamo non per virile semen descendit, sed de Spiritu Sancto fuit conceptus: ergo nullatenus licet ab hac generali regula sacram Virginem excipere: quinverò sub eadem debet comprehendi, cum (vt habetur in Iure) exceptio semper firmet regulam in contrarium, ipsamque constet ab Adam per virile semen descendisse: alias enim falsa esse videretur supradicta fidei definitio: solummodo Christum Dominū à prædicto peccato originali excipiens, & affirmans eundem solum illud non contraxisse: & falsa etiam esset supradictæ exceptionis causa, nempe illum ab Adam per virile semen non descendisse: quod cum non sit dicendum, manifeste sequitur intentum.

Quartum argumentum. Quartò argumentantur ad idem, ex multiplici sanctoritatibus Sanctorum Patrum, quorum numerum Capreolus reduxit ad 40. Caietanus ad 15. qui vs & Cano lib. 7. cap. 1. quosdam addidit alios, dicens nullum Sanctorum vnquam docuisse contrarium. Quorum dicta & testimonia ad quatuor capita reducuntur, seu potius possunt reduci.

reduci. Nam quidam loquuntur generaliter, omnes homines sub generali illo decreto peccandi in Adamo comprehendentes, & nullum omninò excipientes, nisi solum Christum. Alij verò in particulari verba faciunt de Beata Virgine, dicendo eam fuisse propter Adæ peccatum mortuam, & carnem peccati ipsius carnem vocando. Alij autem eandem dicunt fuisse mundatam (quod culpam atque immunditiam præsupponit.) Ac tandem vltimo reperiuntur quidam Sancti Patres, qui aperte videntur tenere hanc opinionem & sententiam, videlicet Beatam Virginem in peccato originali prædicto fuisse conceptam, postea verò ab eodem mundatam. De quibus prædictis Sanctorum Patrum auctoritatibus, quia plures atque diuersæ sunt, & sub diuersa forma loquuntur: videri vt possit quam veritatem siue probabilitatem habeant, & quid de illis sit dicendum: libuit infra peculiarẽ quæstionem efficere, quæ 18. erit in ordine. Quod & similiter fiet de omnibus quæ longa esse videbuntur, & ampliori indigere explicatione siue tractatione. Sit tamen circa propositam quæstionem quintum argumentum in ordine.

Quintum argumentum. Quintò pro eadem sententia potest sic argumentari ratione. Nã certum est quod Virgo sacra in primo suæ Conceptionis instanti, nõ habuit iustitiam originalem, cum illa (vt tenendum est de fide) amissa atque deperdita fuerit propter peccatum primi hominis: ergo habuit prædictum peccatum originale. Antecedens tanquam certum à Thomistis præsupponitur. Consequentia verò probatur. Nam peccatum originale (iuxta communem sententiam) nihil est omninò aliud, quã carentia supradictæ iustitiæ originalis: & quonam pacto Deus sacrã Virginem originali iustitia priuaret, si ipsa in Adamo originaliter non peccasset? Punire enim aliquem sine culpa, certe esse videretur iniustitia ex parte Dei: quod cum non sit dicendum, manifeste colligi videtur intentum: nempe quod peccauit originaliter.

Sextum argumentum. Sextò argumentantur ad idem. Nam certum est quod peccatum originale communicatur omnibus Adami posteris motu generationis, quemadmodum & actuale communicatur omnibus corporis mẽbris, quæ mouentur ab anima ad opus peccati motu voluntatis: sed peccatum actuale, non potest non communicari membris corporis, quæ motu voluntario mouentur ab anima ad opus peccati: ergo & peccatum originale, non potuit non communicari Beatæ Virgini, cũ ipsa motu generationis mota fuerit ad existendum, ab Adamo primo nostro parente, & cum priuatione supradictæ iustitiæ originalis.

Septimum argumentum. Septimò ad idem sic argumentantur. Nam non capit intellectus, quonam pacto sacra Virgo, iuxta mentem & sententiam Scoti, in æterna diuina præuisione, præuideri vllo modo potuerit sine prædicto originali peccato, cum iuxta veram Theologiam & opinionẽ communem, aut saltim magis probabilem, Christus Dominus fuerit prædestinatus

natus in remedium originalis peccati; quo tota humana natura erat infecta. Ex quo fit consequens, quod Deus Optimus Maximus (nostro modo intelligendi) prius præuidit Adami peccatum, & in eo totam infectam humanam naturam, quam præuiderit aut prædestinauerit Christum, siue sanctissimam ipsius Matrem. In illo ergo priori, quæritur, an viderit Beatam Virginem in massa generis humani infectam, aut non vidit illam infectam, sed præseruatam? Si primum dicatur, habetur intentum, nempe quod fuit supradicto originali peccato infecta. Si verò dicatur secundum, necessum est vt concedatur, quod sacra Virgo fuerit exempta a massa generis humani infecta, & nō per Christum, nec in ordine ad ipsius merita: si quidem in illo priori, intelligitur exempta atque præseruata, quando non adhuc intelligitur prædestinatus ipse Christus: quod cum non sit dicendum, manifeste colligi videtur intentum.

Octauò sic potest argumentari ad idem. Nam hoc quod est sine peccato originali concipi, specialis atque singularis est prærogatiua Christi Domini, qui solus (vt inquit Regius Psaltes) Psalm. 87. *Fuit inter mortuos liber, & in sua conceptione sanctus* iuxta illud quod habetur Lucæ 1. *Quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei*. Quo satis aperte datur intelligi, quod solus Christus fuit in sua conceptione Sanctus, & sola ipsius sanctissima anima in illo instanti fuit absque vllo prorsus peccato, pro eo quod conceptus fuit, non ex aliquo virili semine, sed virtute Spiritus Sancti. Qua etiā ratione & ipsi soli non fuit opus renasci, quod nulli hominum (eo excepto) contigit, pro eo quod cuncti concipiuntur atque nascuntur cum originali culpa & peccato. Cū igitur id ita sit, & Beata Virgo per carnalem propagationem, seminalemque rationem fuerit concepta, & non ex virtute Spiritus Sācti: manifeste (vt videtur) colligitur, quod ea non fuit in sua conceptione sancta, neque sine peccato: & consequenter quod opus fuerit renasci, cum peccatum habuerit originale.

Octauum argumentum.

Nonò ad idem argumentari potest. Nam Deus (vt tenendum est de fide) neminem punit sine culpa propria vel aliena: sed Beata Virgo fuit punita, quia vere & realiter contraxit effectus, & pœnas peccato originali debitas, nempe fomitem, mortem, atque exclusionem à cælorum regno: qua etiam ratione si ante Christum mortua fuisset, ad Limbum proculdubio descendisset ratione prædicti peccati originalis: dicendum ergo est, quod contraxit illud: alioquin enim videretur quod iniustus esset Deus, qui pœnam intulisset vbi nulla omninò præcesit culpa.

Nonum argumentum.

Tandem decimo & vltimo argumentari potest ad idem. Nam alias si Beata Virgo peccatum originale non contraxit, necessario videretur dicendum, quod si mortua fuisset ante Christum nō ad Limbum descendisset, sed statim eius anima ad Cœlos euolaret, Deumq;

Decimum argumentum.

 vidis-

vidisset, cum non haberet impedimentum originalis peccati: hoc autem non est dicendum: nam se queretur exinde, quod Christus Dominus per mortem suam, Beatæ Virgini ianuam regni Cœlestis non patefecisset, contra id quod dicit Diuus Paulus, & tenet Ecclesia cõmuniter quod per Christum Dominum aperta est omnibus ianua Regni Cœlestis: ergo intentum.

Hæc sunt fortissima quæque argumenta; quæ pro prædicta sententia & opinione Diui Thomæ possunt adduci, & adducuntur ab eiusdem sectatoribus: quæ fateor me summo studio atque diligentia quæsiisse in omnibus eorundem libris, vt non vllo modo videri possem, ex nimio forsan zelo, siue deuotionis & honoris Beatæ Virginis, hac in re veritatem occultare voluisse, siue corpus argumentorum atque rationum suarum ponderi & difficultati subterfugisse. Sed his nihilominus non obstantibus, contrariam sententiã tenet noster Scotus, & omnes Scotistæ communiter: de qua etiam dicamus oportet.

Secunda sententia & opinio est Scoti, asserentis B. Virginem à peccato originali præseruatam fuisse.

Secunda sententia est nostri subtilis Scoti, asserentis Sacram Virginem à peccato originali fuisse præseruatam. Hoc dicit Scotus in 3. sentent. dist. 3. quæst. 1. & dist. 18. quæst. vnica §. hoc viso. Quem sequuntur omnes Doctores Scotistæ communiter, sed præsertim alũni nostræ Franciscanæ familiæ qui post ipsum scripserunt, & illius scripta commentarunt Lychetus, Mayronis, Vasolius, Orbellus, Nicolaus de Nissa, Melchior Flauus, Franciscus & Ioannes de Ouando, & omnium nouissimus Franciscus de Pitigianis, in commentarijs ad 3. Scoti, dist. 3. quæst. 1. quibus prædictis accedit noster P. Corduua lib. 1. sui Quæstionarij quæst. 44. concl. 6. Vega lib. 2. de iustificatione in Concil. Trident. cap. 8. Ioannes de Medina in lib. de oratione q. 7. & de pœnitentia quæst. 6. Castro lib. 1. de iusta Hæreticorum punitione cap. 8. Et præter Scotistas tenuit etiam olim hanc sententiam Diuus Thomas verbis expressis, in 1. sent. dist. 44. quæst. 1. artic. 3. in solut. ad tertium, cuius sunt quæ sequuntur verba, *Nota quod puritas intenditur per recessum à contrario: & ideò potest aliquod creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis; si nulla contagione peccati inquinatum sit: & talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ à peccato originali & actuali immunis fuit.* Quæ quidem verba adeo sunt formalia & expressa, vt nullã omninò patiatur exceptionem, seu accommodatam explicationem. Eadem verba eundem Diuum Thomam scripsisse in expositione Salutationis Angelicæ quæ habentur opusculo 4. aduertunt plerique: ita enim multis in codicibus antiquis legebatur, vt affirmat Catherinus, in primo tract. de Concept. Virg. c. 6. pag. 61. §. quinto, nõ mouemur: vbi testatur Turrecrematam ausum non esse id inficiari. Sed ante Diuum Thomam pro nostra opinione refertur Albertus Magnus, in lib. de laudi. & præuileg. Virg. cap. 166. quem refert Canisius lib. 5. de Virgine Deipara cap. 27. pag. 1108. vbi docet, *solam Virginem ex* opi

Retentur valde verba Diui Thomæ quibus apertè fauet nostræ opinioni, ac dicit Virginem Sacram absq; peccato originali fuisse conceptam.

Quod etiã Albert. Magnus nostræ fauet.

spi à communi regula, quod omnes in Adamo peccauerint. Qua ratione dicendum est quod sententiam mutauit, quam probauit in 3. dist. 3. art. 4. & 5. vbi si non expresse affirmat Virginem peccatum originale contraxisse, saltim in id inclinari videtur. Præter supradictos, tenent etiã hanc nostram sententiam; Aureolus apud Capreolum in 3. sent. dist. 3. quæst. 1. art. 2. Et Ioan. Maior in 2. dist. 30. quæst. 4. & in 3. dist. 3. quæst. 2. art. 3. Et Gabriel ibidem, quæst. 1. art. 2. concl. vnica. Almaynus quæst. 1. Dionysius Cartusianus etiam quæst. 1. in fine. Thomas de Argentina quæst. 1. art. 1. Petrus de Aquila quæst. 1. Guillelmus de Rubion quæst. 1. artic. 2. concl. 5. Michael de Palacios in 3. dist. 3. disput. 1. & in declaratione de Concept. Virgin. & in proœmio 2. in Isaiam. Marsil. in 2. sentent. quæst. 20. & in 3. dist. 3. quæst. 4. artic. 1. concl. 1. Et Almainus lib. de potest. Eccles. cap. 16. Franciscus à Christo lib. 6. de Incarnatione quæst. 1. Ex Iunioribus autem Doctoribus Scholasticis tenent eandem nostram sententiam; Suarez 2. tomo ad tertiam partem disput. 3. sect. 5. Vazquez 2. tomo ad tertiam partem disp. 117. per totam. Salas 2. tomo ad primã secundæ D. Tho. quæst. 81. tract. 3. disput. 11. sect. 5. num. 68. Gregorius de Valentia in lib. de controuer. fidei in tract. de peccat. origin. cap. 3. pag. 785. & in 2. tomo ad D. Thom. disp. 6. quæst. 11. puncto 2. pag. 627. & 628. & latius 4. tomo disp. 2. quæst. 1. puncto 2. pag. 402. Henriquez lib. 2. de Missa, cap. 7. in Glossa littera S. & in tract. de fine hominis, cap. 10. littera B. & in textu & in Glossa. Azor lib. 4. instit. moral. cap. 34. quæst. 3. pag. 436. Aluarus Pisanus in proprio hac de re tractatu, & multi alij quos breuitatis gratia facio missos, & quia latius infra à nobis referendi sunt in subsequentibus quæstionibus, in proprijs clasibus, & iuxta proprios quos singuli profitentur ordines. Vt autem ad rem & probationes huius nostræ sententiæ & opinionis accedamus, vt singula singulis sibi inuicem correspondeant, eo modo quo supra præcedentem Diui Thomæ opinionem probauimus, argumento desumpto à Sacræ Scripturæ testimonijs, deinde à Concilijs, & Summorum Pontificum decretis atq; diffinitionibus, postea vero à multis sanctorum Patrũ auctoritatibus, ac tandem ex varijs atque diuersis rationibus, hunc etiã in præsenti opinione ordinẽ obseruabimus: modo sequẽti.

sententiæ, & mutauitquam tenuerat prius circa immunitatem Beatæ Virginis.

Argumenta opinione Scoti.

Primum arg.

1 Probatur primò sententia nostri subtilis Scoti, ex multiplicibus Scripturæ Sacræ auctoritatibus. Sed pro probatione suppono. Quod ad hoc propositum non est petendum aliquod Sacræ Scripturæ clarum, apertum atque euidens testimonium, quo expresse in literali sensu dicatur Sacram Virginem à peccati originalis labe præseruatam fuisse. Etenim si illud haberetur, iam hæc res non esset sub opinione, sed sententia necessario tenenda omninò vt de fide, tanquam & cæteri articuli fidei qui in Sacra Scriptura continentur: in quibus contrarium asserere, nedum esset temerarium aut erroneum, quin vero mani

Qualiter Scoti sent. comprobatur Sacra Scriptura auctoritatibus, nõ quidem in literali sensu, sed in spirituali sine mystico adducitur.

manifeste hæreticum: non igitur hoc est hac in re vllo modo quærendum, sed sat est adpræsens propositum quod hæc veritas ex aliquo Scripturæ loco, adducto in sensu spirituali siue mystico comprobari possit, & ex eo desumi aliquod efficax argumentum, quod licet non aperte conuincat sententiam prædictam vt rem fidei, vt congruam tamen rationi, deuotioni atque pietati, & communi modo loquendi Sacræ Scripturæ (maxime si eiusmodi locus ex communi à probatione, appropriatione siue explicatione Ecclesiæ, eidem Sacræ Virgini tribuatur, approprietur & accommodetur) id certe si inueniatur hac in re proculdubio multum faciet ad comprobandam atque corroborandam hanc nostram sententiam, de sacræ Virginis ab originalis peccati labe præseruatione. Quo præmisso atq; præsupposito (quod in argumento hoc habeatur loco maioris) nunc sic insurgo, & sit argumenti eiusdem minor. Sed sic est quod in sacra Pagina, non vnus solus aut alter reperitur locus: quinverò plures & innumeri, ex quibus (si non in sensu literali, in spirituali tamen siue mystico) haud quidem incongrue, quinverò congruentissime, colligi potest sacram prædictam Virginem in purissima sua Conceptione, puriorem atque splendidiorem fuisse ipso sole; & ab omni prorsus originalis peccati labe immunem atque præseruatam: ergo id ipsum tenendum est (si nó aperte vt de fide) saltim vt sententia vera, certa atque probabilis, ac deuotioni, pietati & Sacræ Scripturæ auctoritati quammaxime consona. Hoc certe pro hac parte efficacissimum est argumentum. Sacræ verò scripturæ testimonia quæ in id faciunt, quia plura ac fere innumera sunt, infra propria sua quæstione referenda & adducenda reseruantur, vt exactius explicentur, nedum omnia simul dicuntur, confundantur.

Secundum argumentum. Quod ad concedendũ B. Virgini illi suæ præseruationis priuilegiũ ab originali labe, non est amplius expostulandum quam ad concedẽdũ illi alia priuilegia quæ tanquam certa & indubitata te.

Secundò pro hac sententia sic argumentor, etiam ex Sacræ Scripturæ auctoritate: argumento desumpto (vt dicitur) à negatiua, quod nec modicam quidem vim habet. Et pro illius intelligentia suppono vt supra, quod ad concedendum Beatæ Virgini prædictum præseruationis priuilegium ab originali labe, non est expostulandum aut petendum aliquod expressum Sacræ Scripturæ testimonium, cum non id ipsum requiratur aut expostuletur, ad concedenda eidem alia priuilegia, quæ tanquam certa & indubitata tenet Ecclesia: sit exemplũ (verbi gratia) de sanctissimi sui corporis incorruptione, & Assumptione ad Cœlos simul in corpore & anima, & alijs de quibus etiam infra. Quo præmisso, argumentum potest formari in hunc modum, argumento desumpto à Sacræ Scripturæ auctoritate negatiua. Nam Sacra Scriptura, neque in particulari loquendo de Virgine sacra, nec in vniuersalibus loquutionibus, negat prædictum præseruationis priuilegium sacræ Virgini fuisse concessum: ergo ex hac parte non est magis illud sibi denegandum, quam alia priuilegia quæ ab Ecclesia sibi

conceduntur, cum in id non aliqua sit peculiaris ratio, sufficiensve fundamentum: quinverò in contrarium præstantissimæ atque vrgentissimæ rationes adducuntur ad illud asserendum. Consequentia legitima est. Antecedens vero quoad primam partem de se patet. Quoad secundam verò probatur. Nam quamvis Scriptura Sacra in suis vniuersalibus loquutionibus, dicat omnes ab Adam per carnalem propagationem & rationem seminalem descendentes, in eo atque cum eo simul peccasse: & dum concipiuntur siue nascuntur, originale ex eo peccatum contrahere: iam tamen Ecclesia in Concilio Tridentino Sessione 5. de peccat. origin. cap. vltimo, habet definitum atque determinatum in eiusmodi generalibus loquutionibus, haudquaquam comprehendi debere sacram Virginem, in id innouando constitutionem Sixti Quarti, asserentis & definientis, dicere Beatam Virginem sine peccato originali fuisse conceptam, non esse vllo modo contra fidem, & consequenter neque contra Sacram Scripturam. Ex quo manifeste constat, quod in generalibus sacræ scripturæ loquutionibus, non denegatur Beatæ Virgini prædictum suæ præseruationis priuilegium. Quod si id ita est, cur illud sibi magis erit denegandum, quam alia quæ sibi ab Ecclesia conceduntur priuilegia. Et vt magis hoc argumentum in suo puncto constituatur de nouo sic argumentor, & sit tertium argumentum in ordine.

net Ecclesiæ et est mysterium sua Assumptionis ad Cœlos in corpore simul & anima & alia.

Tertiò sic argumentor. Nam tam generales sunt loquutiones quæ in sacra Scriptura habentur de peccato actuali, quam quæ habētur de peccato originali. Dicitur enim 2. Paralipom. 6. *Non est homo qui non peccet*. Et prima Ioan. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est*. Item & Iacobi 3. *Quod in multis offendimus omnes*. Quæ loca intelligenda sunt ad minus de peccatis venialibus, id quod & definitum habetur in Concil. Mileuitano cap. 6. & Concilio Tridentino Sessione 6. can. 23. Sed eo nihilominus non obstante, vt in eodem Concilio Tridentino dicitur, prædicta sacra Virgo ex speciali Dei priuilegio excepta fuit ab actuali peccato, quia nullum actuale (etiam veniale) peccatum commisit: cur igitur & non similiter dicendum erit, quod ex eodem speciali Dei priuilegio, originale peccatum minime contraxit, quinverò ab eo fuit præseruata, non obstantibus supradictis loquutionibus generalibus, & sacræ Scripturæ vniuersalibus regulis, agentibus de peccato originali? Consequentia certe videtur legitima. Et quod in id ratio & congruentia sit præstantissima atque vrgentissima, exinde patet: quia originale peccatum grauius est quam actuale veniale (si quidem per originale incurritur pœna damni, & carentia diuinæ visionis, & filij iræ atque gehennæ in sacra Scriptura nuncupamur) quod quidem non fit per peccatum actuale veniale: si igitur concedendum est Beatam Virginem ab omni peccato actuali (etiam veniali) fuisse immunem: cur & non

Tertium argumentum.

Quod qua ratione B. Virgo excipitur à peccato actuali, ita etiam & excipi debet ab originali, quinverò & potiori iure.

non id ipsum dicemus de peccato originali, propter eandem, quinverò & maiorem rationem, cum iam ab Ecclesia ad hoc auctoritatem & facultatem habeamus, interpretandi atque declarādi sacram Scripturam, & loquutiones ipsius vniuersales, dicendo quod in his comprehendi non debet sacra Virgo? Certe hoc argumentum validissimum est.

Quartum argumentum. Quod B. Virginis immacula ta Coceptio approbatur etiā à Concilijs.

Quartò sic argumentor ad idem ex Concilijs, & primo ex determinatione Concilij Basiliensis Sessio. 36. vbi diffinitum habetur fuisse immaculatam sacræ Virginis Conceptionem: non quidem vt dogma fidei, sed tanquam res pietati atque deuotioni magis consona. Nā quamvis in contrarium dicatur à nonnullis, Conciliū illud non fuisse authenticum, aliaque de ipso ferantur (de quibus dicemus infra) negari tamen minime potest, quod eiusmodi diffinitio ad hoc præsens nostrum propositum, magni fuerit ponderis atque momenti, saltim veluti decretum tot grauissimorum atque doctissimorum hominum qui in illo Concilio interfuerunt. Sed Cōcilio prædicto prætermisso, veniamus ad Concilium Tridentinum, in dicta Sessione 5. ca. vltimo, vbi declarat non esse suæ intentionis, in eo decreto vbi de peccato originali agitur comprehendere Beatam & Immaculatam Virginem Mariam Deigenitricem, sed obseruandas esse constitutiones fœlicis recordationis Sixti Papæ IIII. sub pœnis in eisdem constitutionibus contentis, quas innouat. Quæ quidem verba (vt videtur) sic intelligēda, interpretanda atque explicanda sunt: vt idem sit omninò iudiciū de omnibus alijs Concilijs præcedentibus, nempe Arausicano, Mileuitano, & Florentino, quibus de eadē materia originalis peccati prædicti agitur: quæ supradicta Concilia sic esse intelligenda eadem Tridentina sacra Synodus interpretatur, dum dicit non suæ esse intentionis Virginem sacram in eo decreto de peccato originali comprehendere; quod & facere optima ratione potuit, cum eorundem Conciliorum omnium eadem omninò sit fides, & idem spiritus qui vtrobique fuit loquutus. Certum est enim quod Spiritus Sanctus non vllo modo esse sibi potuit contrarius, & quod in vno Concilio affirmauit, in alio nō negauit. Quod argumentum ex eo maiores sumit vires quia eiusmodi Concilia, non solum de Conceptione Beatæ Virginis, verum etiam & de ipsius natiuitate loquuntur, vt constat ex Concilio Mileuitano cap. 2. & 4. Qua quidem ratione supradicta expositio & declatio præcise fuisse videtur necessaria: & quod id quod dicitur de Beatæ Virginis natiuitate ibidem, dicendū pariformiter sit de immaculata eiusdem Conceptione.

Quintum argumentum. Quo probatur sacra Virginis

Quintò argumentor ad idem, ex Ecclesiæ auctoritate, ac totius fere Christiani populi vniuersali consensu, quod etiam hac in re efficacissimum est argumentum. In quo quam magni est ponderis, & quāmaxima consideratione dignū, quod antiqui olim Sancti Patres

non ita multa sed pauca fuerunt loquuti de prædicto speciali præseruationis priuilegio, Virginis à supradicta peccati originalis labe. Cuius quidem rei ratio & causa fuit, quia Ecclesia nostra sancta (vt habetur Cantic. 6.) quasi aurora cōsurgens in mysteriorũ cœlestium notitia paulatim semper creuit, atq; (vt dicitur) procedit in dies à minori ad maiorē eorūdē cognitionē: ex eo quod (vt inqnit D. Greg. hom. 26. in Ezechiel.) eiusdem sponsus Spiritus Sanctus, non simul, sed paulatim fidei mysteria quæ ad salutem erāt necessaria illam edocuit, & quia alijs grauioribus & magis necessarijs, explicandis & defendendis intenta, de his quæ non ita ad salutem necessum erat explicite credi, haudquaquam multum curauit. At verò postquam veritas hæc de Virginis præseruatione à quingentis & amplius annis in lucem prodire cœpit, ac clarius edoceri: ita fidelium omnium animis insedit, & totius Ecclesiæ communi consensu recepta est: vt quasi miraculum (nec immerito) habeatur in quem hucusque peruenerit finem: præsertim ab hinc ducentis annis, ex quo tempore omnes fere sancti atq; Doctores Scholastici, omnes Episcopi, Scriptores omnes, vniuersæ Religiones, Vniuersitates, Academiæ, ita in altissimi huius mysterij defensionem conspirarunt, illique subscripserunt: vt iam toto terrarũ orbe nulla fere sit Academia: in qua cuipiam ad Theologiæ Doctoratus gradum pateat aditus, qui non prius se iuramento astrinxerit, & (vt dicitur) solemni voto repromiserit, veritatē hanc semper se defensurum, & eam nunquam oppugnaturum. Certe negari nullo modo potest, quod communis hic totius Ecclesiæ consensus, de amplectendo, tuendo atque defendendo prædicto sacræ Virginis priuilegio, & exemptione ab omni prorsus originali labe: hac in re (non quidem minimum) quinverò quammaximum, & efficacissimum est veritatis huius argumentum. Eo vel maxime cum haudquaquam verosimile sit permissurum vnquam Spiritum Sanctum, vniuersalem Ecclesiam suam sanctam, in re tanti ponderis ac momenti ita grauiter errare. Non id certe, quinverò potius credendum est, ex ipsius impulsu atque inspiratione processisse & emanasse, communem prædictum fidelium omnium vniuersalem consensum, pijssimumque in sacram Virginem, & Immaculatam ipsius Conceptionem affectum. His omnibus etiam accedit, sacrum Conceptionis eiusdem festũ, quod quot annis de hoc altissimo mysterio ab Ecclesia celebratur: qui quidem mos (vt refert Galatinus lib. 7. de mysterijs fidei cap. 4.) in Ecclesia Græca, ante mille annos ortus est. Item & religio sacra adeò celebris & illustris in honorem Immaculatæ Virginis Conceptionis instituta. Quibus de rebus cum multo plura forent dicenda, congruentiori loco reseruantur, in propria quæstione quæ hac de re facienda est. Hæc pro nunc in compendio dixisse sufficiat, vt deseruiant ad construendum

à peccato originali immunitas, ex Ecclesiæ auctoritate, ac totius fere Christiani populi vniuersa li consensu.

dum in huius opinionis defensionem, peculiare atque efficacissimũ quoddam argumentum.

Sextum argumentum.

Argumentor ad idẽ ex quã pluribus Sanctorum Patrũ auctoritatibus.

Sextò etiam argumẽtari potest, ad prædictam opinionem comprobandam & corroborandam, ex multiplicibus Sanctorum Patrum auctoritatibus: quorum testimonia (vt ne dum simul referuntur, confundantur) in varios gradus siue ordines distinguẽda duximus: quorum primus continet illas Sanctorum Patrum auctoritates, qui de sacra Virgine absolute & generaliter loquentes, constantissime asserunt eam ab omni culpa prorsus fuisse immunem ac liberam. Secundus verò illas, quæ in specie de Virgine & præseruatione ipsius à prædicto peccato originali loquuntur. Tertius autem continebit testimonia, quibus à sanctis Patribus prædicta sacra Virgo Immaculata, incontaminata, ac purior Angelis dicitur. Ac tandem vltimo, illa quibus ijdem sancti Patres, constantissime etiam affirmant, omnia gratiæ priuilegia atque beneficia quæ alijs sanctis collata referuntur, perfectiori modo sacræ Virgini esse tribuenda & concedẽda, ac per ipsam destructum esse originale peccatum, & omne dæmonis imperium. Ex dictis auctoritatibus, non inefficax: quin verò efficacissimum conflari etiam potest argumentum, ad prædictam Scoti sententiam & opinionem comprobandam, simulque corroborandam. Sed vt ne ista quæstio plus nimio protrahatur, consulto supradicta omnia (quemadmodum & præcedentia) adducenda reseruantur in propria quæstione quæ etiam ea de re fiet: vbi simul explicabuntur & ponderabuntur, prædictorum sanctorum Patrum testimonia prædicta. Liquidum vt fiat quid eorum quilibet hac in re senserit, & vt aperte appareat quàm falso multa ex eiusmodi testimonijs, ab aduersarijs pro alia in contrarium parte adducantur.

Septimum argumentum.

Desſumitũ ex ipsa rei decentia & congruẽtia.

Septimò pro eadem sententia argumentari potest. & probari id quod prædictum est, ex ipsa decentia & congruentia: & ex eo quod fecisse diuinam bonitatem expediebat. Vt enim inquit D. Augustinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 5. *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, id scias semper fecisse Deum.* Quod tunc vel maxime verum habet, quando contrarium aliquo modo est incongruum, & Dei sapientiam, bonitatem atque prouidentiam minime condecens: sed congruum nullo modo fuit, neque Dei sapientiam, bonitatem, & prouidentiam condecens, quod Virgo sacra originali inficeretur labe: quinverò ex eo multa ac fere innumera sequi videntur inconuenientia: ergo id nullatenus erit dicendũ, aut de Deo credendũ. Consequentia cũ maiori est legitima, minorẽ autẽ sic probo. Et primo ex parte Christi veri filij Dei & hominis, qui prædictam sacram Virginem in suam elegit Matrem. Haud enim decuit totius puritatis & sanctitatis amatorem, in matrẽ sibi elegisse eam quæ non omninò esset pura, sancta

atque

atque ab omni prorsus peccato, tam originali quàm actuali immunis, aliena & libera. In cuius rei confirmationem quammaxime facit id quod dicit D. Thom. 3. parte quaest. 27. art. 4. ad probandum in Beata Virgine nullum omninò fuisse actuale peccatum: quia (inquit) illud si habuisset haudquaquam fuisset congrua Christi mater. Pro quo adducit illud Diui Pauli 2. Corinth. 6. *Quae conuentio Christi ad Belial lucis ad tenebras?* Item & illud Sapient. 1. *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Cum igitur originale peccatum, maior quidem macula sit quam actuale (quia magis facit illud habentem filium daemonis) satis aperte colligitur, quod si sacra Virgo de mente Diui Thomae nullum omninò habere debuit actuale peccatum, vt congrua & digna esset Mater Christi: multo ergo minus habere debuit originale. Quae incongruentia etiam confirmatur ex parte eiusdem Christi: nam certe nullus omninò est vir nobilis, qui honoris sui curam habeat, & si in sua positum fuisset potestate matrem eligere, non illam (si posset) totius mundi nobiliorem & genere & virtutibus splendidiorem delegisset? Cum igitur Christus Dominus suã elegerit matrem, potueritque illam ab omni prorsus peccato, tam actuali quam originali, liberam atque immunem eligere: congruum haudquaquam fuisse videtur rationi, quod eam elegerit originali labe infectam. Dices forte hoc verum habere, & argumentum recte probare, perfectionem quam expediens fuit sacram Virginem habuisse, eo tempore quo concepit Filium, Christum scilicet Dominum & saluatorem nostrum: nam conueniens fuit vt eo tempore ab omni esset prorsus peccato libera & omninò pura; sed hoc non obstat quo minus peccatum contraxerit originale, postquam ab eo postea fuit sanctificata & mundata, & illud non habuit tempore quo Christum Dominum concepit. Sed haec solutio nulla est, & si id esset verum haudquaquam etiam ex supradicto principio recte posset probari (vt illud probat Diuus Thomas loco vbi supra) sacram Virginem toto tempore vitae suae ante filij conceptionem ab omni actuali peccato (etiam veniali) fuisse liberam, & ab omni concupiscentiae motu; habuisseque alia gratiae priuilegia quae sibi eam ob causam conceduntur, vt scilicet Christi Domini esset congrua digna mater. Dicendum est igitur, ad dignitatem Christi Filij Dei & hominis pertinuisse, vt sacra Virgo omninò esset purissima & sanctissima, & ab omni prorsus peccato libera, non solum pro eo tempore quo suum concepit Filium, sed simpliciter toto tempore vitae suae, & à primo suae conceptionis instanti; & quod diuina prouidentia & sapientia, talem sibi delegisset Matrem, qualem eam esse conueniebat, nempe omni ex parte, & pro omi tempore (etiam à primo suae conceptionis instanti) purissimam, sanctissimam, & ab omni prorsus peccato liberam & immunem.

Nota val'è hoc argumentum, quo arguitur à peccato actuali ad originale; nam est fortissimum.

Nota hanc solutioni & multomagis replicã inferius positam, satis cõcludentem.

Probatur secundo eadẽ minor, etiam ex decentia & congruentia

ex parte Matris,& ex similitudine quam eam habere oportuit cum filio omnibus in rebus,in moribus & dotibus corporis & animæ,ac deniquc in omni puritate,gratia,& sanctitate: & consequenter decuisse ipsam fuisse prorsus liberam à contractione originalis peccati. Pro cuius rei probatione suppono ex Diuo Dyonisio de Ecclesiast. Hierar. cap.2. *Quod peccatum originale est habitus dissimilitudinis ad Deum homini ingenitus ex primi nostri parentis peccato, quem quidem habitum per Baptismum expelli dicit, & per gratia infusionem quæ hominem facit Deo similem.* Ex quo sic colligo argumentum: originale peccatum (vt præmissum est) est habitus dissimilitudinis ad Deum:ergo non fuit expediens,quinverò potius incongruum omninò fuit, illud habuisse sacram Virginem, quam alias oportuit omnibus in rebus Deo Filio suo similimam fuisse. Quammaxime enim decuit,vt Mater & Filius,in carentia originalis peccati omninò essent similes,quamvis non æquales: vt & ad impleri illud possit, quod habetur Genes.2. *Non est bonum hominem esse solum,faciamus ei adiutorium simile sibi.* Hoc argumento & simili coniectura,vtitur Diuus Augustinus lib.de Assump. Virgin.cap.5. ad probandum carnem Virginis non vidisse corruptionem:quia neque illam vidit caro Christi. Sed dices rectè hoc argumentum procedere,præcise considerata decentia & congruentia, tam ex parte Christi Domini, quàm ex parte suæ sanctissimæ Matris, si aliunde non obstaret eiusmodi præseruationis priuilegium ab originali labe,esse cõtra dignitatem eiusdem Christi,& suæ vniuersalis Redemptionis. Sed quia hac de re adductum est argumentum supra,pro opinione Diui Thomæ,in his modo immorari non libet: nam & eiusdem solutio patebit ibidem. Solummodo dico breuiter, eiusmodi præseruationis priuilegium sacræ Virgini concessum,haudquaquam vergere,siue redundare in iniuriam Christi Domini:quinverò cedere in quammaximam ipsius gloriã, & illius dignitatẽ quã vniuersalis omniũ est Redemptor, nõn parũ illustrare& augere,cum non minor sit virtus,quinverò maior,quempiam præuenire,ne cadat, quam eundem post lapsum erigere:id enim certe cæteris paribus maiorem efficatiam, & potestatem declarat,& nobilior multo est redimendi modus, vt amplius patebit ex dicendis ad supradictum argumentum Diui Thomæ.

Nota valde hanc probationem & quid sit originale peccatum ex mente D. Dyonisij.

Nota hoc argumentum, quod quidem de mẽte D. August. esse videtur fortißimum.

Octauum argumentum. Vnde nam sumenda sit mensura priuilegiorum Virginis.

Octauò argumentor ad idem. Et pro argumenti intelligẽtia suppono, quod mensura priuilegiorũ Beatæ Virginis desumenda est ex parte potentiæ Dei & suæ bonitatis,vt satis colligitur ex verbis eiusdem Lucæ 1.quando dixit. *Quia fecit mihi magna qui potens est,& sanctum nomen eius.* Quæ quidem potentia & bonitas (vt canit Ecclesia) quãvis parcendo maxime, & miserando manifestetur, singulari modo & speciali quadam ratione oportuit, vt manifestaretur in sacra Virgine & Dei Matre. Quo præmiso sic argumentor, & quæro an Deus Optimus Maximus communicare potuerit sacræ Virgini hoc priuilegiũ

vt

vt sine omni prorsus labe originali conciperetur, vel non? Hoc vltimum non dices, cum vergat in iniuriã (haud quidem minimam) sed quammaximam infinitæ suæ omnipotentiæ, & bonitatis. Si verò dicas quod sic: ergo & de facto Deus id ipsum fecit: cum aliàs non bene consultũ videretur sanctissimæ suæ Matris dignitati & honori, quinverò & ipsius Christi: & contrarium dicere, vergeret certe in opprobrium & iniuriam vtriusque, quod sacra Virgo vel pro minimo temporis instanti actu fuerit peccatrix, Dei inimica, filia iræ, & redacta sub diaboli potestate: & quod Christus ipse, Filius fuisset talis Matris: quæ supradicta omnia, piæ certe aures audire exhorrent. Facit & ad id quod dicit Salomon Prouerb. 17. *Quod gloria filiorum, patres eorum.* Et Eccles. 3. inquit. *Quod hominis gloria ex honore patris sui, & dedecus filij pater sine honore.* Hoc certe argumentum desumptum ex omnipotentia Dei, adiuncta eiusdem bonitate, quammaximum atque efficacissimũ est, & eo vsus est Diuus Augustinus serm. quodam de Assumptione Virginis, ad probandum ipsiuscorpus nõ esse redactum in puluerem, iuxta communem legem statutam homini statim post peccatum. Genes. 6. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Et formatur argumentum in hunc modum. Filius potuit præseruare Matrem suam à corporis corruptione, eamque statim post mortem resurrectionis dotibus donare: ergo & fecit. Consequentia tenet, quia ad dignitatem Filij spectat Matris honorem curare: & certum est quod putredo & vermes, quammaximum opprobrium sunt humanæ naturæ. Si igitur hæc est vis argumentationis Diui Augustini, quanto ergo melius atque fortius ex eodem principio argumentari & nos possumus ab omnipotentia Dei ad incorruptionem animæ sanctissimæ Virginis per originale peccatum, cum eiusmodi corruptio longe maior, & magis detestanda sit, maiusque opprobrium? Et si Ecclesia propter hanc rationem, & Diui Augustini argumentationem, tenet & celebrat sanctissimæ Virginis Assumptionem, & præseruatam eandem fuisse ab omni prorsus corporis corruptione: cur & nos ipsius vestigia sequentes, non etiam cõstanter tenebimus, præseruatam fuisse à corruptione animæ per originale peccatum? Hoc certe argumentum fortissimum est.

Nota hoc argumentũ, quo etiam vsus est D. August. ad probandũ Virginem sacram liberam fuisse à sui sacri corporis corruptione.

Nonò sic argumentor ad idem, ex peccato actuali ad originale. Certissimum enim est quod Beata Virgo nullum omninò vnquam commisit actuale peccatum, nec mortale neque verò veniale, vt satis constat ex Concilio Tridentino Sessione 6. can. 23. ergo neque contraxit peccatum originale. Consequentia inde patet, quia vt inquit Diuus Augustinus lib. 5. contra Iulian. cap. 9. *In quocunque homine aliquando fuit peccatum originale, temporis accessu, & superueniente maiori ætate fuit etiam actuale.* Hoc adeo sibi persuasum habuit Diuus Augustinus, vt concedat ibidem Iuliano Pelagiano, quod si Christus Dominus tẽpore suæ Conceptionis, & cum fuit paruulus peccatum habuisset ori-

Nonum argumentum. Desumptũ iterum ab actuali peccato, ad originale, sed alia via.

ginale, grandior factus commisisset actuale. Vnde & existimauit hanc collectionem esse bonam à negatione consequentis: Christus nullum commisit peccatum actuale: ergo neque contraxit originale. Ad eundem ergo modum & nos argumentari possumus de sacra Virgine, quamvis id ipsum ex diuerso processerit principio. Nam Christus Dominus ex eo nullum omninò habuit peccatũ originale, nec verò debitum contrahendi illud: quia non est conceptus ex aliquo virili semine, sed virtute & operatione Spiritus Sancti: at verò in sacra Virgine, quod prædictum non contraxerit peccatum originale aliunde prouenit: non quidem ex eo quod virili semine non fuerit concepta (vt perperam quidam dixerunt) sed ex speciali Dei priuilegio, atque ex sua bonitate & benignitate nimia, illam ab eo præseruante. Itaq; optima est supradicta consequentia, & omnia quæ adducit D. Thom. 3. parte quæst. 27. art. 4. ad probandum sacram Virginem nullum omninò commisisse peccatum actuale, nec mortale nec veniale: æque bene, quinverò & à fortiori ratione, valent ad probandum eandem, nec etiam contraxisse peccatum originale. Quod suos sequaces & asseclas vellem perpendere atque considerare. Et vt id clare & aperte videatur eiusdem Diui Thomæ rationes in medium libet proponere. Harum prima est desumpta ex Diuo Augustino lib. de natura & gratia cap. 16. tomo 7. vbi ait *De Sancta Virgine Maria propter honorem Christi, nullam prorsus cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem: inde enim scimus: quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Secunda verò eiusdem ratio est, quia Deus illos quos eligit ad aliquid, ita eos præparat atque disponit, vt ad id ad quod eliguntur inueniantur idonei: iuxta illud quod habetur 2. Corinth. 3. *Idoneos nos fecit ministros noui Testamenti.* Ex quo colligit Diuus Thomas, quod cum Beata Virgo diuinitus fuerit electa vt esset Dei Mater, dubitandũ non est, quod Deus per suam gratiam eam ad hoc redid erit idoneam: iuxta id quod dixit Angelus ad eam *Inuenisti gratiam apud Deum, ecce concipies & paries filium, &c.* & addit quod non fuisset idonea Dei Mater, si aliquando actualiter peccasset. Quod probat multiplici ex capite. Primo quia honor parentum redundat in prolem: iuxta id quod habetur Prouer. 17. *Gloria filiorum patres eorum:* & per oppositum Matris etiam ignominia, in suum redundasset filium. Secundò ex affinitate quam habuit Mater ad Christum, qui ab ea carnem accepit, vt dicitur 2. Corinth. 6. *quæ conuentio Christi ad Belial.* Ac tandem tertiò probat id ipsum quia Christus Dei Filius qui est ipsius sapientia & virtus, singulari modo habitauit in Virgine, non solum in anima, verum etiam in vtero. Dicitur autem Sapientiæ 1. *Quod in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Ex dictis omnibus colligit prædictus Diuus Thomas, simpliciter esse fatendum, quod B. Virgo nullum vnquam

Nota rationes D. Tho. ad probandũ B. Virginem nullum omninò commisisse peccatum actuale, mortale, neq; veniale, æque bene concludere, quod neque habuit originale.

vnquàm actuale peccatum commisit, nec mortale nec veniale: vt sic adimpleretur in ea id quod dicitur Cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Propter has rationes Diui Thomæ sentiunt omnes communiter Scholastici Doct. Beatam Virginem nullum commisisse actuale peccatum, excepto vno Gregorio Ariminensi, qui in 2. sent. dist. 30. quæst. 2. temere dubitat, an Beata Virgo commisserit veniale, ne iuxta consequentiam D. Augustin. superius adductam, fateri cogeretur illam non contraxisse peccatum originale. Ex dictis ergo omnibus sic ego colligo argumentum contra Diuum Thomã & omnes sequaces. Omnes supradictæ rationes æque militant ad excludendum peccatum originale, sicut & actuale: sed per illa (vt tenent Thomistæ & est communis opinio: quinverò & sententia de fide tenenda) non habuit vllum peccatum actuale: ergo nec originale. Consequentia est legitima. Antecedens verò multipliciter probatur. Primò, quia peccatum originale, licet minus habeat de ratione peccati, quã actuale (etiam veniale) quia minus habet de ratione voluntarij: nihilominus tamẽ hoc habet maius quod excludit gratiam, separatque à Deo & constituit hominem Dei inimicum & redigit ipsum sub diaboli potestate, quod non facit peccatum veniale. Secũdò probatur id ipsum, quia peccatum originale inficit naturam, & quodammodo redundat in corpus: non sic autem veniale. Et certum est quod peccatum quod inficit naturam, & redundat in corpus, magis dedecebat sacram Virginem ex qua Filius Dei erat assumpturus humanam carnem, quam peccatum veniale quod id ipsum non facit, sed tantummodo diminuit aliquantulum feruorem charitatis. Hoc certe argumentum etiã fortissimum est.

Nota qualiter Gregorius de Arimino, prædicti argumẽtum reformidando, à Diui Thom. & communi omnium sententia recesit.

Decimò argumentor ad idem, ex aliis muneribus collatis à Deo Beatæ Virgini. Dat enim Deus vnicuique gratiam & alia munera, eo tempore, modo & perfectione quo secundum rectam atque prudentem rationem, expedire videtur fini, dignitati & officio, in quo illum constituit: sed prima dignitas (& maior quæ excogitari potest) est sacram Virginem fuisse Matrem Dei, cui titulo debetur maximus amor, honor, & reuerentia, cum qua & singulari modo coniuncta est alia, quæ est cooperari redemptionis fini, cui nihil magis contrarium videtur esse quam peccatum: dicendum igitur est, quod ipsam ab omni peccato, tam originali quàm actuali præseruauit: nam & contrariũ facere, intellectus non capit, qualiter potuerit congruere rectæ rationi & prudenti Dei Optimi nostri Maximi dispositioni, & gubernationi.

Decimum argumentum. Desumptũ ex dignitate sacræ Virginis, & alijs muneribus à Deo sibi collatis.

Vndecimo sic argumentor ad idem. Quia nullum gratiæ priuilegium puræ alicui creaturæ concessum, sacræ Virgini videtur denegandum: sed Adamo primo nostro parenti, & Euæ, hoc est collatum beneficium quod in gratia fuerint creati, similiter & Angelis, atque in perfecta-

Vndecimũ argumentum. Quo probatur nõ debuisse sa

tra Virginine negari concep tam in gratia fuisse, postquā id Adamo & Eua & Angelis in sua prima conditione fuit concessum.

perfecta innocientia excludente omnem culpam: ergo id ipsum sacrȩ Virgini nullo modo fuit denegandum. Haud enim decebat Dominā inferiorem esse seruis in perpetua sanctitate, vitæ innocentiæ & puritate. Hoc etiam argumentum est valde efficax, nec obstat quod eiusmodi gratia à peccato contrahendo præseruans, in indiuiduo & vt talis est gratia, neque Angelis nec verò primis nostris parentibus fuit concessa: cum sacra Virgo eo quam maxime indiguerit benefitio, & nec mirum quod aliquid maius Matri, quā seruis etiam Angelis fuerit tributum atque donatum.

Duodecimū argumentum. Adductū ādispensatione in alijs legibus cū Virgine sacra, vnde nec mirū quod dispensatum etiā fuerit cum ea in contractione originalis peccati.

Duodecimo etiam sic argumentor ad idem. Nam Christus Dominus cum sanctissima sua Matre in multis alijs legibus dispensauit, & exempta fuit à quā pluribus humanæ naturæ legibus, quibus subiecta esse poterat absque peccato. Concepit enim non ex aliquo virili semine, sed de Spiritu Sancto: & cum esset Virgo sine dolore peperit: eiusque corpus post mortem corruptioni non fuit subiectum, contra communem legem, Genes. 3. vbi dictum est Euæ: *Multiplicabo ærumnas tuas, & concept us tuos, in dolore paries filios, &c.* Et infra, *puluis es & in puluerem reuerteris.* Sed multo maior fuit causa dispensandi cum ea, in lege quapropter originale peccatum omnes nascimur filij iræ & mortis: dicendum ergo est quod de facto id ipsum fecit: cum non Deus minus fuerit potens ad dispēsandum in illa lege, quam in cæteris, & dispensandi causa fuerit omninò maior, & pertinens necdum ad honorem Matris, verum etiam & ipsius filij. Nec dicere obstat quod eiusmodi dispensatio sit singularis & inaudita, quandoquidem & causa fuit etiam singularis & vnica, & temporē partus caruisse dolore, resurrexisse ad perpetuam corporis gloriam statim post mortem, nullū in omni vita sua sensisse inordinatum motum fomitis: propria etiam & singularia Virginis sunt priuilegia, vt tradit Diuus Bernardus epist. 174. Ex quibus omnibus rectè concluditur, gratiæ mysteria quæ Deus Optimus Maximus operatus est in Virgine, non quidem ordinarijs legibus esse metienda, sed extraordinarijs, & respectu habito ad diuinam suam omnipotentiam, supposita rei decentia & congruentia, & nulla existente Scripturæ sacræ repugnantia, siue contradictione.

Decimumtertiūm argum. Adductum ex comparatione originalis peccati, ad corporis corruptionem, & alios defectus quos Virgo sacra nō habuit.

Decimotertio sic argumentor. Nam sicut originale peccatum est malus maium quam carnis corruptio, & alij omnes defectus corporis: ita & ab eodem præseruatio fuit maius bonum, magisque necessarium, & sacram Virginem & Dei Matrem magis condecens: si igitur alia minoris momenti bona, Christus Dominus sanctissimæ suæ Matri concesit, cur & hoc eidem denegaret, cum sit maius, magisque necessarium, & vtrique tam Matri quàm Filio adeo condecens? Hoc certe argumentum magni momenti est, Et si Diuus Augustinus lib. de Assumpt. capit. 4. & 10. vt eādem sacram Virginem à corruptione corporis liberaret, ideò dixit se ratione cogi, vt quamuis auctorita-

tem

tem non haberet, ob solam rationum vim haudquaquam posset sentire ipsius carnem vermibus & corruptioni fuisse traditam: si Doct. Sancti & Catholici qui de perpetua sanctæ Virginis Virginitate loquuntur, prudenter satis atque catholice dicunt, quod quamvis ad id asseuerandum, nulla omnino esset auctoritas, rationibus ipsis superque satis in id ipsum deberemus conuinci: cur non & nos simili ratione conuicti, constantissime affirmabimus Virginem sacram ab omni prorsus originalis peccati labe fuisse immunem, & ex speciali priuilegio à Deo præseruatam, vt non per aliquod corporis instans dicere cogamur dæmoni fuisse subiectam, & originali labe ac fęce maculatam? Hoc quidem argumentum & ex eo maiores sumit vires: nam si Beatæ Virgini daretur optio, quodnam vellet potius, originali culpa à principio caruisse, an corpus suum post morte illęsum seruari: omni proculdubio illud primum eligeret, vt recte tradit noster Corduua lib. 1. sui Quæstionarij quæst. 49. in fine: vbi ait, potius illam debuisse eligere originali peccato carere, quam esse Dei Matrem. Nam si præci se comparetur, magis est detestanda culpa (maxime si ea sit mortalis) quam quodlibet aliud malum seu carentia cuiuscunque boni, non igitur existimandum est, sapientissimum atque prudentissimum Deum, Virginis eiusdem Filium, Matrem sacratissimam suam, prudentissime & consultissime ab alijs minoris momenti malis liberasse, & non eam ab hoc adeò graui de originalis peccati cōtractione præseruasse, cũ in id stetissent tot ac tantæ congruentissimæ rationes.

Decimoquarto ad idem sic argumentor. Nam perfectissimus Redemptor, perfectissimum aliquem habere debuit redimendi modum, illumque exercere in persona sibi coniunctissima atque deditissima, si ea eiusmodi redemptione indiget: sed Christus Dominus fuit perfectissimus Redemptor, & perfectissimus redimendi modus est, quempiam à peccato liberare antequam illud incurrat (quod vere est à peccato præseruare) & Beatissima Virgo (sibi coniunctissima atque deditissima) pro eo quod ab Adamo primo nostro parente per carnalē propagationem & seminalem rationem descendebat, eiusmodi redemptione indigebat, vt à peccato originali prædicto præseruaretur: dicendum igitur est, quod in eadem perfectissimum prædictum redimendi modum Christus Dominus exercuit, atque ita de facto illam à peccato originali præseruauit. *Decimumquartum argum. Quo Virginis immunitas consideratur probari ex perfectissimo suæ redemptionis modo.*

Quintodecimo ad idem sic argumentor, de mente & sententia Diui Anselmi lib. de Conceptu Virginali, asserentis, decuisse Virginē ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi: sed maior puritas post filium excogitari potest, quam puritas sanctificationis in vtero, nempe puritas præseruationis ab omni prorsus originali peccato: ergo ea puritate sacram Virginem decuit nitere, & consequenter data est sibi à Filio, id cum facere optime potuerit, & in id ipsum tot *Quintumdecimum argum. Desumptum à puritate, qua sacra Virgo de mente & sententia D. Anselmi debuit nitere.*

neum? Ratio quidem hæc fortissima est, & quæ intellectũ quemlibet, non quidem praua sed pia deuotione affectum, facile potest conuincere.

Decimo octauo & vltimo ad idem sic argumentor. Et meo quidem videri, est ratio non minoris ponderis ac momenti quam præcedentes: nam cum aliqua quæstio dubia est, & circa illam inter Doctores est differentia & controuersia, iuxta prudens iudicium parti illi adhærere par est, cui magis fauet Ecclesia sancta Dei, quæ est mater nostra: sed sancta Romana Ecclesia (vt ex quampluribus rebus constat) magis fauet sententiæ & opinioni, quæ asserit sacram Virginem ab omni prorsus originalis peccati labe, immunem atque præseruatam fuisse, quam contrariæ: postquam de hoc altissimo mysterio festum solemne celebrat, atque pro solemniori eiusdem celebratione fideles cunctos in id ipsum inducendo & inuitando, amplissimas indulgentias concedit: item & facultatem præbet hac in re sacras Scripturas interpretandi, & dicendi vt taliter intelligantur, quod non obstet puritati & sanctitati sanctissimæ Virginis: ergo saltem in iudicio ferendo, huic sententiæ & opinioni, vt magis piæ, probabili ac magis rationi conformi (non verò alteri) fideles omnes inclinari debent: præsertim cũ de Virgine sacra eam habere oporteat existimationẽ, vt haudquaquam de ipsa credant, nisi id quod optimum atque præstantissimum est, & vnusquisque erga eam ita esse debeat bene animatus & affectus, vt si in ipsius fuisset positum potestate & arbitrio, prædictam gratiam & priuilegium illi concedere, dubitare minime conueniat. Hæc sunt fortissima quæque argumenta, quæ pro prædicta Scoti sententia adducuntur à Doctoribus omnibus Scholasticis quos viderim, quæ & adeo (meo quidem videri) vrgent, vt non possim non pro eadem sententiam ferre. Et sequentem conclusionem statuere.

Decimum octauum argumẽ: Desumptũ ab vrbanitate, atque ex eo quod in rebus dubijs, tutior pars est eligenda, & ea cui magis fauet Ecclesia.

Prima Conclusio.

SENTENTIA Scoti longe probabilior est, quam sententia D. Thomæ, & pietati ac rationi magis conformis, magisque condecens excellentiam atque sanctitatem sanctissimæ Virginis: iuxta quã dicendum est, eandem originale peccatum haudquaquam contraxisse, quinverò ab eo diuinitus præseruatam fuisse, & in ipso primo suæ Conceptionis instanti per gratiam sanctificatam. Hanc sententiam tenent omnes Doctores superius commemorati, & plures alij innumeri de quibus specialem mentionem faciemus infra. Cuius veritas superque satis manet probata ex supra adductis rationibus, & probabitur alijs innumeris quæ paulatim adducentur infra, in omnibus subsequentibus quæstionibus: vbi monstrabimus eam non vllo modo contrariam esse sacræ Scripturæ testimonijs, quinverò ipsis atque

Sententia Scoti longe probabilior est quã sententia Diui Thomæ, & pietati & rationi magis cõformis: iuxta quam dicendũ est, Virginẽ facto à peccato originali praeseruatam fuisse.

Concilijs,& Summorum Pontificum decretis,necnon & Sanctorum Patrum auctoritatibus nimium conformem Sed quia in huius quæstionis principio quæsitum est, non solum an prædicta sanctissima Deipara Virgo,ab originalis peccati macula & labe de facto fuerit Immunis & præseruata:verum etiam & quo pacto,siue qualiter id ipsum effici p tuerit:pro eiusmodi difficultatis resolutione, secundam sequentem statuo conclusionem.

Secunda Conclusio.

Supradictæ præseruationis Virginis à peccato originali duplex constituitur modus à Doct. & vterque quammaxime notatu dignus.

MODVS quo prædicta sanctissima Virgo ab originali peccato fuit præseruata,dupliciter excogitatur à Doct. Primus est sequendo sententiam & opinionem Catherini, eximentis eam tam à pacto inter Deum & Adamum inito, seu verò à communi lege ipsi, suisque posteris imposita. Secundus verò,sequendo communiorem dicendi modum: ita quod in prædicto pacto & communi lege fuerit comprehensa, & exinde originaliter peccandi contraxerit debitum: à cuius postea originalis peccati cõtractione, ex singulari priuilegio fuit diuinitus præseruata,per gratiam in primo suæ conceptionis instanti sibi collatam, quæ quodammodo præuenit culpam, & impediuit prædictæ originalis maculæ resultantiam, hæc breuiter atque in compendio dicta sint.

Primus modus.

Sed vt amplius explicentur, & veritas hæc plenius elucescat,ex his quæ supra quæst.1.4.11.& 12.diximus,oportet in memoriam recolere, quod ad hoc vt Adami posteri in eo peccasse dicantur, & ex illo dum concipiuntur originale peccatum cõtraxisse, non quidem sat fuit vt in illo omnes continerentur, tanquam in quodam vniuersali & generali totius humanæ naturæ principio, siue capite inesse naturæ:nam hæc sola relatio per se sumpta,non sat est vt peccatum aliquod Patris deriuetur ad Filium, neque vt filius in suo parente peccare dicatur:sed insuper necessum fuit,vt Deus aliquo speciali suo pacto siue lege, Adamum primum nostrum parentem, suorum etiam omnium posterorum caput inesse morali constitueret, & suas voluntates in eiusdem voluntate poneret, ad bonum & ad malum;ita vt si impositum sibi præceptum seruaret, illud seruare censeretur omnium nomine.Si verò illud transgrederetur,eiusmodi transgresio, omnibus etiam suis posteris imputaretur, seu (vt rectius loquar) omnium ipsorum esset propria, per voluntatem suam virtualé, seu habitualem in eadem Adami voluntate existentem. Hac de re multa diximus supra.Quo supposito,dicit Catherinus,considerando Beatam Virginem in innocentiæ statu quo fuit nobiscum in lumbis Adami ante peccatum,eam pro illo instanti quo concepta fuit,originalem maculam non contraxisse, quia pro illo statu exempta fuit à Deo vt ne in Adamo peccaret,& quamvis fuerit in eo in quantum to-

Nota hoc valde pro intelligentia huius sententiæ, & opinionis.

tius

tius humanæ naturę fuit vniuersale principiũ secundum esse naturale, non tamen fuit in illo in quantũ fuit caput morale. Ex qua quidem exemptione habuit, vt Adamo peccante in eo ipsa minime peccauerit, quamvis in ipso esset originaliter: propter exemptionem supradictam â pacto inter Deum & Adamum inito, & communi lege ipsi ac suis posteris imposita, vt ne comederent de ligno sciẽtiæ boni & mali. Quam exemptionem (ait Catherinus prædictus) datam sibi fuisse ex speciali priuilegio, in meritis Christi Domini præuisis. Et vt non Catherinus prædictus negaret Christi sanguine eandem fuisse redemptam, concedit quidem fuisse in illa originaliter peccandi debitum, ortum ex conditione suæ naturæ, quatenus vera fuit filia Adæ in eius lumbis contenta, obligariq; potuit pactô & lege supradicti præcepti de non comedendo de ligno vetito quod Adamo & omnibus suis posteris fuit impositum, nisi (prout dictum est) ex speciali prædicto priuilegio in meritis Christi præuisis sibi concesso, â tali pacto & lege fuisset excepta: in quo sensu dicitur ab originali peccato prædicto redempta, vt ne scilicet ipsum incurrerit. De hac sententia & dicendi modo, videantur quæ diximus supra quæst. 11. in explicatione primæ opinionis, & in secunda conclusione eiusdem quæst. defendẽdo prædictam Catherini sententiam, ab iniuria ob latrantium contra eam, & dicentium illam parum esse in fide tutam: quod certe dici nõ potest aut debet stando in supradictis. Secũdus verò dicendi modus, & eximendi prædictam Beatam Virginem ab actuali contractione originalis peccati, ac dicendi eam ab illo præseruatam fuisse; est eorũ qui communiorem sequuntur dicendi sententiam, & dicunt fuisse quidem illam simul cum omnibus alijs Adami posteris in supradicto pacto & communi lege comprehensam, peccasseque simul cum Adamo quando ille peccauit, exindeque originaliter peccandi contraxisse debitum: liberatam tamen atque præseruatam ab actuali cõtractione prædicti originalis peccati ex speciali Dei priuilegio, quia in primo suæ conceptionis instanti collata sibi fuit gratia, quæ quodammodo præuenit causam, & impediuit prædictæ originalis maculæ resultantiam. Hæc sententia ac dicendi modus communior est, de quo videantur quæ etiam diximus in supradicta quæstione 11. referendo secundam sententiam & opinionem, eorum qui asserunt ac mordicus tenent Deiparam Virginẽ in Adamo primo nostro parente peccasse, & in eo contraxisse originaliter peccandi debitum, quamvis ex speciali priuilegio exempta atque præseruata fuerit ab actuali contractione eiusdem peccati: vbi conclusione tertia diximus eam sententiam esse satis probabilem: quinverò probabiliorem & communiorẽ, si sano & cõgruo intelligatur modo, ac debite (vt par est) explicetur.

Secundus modus.

Solũmodo superest nunc respondere ad argumenta in huius quæstionis initio proposita pro sententia & opinione D. Thomæ.

Respondetur ad argumenta proposita pro sententia & opinione Diui Thomæ.

Ad primũ argumentum.

Loquutiones vniuersales sacræ Scripturæ: Virginis sacræ respectu, an aliquam patiãtur exceptionem?

Ad primum, quod illud argumentum peculiarem expostulat difficultatem, an scilicet sacræ Scripturæ loquutiones vniuersales & auctoritates generaliter loquentes de contractione originalis peccati, aliquam interdum patiantur exceptionem: & intelligendæ sint nisi alias in contrarium obstet speciale alicuius priuilegium in eadem sacra Scriptura fundatum, quamvis non id ipsum ibidem habeatur expressum atque in sensu literali dicatur: sed solummodo in sensu spirituali siue mystico, ad rationem tamen conformiter: iuxta id quod de similibus rebus tenet iam Ecclesia aliquid simile diffinitum atque determinatum. Sed quia res hæc maiori indiget disputatione, ampliorique tractatione, consulto in præsentiarum prætermittitur, & resoluenda reseruatur in sequenti quæstione quæ hac de re adducetur, ad inuestigandum, an præseruatio prædicta Beatissimæ Virginis â contractione originalis peccati, aliquo modo sacræ Scripturæ testimonijs contrarietur? Vt ne tamen prædicti argumenti solutio in totum prætermissa remaneat, eidem dico breuiter: non quidem opus fuisse vt in Scriptura sacra, in propositionibus generalibus, expressa fuerit exceptio facta de Beata Virgine, ad hoc vt â peccato originali prædicto præseruata dici possit: nam præterquam quod si factum fuisset, id ipsum iam non quidem esset opinio, sed res certa atque tenenda secundum fidem: multæ sunt in eadem scriptura loquutiones & propositiones generales, â quibus ex Ecclesiæ sanctæ iudicio, & determinatione eadem sacra Virgo excipitur, absque eiusmodi exceptione expressa ibidem contenta, vt constat ex generali illa regula Genes. 3. *in dolore paries filios*: certum est enim, quod sacra Virgo sine dolore peperit. Item & illa ibidẽ posita, *puluis es & in puluerem reuerteris*: cum certum sit etiam quod sacra Virgo in puluerem non est reuersa. Item & in illa quæ habetur prima Ioan. 1. *Si dixerimus quoniam peccatũ nõ habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*: de quo etiam est certũ quod sacra Virgo nullum actuale peccatum commisit: si igitur id ita est, nemini mirum debet esse, si propter eandem rationem, aliamve longe maiorem, sacram prædictam Virginem â contractione originalis peccati excipiamus, non obstante prædicta generali regula, quod omnes in Adam peccauerunt, quamvis de ipsa ibidem non facta fuerit expressa exceptio.

Nõ ex hoc quod sacra Virgo ab originali peccato dicatur excepta, non obstantibus sacræ Scripturæ generalibus re-

Sed dices, quod eadem ratione poterimus illam excipere â generali Christi Domini redemptione, ac dicere eandem per Christum nõ fuisse redemptam, & ipsum pro illa mortuũ nõ fuisse? Respõdeo negando consequentiã: nam hoc ne dũ pertinet ad Christi Domini perfectionem, verum etiam & ad perfectionem Virginis eiusdem, eundẽ habuisse suum redemptorem: de quo & quamplurimum ipsa gloriatur, in Cantico cui initium est, *Magnificat*, dum protulit illa notabilia verba: *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*. Sicque non est par ratio

tlo de vno ac de alio. Quando igitur in Scriptura sacra generaliter dicitur, quod omnes in Adamo peccauerunt, & ex eo debitum originaliter peccandi, siue contrahendi originale peccatū cōtraxerūt, intelligendum id est, secluso diuinæ gratiæ priuilegio, quod nemini, nisi Beatæ Virgini asserendum est vnquam fuisse concessum, quia in nullo simile reperitur fundamentum.

galis, excipi potest aut debet à Christi Domini redemptione.

Ad secundum argumentum.

Ad secundum argumentum quo fit mentio de Christi Domini redemptione, & dicitur fuisse ipsum vniuersalem omnium hominum Redemptorem, medicum atque saluatorem, simul & reconciliatorē cum Deo: cui obstare videtur prædictæ Virginis ab originali peccato præseruatio: respondeo (sicut etiam dictum est ad primū) quod hoc argumentum longiorem expostulat tractationem, cum specialē contineat difficultatem, an scilicet eiusmodi Beatæ Virginis præseruatio, obstet quo minus ipsa Christi filij sui sanguine possit dici redempta: de quo infra peculiaris est etiam quæstio, & erit 15. in ordine & consulto supra dicta omnia hoc modo fuere digesta, vt specialiter tractentur & discutiantur, ea quæ ampliori indigent tractatione, & disputatione.

Ad tertiū argumentum.

Ad tertium vbi agitur de Conciliorum diffinitionibus, & decretis Summorum Pontificum, respondeo similiter, quod etiam hæc ampliorem atque longiorem expostulant tractationem, & ea propter dicenda reseruantur in propria & speciali quæstione, quæ infra hac de re fiet, eritque decimaseptima in ordine: vbi & tractabitur de exceptione quæ communiter à Concilijs & Sanctis Patribus, Christo Domino tribuitur, quod ipse solus fuerit exemptus à cōtractione originalis peccati, pro eo quod ab Adam, non per virile semen descendit, sed de Spiritu Sancto fuit conceptus.

Ad quartū argumentum.

Ad quartum argumentum, quo fit mentio de multiplicibus Sanctorum Patrum auctoritatibus, asserentibus aut saltim insinuantibus (quibusdam in communi & generali, alijs vero in speciali & particulari) de Beata Virgine verba facientibus, quod ipsa in originali peccato fuerit concepta: respondeo, & dico etiam quod hæc res ampliorē expostulat tractationem, videri vt possit quam veritatem siue probabilitatem habeant, quæ afferuntur & adducuntur à Doctoribus contrariæ sententiæ & opinionis: de quo & propterea specialis est constituenda quæstio, suo ordine proponenda, quæ (vt dictum est) erit decimaoctaua in ordine.

Ad quintū argumentum.

Ad quintū quo pro prædicta sententia argumentātur ex ratione: dico quod quamvis (vt argumentū prætendit) sacra Virgo in primo suæ conceptionis instanti iustitiam originalem non habuerit, habuit tamen cumulatissimam gratiam, in eodem instanti sibi diuinitus collatam, qua fuit perfectissime Deo grata, & impedita est resultātia originalis maculæ, quam nisi præseruaretur ex Adami peccato debuisset

contrahere, & vt dictum est in conclusione quarta & vltimã præcedentis quæstionis, prædicta Beatissima Virgo in dicto primo suæ conceptionis instanti, necdum non habuit siue contraxit prædictum peccatum originale, verum nec in propria sua persona pro eodem instanti debitum habuit habendi illud, propter intrinsecam repugnantiam, quam eiusmodi debitum & multo magis originale peccatum habent cum gratia, qua eadem sacratissima Virgo fuit sculpta atque condecorata, & à Deo præuenta, vt ne originale peccatum contraheret.

Ad sextũ argumentum. Ad sextum respondetur, quod quamvis peccatum originale, generationis motu naturaliter communicetur omnibus Adami posteris, descendentibus ab eodem per seminalem rationem, id tamen in sacratissima Virgine locum non habuit, pro eo quod fuit diuinitus à Deo præseruata, vel ordinando vt ipsa non intraret in pactum inter Deum & Adamum initum, siue communem legem Adamo & suis posteris impositam, iuxta sententiam & opinionem Catherini superius dictam: vel statuendo quod quamvis in prædicto pacto & lege fuerit comprehensa, & in Adamo ipso (vt & cæteri sui posteri) peccauerit, & exinde originaliter peccandi debitum habuerit: non tamen de facto eiusmodi peccatum contraxit: quinverò ab eodem fuit præseruata, ex speciali priuilegio sibi concesso, propter illas speciales congruentiæ rationes & causas, quæ quam latissime adductæ sunt in probatione ad supradictam sententiam Scoti.

Ad septimum argumentum. Ad septimum respondetur, quod iuxta nostri Scoti sententiam, non quidem simpliciter & absolute concedendum est fuisse Christũ Dominum prædestinatum in remedium originalis peccati, ad hunc sensum quod Adamo non peccante non veniret, nec Verbum diuinũ humanam naturam assumeret: id enim tantummodo verum habet quod non veniret in carne pasibili, & vt moreretur: quia iuxta sententiam Diui Augustini, *sublato morbo, necessaria non fuisset medicina.* Stando igitur in sentẽtia prædicta nostri Scoti, circa Christi Domini prædestinationẽ, diuersus omninò constituendus est ordo, nã ipse est prædestinatorum omniũ primus, ac post ipsum Mater sua sacratissima Virgo, quæ sacra Virgo & omnes alij electi prædestinati sunt per ipsum ante cuiuslibet peccati præuisionem: vt satis colligitur ex his quæ dicit ipse Scotus in 3. sent. dist. 7. q. 3. §. sed hic sunt, & dist. 19. quæst. vnica §. in ista quæstione, & in reportatis dist. 7. quæst. 4. §. tertio declarandum. Sed dices, si Virgo sacra prædestinata est ante peccati præuisionem, & priusquam Christus Dominus venturus præuideretur in carne pasibili, quo modo ergo dici potest, quod ipsius sanguine fuerit redempta, cum pro illo instanti merita Christi in carne pasibili exhibita, nullo potuerint modo esse præuissa? Respondeo quod in hoc negotio diuersus quidem fuit ordo intentionis, ab ordine executio-

De mente & sententia Scoti Christus Dominus & sanctissima sua Mater, & similiter omnes electi prædestinati sunt ante cuiuslibet peccati præuisionem.

cutionis. Dico igitur, quod iuxta sententiam & opinionem Scoti prædictam, in diuina præuisione Christus Dominus, & Beatissima Virgo, & alij electi omnes, per ipsum prædestinati fuerunt ante præuisionem peccati Adam; viso verò postmodum Adami peccato, & in eodem comprehensos omnes eiusdem posteros per rationem seminalē descendentes, vt ne ipsi in eo peccato perirent, prouidit Deus de remedio: & decreuit vt ipse Christus in carne veniret pasibili, vt Beata Virgo & electi consequerentur gloriā, ad quam ex eiusdem meritis fuerunt prædestinati, abstrahendo siue præscindendo, à carne pasibili siue impasibili. Ad hoc vt res hæc plenius intelligatur, statuit exemplum Scotus de medico qui prius vult atque considerat hominis sanitatem, quam ordinet & prouideat de remedio & medicina ad sanandum, vt dicitur ibidem. Ex quibus plane colligitur, in diuina præuisione quam diuersus fuerit ordo intentionis, ab ordine executionis, & qualiter stare optime potuit, quod Beata Virgo ad gloriam fuerit electa, & prædestinata ob Christi Filij sui præuisa merita, ante præuisionem peccati Adami, & antequam Christus Dominus venturus præuideretur in carne pasibili: & in executione id quod iam erat decretum, consequeretur per eadem merita exhibita in carne pasibili. Hæc certe res maiorem requirebat disputationem, sed cum eiusdem non sit iste proprius locus pro nunc prætermittitur, & forsan de eadē difficultate & prædestinatione Beatæ Virginis ante præuisionem peccati Adami, aliquid dicemus inferius, si in id ipsum occasio se obtulerit.

Ad octauum argumentum. Ad octauum respondetur, concedendo esse singulare priuilegiū, & specialem prærogatiuam Christi Domini, quod ipse solus in sua conceptione sit Sanctus de iure, seu ex vi suæ Conceptionis (vt sic loquamur) pro eo quod ipse solus conceptus fuit de Spiritu Sanctō, & nō ex aliquo virili semine: per hoc autem non tollitur quin id ipsum competere & communicari potuerit sacræ Virgini: non quidem ex iure seu ex vi suæ Conceptionis (vtpote quæ per rationem seminalē fuit) sed ex speciali & singulari priuilegio præseruationis suæ ab originali peccato per merita Christi, diuina gratia ipsam præueniente, & faciente vt de facto non contraheret labē & maculam, quam aliâs ex vi suæ Conceptionis & naturalis propagationis, vt per rationem seminalem erat, nisi diuinitus præseruaretur, contraxisset. Ad quod propositum facit quammaxime id quod dixit Vlpianus *in l. Princeps, ff de legibus, quod Princeps legibus subditus non est, Augusta vero eisdem licet subdita sit, Princeps tamen eadem priuilegia quæ ipse habet, ipsi concedit.* Quæ lex ad hoc propositum valde notanda est.

Ad nonum argumentum. Ad nonū respondetur, primo negando consequētiā, quia non implicat sacram Virginem contraxisse de facto effectus & pœnas originalis peccati, propter peccatum Adami in quo ipsa etiam iuxta communio-

[illegible] potentiam, virtualiter, habitualiter siue originaliter pec-[illegible] & tamen de facto originale illud peccatum in propria sua per-[illegible] non contraxisse, quod est nostrum intentum, & est communis solutio. Vel secundo in particulari loquendo, nego ex Adami pecca-[illegible] Virginem sacram habuisse peccati fomitem, seu aliquid quod ean-dem inclinauerit in aliquem actum malum: imo verò nec motum pri-mum primum ad malum vnquam habuisse: in quo conueniunt omnes qui tuentur sententiam Scoti. In contraria sunt sententia Thomistæ, & multa ac varia loquuntur ad hoc propositum, sed ipsi de sua sen-tentia rationem reddant. Quantum verò attinet ad mortem, & alias corporales pœnas, dico Virginem sacram passam fuisse illas: sed illud fuit propter peccatum primi nostri parentis Adami, in quo (vt prædi-ctum est) virtualiter, habitualiter seu originaliter peccauit: non tamẽ propter aliquod peccatum quod de facto in semetipsa contraxerit: quia (vt dictum est) proprium nullum habuit. Qua etiam ratione & pœnæ in ea, non habuerũt rationem pœnæ, & culpæ propriæ: sed pœ-næ alienæ (Adami scilicet primi nostri parentis) cum nec nouum sit filios propter parentum suorum peccata sæpissime pœna temporali puniri. In quo & ipsa quammaximam habuit cõformitatem cum filio suo, de quo cum Isaiæ 53. dicatur ita aperte: *quod peccatum non fecit*, ad-ditur nihilominus, *quod peccata nostra ipse portauit, & propter nos omnes quammaximos dolores sustinuit*. Ad vltimum verò quod dicitur de exclu-sione regni Cœlestis; dico etiam cœlũ claussum quidẽ illi fuisse, prop-ter actuale Adami primi nostri parentis peccatum, in quo omnes si-mul peccauimus; inde tamen non sequitur siue fit consequens, quod sacra Virgo illud ipsum peccatum actualiter in semetipsa contraxe-rit, aut quod non à Deo potuerit præseruari ex speciali priuilegio: nã ad hoc vt cœlum ei fuerit clausum, & ante Christi Domini passionẽ nulli omninò aperiretur, sufficiens, superque satis fuit supradictum Adami peccatum, ob quod cœlum sibi & omnibus suis posteris clau-sum fuit; sed de hoc amplius dicemus in sequenti argumento.

Ad vltimũ argumentum.

Ad decimum & vltimum argumentum, respondetur illud pecu-liarem quandam difficultatem expostulare, an scilicet si Beata Virgo ante Christum fuisset mortua, ad Limbum Patrum descendisset, an verò anima ipsius sanctissima, ad cœlum statim euolasset, Deumque vidisset, cum in semetipsa impedimentum non haberet originalis pec-cati? Qua de re magna est lis & controuersia inter Doct. nam Diuus Thomas 3. parte quæst. 27. art. 1. in solut. ad tertium. Et Alexand. A-len. 3. parte quæst. 9. memb. 3. art. 1. §. tertio, & multi Doct. in 3. sent. dist. 3. & Corduua lib. 1. sui Quæstionarij quæst. 47. data supra dicta hypothesi probabilius dicunt sibi videri, in eo euentu sacram Virgi-nem descensuram fuisse in sinum Abrahæ, nec visuram Deum, donec Christus Dominus, iuxta legem Dei ordinariam morte sua regni cœ-lestis

Nota valde difficultatẽ hanc eiusdemq; resolutionẽ, cir-

lestis ianuam aperiret. Quod probant ex generalibus sacræ Scripturę regulis, & quia (vt prædictum est) Adam peccando, sibi ac omnibus suis posteris ianuam regni Cœlestis occlusit, donec pro suo peccato plene & perfecte esset satisfactum. Sed alij vt Scotus in 3. sent. dist. 3. quæst. 1. & Gerson sermone quodam de Incarnatione, & communiter Doctores scholæ Parisiensis, dicunt quod in tali euentu Christus Dominus dispensaret cum sacra Virgine Matre sua, vt ne ad Limbum descenderet, sed statim ad cœlestem patriam euolaret. Alij autem omninò dubitare ac nescire se dicunt, quid in eo casu faciendum foret. Sed melius videtur esse dicere, quod Deus Optimus Maximus sapienter prouidisset, ne similis casus accideret, vt multa inconuenientia quæ hinc inde occurrere possent, cessarent. De qua difficultate & quæstione videndus est Suarez in 3. parte D. Thom. quæst. 27. art. 1. & 2. disp. 3. sect. 5. §. ad quintā verò rationem: vbi prudenter dicit difficultatem prædictam parum referre ad præsentem quæstionem, an scilicet sanctissima Virgo ab originali peccato ex speciali priuilegio fuerit præseruata, an verò ipsum incurrerit: Nam siue hoc siue illud dicatur, supradicta difficultas & interrogatio, si Beata Virgo ante Christū fuisset mortua quid de illa futurum fuisset, in omni sententia & opinione habet locum: & sic argumentum prædictum relinquitur tanquam impertinens, & parum vel nihil ad propositū referens: & quia ex eo quod assumitur haudquaquam colligitur, sacram Virginem de facto peccatum originale contraxisse. Quæ pro hac quæstione superque satis dicta sufficiant.

An descensum B. Virgo ad Limbum, si ante Christum fuisset mortua fuisset.

QVÆST. XIIII.

An dicere sacram Virginem à peccato originali fuisse præseruatā, sacris litteris ac fidei principijs repugnet?

PRÆSENS quæstio, & omnes inferius proponendæ vsque in huius tractatus finem, adducendæ sunt ad maiorem confirmationem, declarationem, atque comprobationem, eorū quæ à nobis in tribus præcedentibus sunt dicta, pro tuenda & defendenda Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione, ab omni prorsus originali labe: quibus exactissime inquirendum & inuestigandum est, an prædicta nostra resolutio in illis posita, aliquo modo sacris litteris, fideique principijs repugnet: an verò potius quammaxime sit consona illis, & sacrorum Conciliorum diffinitionibus, Summorumque Pontificum decretis, ac denique sententijs & cōmuni modo

muniorem sententiam, virtualiter, habitualiter siue originaliter peccauit: & tamen de facto originale illud peccatum in propria sua persona non contraxisse, quod est nostrum intentum, & est communis solutio. Vel secundo in particulari loquendo, nego ex Adami peccato Virginem sacram habuisse peccati fomitem, seu aliquid quod eandem inclinauerit in aliquem actum malum: imo verò nec motum primo primum ad malum vnquam habuisse: in quo conueniunt omnes qui tuentur sententiam Scoti. In contraria sunt sententia Thomistæ, & multa ac varia loquuntur ad hoc propositum, sed ipsi de sua sententia rationem reddant. Quantum verò attinet ad mortem, & alias corporales pœnas, dico Virginem sacram passam fuisse illas: sed illud fuit propter peccatum primi nostri parentis Adami, in quo (vt prædictum est) virtualiter, habitualiter seu originaliter peccauit: non tamē propter aliquod peccatum quod de facto in semetipsa contraxerit: quia (vt dictum est) proprium nullum habuit. Qua etiam ratione & pœnæ in ea, non habuerũt rationem pœnæ, & culpæ propriæ: sed pœnæ alienæ (Adami scilicet primi nostri parentis) cum nec nouum sit filios propter parentum suorum peccata sæpissime pœna temporali puniri. In quo & ipsa quammaximam habuit cõformitatem cum filio suo, de quo cum Isaiæ 53. dicatur ita aperte: *quod peccatum non fecit*, additur nihilominus, *quod peccata nostra ipse portauit, & propter nos omnes quammaximos dolores sustinuit.* Ad vltimum verò quod dicitur de exclusione regni Cœlestis; dico etiam cœlũ claussum quidē illi fuisse, propter actuale Adami primi nostri parentis peccatum, in quo omnes simul peccauimus; inde tamen non sequitur siue sit consequens, quod sacra Virgo illud ipsum peccatum actualiter in semetipsa contraxerit, aut quod non à Deo potuerit præseruari ex speciali priuilegio: nā ad hoc vt cœlum ei fuerit clausum, & ante Christi Domini passionē nulli omninò aperiretur, sufficiens, superque satis fuit supradictum Adami peccatum, ob quod cœlum sibi & omnibus suis posteris clausum fuit; sed de hoc amplius dicemus in sequenti argumento.

Quod Virgo sacra ex Adami peccato nō contraxit peccati fomitem.

Ad vltimū argumentum.

Ad decimum & vltimum argumentum, respondetur illud peculiarem quandam difficultatem expostulare, an scilicet si Beata Virgo ante Christum fuisset mortua, ad Limbum Patrum descendisset, an verò anima ipsius sanctissima, ad cœlum statim euolasset, Deumque vidisset, cum in semetipsa impedimentum non haberet originalis peccati? Qua de re magna est lis & controuersia inter Doct. nam Diuus Thomas 3. parte quæst. 27. art. 1. in solut. ad tertium. Et Alexand. Alens. 3. parte quæst. 9. memb. 3. art. 1. §. tertio, & multi Doct. in 3. sent. dist. 3. & Corduua lib. 1. sui Quæstionarij quæst. 47. data supra dicta hypothesi probabilius dicunt sibi videri, in eo euentu sacram Virginem descensuram fuisse in sinum Abrahæ, nec visuram Deum, donec Christus Dominus, iuxta legem Dei ordinariam morte sua regni cœ-

Nota valde difficultatē hanc eiusdemq; resolutionē, cir-

lestis

ſeſtis ianuam aperiret. Quod probant ex generalibus ſacræ Scripturę regulis, & quia (vt prædictum eſt) Adam peccando, ſibi ac omnibus ſuis poſteris ianuam regni Cœleſtis occluſit, donec pro ſuo peccato plene & perfecte eſſet ſatisfactum. Sed alij vt Scotus in 3. ſent. diſt. 3. quæſt. 1. & Gerſon ſermone quodam de Incarnatione, & communiter Doctores ſcholæ Pariſienſis, dicunt quod in tali euentu Chriſtus Dominus diſpenſaret cum ſacra Virgine Matre ſua, vt ne ad Limbum deſcenderet, ſed ſtatim ad cœleſtem patriam euolaret. Alij autem omninò dubitare ac neſcire ſe dicunt, quid in eo caſu faciendum foret. Sed melius videtur eſſe dicere, quod Deus Optimus Maximus ſapienter prouidiſſet, ne ſimilis caſus accideret, vt multa inconueniẽtia quæ hinc inde occurrere poſſent, ceſſarent. De qua difficultate & quæſtione videndus eſt Suarez in 3. parte D. Thom. quæſt. 27. art. 1. & 2. diſp. 3. ſect. 5. §. ad quintã verò rationem: vbi prudenter dicit difficultatem prædictam parum referre ad præſentem quæſtionem, an ſcilicet ſanctiſsima Virgo ab originali peccato ex ſpeciali priuilegio fuerit præſeruata, an verò ipſum incurrerit: Nam ſiue hoc ſiue illud dicatur, ſupradicta difficultas & interrogatio, ſi Beata Virgo ante Chriſtũ fuiſſet mortua quid de illa futurum fuiſſet, in omni ſententia & opinione habet locum: & ſic argumentum prædictum relinquitur tanquam impertinens, & parum vel nihil ad propoſitũ referens: & quia ex eo quod aſſumitur haudquaquam colligitur, ſacram Virginem de facto peccatum originale contraxiſſe. Quæ pro hac quæſtione ſuperque ſatis dicta ſufficiant.

ca deſcenſum B. Virgan ad Limbum, ſi ante filium ſuum mortua fuiſſet.

QVÆST. XIIII.

An dicere ſacram Virginem à peccato originali fuiſſe præſeruatã, ſacris litteris ac fidei principijs repugnet?

PRÆSENS quæſtio, & omnes inferius proponendæ vſque in huius tractatus finem, adducendæ ſunt ad maiorem confirmationem, declarationem, atque comprobationem, eorũ quæ à nobis in tribus præcedentibus ſunt dicta, pro tuenda & defendenda Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione, ab omni prorſus originali labe: quibus exactiſsime inquirendum & inueſtigandum eſt, an prædicta noſtra reſolutio in illis poſita, aliquo modo ſacris litteris, fideique principijs repugnet: an verò potius quammaxime ſit conſona illis, & ſacrorum Conciliorum diffinitionibus, Summorumque Pontificum decretis, ac denique ſententijs & cõmuni modo

loquendi Sanctorum Patrũ, multæque aliæ similes difficultates excitabuntur ad idem propositum, sum ma consideratione dignissimæ.

Circa difficultatem igitur præsentis quæstionis, iam aliqua diximus supra in quæstione 10. concl. 2. vbi statutum fuit haudquaquam esse de fide sacram Virginem originale peccatum contraxisse. Quam conclusionem statuimus contra Diuum Thomam 1. 2. quæst. 81. art. 3. vbi proposita difficultate. *Vtrum Adami primi nostri parentis peccatum per originem in omnes suos posteros transeat nullo excepto, & absque delectu, & discrimine*, respondendo dicit: *secundum fidem catholicam firmiter esse tenendum omnes Adami posteros* (præter solum Christum Dominum) *peccatũ originale contraxisse*. Vbi prædicta exceptione facta de solo Christo, aperte satis insinuare videtur, in illo decreto & sua resolutione, comprehendere voluisse etiam sacram Virginem. Quam suam sententiam probat ex illo Diui Pauli ad Roman. 5. vbi dixit. *Quod per vnum hominẽ peccatum intrauit in mundum & per peccatum mors, atque ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt*. Probat id ipsum Diuus Thom. quia (inquit) alias sequeretur quod non omnes homines indigerent redemptione, quæ est per Christum, quod dicere est erroneum, aut forsan hæreticum. Sed quia res est hæc quæ aliquali maiori indiget tractatione, cum in presenti difficultate in quęstionem adduxerimus, an dicere Virginem sacram ab originalis peccati labe fuisse præseruatam, aliquo modo obstet, siue contrarietur sacræ Scripturæ testimonijs siue principijs fidei: non ab re vissum est de difficultate eadem de nouo sermonem instituere. Et dico breuiter, quod circa hoc tres versantur opiniones sententiæ, siue dicendi modi, duo extremi ex diametro, veluti repugnantes, alter verò medius quo vera resolutio continetur, & id quod firmiter est tenendum & dicendum, interim quod Ecclesia nostra aliud non determinat, siue diffinit, aut seruandum præcipit.

Nota quid circa difficultatẽ hanc tenuit olim D. Thom.

Circa difficultatem præsentis quæstionis tres versãtur Doctorum opiniones, seu dicendi modi.

Prima opinio, quæ asserit B. Virginẽ à peccato originali præseruatam fuisse, repugnare sacris litteris, ac principijs fidei.

Prima opinio & sententia fuit multorum Theologorum (præsertim ex familia Diui Thomæ) qui ante constitutionem Sixti IIII. quæ incipit *Graue nimis*, expeditam anno 1483. positam inter cõmunes lib. 3. *De Reliquijs & veneratione Sanctorum*, priuatim ac publice dicere non erubuerunt, quod asserere prædictam sanctissimam Virginem ab omni prorsus originalis peccati labe fuisse immunem, aut de facto illud non contraxisse: aperte repugnat sacris litteris, ac principijs fidei inde deductis, & proinde affirmari non posse absque peccato mortali, hæresi & quãmaximo periculo fidei. Id ita dixisse plures expresse dicit supradictus Sixtus IIII. in dicta Extrauaganti. Quæ sententia specialiter tribuitur cuidam Fratri Bartholomæo de Spina Prædicatorũ Ordinis, tractatu de Conceptione Virginis, & Ioanni Dominico de Florentia in alio simili tractatu cap. 22. 23. & 26. sed expressius illam tenet Vincẽtius Vandellus, libro perniciosissimo illo quem inscripsit

dispu-

disputatio solemnis de Conceptione Virginis Mariæ, à cap. 33. vsque 41. Et Guido etiam Carmelita, quodlib. 3, quæst. 13. atque ita iudicasse omnes sui temporis Magistros: referunt quidam ex Alberto Magno in 3. dist. 3. art. 4. affirmantes eundem etiam ita sensisse, quamvis ipse hoc non dicat, sed solummodo hæresim esse damnatam à Diuo Bernardo, dicere Beatam Virginem ante animationem sanctificatam fuisse. In eadem sententia & opinione persistunt multi huius nostri temporis hæretici, quos refert Canisius lib. 1. de Maria Deipara cap. 1. & 6. Et Bellarmin. lib. 4. de amisione gratiæ & statu peccati cap. 15. 16. & 17. Et Paiua lib. 5. defensionis Tridentinæ fidei. Et Vazquez tomo 2. ad tertiam partem D. Thom. disput. 17. cap. 14. num. 141. & 142. qui & eo impudentiæ deuenerunt, vt asserant Sixtum Quartum, & Concilij Tridentini Patres turpiter errasse contra expressam sacram Scripturam, dum Sessione 5. decreto de peccato originali cap. vltimo dixerunt, non fuisse suæ intentionis comprehendere in decreto prædicto, sacram Immaculatam Deigenitricem Mariam, & obseruandas esse circa hoc constitutiones supradicti Sixti Quarti fœlicis recordationis. Videndus est specialiter hac de re, supradictus Vincentius Vandellus in dicto tractatu cap. 34. vbi ait opinionem quæ dicit B. Virginem à peccato originali prædicto fuisse liberam, esse impiam cum expresse sacræ Scripturæ contradicat, & in capit. 21. dicit etiam hanc opinionem vt hæreticam reprobasse quendam Ioannem de Poliaco quodlib. 3. quæst. 3.

Horum omnium fundamentum in eo positum est, quia in sacris litteris, nulla exceptione facta vniuersaliter dicitur, quod omnes Adami posteri ab eo per naturalem propagationem, & rationem seminalem descendentes, peccatum contrahunt originale. Quod probant ex eo quod habetur ad Roman. 3. vbi dicitur: *quod omnes peccauerunt & egent gratia Dei.* Qui locus de peccato originali communiter explicatur, exponique debet. Facit & illud quod etiam habetur infra capit. 5. vbi dicitur. *Quod per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt,* Et infra. *Quod sicuti per vnius delictum in omnes homines pertransijt mors in condemnationem, sic & per vnius iustitiam vita in omnes homines in iustificationem: & sicut per vnius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obeditionem iusti constituti sunt multi.* Prima etiam Corint. 15. habetur. *Quod sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Et infra 2. Corinth. 5. *Si Christus pro nobis mortuus est, ergo omnes mortui sunt:* quod de morte spirituali peccati intelligendum esse dicunt omnes Doctores. Et ad Ephes. 2. dixit idem Paulus. *Eramus omnes natura filij iræ, sicut & cæteri.* Item & ad Galat. 3. *Quod conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Item Iob 21. habetur. *Quod nemo mundus est à sorde, neque infans cuius est vnius*

Fundamentum supradictæ opinionis sunt quamplurima sacræ Scripturæ testimonia, quæ adducuntur ab illis.

dicis vita super terram. Item & Psalm: 97. de Christo Domino dicitur, *quod ipse solus erat inter mortuos liber*. Paulus etiam ad Hebræos 7. de eodem loquendo ait: *Quod talis decebat vt nobis esset Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Quibus omnibus verbis ac sacræ Scripturæ testimonijs, satis aperte datur intelligi, quod Christus Dominus solus fuit sine peccato, atque ex omnibus supradictis sacræ Scripturæ locis colligût supradicti Auctores, vniuersaliter & absque vlla prorsus exceptione, omnes Adami posteros peccatum contrahere originale: & consequenter quod dicere Beatam Virginem ab eodem fuisse immunem & præseruatam, aperte repugnat sacris litteris, fideique principijs, quæ ex eadem sacra Scriptura deducuntur.

Secunda opinio, quæ defendit dicere beatam Virginem à peccato originali fuisse præseruatam, nullo modo repugnare sacris litteris ac principijs fidei.

Secunda est aliorum sententia in alio extremo, dicentium etiam ante prædictam Sixti Quarti constitutionem, Beatissimam sacrã Virginem ab omni prorsus labe originali fuisse immunem: idque necdum non repugnare quinverò potius quammaxime esse consonum sacris litteris, ac principijs fidei, & contrarium affirmari non posse, absque hæresi, & periculo eiusdem fidei. Quod id etiã senserint quamplures testatur supradictus Sixtus Quartus in dicta sua Extrauagante, & tradit illud Suarez in 3. parte D. Thom. quæst. 27. art. 2. disp. 3. sect. 5. vbi refert Almainum hoc tenentem, in tractatu de potestate Ecclesiæ c. 16. Sed expressius id videtur sentire in 3. sent. dist. 3. quæst. 1. vbi ait B. sacram Virginem originale peccatum minime contraxisse, idque esse iam definitum & determinatum per Ecclesiam in Concilio Basiliensi, tanquam de fide, qua ratione credit contrariam sententiam esse hæreticam. Pro eadem etiam refertur Iodocus Clithoueus in annotationibus ad Damascenum lib. 3. de fide cap. 2. ante medium, & Titelmanus in caput secundum Ioannis, & Plures dicunt Doctores Parisienses in ea fuisse sententia & opinione, fundatos in prædicta determinatione Concilij Basiliensis, in quo Virginis puritas atque immunitas (vt dicitur) diffinita atque determinata fuit tanquam de fide. Et in eo quod Ecclesia publice Festum Conceptionis celebrat, quæ publica solemnitas, esse videtur quasi diffinitio fidei. Sacræ Scripturæ testimonia ex quibus hæc sententia comprobari potest, non afferuntur modò, adducentur tamen in sequenti quæstione, vt non semel & iterum eadem dicere cogamur.

Tertia opinio & verior resolutio.

Tertia opinio & verior resolutio est, quod neutra prædictarum assertionum est de fide, nec sacris litteris ac fidei principijs repugnat. An verò vnam siue alteram hæresis damnare rigida censura dignum sit, alterius est negotij, & statim dicetur. Pro quorum omnium explicatione & declaratione, sequentes statuo

Conclusiones.

Prima

Prima Conclusio.

DICERE sacram Virginem ab omni prorsus originalis peccati labe præseruatam fuisse, haudquaquam repugnat sacris litteris, fideive principijs: nec verò affirmare contrarium. Ac proinde prædictarum opinionum neutra est de fide, nec hæreticus potest dici aut mortaliter peccare qui illam defenderit. Hæc conclusio vt iacet, tanquam certa atque indubitata, determinata olim fuit à Sixto Quarto in sua Extrauaganti quæ incipit; *Graue nimis*; & habetur inter communes lib. 3. de reliquijs & veneratione Sanctorum, & in Monumentis Ordinum primæ impræssionis fol. 74. & secundæ fol. 158. concessio. 376. & refertur in priuilegiorum compendio, verbo, *Conceptio Virginis*, §. 8. Cuius quia tanti refert exactam habere notitiam, eandem hic ad vnguem libuit referre: nam & ex ipsa planè constabit, qualiter prædictus Sixtus Quartus supradictam litem & controuersiam diime[n]do, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna Sedi Apostolicæ reseruata; prohibet ne quis vnam vel alteram prædictarum opinionum tanquam hæreticam condemnet, seu asserat mortaliter peccare, qui illam defendit. Cuius quidem constitutionis seu Extrauagantis tenor, sic incipit.

Dicere sacram Virginē à peccato originali fuisse præseruatam, non repugnat sacris litteris, aut principijs fidei & supradictarum opinionum neutra est de fide, aut hæreticus potest dici qui illam defenderit.

Graue nimis gerimus & molestè, cum sinistra nobis de quibusdam Ecclesiasticis personis referuntur: sed in eorum qui ad euangelizandum verbum Dei sunt deputati, excessibus prædicando commissis, eo grauius pronocamur, quo illi periculosius remanēt incorrecti: cum facilè deleri nequeant, qui multorum cordibus sic publicè prædicando diffusius, & damnabilius imprimūtur errores. Sane cum sancta Romana Ecclesia de intemeratæ, semperque Virginis Mariæ Conceptione publicè festum solemniter celebret, & speciale ac proprium super hoc officium ordinauerit, nonnulli (vt accepimus) diuersorum ordinum prædicatores, in suis sermonibus ad populum, publicè per diuersas ciuitates & terras affirmare hactenus non erubuerunt, & quotidie prædicare non cesant, omnes illos qui tenēt aut asserunt eandem gloriosam & Immaculatam Dei genitricem, absque originalis peccati labe fuisse conceptam mortaliter peccare: vel esse hæreticos: eiusdem Immaculatæ Conceptionis officium celebrātes, audientesque sermones illorum, qui eam sine huiusmodi macula conceptam esse affirmant peccare grauiter. Sed & præfatis

Extrauagās Sixti Quarti quæ incipit graue nimis

Ad primum argumentum.

Loquutiones vniuersales sacræ Scripturæ: Virginis sacræ respectu, an aliquam patiantur exceptionem?

Ad primum, quod illud argumentum peculiarem expostulat difficultatem, an scilicet sacræ Scripturæ loquutiones vniuersales & auctoritates: generaliter loquentes de contractione originalis peccati, aliquam interdum patiantur exceptionem: & intelligendæ sint nisi alias in contrarium obstet speciale alicuius priuilegium in eadem sacra Scriptura fundatum, quamvis non id ipsum ibidem habeatur expressum atque in sensu literali dicatur: sed solummodo in sensu spirituali siue mystico, ad rationem tamen conformiter: iuxta id quod de similibus rebus teneat iam Ecclesia aliquid simile diffinitum atque determinatum. Sed quia res hæc maiori indiget disputatione, ampliorique tractatione, consulto in præsentiarum prætermittitur, & resoluenda reseruatur in sequenti quæstione quæ hac de re adducetur, ad inuestigandum, an præseruatio prædicta Beatissimæ Virginis, à contractione originalis peccati, aliquo modo sacræ Scripturæ testimonijs contrarietur? Vt ne tamen prædicti argumenti solutio in totum prætermissa remaneat, eidem dico breuiter: non quidem opus fuisse vt in Scriptura sacra, in propositionibus generalibus, expressa fuerit exceptio facta de Beata Virgine, ad hoc vt à peccato originali prædicto præseruata dici possit: nam prætérquam quod si factum fuisset, id ipsum iam non quidem esset opinio, sed res certa atque tenenda secundum fidem: multæ sunt in eadem scriptura loquutiones & propositiones generales, à quibus ex Ecclesiæ sanctæ iudicio, & determinatione eadem sacra Virgo excipitur, absque eiusmodi exceptione expressa ibidem contenta, vt constat ex generali illa regula Genes. 3. *in dolore paries filios*: certum est enim, quod sacra Virgo sine dolore peperit. Item & illa ibidē posita, *puluis es & in puluerem reuerteris*: cum certum sit etiam quod sacra Virgo in puluerem non est reuersa. Item & in illa quæ habetur prima Ioan. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum nō habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*: de quo etiam est certū quod sacra Virgo nullum actuale peccatum commisit: si igitur id ita est, nemini mirum debet esse, si propter eandem rationem, aliamve longe maiorem, sacram prædictam Virginem à contractione originalis peccati excipiamus, non obstante prædicta generali regula, quod omnes in Adam peccauerunt, quamvis de ipsa ibidem non facta fuerit expressa exceptio.

Nō ex hoc quod sacra Virgo ab originali peccato ditatur excepta, non obstantibus sacræ Scripturæ generalibus re-

Sed dices, quod eadem ratione poterimus illam excipere à generali Christi Domini redemptione, ac dicere eandem per Christum nō fuisse redemptam, & ipsum pro illa mortuū nō fuisse? Respōdeo negando consequentiam: nam hoc ne dū pertinet ad Christi Domini perfectionem, verum etiam & ad perfectionem Virginis eiusdem, eundē habuisse suum redemptorem: de quo & quamplurimum ipsa gloriatur in Cantico cui initium est, *Magnificat*, dum protulit illa notabilia verba: *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Sicque non est par ratio

tio de vno ac de alio. Quando igitur in Scriptura sacra generaliter dicitur, quod omnes in Adamo peccauerunt, & ex eo debitum originaliter peccandi, siue contrahendi originale peccatū cōtraxerūt, intelligendum id est, secluso diuinæ gratiæ priuilegio, quod nemini, nisi Beatæ Virgini asserendum est vnquam fuisse concessum, quia in nullo simile reperitur fundamentum.

galis, excipi potest aut debet à Christi Domini redemptione.

Ad secundum argumentum quo fit mentio de Christi Domini redemptione, & dicitur fuisse ipsum vniuersalem omnium hominum Redemptorem, medicum atque saluatorem, simul & reconciliatorē cum Deo: cui obstare videtur prædictæ Virginis ab originali peccato præseruatio: respondeo (sicut etiam dictum est ad primū) quod hoc argumentum longiorem expostulat tractationem, cum specialē contineat difficultatem, an scilicet eiusmodi Beatæ Virginis præseruatio, obstet quo minus ipsa Christi filij sui sanguine possit dici redempta: de quo infra peculiaris est etiam quæstio, & erit 15. in ordine & consulto supra dicta omnia hoc modo fuere digesta, vt specialiter tractentur & discutiantur, ea quæ ampliori indigent tractatione, & disputatione.

Ad secūdum argumentum.

Ad tertium vbi agitur de Conciliorum diffinitionibus, & decretis Summorum Pontificum, respondeo similiter, quod etiam hæc amplioren atque longiorem expostulant tractationem, & ea propter dicenda reseruantur in propria & speciali quæstione, quæ infra hac de re fiet, eritque decimaseptima in ordine: vbi & tractabitur de exceptione quæ communiter à Concilijs & Sanctis Patribus, Christo Domino tribuitur, quod ipse solus fuerit exemptus à cōtractione originalis peccati, pro eo quod ab Adam, non per virile semen descendit, sed de Spiritu Sancto fuit conceptus.

Ad tertiū argumentum.

Ad quartum argumentum, quo fit mentio de multiplicibus Sanctorum Patrum auctoritatibus, asserentibus aut saltim insinuantibus (quibusdam in communi & generali, alijs vero in speciali & particulari) de Beata Virgine verba facientibus, quod ipsa in originali peccato fuerit concepta: respondeo, & dico etiam quod hæc res ampliorē expostulat tractationem, videri vt possit quam veritatem siue probabilitatem habeant, quæ afferuntur & adducuntur à Doctoribus contrariæ sententiæ & opinionis: de quo & propterea specialis est constituenda quæstio, suo ordine proponenda, quæ (vt dictum est) erit decimaoctaua in ordine.

Ad quartū argumentum.

Ad quintū quo pro prædicta sententia argumentātur ex ratione: dico quod quamvis (vt argumentū prætendit) sacra Virgo in primo suæ conceptionis instanti iustitiam originalem non habuerit, habuit tamen cumulatissimam gratiam, in eodem instanti sibi diuinitus collatam, qua fuit perfectissime Deo grata, & impedita est resultātia originalis maculæ, quam nisi præseruaretur ex Adami peccato debuisset

Ad quintū argumentum.

 contra-

contrahere, & vt dictum est in conclusione quarta & vltimã præcedentis quæstionis, prædicta Beatissima Virgo in dicto primo suæ conceptionis instanti, necdum non habuit siue contraxit prædictum peccatum originale, verum nec in propria sua persona pro eodem instanti debitum habuit habendi illud, propter intrinsecam repugnantiam, quam eiusmodi debitum & multo magis originale peccatum habent cum gratia, qua eadem sacratissima Virgo fuit sculpta atque condecorata, & à Deo præuenta, vt ne originale peccatum contraheret.

Ad sextũ argumentum. Ad sextum respondetur, quod quamvis peccatum originale, generationis motu naturaliter communicetur omnibus Adami posteris, descendentibus ab eodem per seminalem rationem, id tamen in sacratissima Virgine locum non habuit, pro eo quod fuit diuinitus à Deo præseruata, vel ordinando vt ipsa non intraret in pactum inter Deum & Adamum initum, siue communem legem Adamo & suis posteris impositam, iuxta sententiam & opinionem Catherini superius dictam: vel statuendo quod quamvis in prædicto pacto & lege fuerit comprehensa, & in Adamo ipso (vt & cæteri sui posteri) peccauerit, & exinde originaliter peccandi debitum habuerit: non tamen de facto eiusmodi peccatum contraxit: quinverò ab eodem fuit præseruata, ex speciali priuilegio sibi concesso, propter illas speciales congruentiæ rationes & causas, quæ quam latissime adductæ sunt in probatione ad supradictam sententiam Scoti.

Ad septimum argumentum. Ad septimum respondetur, quod iuxta nostri Scoti sententiam, non quidem simpliciter & absolute concedendum est fuisse Christũ Dominum prædestinatum in remedium originalis peccati, ad hunc sensum quod Adamo non peccante non veniret, nec Verbum diuinũ humanam naturam assumeret: id enim tantummodo verum habet quod non veniret in carne pasibili, & vt moreretur: quia iuxta sententiam Diui Augustini, *sublato morbo, necessaria non fuisset medicina.* Stando igitur in sentẽtia prædicta nostri Scoti, circa Christi Domini prædestinationẽ, diuersus omninò constituendus est ordo, nã ipse est prædestinatorum omniũ primus, ac post ipsum Mater sua sacratissima Virgo, quæ sacra Virgo & omnes alij electi prædestinati sunt per ipsum ante cuiuslibet peccati præuisionem: vt satis colligitur ex his quæ dicit ipse Scotus in 3. sent. dist. 7. q. 3. §. sed hic sunt, & dist. 19. quæst. vnica §. in ista quæstione, & in reportatis dist. 7. quæst. 4. §. tertio declarandum. Sed dices, si Virgo sacra prædestinata est ante peccati præuisionem, & priusquam Christus Dominus venturus præuideretur in carne pasibili, quo modo ergo dici potest, quod ipsius sanguine fuerit redempta, cum pro illo instanti merita Christi in carne pasibili exhibita, nullo potuerint modo esse præuissa? Respondeo quod in hoc negotio diuersus quidem fuit ordo intentionis, ab ordine executio-

De mente & sententia Scoti Christus Dominus & sanctissima sua Mater, & similiter omnes electi prædestinati sunt ante cuiuslibet peccati præuisionem.

cutionis. Dico igitur, quod iuxta sententiam & opinionem Scoti prædictam, in diuina præuisione Christus Dominus, & Beatissima Virgo, & alij electi omnes, per ipsum prædestinati fuerunt ante præuisionem peccati Adami; viso verò postmodum Adami peccato, & in eodem comprehensos omnes eiusdem posteros per rationem seminalẽ descendentes, vt ne ipsi in eo peccato perirent, prouidit Deus de remedio: & decreuit vt ipse Christus in carne veniret pasibili, vt Beata Virgo & electi consequerentur gloriã, ad quam ex eiusdem meritis fuerunt prædestinati, abstrahendo siue præscindendo, à carne pasibili siue impasibili. Ad hoc vt res hæc plenius intelligatur, statuit exemplum Scotus de medico qui prius vult atque considerat hominis sanitatem, quam ordinet & prouideat de remedio & medicina ad sanandum, vt dicitur ibidem. Ex quibus plane colligitur, in diuina præuisione quam diuersus fuerit ordo intentionis, ab ordine executionis, & qualiter stare optime potuit, quod Beata Virgo ad gloriam fuerit electa, & prædestinata ob Christi Filij sui præuisa merita, ante præuisionem peccati Adami, & antequam Christus Dominus venturus præuideretur in carne pasibili: & in executione id quod iam erat decretum, consequeretur per eadem merita exhibita in carne pasibili. Hæc certe res maiorem requirebat disputationem, sed cum eiusdem non sit iste proprius locus pro nunc prætermittitur, & forsan de eadẽ difficultate & prædestinatione Beatæ Virginis ante præuisionem peccati Adami, aliquid dicemus inferius, si in id ipsum occasio se obtulerit.

Ad octauum argumentum. Ad octauum respondetur, concedendo esse singulare priuilegiũ, & specialem prærogatiuam Christi Domini, quod ipse solus in sua conceptione sit Sanctus de iure, seu ex vi suæ Conceptionis (vt sic loquamur) pro eo quod ipse solus conceptus fuit de Spiritu Sancto, & nõ ex aliquo virili semine: per hoc autem non tollitur quin id ipsum competere & communicari potuerit sacræ Virgini: non quidem ex iure seu ex vi suæ Conceptionis (vtpote quæ per rationem seminalẽ fuit) sed ex speciali & singulari priuilegio præseruationis suæ ab originali peccato per merita Christi, diuina gratia ipsam præueniente, & faciente vt de facto non contraheret labẽ & maculam, quam aliàs ex vi suæ Conceptionis & naturalis propagationis, vt per rationem seminalem erat, nisi diuinitus præseruaretur, contraxisset. Ad quod propositum facit quammaxime id quod dixit Vlpianus *in l. Princeps, ff de legibus, quod Princeps legibus solutus non est, Augusta vero eisdem licet subdita sit, Princeps tamen eadem priuilegia quæ ipse habet, ipsi concedit.* Quæ lex ad hoc propositum valde notanda est.

Ad nonum argumentum. Ad nonũ respondetur, primo negando consequẽtiã, quia non implicat sacram Virginem contraxisse de facto effectus & pœnas originalis peccati, propter peccatum Adami in quo ipsa etiam iuxta communie-

muniorem sententiam, virtualiter, habitualiter siue originaliter peccauit: & tamen de facto originale illud peccatum in propria sua persona non contraxisse, quod est nostrum intentum, & est communis solutio. Vel secundo in particulari loquendo, nego ex Adami peccato Virginem sacram habuisse peccati fomitem, seu aliquid quod eandem inclinauerit in aliquem actum malum: imo verò nec motum primo primum ad malum vnquam habuisse: in quo conueniunt omnes qui tuentur sententiam Scoti. In contraria sunt sententia Thomistæ, & multa ac varia loquuntur ad hoc propositum, sed ipsi de sua sententia rationem reddant. Quantum verò attinet ad mortem, & alias corporales pœnas, dico Virginem sacram passam fuisse illas: sed illud fuit propter peccatum primi nostri parentis Adami, in quo (vt prædictum est) virtualiter, habitualiter seu originaliter peccauit: non tamē propter aliquod peccatum quod de facto in semetipsa contraxerit: quia (vt dictum est) proprium nullum habuit. Qua etiam ratione & pœnæ in ea, non habuerūt rationem pœnæ, & culpæ propriæ: sed pœnæ alienæ (Adami scilicet primi nostri parentis) cum nec nouum sit filios propter parentum suorum peccata sæpissimè pœna temporali puniri. In quo & ipsa quammaximam habuit cōformitatem cum filio suo, de quo cum Isaiæ 53. dicatur ita aperte: *quod peccatum non fecit*, additur nihilominus, *quod peccata nostra ipse portauit, & propter nos omnes quammaximos dolores sustinuit.* Ad vltimum verò quod dicitur de exclusione regni Cœlestis; dico etiam cœlū claussum quidē illi fuisse, propter actuale Adami primi nostri parentis peccatum, in quo omnes simul peccauimus; inde tamen non sequitur siue fit consequens, quod sacra Virgo illud ipsum peccatum actualiter in semetipsa contraxerit, aut quod non à Deo potuerit præseruari ex speciali priuilegio: nā ad hoc vt cœlum ei fuerit clausum, & ante Christi Domini passionē nulli omninò aperiretur, sufficiens, superque satis fuit supradictum Adami peccatum, ob quod cœlum sibi & omnibus suis posteris clausum fuit; sed de hoc amplius dicemus in sequenti argumento.

Quòd Virgo sacra ex Adami peccato nō contraxit peccati fomitem.

Ad vltimū argumentum.

Ad decimum & vltimum argumentum, respondetur illud peculiarem quandam difficultatem expostulare, an scilicet si Beata Virgo ante Christum fuisset mortua, ad Limbum Patrum descendisset, an verò anima ipsius sanctissima, ad cœlum statim euolasset, Deumque vidisset, cum in semetipsa impedimentum non haberet originalis peccati? Qua de re magna est lis & controuersia inter Doct. nam Diuus Thomas 3. parte quæst. 27. art. 1. in solut. ad tertium. Et Alexand. Alen. 3. parte quæst. 9. memb. 3. art. 1. §. tertio, & multi Doct. in 3. sent. dist. 3. & Corduba lib. 1. sui Quæstionarij quæst. 47. data supra dicta hypothesi probabilius dicunt sibi videri, in eo euentu sacram Virginem descensuram fuisse in sinum Abrahæ, nec visuram Deum, donec Christus Dominus, iuxta legem Dei ordinariam morte sua regni cœlestis

Nota valde difficultatē hanc eiusdemq; resolutionē, cir-

lestis ianuam aperiret. Quod probant ex generalibus sacræ Scripturę regulis, & quia (vt prædictum est) Adam peccando, sibi ac omnibus suis posteris ianuam regni Cœlestis occlusit, donec pro suo peccato plene & perfecte esset satisfactum. Sed alij vt Scotus in 3. sent. dist. 3. quæst. 1. & Gerson sermone quodam de Incarnatione, & communiter Doctores scholæ Parisiensis, dicunt quod in tali euentu Christus Dominus dispensaret cum sacra Virgine Matre sua, vt ne ad Limbum descenderet, sed statim ad cœlestem patriam euolaret. Alij autem omninò dubitare ac nescire se dicunt, quid in eo casu faciendum foret. Sed melius videtur esse dicere, quod Deus Optimus Maximus sapienter prouidisset, ne similis casus accideret, vt multa inconuenientia quæ hinc inde occurrere possent, cessarent. De qua difficultate & quæstione videndus est Suarez in 3. parte D. Thom. quæst. 27. art. 1. & 3. disp. 3. sect. 5. §. ad quintã verò rationem: vbi prudenter dicit difficultatem prædictam parum referre ad præsentem quæstionem, an scilicet sanctissima Virgo ab originali peccato ex speciali priuilegio fuerit præseruata, an verò ipsum incurrerit: Nam siue hoc siue illud dicatur, sup radicta difficultas & interrogatio, si Beata Virgo ante Christũ fuisset mortua quid de illa futurum fuisset, in omni sententia & opinione habet locum: & sic argumentum prædictum relinquitur tanquam impertinens, & parum vel nihil ad propositũ referens: & quia ex eo quod assumitur haudquaquam colligitur, sacram Virginem de facto peccatum originale contraxisse. Quæ pro hac quæstione superque satis dicta sufficiant.

ea descensum B. Virginis ad Limbum, si ante filium suum mortua fuisset.

QVÆST. XIIII.

An dicere sacram Virginem à peccato originali fuisse præseruatã, sacris litteris ac fidei principijs repugnet?

PRÆSENS quæstio, & omnes inferius proponendæ vsque in huius tractatus finem, adducendæ sunt ad maiorem confirmationem, declarationem, atque comprobationem, eorũ quæ à nobis in tribus præcedentibus sunt dicta, protuenda & defendenda Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione, ab omni prorsus originali labe: quibus exactissime inquirendum & inuestigandum est, an prædicta nostra resolutio in illis posita, aliquo modo sacris litteris, fideique principijs repugnet: an verò potius quammaxime sit consona illis, & sacrorum Conciliorum diffinitionibus, Summorumque Pontificum decretis, ac denique sententijs & cõmuni modo

loquendi Sanctorum Patrũ, multæque aliæ similes difficultates excitabuntur ad idem propositum, summa consideratione dignissimæ.

Circa difficultatem igitur præsentis quæstionis, iam aliqua diximus supra in quæstione 10. concl. 2. vbi statutum fuit haudquaquam esse de fide sacram Virginem originale peccatum contraxisse. Quam conclusionem statuimus contra Diuum Thomam 1. 2. quæst. 81. art. 3. vbi proposita difficultate. *Vtrum Adami primi nostri parentis peccatum per originem in omnes suos posteros transeat nullo excepto, & absque delectu, & discrimine*, respondendo dicit: *secundum fidem catholicam firmiter esse tenendum omnes Adami posteros* (præter solum Christum Dominum) *peccatũ originale contraxisse*. Vbi prædicta exceptione facta de solo Christo, aperte satis insinuare videtur, in illo decreto & sua resolutione, comprehendere voluisse etiam sacram Virginem. Quam suam sententiam probat ex illo Diui Pauli ad Roman. 5. vbi dixit. *Quod per vnum hominẽ peccatum intrauit in mundum & per peccatum mors, atque ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt*. Probat id ipsum Diuus Thom. quia (inquit) alias sequeretur quod non omnes homines indigerent redemptione, quæ est per Christum, quod dicere est erroneum, aut forsan hæreticum. Sed quia res est hæc quæ aliquali maiori indiget tractatione, cum in præsenti difficultate in quæstionem adduxerimus, an dicere Virginem sacram ab originalis peccati labe fuisse præseruatam, aliquo modo obstet, siue contrarietur sacræ Scripturæ testimonijs siue principijs fidei: non ab re vissum est de difficultate eadem de nouo sermonem instituere. Et dico breuiter, quod circa hoc tres versantur opiniones sententiæ, siue dicendi modi, duo extremi ex diametro, veluti repugnantes, alter verò medius quo vera resolutio continetur, & id quod firmiter est tenendum & dicendum, interim quod Ecclesia nostra aliud non determinat, siue diffinit, aut seruandum præcipit.

Nota quid circa difficultatẽ hanc tenuit olim D. Thom.

Circa difficultatem præsentis quæstionis tres versãtur Doctorum opiniones, seu dicendi modi.

Prima opinio & sententia fuit multorum Theologorum (præsertim ex familia Diui Thomæ) qui ante constitutionem Sixti IIII. quæ incipit *Graue nimis*, expeditam anno 1483. positam inter cõmunes lib. 3. *De Reliquijs & veneratione Sanctorum*, priuatim ac publice dicere non erubuerunt, quod asserere prædictam sanctissimam Virginem ab omni prorsus originalis peccati labe fuisse immunem, aut de facto illud non contraxisse: aperte repugnat sacris litteris, ac principijs fidei inde deductis, & proinde affirmari non posse absque peccato mortali, hæresi & quãmaximo periculo fidei. Id ita dixisse plures expresse dicit supradictus Sixtus IIII. in dicta Extrauaganti. Quæ sententia specialiter tribuitur cuidam Fratri Bartholomæo de Spina Prædicatorũ Ordinis, tractatu de Conceptione Virginis, & Ioanni Dominico de Florentia in alio simili tractatu cap. 22. 23. & 26. sed expressius illam tenet Vincẽtius Vandellus, libro perniciosissimo illo quem inscripsit:

Prima opinio, quæ asserit B. Virginẽ à peccato originali præseruatam fuisse, repugnare sacris litteris, ac principijs fidei.

dispu-

disputatio solemnis de Conceptione Virginis Mariæ, à cap. 33. vsque 41. Et Guido etiam Carmelita, quodlib. 3, quæst. 13. atque ita iudicasse omnes sui temporis Magistros; referunt quidam ex Alberto Magno in 3. dist. 3. art. 4. affirmantes eundem etiam ita sensisse, quamvis ipse hoc non dicat, sed solummodo hæresim esse damnatam à Diuo Bernardo, dicere Beatam Virginem ante animationem sanctificatam fuisse. In eadem sententia & opinione persistunt multi huius nostri temporis hæretici, quos refert Canisius lib. 1. de Maria Deipara cap. 1. & 6. Et Bellarmin. lib. 4. de amisione gratiæ & statu peccati cap. 15. 16. & 17. Et Paiua lib. 5. defensionis Tridentinæ fidei. Et Vazquez tomo 2. ad tertiam partem D. Thom. disput. 17. cap. 14. num. 141. & 142. qui & eo impudentiæ deuenerunt, vt asserant Sixtum Quartum, & Concilij Tridentini Patres turpiter errasse contra expressam sacram Scripturam, dum Sessione 5. decreto de peccato originali cap. vltimo dixerunt, non fuisse suæ intentionis comprehendere in decreto prædicto, sacram Immaculatam Deigenitricem Mariam, & obseruandas esse circa hoc constitutiones supradicti Sixti Quarti fœlicis recordationis. Videndus est specialiter hac de re, supradictus Vincentius Vandellus in dicto tractatu cap. 34. vbi ait opinionem quæ dicit B. Virginem à peccato originali prædicto fuisse liberam, esse impiam cum expresse sacræ Scripturæ contradicat, & in capit. 21. dicit etiam hanc opinionem vt hæreticam reprobasse quendam Ioannem de Poliaco quodlib. 3. quæst. 3.

Horum omnium fundamentum in eo positum est, quia in sacris litteris, nulla exceptione facta vniuersaliter dicitur, quod omnes Adami posteri ab eo per naturalem propagationem, & rationem seminalem descendentes, peccatum contrahunt originale. Quod probant ex eo quod habetur ad Roman. 3. vbi dicitur: *quod omnes peccauerunt & egent gratia Dei*. Qui locus de peccato originali communiter explicatur, exponique debet. Facit & illud quod etiam habetur infra capit. 5. vbi dicitur. *Quod per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt*, Et infra. *Quod sicuti per vnius delictum in omnes homines pertransijt mors in condemnationem, sic & per vnius iustitiam vita in omnes homines in iustificationem: & sicut per vnius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obeditionem iusti constituti sunt multi*. Prima etiam Corint. 15. habetur. *Quod sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*. Et infra 2. Corinth. 5. *Si Christus pro nobis mortuus est, ergo omnes mortui sunt*: quod de morte spirituali peccati intelligendum esse dicunt omnes Doctores. Et ad Ephes. 2. dixit idem Paulus. *Eramus omnes natura filij iræ, sicut & cæteri*. Item & ad Galat. 3. *Quod conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus*. Item Iob 21. habetur. *Quod nemo mundus est à sorde, neque infans cuius est vnius*

Fundamentum supradictæ opinionis, sunt quamplurima sacræ Scripturæ testimonia, quæ adducuntur ab illis.

dies vita super terram. Item & Psalm. 97. de Christo Domino dicitur quod *ipse solus erat inter mortuos liber.* Paulus etiam ad Hebraeos 7. de eodem loquendo ait: *Quod talis decebat vt nobis esset Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Quibus omnibus verbis ac sacræ Scripturæ testimonijs, satis aperte datur intelligi, quod Christus Dominus solus fuit sine peccato, atque ex omnibus supradictis sacræ Scripturæ locis colligūt supradicti Auctores, vniuersaliter & absque vlla prorsus exceptione, omnes Adami posteros peccatum contrahere originale: & consequenter quod dicere Beatam Virginem ab eodem fuisse immunem & præseruatam, aperte repugnat sacris litteris, fideique principijs, quæ ex eadem sacra Scriptura deducuntur.

Secunda opinio, quæ defendit dicere beatam Virginem à peccato originali fuisse præseruatam, nullo modo repugnare sacris litteris ac principijs fidei.

Secunda est aliorum sententia in alio extremo, dicentium etiam ante prædictam Sixti Quarti constitutionem, Beatissimam sacrā Virginem ab omni prorsus labe originali fuisse immunem, idque necdum non repugnare quinverò potius quammaxime esse consonum sacris litteris, ac principijs fidei, & contrarium affirmari non posse, absque hæresi, & periculo eiusdem fidei. Quod id etiā senserint quamplures testatur supradictus Sixtus Quartus in dicta sua Extrauagante, & tradit illud Suarez in 3. parte D. Thom. quæst. 27. art. 2. disp. 3. sect. 5. vbi refert Almainum hoc tenentem, in tractatu de potestate Ecclesiæ c. 16. Sed expressius id videtur sentire in 3. sent. dist. 3. quæst. 1. vbi ait B. sacram Virginem originale peccatum minime contraxisse, idque esse iam definitum & determinatum per Ecclesiam in Concilio Basiliensi, tanquam de fide, qua ratione credit contrariam sententiam esse hæreticam. Pro eadem etiam refertur Iodocus Clithoueus in annotationibus ad Damascenum lib. 3. de fide cap. 2. ante medium, & Titelmannus in caput secundum Ioannis, & Plures dicunt Doctores Parisienses in ea fuisse sententia & opinione, fundatos in prædicta determinatione Concilij Basiliensis, in quo Virginis puritas atque immunitas (vt dicitur) diffinita atque determinata fuit tanquam de fide. Et in eo quod Ecclesia publice Festum Conceptionis celebrat, quæ publica solemnitas, esse videtur quasi diffinitio fidei. Sacræ Scripturæ testimonia ex quibus hæc sententia comprobari potest, non afferuntur modo, adducentur tamen in sequenti quæstione, vt non semel & iterum eadem dicere cogamur.

Tertia opinio & verior resolutio.

Tertia opinio & verior resolutio est, quod neutra prædictarum assertionum est de fide, nec sacris litteris ac fidei principijs repugnat. An verò vnam siue alteram hæresis damnare rigida censura dignum sit, alterius est negotij, & statim dicetur. Pro quorum omnium explicatione & declaratione, sequentes statuo Conclusiones.

Prima Concluſio.

DICERE ſacram Virginem ab omni proſus originalis peccati labe præſeruatam fuiſſe, haudquaquam repugnat ſacris litteris, fideiue principijs: nec verò affirmare contrarium. Ac proinde prædictarum opinionum neutra eſt de fide, nec hæreticus poteſt dici aut mortaliter peccare qui illam defenderit. Hæc concluſio vt iacet, tanquam certa atque indubitata, determinata olim fuit à Sixto Quarto in ſua Extrauaganti quæ incipit, *Graue nimis;* & habetur inter communes lib. 3. de reliquijs & veneratione Sanctorum, & in Monumentis Ordinum primæ impræſsionis fol. 74. & ſecundæ fol. 158. conceſsio. 376. & refertur in priuilegiorum compendio, verbo, *Conceptio Virginis,* §. 8. Cuius quia tanti refert exactam habere notitiam, eandem hic ad vnguem libuit referre: nam & ex ipſa plane conſtabit, qualiter prædictus Sixtus Quartus ſupradictam litem & controuerſiam dirimendo, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna Sedi Apoſtolicæ reſeruata, prohibet ne quis vnam vel alteram prædictarum opinionum tanquam hæreticam condemnet, ſeu aſſerat mortaliter peccare, qui illam defendit. Cuius quidem conſtitutionis ſeu Extrauagantis tenor, ſic incipit.

Dicere ſacram Virginē à peccato originali fuiſſe præſeruatam, non repugnat ſacris litteris, aut principijs fidei & ſupradictarum opinionum neutra eſt de fide, aut hæreticus poteſt dici qui illam defenderit.

Graue nimis gerimus & moleſtè, cum ſiniſtra nobis de quibuſdam Eccleſiaſticis perſonis referuntur: ſed in eorum qui ad euangelizandum verbum Dei ſunt deputati, exceſsibus prædicando commiſsis, eo grauius pronunciamur, quo illi periculoſius remanent incorrecti: cum facile deleri nequeant, qui multorum cordibus ſic publice prædicando diffuſius, & damnabilius imprimuntur errores. Sane cum ſancta Romana Eccleſia de intemeratæ, ſemperque Virginis Mariæ Conceptione publice feſtum ſolemniter celebret, & ſpeciale ac proprium ſuper hoc officium ordinauerit, nonnulli (vt accepimus) diuerſorum ordinum prædicatores, in ſuis ſermonibus ad populum, publice per diuerſas ciuitates & terras affirmare hactenus non erubuerunt, & quotidie prædicare non ceſant, omnes illos qui tenēt aut aſſerunt eandem glorioſam & Immaculatam Dei genitricem, abſque originalis peccati labe fuiſſe conceptam mortaliter peccare: vel eſſe hæreticos: eiuſdem Immaculatæ Conceptionis officium celebrantes, audienteſque ſermones illorum, qui eam ſine huiuſmodi macula conceptam eſſe affirmant peccare grauiter. Sed & præfatis

Extrauagās Sixti Quarti quæ incipit graue nimis

prædicationibus non contenti, confectos super his suis assertionibus libros in publicum ædiderunt: ex quorum assertionibus & prædicationibus, non leuia scandala in mentibus fidelium exorta sunt, & maiora merito exoriri formidantur indies. Nos igitur huiusmodi temerarijs ausibus, ac peruersis assertionibus, ac scandalisque exinde in Dei Ecclesia exoriri possunt (quantum nobis ex alto conceditur) obuiare volentes: motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiā: sed de nostra mera deliberatione & certa scientia, huiusmodi assertiones prædicatorū eorundē, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent, eos qui crederent aut tenerent, eandem Dei genitricem ab originalis peccati macula in sua Conceptione præseruatam fuisse, propterea alicuius hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut huiusmodi officium Conceptionis celebrantes, seu huiusmodi sermones audientes, alicuius peccati reatum incurrere: vtpote falsas & erroneas, & à veritate penitus alienas, editosque desuper libros prædictos id continentes, quoad hoc auctoritate Apostolica, tenore præsentium reprobamus, & damnamus. Ac motu, scientia & auctoritate prædictis statuimus & ordinamus, quod prædicatores verbi Dei, & quicunque alij cuiuscunque status, gradus, aut ordinis, aut conditionis fuerint, qui de cætero ausu temerario præsumpserint in eorum sermonibus ad populum, seu alias quomodolibet affirmare, huiusmodi sic per nos improbatas & damnatas assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere vel habere, postquam de præsentibus scientiam habuerint: excommunicationis sententiam, eo ipso incurrant, à qua ab alio quam à Romano Pontifice (nisi in mortis articulo) nequeant absolutionis beneficium obtinere. Item motu, scientia & auctoritate similibus, simili pœna ac censura subijcientes eos, qui ausi fuerint asserere contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariā cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen vel peccatum incurrere mortale, cum nondum sit à Romana Ecclesia & Apostolica sede decissum. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, contrarijs quibuscunque, quibus communiter vel diuisim à Sede Apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per literas

teras Apostolicas, non facientes plenā ac expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mētionem. Et ne de præmissis aliquando ignorantiam valeant allegare, volumus quod locorum ordinarij, requisiti præsentes litteras in Ecclesijs consistentibus in eorum ciuitatibus, & suarum Diœcesum, & locis insignibus, dum maior ibi multitudo populi ad diuina conuenerit, sermonibus ad populum mandent & faciant publicari. Præterea, quia difficile foret, præsentes litteras ad singula loca in quibus expediens fuerit deferre, etiam volumus & dicta auctoritate decernimus, quod earundem litterarum trāsumpto, manu publici notarij confecto, & authentico alicuius prælati Ecclesiastici sigillo munito, vbique stetur, prout staretur eisdem originalibus litteris, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reprobationis, damnationis, statuti, ordinationis, voluntatis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attētare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorū Petri & Pauli Apostolorū se nouerit incursurū. Datum Romæ apud Sanctum Petrū, anno Incarnationis Domini 1483. pridie nonas Septembris, Pontificatus nostri anno decimotertio.

Supradictam Sixti Quarti Bullam, postea Alexander Sextus confirmauit, inserendo illam de verbo ad verbum, ac dando desuper iudices cum magnis clausulis & non obstantijs, vt habetur etiam in Monumentis Ordinis primæ impræssionis folio 44. & secundæ folio 158. concession. 376. & refertur in Compendio verbo, *Conceptio Virginis*, §. nono cuius quidem confirmatio est tenoris sequentis.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Illius qui se pro Dominici gregis saluatione in pretium immolari non abnuit, vices quamquam immeriti gerentes in terris, circa ipsius excubias gregis nos solicitis congruit vigilijs intendere, ne contagiosos depascant feratus, & nimia curiositas superstitionem: & superstitio errores & scandala partu riant, & ea quæ ad occurrendum erroribus, & scandalis huiusmodi per prædecessores nostros salubriter ordinata sunt, quibus suis sublatis impedimentis obseruentur. Dudum siquidem à fælic. record. Sixto Papa Quarto prædecessore nostro, litteræ ema-

Alexādri 6. constitutio in confirmationem prædictæ Extrauagātis Sixti IIII.

narunt tenoris subsequentis. *Sixtus Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Graue nimis gerimus, &c. vt supra, & infra. Cum autē sicut (non sine animi molestia) accepimus, nonnulli diuersorum ordinum Religiosi, effectum litterarum prædictarum forsan ignorantes, aut illas temerarijs ausibus contemnentes, in sermonibus & prædicationibus ad populum, & alias publice per diuersas ciuitates & terras, varias opiniones circa contenta in ipsis eisdem litteris, contra earum tenorem, in medium proponere, & quidam vnum, alij vero reliquum affirmare non erubescant, ex quibus in populo variæ opiniones imprimuntur, & scandala non modica generantur. Nos, ad quos ex debito pastoralis officij pertinet à sancta Dei Ecclesia (quantum nobis ex alto conceditur) scandala remouere, volentes scandalis huiusmodi (vt tenemur) opportunis remedijs occurrere: motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex nostra certa scientia, auctoritate Apostolica, tenore præsentium decernimus & declaramus, præinsertas litteras, ac omnia & singula in eis contenta, perpetuis futuris temporibus, donec per Sedem Apostolicam aliter decisum & determinatum fuerit, inuiolabiliter obseruari debere. Quo circa vniuersis & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac alijs locorum Ordinarijs, & Ecclesiarum Prælatis, & Abbatibus, & personis alijs in dignitate Ecclesiastica constitutis: in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna districte præcipiendo mandamus, quatenus ipsi & quilibet ex eis, per se vel alium, seu alios, prædictos vbi & quando expedire cognouerint, & quoties super hoc requisiti fuerint, solemniter publicari faciant, auctoritate nostra litteras ipsas, ac in eis contenta inuiolabiliter obseruari. Contradictores quoslibet & rebelles, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, vel ordinis existentes, etiam si mendicantium ordinum, quorumcunque etiam de obseruantia nūcupatorum, Prælati, Ministri, aut alij fratres fuerint, per excommunicationis, ac alias sententias, censuras & pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij sæcularis. Et nihilominus omnes & singulos quos dictam excommunicationis sententiam eis incur-*

incurrisse constiterit, & eorum quemlibet in Ecclesijs dum maior ibi populi multitudo ad diuina conuenerit, excommunicatos publice nuntient, & faciant ab alijs nuntiari, ac ab omnibus arctius euitari, donec ad cor reuersi, & pœnitentia ducti, ab huiusmodi excommunicationis sententia absolutionis beneficium ab eadem sede meruerint obtinere: ac legitimis super his habendis seruatis processibus sententias, censuras, & pœnas huiusmodi, quoties opus fuerit, iteratis vicibus aggrauare procurent: non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus, priuilegijs, exemptionibus, indultis & litteris Apostolicis, quibusuis personis, sæcularibus & regularibus, quorumcunque ordinum (etiam Mendicantiũ, & de Obseruantia nuncupatorum) professoribus ipsis & ordinibus, tam per mare magnum, & Bullam Auream nuncupatas, quam perquascunque litteras alias Apostolicas, etiam à nobis emanatas, & iteratis vicibus approbatas, etiam ex quibusuis vrgentissimis & maximis causis, & subquibuscunque formis, & expressionibus verborum, & etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; fortioribus, efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibus decretis, etiam talibus quod illis nullatenus, vel non nisi sub certis modo & forma inibi expressis derogari possit, etiam motu, scientia, & auctoritate similibus, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine concessis, quibus omnibus & eorum singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de eis ipsorumq; totis tenoribus specialis, specifica, individua & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per generales (etiam id importantes clausulas) mentio, aut quæuis alia expressio, vel eorundem ordinum, aut alicuius ex eis personis intimatio habenda, aut alia exquisita forma obseruanda foret tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, etiam incertis habentes, quo ad præmissa dumtaxat (illis alias in suo robore permansuris) harum serie similibus motu & scientia specialiter & expresse derogamus, contrarijs quibuscunque, aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Cæterum quia difficile foret ad singula

gula quæque loca in quibus expediens fuerit, originale deferri volumus. Et simili auctoritate scientia & motu decernimus, quod earundem præsentium litterarum trasumpto, manu publici notarij subscripto, & alicuius Prælati Ecclesiastici, aut illius curiæ sigillo munito, vbique stetur, & eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio & extra, ac vbi fuerit exhibitum & ostensum in omnibus & per omnia, prout eisdem præsentibus staretur si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1502. decimo Kalendás *Martij, Pontificatus nostri anno vndecimo.*

Supradictæ constitutiones innouatæ sunt per Concilium Tridentinum, Sessione 5. de peccato originali in fine, ac postea per quendam Motum proprium exhibitum à Pio Quinto, anno 1570. pridie Kalendas Decembris, Pontificatus sui anno quinto, cuius constitutio siue Extrauagans, sic etiam incipit.

Constitutio Pij V. quæ incipit super speculã, in confirmationem Extrauagantis Sixti 4. quæ incipit, graue nimis.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Super speculam Domini, viribus licet exiguis constituti, Prophetæ solicitudinem imitantes, die noctuq; ad diuersos Ecclesiæ status nostræ mentis aciem intendimus, studiose prouidentes, vt communi Domino ab omnibus gradibus fideliter seruiatur, ac illis maxime quibus digniora ministeria diuini spiritus fauore credita sunt, inter quos diuini verbi prædicatores adnumerandos esse nemo dubitare poterit, qui eorum munus ab ipso domino consecratum, Apostolis præcipue iniunctum esse animaduertet, qui si adepto gradu digne fungerentur, Euangelizantes pacem, annuntiantes bona, prædicantes salutem: non solum vox eorum dulcis, verum & speciosi pedes viderentur, & fraternæ salutis vberes fructus referentes, multam fiduciam haberent in die Domini. Verum (quod neque sine animi dolore accepimus, nec referre possumus) quidam diuersorum ordinum Regulares, clericiq; sæculares, omissis quæ diuinæ maiestatis gloriam, & sanctissimæ Deigenitricis, aliorumq; diuorum venerationẽ atque fidelium pietatem promouere poterant, quod Apostolus in quibusdam arguit, languent circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ & contentiones, cæteraq; vitiorum monstra, potissimum vero cum de gloriosæ

Virginis Mariæ Conceptione sermo inciderit: tam pertinaciter pro alterutra parte contendũt, ac si de illis dogmatibus esset, quæ corde credere ad iustitiam, ore confiteri ad salutem, necessarium est. Quibus illud Prophetæ conuenire videtur, dicunt ait Dominus, cum ego non sim loquutus, cum S.R.E. omnium Ecclesiarũ magistra & doctrix, disciplinam de ea re hucvsque non diffinierit, nemo absque temeritate præiudicare, vel alterius partis sententiam damnare potest, & quasi desint præclarissima inuentrix gratiæ merita, quæ nec Angelica quidem lingua satis digne referri possunt, & cum ex illo vberrimo fonte, puteoq́ aquarum viuentium, non possint saluberrimas haurire aquas, quibus fidelis populus magna cum vtilitate atque dulcedine reficeretur, ad dissipatas cisternas accurrunt, stultas scilicet & sine disciplina quæstiones, quæ generant lites, quas nec frequens multitudo intelligere, nec viri sapientes qui capiunt, vtiliter percipere valeant. Præsertim quoniam vt experimento didicimus, ipsorũ concionatorum qui ad quæstiones huiusmodi proponendas facilius erumpere solent, maior numerus materiæ difficultatem prorsus ignorantes, neque intelligentes quæ loquũtur, aut de quibus affirmant: simplicium animos indiscretæ deuotionis obtentu, vel potius loquacitatis & ostẽtationis effectu, ad tumultus & simultates concitant, quos tumultuantes atque dissidentes componere sedareq; potius oportebat. Cumq; paruulis in Christo lac infundere, prouectis solidum cibum apponere deberent, dum in huiusmodi controuersijs interminatis versantur, omnibus vbera proferunt arentia, quod non absque maledictionis nota legimus in Propheta. Nos igitur qui prædecessorum nostrorum saluberrima decreta pro viribus salua esse cupimus, potissimum illa quæ â sacrosancta Synodo Tridentina denuo sunt confirmata, liberam cuique facultatem relinquentes, opinandi huius controuersiæ quamlibet partem, prout magis probabilem esse iudicauerit: prædictorum igitur concionatorum, aliorumq́ contẽtioni atque temeritati, populorumq́ scandalis occurrere studentes: Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de certa scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, statutum fœlic. recordat. Sixti Quarti prædecessoris nostri

 super

super ea re, quod à præfata Synodo innouatum est, illud præsentibus ac si de verbo ad verbum esset insertum pro plene & sufficienter expresso & inserto habentes, Apostolica auctoritate præsentium tenore confirmamus, & approbamus, atque vt deinceps efficacius à cunctis obseruetur perpetuo statuimus, & ordinamus, atque per Apostolica scripta mandamus, quatenus nemo cuiuscunque ordinis, gradus, conditionis, vel dignitatis existat, in popularibus contionibus, vel vbicunque promiscua virorum & mulierum multitudo conuenire solet, de huius controuersiæ altetutra parte disputare, rationibus vel Doctorum auctoritatibus, asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo, aut impugnãdo, vel de hac ipsa quæstione, cuiusuis pietatis aut necessitatis prætextu vulgari sermone scribere vel dictare præsumant. Qui contra fecerit, suspensionis pœnam à diuinis absque noua declaratione ipso facto incurrat, si modo fuerit in sacris cõstitutus, & quocunque præterea gradu siue dignitate, vel administratione fungatur, illis omnibus sit ipso iure priuatus, & ad eadem vel similia munera obtinenda, vel obeunda perpetuæ inhabilitatis censuræ, ipso etiam facto sit obnoxius. Super quibus nisi à Romano Pontifice pro tempore existente dispensari siue absolui possit, & nihilominus alijs pœnis (si opus fuerit) à proprio prælato pro delicti mensura infligendis subijciatur, prout subijcimus. Cæterum quandiu per Apostolicam sedem altera pars diffinita non fuerit, oppositaq; sententia condemnata, liceat viris doctis in publicis Academiæ disputationibus, siue generalium, aut prouincialium capitulorum, vel vbi alias intersunt qui rem capere possunt, nec scandali vlla subest occasio, de illa quæstione disserere, & argumentis vtramlibet partem, vel asserere vel impugnare, dumtamen neutra veluti erronea prædicetur, seruenturq; illa omnia quæ à dicto Sixto Quarto prædecesore nostro statuta sunt, quorum singula (vt præfertur) etiam quantum ad alias pœnas duximus innouanda, & innouamus per præsentes. Vt autem hæc nostra constitutio, & prædicta omnia ad eorum omnium quorum interest notitiam congruentius peruenire possint, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, etiam

eo

eo ipso incurrenda, si in his quæ mandamus exequendis negligentes se exhibuerint, præcipimus & mandamus, omnibus & singulis locorum ordinarijs, ac eorundem vicarijs suffraganeis, & officialibus quibuscunque, & alijs singulis, ad quos quomodolibet spectat & pertinet, quatenus huiusmodi nostram constitutionem singulis suæ Diœcesis vel districti Prædicatoribus, & alijs quibus expedire iudicauerint, opportune insinuent & publicent, atque insinuari & publicari faciant. Et ne quis in posterum quoquo modo ignorantiam de præmissis possit prætendere, aut se contra præmissa valeat excusare: volumus & similiter eadem auctoritate decernimus, & mandamus, quod præsentes litteræ per aliquos ex nostris Cursoribus in Basilicarum sancti Ioannis Lateran. ac Principis Apostolorum, & Chancellariæ Apostolicæ Valluis, ac in acie campi Flore de Vrbe, de more publicentur & affigantur, & illis inde amotis, remaneant in eisdem locis earundem exempla affixa: quæ publicatio & affixio ita omnes ad quos spectat afficiat, & arctet, ac si illis personaliter intimatæ fuissent, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus, ac quibusuis indultis, & litteris Apostolicis, quibusuis personis etiam quantumcumque qualificatis, & in quacunque etiam Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali & quauis alia dignitate, & honore constitutis, etiam quod interdici, suspendi vel excommunicari nequeant, quomodolibet concesis, quæ eis contra præmissa in aliquo suffragari non posse decernimus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus insuper & decernimus, quod præsentes, vim perpetuæ & irrefragabilis constitutionis obtineant, & quod illarum trasumptis etiam impræssis, manu alicuius Notarij subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus litteris adhiberetur, si ostensæ vel vel exhibitæ forent in camara Chancellariæ nostræ Apostolicæ, quacunque in contrarium dispositione non obstante. Nulli ergo omdino hominum liceat, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1570. pridie Kalendas Decembris Pontificatus nostri anno quinto.

Ex quibus prædictis constitutionibus Extrauagantibus, superque satis constat, supradictarum opinionum neutram esse de fide, aut hæreticam vllo modo dici posse: & contrarium qui dixerint, siue mortaliter peccare qui alterutram tenet: excommunicationis latæ sententiæ pœna Sedi Apostolicæ reseruatæ esse obnoxium. Qua quidem ratione, ego certe non video (vt & aliàs in quæstione 10. dixi) qualiter ab excommunicatione prædicta à Sixto Quarto imposita & ab Alexandro Sexto, & à Tridentina Synodo, & à Pio Quinto innouata & confirmata, liberari possint qui inquam plurimis nostræ Hispaniæ locis, sed maxime in Prouincia Betica, ausi sunt præteritis annis, non solum prædicare, verum etiam & coram innumerabili virorum, ac mulierum multitudine publice affirmare, opinionem quæ Beatam Virginem à peccato originali liberat, & à Deo præseruatam esse dicit, nō solum esse nouam & solis ignorantibus probatam, verum etiam hæreticam, à Sathana inuentam, & igne dignam. Hæc in dicta Prouincia Betica, non quidē sine magno fidelis populi scandalo, quamplurimos Theologos & diuini verbi prædicatores publice docuisse, publica refert fama, ac notoria res est. Quæ cum nō (vt videtur) sincero animo, quinverò cū scandalosa audacia, ausuq; temerario sint dicta, dubitari minime potest Theologos & Prædicatores prædictos, omnesq; alios similia verba proferentes, in prædictam excommunicationis soli Apostolicæ sedi reseruatæ sententiam ipso facto incurrisse. Res certe quammaximo remedio digna, & vt Apostolica sedes, cunctique Religionum omnium Prælati & superiores, eiusmodi ausus temerarios reprimere procurent, & suorum subditorum conscientijs succurrere studeant. Etenim si peruersum dogma est, asserere hæreticam esse opinionem in cuius fauorem Romana Ecclesia solēnc festum instituit, (non illam definiens, sed tantummodo approbans vt piam) non esse potest non peruersa assertio, quæ non obstante prædicto solemni festo quod Ecclesia de Immaculata Conceptione celebrat, dicere audet fidem Catholicam comprehendere, sacram Virginem sub generali regula de contrahendo eiusmodi peccato originali, quam sacra Tridentina Synodus adeò constanter atque asseueranter dixit, non fuisse suæ intentionis comprehendere in decreto illo, sed penes hoc obseruandas esse constitutiones supradictas, sub pœnis in eisdē contentis, quas innouauit & ipsa. Qua quidem ratione circa propositas constitutiones, insurgunt dubitationes quædam, & nec modici quidem ponderis ac momenti, quarum prima est. An præter excommunicationem supradictam, quam diximus ipso facto incurrisse talia asserentes, aliqua alia etiam censura sint digni, prædictarum opinionū alterutram hæresis damnantes?

Dubitatio 1. Qua censura digni sint prædictarum opinionum alterūtram hæresis, aut peccati mortalis dānantes?

Qua quidem de re non est par omnium Doctorum consensus quinverò quammaxime sunt inter se diuisi. Noster enim Castro lib. 1. de

Prima opinio nostri Alphōsi à Castro.

2. de iusta Hæreticorum punitione, dubitatione quarta: hæreticum esse censet, qui prædictarum opinionem alteram hæresis damnauerit, id ipsum si cum pertinatia faciat. Cuius quidem rationem reddit, quia iste talis errat in fide, dum asserit infallibiliter esse certum, quod Ecclesia declarat esse incertum: ergo intentum. Quam sententiam vt probabilem, defendit etiam Vazquez 2. tom. ad tertiam partem Diui Thom. disp. 117. cap. 14. ad finem num. 150. cum quo consentire videtur Bellarminus lib. 4. de amissione gratiæ, & statu peccati cap. 15. §. ab hac aduersariorum temeritate.

Secunda opinio Valentia, & Corduua. Alij verò (vt Valentia, quarto tomo disput. 2. quæst. 1. puncto 2. & Corduua lib. 1. sui Quæstionarij quæst. 17. §. 13. in fine) volunt eiusmodi hominis assertionem esse falsam, erroneam atque à veritate alienam, prout Sixtus Quartus in sua prædicta Extrauaganti iudicauit, non tamen hæreticam. Cum quibus consentire videtur Suarez 2. tomo ad tertiam partem disput. 3. sect. 6. in fine, vbi dicit eiusmodi hominem esse quidem temerarium & inobedientem Ecclesiæ, non tamen hæreticum. Nam cum Ecclesia non definierit tanquam de fide, vtramque problematis partem esse incertam, sed solummodo simpliciter docuerit vtramque, ideò non esse infallibiliter certam, quia Ecclesia neutram hucusque determinauit de fide: haudquaquã (inquit) dici potest eiusmodi homo errasse in fide.

Tertia opinio Ægidij. Sed Ægidius lib. 5. de Immaculata Virginis Conceptione, quæst. 2. art. vnico à num. 9. cum sequentibus, alia procedit via, & adhibita distinctione litem prædictam volens dirimere dicit; quod qui affirmat esse hæreticum aut mortaliter peccare, eum qui credit aut tenet Beatam Virginem absque vlla originali macula fuisse conceptam: tanquam verus hæreticus est iudicandus & habendus; qui verò dixerit hæreticam esse opinionem quæ asserit Virginem in peccato originali conceptam fuisse, profert quidem assertionem falsam, & temerariam in fide (pro eo quod priuata sua auctoritate asserit esse de fide, quod Sedes Apostolica dicit nondum esse diffinitum de fide) non tamen profert assertionem peruersam aut erroneam, & multo minus hæreticam: quam assertionem dicit se statuere contra Valentiam, & nonnullos alios ex modernis, qui asserunt Sixtum Quartum in dicta sua Extrauaganti, *Graue nimis*, hanc etiam vltimam assertionem damnasse & reprobasse, vt peruersam atque erroneam: quod quidem (inquit) non fecit. Itaque Ægidij fundamentum ad constituendam prædictam differentiam inter supradictas duas propositiones, est quod Sixtus Quartus in dicta sua Extrauaganti, quando egit contra affirmantes esse hæreticos aut mortaliter peccare, eos qui credunt aut tenent B. Virginem absque vlla originali macula fuisse conceptam, eiusmodi assertionem tanquam falsam & erroneam, & à veritate penitus alienam reprobauit atque damnauit, per illa verba, *Eiusmodi assertiones, re-*

pote-

pote falsas & erroneas, & à veritate penitus alienas, editosq; desuper libros prædictos id continentes, quo ad hoc auctoritate Apostolica tenore præsentium reprobamus & damnamus. Quę quidem verba fidei diffinitionem continent, vt satis colligitur. *ex cap damnamus de summa Trinitate, & fide Cathol.* vbi per alia similia, *damnamus & reprobamus*, doctrina cuiusdam Abbatis Ioachimi ab Innocentio III. damnata & reprobata fuit, & appellatur ibi hæretica, verbo *si quis igitur*: quod cum non fecerit supradictus Sixtus Quartus quando egit de alia assertione, & de eo qui dixerit hæreticam esse opinionem, quæ asserit Virginem conceptam esse in peccato originali: inde est vt motus fuerit Ægidius prædictus, dicere quod primæ propositionis assertor, vere sit hæreticus, & vt talis diiudicandus & habendus: secundæ verò propositionis non ita: nam quãvis proferat assertionem falsam atque in fide temerariã, pro eo quod priuata sua auctoritate asserit esse de fide quod Sedes Apostolica dicit nondum esse determinatum de fide: non tamen profert assertioné peruersam, aut erroneam & multominus hæreticam. Aliam præterea rationem adducit supradictus Ægidius, in confirmationem suæ sententiæ & opinionis: & ea est quia licet audaciæ atque temeritatis plenum sit, in fidei materia absque Ecclesiæ auctoritate opinionem aliquam hæreseos, aut mortalis culpæ damnare, quam Ecclesia nondum damnauit; assertio tamen quæ dicit hæreticam esse opinionem, quæ asserit Virginem conceptam esse in peccato originali, quamvis proferat propositionem falsam & in fide temerariam, pro eo quod priuata auctoritate dicit esse de fide, quod sedes Apostolica nondum determinauit esse de fide: eiusmodi tamen assertio nihil in se cõtinet, quod erroris aut peruersitatis damnetur, cum sit assertio quæ nec fidei repugnat, nec veritatibus vt de fide receptis: at verò assertio primo loco posita, quæ affirmat esse hæreticos, aut moraliter peccare eos qui credunt aut tenent Beatam Virginem absque originali labe fuisse cõceptam, multum in se audaciæ, temeritatis, quinverò erroris, & peruersitatis habet: cum non solum diffiniat tanquam de fide quod Ecclesia de fide non definiuit: verum etiam hæreseos atque peccati damnet id quod Ecclesia Romana & Apostolica Sedes, vt pium & fidei consonum probauit, præcipiendo & mandando Conceptionis festũ publice ac solemniter celebrari: quod (inquit) esse expresse contra fidem facile conuincitur, apud eos qui tenent Ecclesiam errare non posse in celebratione Festorum, & etiam apud eos qui cum alijs dicunt, Ecclesiam dum Festorum celebrationem instituit, non proinde definire eiusmodi celebrationem vt de fide: sed solummodo vt rem piam, & veritatem fidei consonam, quæ pia definitio satis est, vt credẽdum sit de fide eiusmodi veritatem esse infallibilem, & hæreticum affirmare in eo aliquam reperiri posse falsitatem. Et hæc est causa (inquit supradictus Ægidius) ob quam prædictus Sixtus Quartus assertionem

tionem istam, de qua loquimur non solum reprobauit, vt in se peruersam, verum etiam damnauit vt erroneam atque hæreticam, quia hæresis damnat, quod Ecclesia publica auctoritate celebrat: illam verò aliam non damnauit vt peruersam, erroneam, aut à veritate alienam: sed solummodo vt audacem & temerariam, eam præcisè ob causam, quia affirmat esse de fide, id quod nondum Ecclesia Romana determinauit esse de fide (quod temerarium) est & excommunicat eos qui eiusmodi assertionem proferre audent. Hæc Ægidius vbi supra: cuius sententia in sua probabilitate relicta, pro resolutione supradictæ dubitationis, sequentem statuo Conclusionem, quæ erit secunda in ordine.

Secunda Conclusio.

QVI asserit supradictarum opinionem alteram esse de fide, & cõsequenter esse hæreticum, siue mortaliter peccare, eum qui contrariam defendit: præter excommunicationem latæ sententiæ soli sedi Apostolicæ reseruatam, quam ipso facto incurrit, puniendus venit, pro eo quod dixerit assertionem quandam falsam, temerariam, erroneam atque à veritate alienã. An verò eiusmodi sit censendus hæreticus, vt dicit Castro, Vazquez & Ægidius, an verò non, ea in re nolo iudicem agere, siue aliquid ex mea propria sententia determinare, aut diffinire, aliorum esto iudicium. Solummodo dico rigidiori esse dignos censura, eos qui dicunt esse hæreticos aut mortaliter peccare, qui credunt aut tenent Beatam Virginem absque originali labe conceptam fuisse, quam eos qui asserunt hæreticam esse opinionem, quæ dicit eandem Virginem conceptam fuisse in peccato originali, propter rationes superius dictas, & traditas à prædicto Ægidio fundatas in Extrauaganti Sixti Quarti, & in ratione apertissima, nempe pro eo quod præterquam quod sua audacia & temeritate nimia, asserere audent tanquam de fide quod Ecclesia nunquam determinauit esse de fide: audent etiam hæreseos siue peccati damnare, quod Ecclesia Romana & Apostolica sedes approbatũ tenet, vt pium & veritati, fideiq; satis consonum, hoc est vt Conceptionis Festum publice atque solemniter celebretur, quod multum est notandum ac memoriæ commendandum.

Qua pœna sit puniendus qui asserit prædictarum opinionum alteram esse de fide, & hæreticum qui contrariam defendit, siue mortaliter peccare.

Vlterius circa constitutiones prædictas alia insurgit dubitatio, & ea est. Qua censura sit dignus qui supradictarum opinionum alteram, non quidem hæreseos damnauerit, sed aliqua alia nota: vt puta qui dixerit eam esse erroneam, temerariã aut scandalosam, seu quod absque peccato saltim mortali non potest defendi? Et ratio dubitandi est, quia Albertinus lib. de agnoscendis assertionibus quæst. 17. inquisitorum iudicio admissus est damnare, vt scandalosam, male sonantem &

Dubitatio 2. Qua censura dignus sint qui prædictarum opinionum alteram nõ quidem hæreseos,

 teme-

Sed alterius nota damnauerunt?

temerariam assertionem, quæ dicit Beatissimam Virginem peccatũ contraxisse originale: quod minime credendum est tolerarent sacri circunspectissimi iudices, eiusmodi iudicio deputati, si crederent id vllo modo constitutioni supradicti Sixti Quarti repugnare. Cui accedit, quod post prædictam Sixti Quarti constitutionem, Vniuersitas Parisiensis, prædictam sacræ Virginis immunitatẽ ab omni prorsus originali labe, necdum vt opinionem defendit, verum vt sententiam ita veram, quod oppositam damnet, tanquam falsam, impiam, piarum aurium offensiuam, & retractatiuam à deuotione fidelium, vt dicit Corduua lib. 1. sui Quæstio. quæst. 44. in confirmatione 8. sextæ conclusionis. Quod etiam minime credendum est facerent Patres illi adeò grauissimi, si intelligerent in eo constitutioni supradicti Sixti Quarti cõtraire. Et similiter dicit supradictus Corduua, esse alios qui dicunt ad minus esse peccatum veniale, asserere Beatam Virginem in originali peccato fuisse conceptam. Quæ sententia tribuitur Ioanni Maiori in 2. sent. dist. 30. quæst. 4.

In contrarium vero facit, quod supradictus Pius Quintus in dicta sua Bulla, quæ incipit *Super speculam*, liberam cuique tribuit facultatẽ, tenendi atque defendendi supradictarum opinionum quamlibet: dũmodo oppositam nõ iudicet, aut erroneam damnet, pœnas à supradicto Sixto Quarto positas innouando: ex quo videtur illas imponere, non solum eis, qui quamlibet prædictarum opinionum damnauerint vt hæreticam, verum etiam & qui illam damnauerint vt erroneam. Circa quam difficultatem Ægidius supradictus loco vbi supra, §. 4. num. 21. & 23. in supradicta sua opinione persistens, suam sententiam atque resolutionem ponit, quæ quoniam vera & satis probabilis mihi etiam videtur, de illa sequentem statuo Conclusionem.

Tertia Conclusio.

Qua censura digna sit assertio, quæ dicit erroneam, scãdalosam, siue temerariã esse opinionem quæ dicit B. Virginem ab originali peccato præseruatam fuisse.

QVI dixerit sententiam quæ liberat Beatam Virginem ab originali labe, esse erroneam, scandalosam aut temerariam, aut denique sine peccato (saltim veniali) teneri non posse: assertionem profert adminus erroneam: qui verò illud ipsum dixerit, de sententia quæ dicit eandem Virginem originale peccatum contraxisse, profert quidem assertionem falsam: non tamen eiusmodi censura dignam: sed solummodo inobedientiæ, audaciæ & temeritatis: quod satis est, vt non talis assertio permittatur. Supradictam suam conclusionem probat Ægidius prædictus quoad primam partem, ex eo quod ille talis sciẽs & prudens asserit esse erroneum, scandalosum & temerarium in fide, id quod Ecclesia Romana probatum habet, tanquam pium ac fidei consonum, præcipiendo Conceptionis Festum solemniter celebrari: nam (vt supponitur) saltim est erroneum dicere, Ecclesiã errare posse

in

in celebratione Festorum. Cum igitur Ecclesia Romana Immunitatẽ Virginis publice præcipiat celebrari, & celebrantibus adeò copiosas Indulgentias concedat, vt facientibus rem vere piam, & fidei satis cõsonã: non potest saltem ab errore liberari, qui dixerit eiusmodi celebrationem esse erroneam, temerariam, aut scandalosam, vel peccaminosam, etiam venialiter. Et quamvis Sixtus Quartus in sua prædicta constitutione contra istos nihil expresse diffinierit, quia solum egit contra eos qui eiusmodi immunitatem damnant vt hæreticam: identitas tamen (inquit) rationis cogit, vt dicamus hanc etiam sententiã ibidem damnari. Nam quis non damnabit saltem vt erroneum, asserere Ecclesiam celebrare illius immunitatem, quæ sine errore, scandalo, siue temeritate & culpa (etiam veniali) celebrari nõ potest? Quod exprimere volens Pius Quintus in supradicta sua Extrauaganti, prædictam Sixti Quarti confirmando, dum prohibet, ne altera prædictarũ opinionum velut erronea damnetur, liberam concesit facultatem defendendi quam quis voluerit sententiam, quam non concessisset, si altera pars sine errore, scãdalo aut temeritate, & peccato (saltim veniali) defendi non posset. Quoad secundam verò partem probat Ægidius conclusionem prædictam, ex eo quod modo diximus. Nam cum prædictus Pius Quintus liberam concesserit facultatem opinandi quã libet partem, prout magis piam, seu magis probabilem quisque iudicauerit (quæ sunt expressa verba suæ constitutionis) certum est neutram partem ab aliqua persona, particulari censura posse notari: & quod qui dicit contrarium, falsam assertionem profert. Nam quomodo non falsum profert, qui affirmat erroneam, temerariam, aut scandalosam esse opinionem, cuius Summus Pontifex interim quod in cõtrarium, quidquam non fuerit determinatum, liberam facit facultatem opinandi quod placuerit? Sed quod eiusmodi assertio, non erroris vel alterius notæ quam solius inobedientiæ, audaciæ, siue temeritatis digna sit, exinde patet: nam alias Sanctæ Inquisitionis tribunal non admisisset illam Albertini qualificationem (de quo supra) neque Sedes Apostolica Parisiensium opinionem vllo modo permitteret. Ex quo infert, quod talis assertio nulla alia censura quã inobedientiæ & audaciæ, siue temeritatis sit digna. Quod satis est vt non permittatur: nam id quod dixit Pius Quintus in sua prædicta constitutione de errore, non fuit iudicialis fidei diffinitio, sed solummodo simplex quædam ordinatio, interim quod Ecclesia huius controuersiæ partem aliquam non diffinierit, seu determinauerit.

Hic etiam potest dubitari tertio, vtrum assertio quæ alterã prædictarum opinionum (non quidem hæresis damnauerit) sed erroris, scandali, siue temeritatis, aut dixerit neutram teneri posse sine, peccato veniali, incidat excommunicationis sententiam positam à Sixto Quarto, & à Concilio Tridentino, Alexandro Sexto, & Pio Quinto

Dubitatio 3. Vtrũ qui prædictarum opinionum alterã non hæresis dã

Ff 2

naverit, aut peccati mortalis, sed alterius nota, incidat in excommunicationem à Sixto 4. positam.

Quinto renouatam. Et pro vtraque parte sufficiēs adest dubitandi ratio. Nam quod non incurratur exinde patet: quia prædicti Sixti IIII. constitutio eiusmodi excommunicationis sententiam in eos tantummodo protulit, qui alterutram prædictarum opinionum hæresis damnauerint, aut dixerint defendi non posse sine peccato mortali? Et cū lex pœnalis extendi non debeat extra proprium casum. *iuxta cap. Odia, cap. in pœnis de reg. iur. lib. 6. & cap. pœna de pænit. dist.* 1. etiam si in vtroque casu eadem inueniatur omninò ratio, vt ex Iurisperitis tenent. *Imola in l. si vero, §. de viro ff solut. matr.* Et Dominicus *in cap. 1. de tempor. ordin. in 6.* & ibi Glossa verbo, *Italia*, & probat Nauar. in dicto cap. *pœnæ*, & Castro lib. 1. de potest. legis pœnalis cap. 7. in tertio documento, quam sequitur etiam Sairus in sua Claui Regia, lib. 3. cap. 8. num. 9. & 10. vt videtur supradicta excommunicatio non incurritur, nec extendenda est ad casum non ibi propositū, etiā si in illo eadē militet omninò ratio.

Nota valde rationem dubitādi, & an lex pœnalis extendi debeat, & possit interdū extra propriū casum?

Primus dicendi modus.

Secundus dicēdi modus verior & tenendus.

Pro alia verò parte, quod censura prædicta in dicto casu incurratur, concludi videtur ex eo, quia iuxta aliorum sententiam, longe verior, ac iuri conformior est resolutio, quæ tenet legem pœnalem extendi ad similem casum, in quo eadem militat omninò ratio: quæ est sententia Glossæ *in dict. cap. 1. de tempor ordina lib. 6. verbo Italia* (quamuis perperam pro alia citetur parte) quod etiam ita resoluit Abb. in dicto cap. 1. num. 15. & est resolutio multorum aliorum, qui citātur per Tiraquelum in *l. si vnquam, verbo libertis num.* 15. & in tract. de causa cessante 1. p. num. 115. per Nauarrum *lib. 6 consiliorum de consanguinitate & affinitate consil. 3. num.* 10. Cuius resolutionis ratio est, quia (inquiunt) non aliunde melius colligi potest, quod legislator disposuisset in casu non expresso, quam ex ratione finali qua nititur in casu expresso: cum ergo ratio finalis Sixti IIII. ad imponendam excommunicationem prædictam, fuerit occurrere excessibus, qui in prædicando & disputando de hac controuersia committebantur indies, maxime contra celebrationē Conceptionis Immaculatæ Virginis: cum ijdem tumultus excitarentur si vtraque opinio mutuo erroris vel temeritatis dāmnaretur, lōge probabilius apparet multis (de quorum numero est supradictus Ægidius loco vbi supra) excommunicationem prædictam latam à supradicto Sixto IIII. etiam comprehendere supradicta asserentes, non quidem per viam extensionis, sed comprehensionis, seu verò potius propter identitatem rationis. Quod & mihi probatur quā maxime.

Respondetur ad fundamentū primæ opinionis adductum in initio quæstionis.

Respondere superest ad fundamentum contrariæ opinionis, propositum in initio huius quæstionis, ad probandum opinionem quæ dicit Sanctissimam Deiparam Virginem ab originali peccato fuisse præseruatam, repugnare sacris litteris, ac principijs fidei. De qua opinione dico cum supradicto Ægidio in dicto lib. 3. de Immaculata Cōceptione Virginis quæst. 5. art. 1. §. 2. eiusmodi opinionem omninò

esse:

esse reprobandam, saltim vt erroneam in fide. Cuius ratio est, nam si opinio quæ dicit Beatam Virginem à peccato originali præseruatam fuisse, sacris repugnaret litteris, siue principijs fidei (vt Doct. contrariæ opinionis illi impingunt) non posset non formaliter censeri hæretica, & contraria fidei: nam fides Catholica omnia quæ in sacris litteris expresse continentur, vere & proprie ad fidem pertinere dicit, & omnia illis opposita vt hæretica damnat: sed dicere quod opinio Virginem à peccato originali liberans, expresse sacræ Scripturæ contra dicit, aut quod formaliter est hæretica, est contra supradictam Extrauagantem Sixti IIII. & contra expressam determinationem Concilij Tridentini Sessione 5. de peccato originali cap. vltimo, vbi declarat non esse suæ intentionis prædictam sacram Virginem comprehendere in illo decreto, vbi de peccato originali agitur, nec in illis generalibus regulis quibus dicitur omnes Adami posteros peccatum contrahere originale: dicendum ergo est opinionem supradictam quæ talia de Virgine dicit (nempe hæreticum esse illam à peccato originali præseruare) falsam, erroneam, peruersam, & à veritate penitus alienam esse: quod post Sixtum IIII. ac Tridentinam Synodum aperte concedunt, atque concedere tenentur, etiam qui in contraria sunt sententia & opinione, & Caiet. in tract. de Conceptione Virgin. cap. 2. expresse illud concedit, & neutram supradictarũ opinionum in Scriptura sacra fideique certis dogmatibus explicite haberi, ac subinde vtrãq; sacra cũ Scriptura, & reliquis necessario credẽdis, optime posse constare. Et infra cap. 3. §. in secundo autem sensu asserit Virginem ab originali peccato fuisse liberam, haudquaquam esse sacræ Scripturæ contrarium. In quo quidem cum Caietano conuenire (vt dixi) tenentur omnes Thomistæ, cum non possint iam non concedere opinionem quæ Virginem à prædicto peccato originali liberat, sine hæresi posse defendi, & certum sit quod non defendi posset, si sacris litteris repugnaret, alijsve principijs fidei. Ex quo plane colligitur errasse omnes illos Doct. qui ante prædictam constitutionẽ Sixti IIII. perperam dixerunt & scripserunt, opinionem prædictam expresse repugnare sacris litteris: nam si expresse illis repugnaret, non posset Ecclesia modo eandem non comprehendere in supradictis generalibus regulis, quibus dicitur omnes ab Adam per rationem seminalem descendentes peccatum originale contraxisse: Vnde cum Ecclesiæ (ad quam spectat de vero sensu & interpretatione sacrarum Scripturarũ iudicare) vt habetur in Concilio Tridentino Sessione 4. decreto de editione & vsu sacrorum librorum: expresse dixerit atque declarauerit, non esse suæ intentionis sacram Virginem comprehendere, in illo decreto, vbi de peccato originali agitur, & illis generalibus regulis, vbi in sacra Scriptura eadem de re tractatur liquidum profecto fit, opinionem prædictam haudquaquam repugnare, & neque vnquam

Nota valde, errorem esse dicere opinionẽ quæ Virginem sacram à peccato originali liberat, sacris litteris repugnare.

Nota hæc valde pro expositione verborũ sacri Concil. Trid. asserentis, non suæ esse intentionis B. Virginem comprehẽdere in decreto, vbi de peccato originali agitur.

repugnasse sacris litteris, alijsque principijs fidei. Quare reprehendẽdi sunt, & quammaxime est abominanda impudentia hæreticorum nostri temporis, qui asserunt (vt supra diximus) errasse Sixtum IIII. & Patres Tridentinæ Synodi, in eo quod non voluerunt sub generali illo originalis peccati decreto comprehendere sacram Virginem.

Dubitatio 4. Qualiter intelligenda sint propositiones vniuersales, quæ absq; vlla prorsus exceptione docent, omnes ab Adamo per rationem seminalem descendentes peccatum contrahere originale? Tres sunt hac de re opiniones.

Sed alia non modica difficultas est in explicãdo qualiter saluentur propositiones sacræ Scripturæ vniuersales, quæ absque vlla prorsus exceptione docent, omnes ab Adamo per rationem seminalem descẽdentes peccatum cõtrahere originale. Circa hanc difficultatem sunt tres opiniones siue dicendi modi.

Prima opinio, asserens vniuersales esse eiusmodi propositiones secũdum figuram, non vero secũdum sensum.

Prima opinio, est illorum qui asserunt propositiones prædictas esse quidem vniuersales secundum figuram, vtpotè quia proponuntur cum hac nota siue signo vniuersali *omnes*, non tamen secundum sensum siue sententiam: ac proinde quamvis cum tali signo vniuersali proponantur, sententia tamen per eas significata, nõ vniuersalis est, sed idẽ est dicere, *omnes* ac si diceretur *multi*. Quo fit vt eiusmodi propositionibus non repugnet, quod aliqua in illis exceptio fiat: nam cũ secundum sententiam non sint vniuersales: intelligendæ & explicandæ sunt, non quidem de vniuersalitate logica; sed de morali, quæ ex se non omnia particularia complectitur; sed idem valet, quod *multi*; seu, *vt plurimum*.

Hanc sententiam & opinionem tenet Franciscus Turrianus in epistola de peccato originali part. 2. ad secundam obiectionem fol. 44. & Canisius lib. 1. de Maria Deipara cap. 6. Martinus de Martinez lib. 6 Hypotepos. cap. 3. & multi alij. Et ante eos tenuit idem, Maior in 3. sent. dist. 3. quæst. 1. ad primum, dum ait vniuersalitatem illarum propositionum non esse logicam, sed moralem, quæ ex se non expostulat omnia particularia complecti, sed plura. Et hanc opinionem tenẽt omnes qui absolute admittunt propositiones illas vniuersales esse, & simul dicunt sacram Virginem in eisdem non comprehendi. Quæ sententia & opinio confirmari potest, ex quadam doctrina Phocij Cõstantinopolitani, in responsis ad Amphilachium, dicentis in sacris litteris, figuram & formam propositionum sæpissime esse vniuersalem; non tamen sententiam: quæ etiam doctrina placuisse dicitur D. Fulgentio in lib. de Incarnatione & gratia Christi cap. 31. & confirmari potest ex multis sacræ Scripturæ locis, quos pro illa Doct. superius citati adducunt. Et in primis facit ad hoc propositum illud quod habetur Genes. 6. *Vidit Deus quod omnis caro corruperat viam suam super terram*: cum tamen etiam eo tempore plures viri Sancti viuerent in terra. Item & illud quod habetur Matth. 3. vbi dicitur. *Quod omnis Hierosolyma & Iudæa, & omnis regio circa Iordanem exibat ad Ioannem*; cum etiam constet non omnes ad Ioannem exijsse: signum illud vniuersale *omnes*, solummodo denotat magnum concursum, siue quammaxi-

Primum arg. Sacra Scriptura testimonia in quibus propositiones vniuersales explicanda sunt nõ quidem secundũ sensum, sed secundum figuram.

mam

imam hominum multitudinem. Simile etiam est illud quod habetur Ioann. 12. *Ecce totus mundus abijt post eum*: quibus verbis non denotatur vniuersitas, ac si diceretur *nullo excepto*, cum constet non omnes post Christum Dominum tunc abijsse: sed solummodo quammaximã hominum multitudinem.

Secundo probant id ipsum, ex doctrina Diui Pauli ad Romanos 5. nam cum primum dixisset: *Quod per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, atque ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* paulo inferius ait: *si vnius delicto mortui sunt multi*: quasi insinuando prioris propositionis vniuersalitatem, non esse quidem in sensu siue in sententia: sed solummodo secundum figurã, quod etiam infra iterum atque iterum repetit explicando *omnes homines* (quoad sensum) idem esse, ac si diceretur, *multi homines*, & quod illarum propositionum vniuersalitas, est tantum quoad figuram, non vero quoad sensum. *Secundum argumentum.*

Tertiò probant id ipsum, per id quod dicit prædictus D. Paulus loco citato. *Sicut per vnius delictum intrauit mors in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam intrauit vita in omnes homines in iustificationem.* Nam cum constet vniuersalitatem posterioris propositionis, quæ est de iustitia Christi, non esse vniuersalem in sensu siue sententia: sed solummodo in figura (si quidem per Christi iustitiam non omnes de facto iustificantur) aperte (vt videtur) colligitur vniuersalitatem etiam prioris propositionis, eodem modo esse accipiendam: cum vtraque simili loquendi prolata fuerit forma; & consequenter esse vniuersalem, non in sententia, sed in figura. Et placet prædictis Doct. dicta sententia, quia ea præsuposita clare constat, non esse contra supradictas propositiones vniuersales in sacris litteris propositas, sacrã Virginem â peccato originali eximere, cum illæ vniuersales non sint in sensu, sed solummodo in figura. *Tertium argumentum.*

Sed hæc sententia & dicendi modus, non placet Ægidio: quin verò quammaxime sibi displicet, & loco supra citato lib. 3. quæst. 5. art. 2. §. 2. dicit indignã esse quod â viro catholico recipiatur. Tũ quia â Pellagio in sui erroris confirmationem est inuenta & excogitata, & â Diuo Augustino lib. de natura & gratia cap. 41. 7. tom. contra eundem quamacerrime impugnata. Tum etiam quia Conciliorum diffinitiones, quibus generaliter dicitur omnes Adami posteros in peccato originali concipi & nasci, vniuersales sunt, & secundum figuram, & secundum sensum: & tamen ex præcitatis sacræ Scripturæ propositionibus desumuntur. Id quod & quam latissime probat ibidem, & in sequenti §. 3. respondet argumentis adductis pro contraria sententia. *Reijcitur supradicta opinio.* *Respondetur argumẽtis adductis pro contraria sententia.*

Ad primum respondet, concedendo dari in sacris literis propositiones aliquas prolatas cum vniuersalitatis nota, quæ solummodo sunt vniuersales quoad figuram; non vero quoad sensum, siue quoad senten- *Ad primũ argumentum.*

sententiam, dicit tamen hanc regulam nō habere locum, in omnibus sacræ Scripturæ propositionibus vniuersalibus, quia eneruarentur quamplurimæ veritates catholicæ, inter quas Ecclesia hanc vnā enumerat, quod omnes homines ab Adam per rationem seminalem descendentes peccatum contrahunt originale.

Quando diiudicandum est propositionem aliquam sacra Scriptura esse vniuersalem secundum sensum, aut vero secundum figuram?

Et si quæratur (inquit) quādo propositionum vniuersalitas existimanda sit tantum quoad figuram, quando verò etiam quoad sententiam, siue quoad sensum? respondet, id ex subiecta materia diiudicandum esse. At (inquit) in proposito materia ipsa Theologice considerata, euidenter petit, vt propositiones illæ in sensu vniuersali sumantur, non solum secundum figuram, verum etiam secundum sententiā. An id sit intelligendum de vniuersalitate logica, an verò de vniuersalitate legali, dicetur inferius.

Ad secundum argumentum. Quod verbum multi in sacra Scriptura, idē prorsus valet ac si diceretur omnes.

Ad secundum respondetur, auctorem illius esse Iulianum Pellagianum, vt constat ex Diuo Augustino lib. 6. contra eundem ca. 24. ad finem. Contendebat enim Iulianus, quod verbum *omnes*, idem prorsus significaret, ac *multi*, quod non est verum: quinverò è contrario, verbum *multi* apud Diuum Paulum loco citato, idem valet *ac omnes*, quod nec nouum est in sacris litteris, vt aduertit Diuus Augustinus lib. 20 de Ciuitate Dei cap. 23. & probat illud, ex cap. 20. Matthæi ex illis verbis. *Venit Filius hominis dare animam suam pro multis*, id est, *pro omnibus*. Et infra cap. 26. *Hic est sanguis meus qui pro vobis & pro multis*, id est, *pro omnibus, effundetur.*

Ad tertiū argumentum.

Ad tertium respondetur, negando vniuersalitatem prioris propositionis, non esse secundum sensum & secundum sententiam, nam & vniuersalitas posterioris propositionis, quæ agit de iustitia Christi omnes iustificante, si debite explicetur, etiam est vniuersalis secundum sensum & secundum sententiam. Quod dicit expresse D. Augustinus lib. de natura & gratia cap. 41. & lib. 6. contra Iulian. capit. 24. vbi ait, quod sicut in illa prima propositione, per vnius delictū intrauit mors in omnes homines in condemnationem, ly *omnes* vniuersaliter illam distribuit secundum sensum: ita & in secunda, per vnius iustitiam intrauit vita in omnes homines in iustificationem: eademmet vniuersalitatis nota, vniuersaliter illam distribuit secundum sensum, vt posterior propositio, conueniat cum priori. Quod etiam dicit in lib. de perfecta iustitia cap. vltimo tom. 7. Sed quonammodo id debite sit intelligendum & explicandum, non omnes dicunt vnanimiter. Quidam enim dicūt vniuersalitatem posterioris propositionis, intelligendam esse quoad sufficientiam & meritum solummodo, ita vt faciat hunc sensum, quod iustitia Christi sufficienter meruit, vt in omnes homines transiret, quamvis de facto & quoad efficaciam non in omnes homines transeat. Sic explicat hunc locum Diuus Thomas, & Caietanus & Catherinus, tractatu secundo de Conceptione Virginis

ginis, lib. 2. cap. 1. & Salmeron lib. 2. in epist. ad Roman. disp. 42.

Sed quamvis hæc explicatio in se vera sit, non tamen videtur bene posse accommodari menti & sensui Diui Pauli: nam ex ea sequeretur, priorem illam propositionem, vbi agitur de delicto Adami in omnes homines in condemnationem, simili modo esse intelligendam, non quidem quoad actum, sed solummodo quoad debitum atque demeritum Adæ; quẽ sensum infra sumus impugnaturi. Vnde videtur cum D. Augustino, quod iustitia Christi in omnes homines pertransijt, non quidem absolute, sed in omnes qui regenerantur in ipso, ita vt distributio fiat accommoda: qui sensus in se verus est, & in sententia vniuersalis. Et facit propositio prædicta hunc sensum, quod omnes in Christo renati, per ipsius iustitiam iustificantur, ita vt nullus omninò iustificetur, nisi per ipsum. Ad quam suam explicationem corroborandam vtitur Diuus Augustinus exemplo deducto à Magistro qui solus in ciuitate aliqua alios docet, de quo verum est dicere, quod ipse in ciuitate illa omnes docet: non quod absolute omnes doceat: sed quia omnes qui docẽtur, ab illo vno docentur. Hæc solutio sic explicata, est D. August. lib. 2. de nuptijs & concupis. c. 27. ad finem, & lib. 1. de peccat. merit. c. 15. & epist. 89. & 107. & in Enchirid. ca. 103. tom. 7. & de prædestinat. Sanctor. cap. 8. & de corre. & gra. cap. 14. & probat illam D. Thom. sup. epist. ad Rom. c. 5. lect. 5. & est cõmunis.

Nota valde hoc exemplum D. August. adductũ pro explicatione prædicti loci.

Sed contra solutionem prædictam obijci potest: nã ea stante deficit Pauli similitudo: cum Christus Dominus non eodem modo in omnes homines iustitiam propagauerit, quo Adamus primus noster parens in eosdem peccatum suum deriuauit: post quam peccatũ Adami ad omnes se extendit (nullo excepto) iustitia verò Christi, non sine exceptione ad omnes, sed ad eos dumtaxat qui in ipso regenerantur. Cui obiectioni respondetur primò, non esse necessum, quod in omnibus atque per omnia teneat similitudo. Vel secundò dico, eam quã optime tenere si bene intelligatur, ac debite explicetur: nam sensus est, quod sicut Adam peccatum suum, non nisi per generationem omnibus sibi posteris deriuauit, ita etiam & Christus iustitiam suam, non nisi per regenerationem communicat: & sicut Adam delictum suum absolute loquendo, non omnibus hominibus communicauit, sed illis qui ex eo per seminalem rationem generantur (ob cuius defectum non communicauit illud ipsi Christo, nec communicaret quidem illis, qui de nouo crearentur à Deo) & cum ad hoc vt propositio illa sit vniuersalis sufficiat quod peccatum suum omnibus hominibus sic ab eo genitis communicetur: ita & Christus Dominus iustitiam suam, non omnibus hominibus indistincte atque absolute communicat, sed illis dumtaxat qui ab eo per Baptismum regenerantur: quod satis est ad hoc, vt supradicta propositio etiam sit, & dicatur vniuersalis. Quæ supradicta omnia confirmantur per id quod habetur ex-

Obiectio contra prædictum dicendi modũ.

Solutio obiectionis prædictæ, & est quidem valde notabilis.

presse in Concilio Tridentino Sessione 6. de iustificatione cap. 3. cuius sunt quæ sequuntur verba. *Nam sicut re vera homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur iniusti, cum ea propagatione per ipsum dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahant: ita nisi in Christo renascerentur, nunquam iustificarentur, cum ea renascentia per meritum passionis eius gratia qua iusti fiunt illis tribuatur.* Quibus supradictis verbis annotatur ad marginem, quod sit allusio ad supradictam diui Augustini explicationem in epist. 89.

Secunda opinio, asserens propositiones prædictas esse vniuersales secundum figuram & secundum sensum, non tamen esse intelligendas de facto, sed solum modo de debito.

2. Secunda opinio est eorum, qui volunt propositiones superius dictas, esse quidem vniuersales, non solum secundum figuram, verum etiam quoad sententiam & sensum, & vniuersales vniuersalitate logica ita vt nullam omninò exceptionem admittant: dicunt tamen intelligendas esse, non quantum ad actum (quasi omnes actu originalē contrahant maculam) sed tantum quantum ad debitum contrahendi ipsam: in quo sensu sunt vniuersales, & absque vlla prorsus exceptione comprehendunt etiam sacram Virginem, cum vere & realiter fit concepta, cum debito & obligatione contrahēdi peccatum originale. Sed id (inquiunt) non obstat, quantum ad præsens propositum spectat; nam hic non agitur de debito contrahendi originalem maculā, sed de actuali ipsius contractione, & cum vniuersalitate supradictarū propositionum sacræ Scripturæ (cum tantum veniant intelligendæ de debito) bene se compatitur quod de facto ex speciali priuilegio sacra Virgo fuerit præseruata â supradicto peccato originali. Hæc sententia & opinio est Caietan. 1. 2. quæst. 81. art. 3. & in tract. de Conceptione Virgin. cap. 3. §. in secundo autem sensu, vbi eam probat â simili ex alijs sacræ Scripturæ auctoritatibus. Quam etiam sententiā tenere videtur Catherinus in secundo tract. de Conceptione Virgin. lib. 2. cap. 3. & tribuitur Maironi in 3. sent. dist. 3. quæst. 2. artic. 10. & multis alijs. Sed quidquid de hoc sit, haudquaquam placet supradicto Ægidio, qui verò illam expressè reprobat loco supracitato, quæst. 5. art. 3. §. 1. 2. & 3. vbi multis probat rationibus, & Sanctorum Patrum auctoritatibus, propositiones sacræ Scripturæ supradictas, quibus dicitur omnes ex Adam per rationem seminalem descendentes peccatum contrahere originale, intelligendas quidem esse nō solum de debito contrahendi illud, verumetiam & de actuali ipsius contractione, â qua nullus omninò eximitur nisi speciali priuilegio. Quod etiam probat ex Concilijs, & ad in contrarium obiecta cumulatissime respondet, â quorum ampliori tractatione ego consultò supersedeo, pro eo quod prædictæ sententiæ & opinionis Caietani iam supra quæst. 10. in relatione tertiæ opinionis, & in prima conclusione opposita, mentionem fecimus, illamque reijcimus & merito.

Tertia opinio & vera resolu-

3. Tertia opinio & vera resolutio, est eorum qui dicunt propositiones sacræ Scripturæ supradictas, esse quidem vniuersales, necdum se-

cundum

cundum figuram, verum etiam secundum sententiam & sensum, & intelligendas esse, non solum quantum ad debitum, sed etiam quantũ ad actum; esse tamen vniuersales, non vniuersalitate logica, quæ ex natura rei particularia omnia nullo excepto comprehendit, & quâ vno solo excepto propositio redditur simpliciter falsa, nec sola vniuersalitate morali, quæ ex sua natura & ratione materiæ subiectæ, non omnia particularia complectitur, sed solam habet vniuersalitatẽ vt in pluribus: sed esse vniuersales vniuersalitate legali, & iuridice, quæ generaliter prolata (licet ex sua natura omnia particularia complectatur, atque comprehendat) ex sua tamen intrinseca ratione non excludit, quinverò semper includit auctoritatem & potestatem Legislatoris, si forte ex gratia siue speciali priuilegio aliquem velit eximere ab obseruantia alicuius legis. Ob quam rationem sicut legislator legi suæ non contradicit, cum quempiam ex speciali priuilegio ab ea eximit: ita eiusmodi exceptione facta vniuersalis illa legis regula, pro eo quod ille talis excipiatur & eximatur, haudquaquam redditur falsa. Ex qua doctrina colligunt supradicti Auctores, quod cum sacræ Scripturæ propositiones vniuersales, quæ loquuntur de transfusione peccati Adami in omnes suos posteros (prout præmissum est) vniuersales sint vniuersalitate iuridica & legali, haudquaquam illis contradicit quod prædicta Beatissima Virgo ex Dei speciali gratia, singularique priuilegio, ab actuali contractione supradicti originalis peccati fuerit præseruata. Hanc opinionem & solutionem ad supradictas sacræ Scripturæ vniuersales propositiones, tanquam veriorem, congruentiorem, ac rationi & sacrarum Scripturarum modo loquendi magis conformem, refert, approbat atque sequitur supradictus Ægidius loco supra citato, quæst. 5. art. 4. §. 1. vbi in eiusdem ampliorem declarationẽ tres proponit assertiones, & propositiones quas probat. Et dicit hanc sententiam & opinionem esse magis communem apud eos qui eximunt prædictam sacram Virginem ab omni prorsus originali labe, citatque pro ea Bellarminum lib. 4. de amissione gratiæ & statu peccati ca. 15. post principium §. dices si res ita se habet. Et Valentiam 2. tom. disp. 9. quæst. 11. puncto 2. & lib. 3 de peccato originali cap. 3. §. alij igitur Theologi, & 4. par, dist. 2. quæ. 2. puncto 1. §. secundum genus est. Et Corduuam lib. 1. sui Quæstio. q 43. ad primum argumentum contra 6. Et dicit solutionem & opinionem prædictam, conuenire cum illis qui dicunt supradictas sacræ Scripturæ propositiones intelligendas esse secundum legem ordinariã, quæ lex ordinaria, non excludit Dei potentiam absolutam, ac liberam ipsius voluntatem, si lege non obstante in ea voluerit cum aliquo dispensare, vt de facto dispensauit cũ prædicta Beatissima Virgine, in quo haudquaquam infregit legem; quinverò eam in suo rigore reliquit: nec propterea supradictæ propositiones vllo modo redduntur falsæ. Aduertit tamen supradictus

Solutio, asserens, quod propositiones prædictæ sunt vniuersales secũdum figuram, & secundum sensum, & intelligendas esse, non solum de debito, verum etiam de facto, non de vniuersalitate logica aut morali, sed legali.

Nota valde hunc dicendi modum, veriorem probabiliorem, atque tenendum.

Ægidius in sequēti articulo 5.§.1.2.& 3.(prædicta sacra Virgine excepta) haudquaquam in aliquo alio admittendum esse eiusmodi priuilegium, non contrahendi peccatum originale fuisse cōcessum. Quod etiam nos diximus in tertia conclusione supradictæ quæstionis 10.& quod cōtrarium dicere (quamvis non aperte sit hæreticum) erit tamē plusquam temerarium, atque in fide erroneum prout aperte ostendimus ibidem. Quæ pro hac quæstione dict. sufficiant.

QVÆST. XV.

An dicere sacram Virginem ab originali peccato fuisse præseruatam, obstet quominus verè & propriè per Christi sanguinem fuerit redempta.

Christum esse omnium & vniuersalem Redemptorem & sacram suam Matrem etiā redemisse.

IN huius quæstionis initio, tanquam certum atque indubitatum ac firmiter tenendum de fide, statuendum est sacram Virginem à Christo Domino fuisse verè & propriè redemptam, cum ipse (vt vbique sacra Scriptura proclamat) vniuersalis fuerit totius humani generis Redē[p]tor, ac pro omnibus mortuus. Hoc in primis in ista quæstione tanquam certa fidei regula statuendum est, à qua si aliqua sententia vel opinio deflectat, à fide etiam catholica recedat necesse est. Constat autem id ipsum ex innumeris sacræ Scripturæ locis: sed præsertim ex verbis illis ad Roman.5. *Igitur sicut per vnius delictum intrauit mors in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam intrauit vita in omnes homines in iustificationem.* Item 1.Corint.15.dicitur. *Quod sicut in Adam omnes moriuntur ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Secunda Corinth.5.etiam dicitur: *Quod Christus pro omnibus mortuus est, vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.* Et paulo inferius dicitur: *Quod Deus erat in Christo reconcilians sibi mundum.* Et prima ad Thimot.2.dicitur: *Quod vnus est Deus, vnus & mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum in redemptionem pro omnibus.* Et ibidem cap.4.dicitur: *Quod idem Christus est Saluator Dei & hominum (maxime fidelium.)* Et Math.1.de eodem dixit Angelus Sanctissimo Ioseph, quod Beatissima Maria eiusdem coniux erat paritura filium: post quæ subdit: *& vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Actuum etiam 4. de eodem Christo dixit Diuus Petrus. *Non est in aliquo alio salus, nec datum est sub cælo nomen aliud hominibus, in quo oportet nos saluos fieri.* Sed specialiter quod prædicta Beatissima Virgo Christi filij sui s[a]nguine fuerit redempta, expresse ipsa fatetur in celebri illo suo Cantico, cuius initium est, *Magnificat,* Lucæ 2. dum

dixit

dixit: *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari* (seu potius Saluatore) *meo*, (vt littera Græca dicit) & explicant idipsum omnes sancti communiter. A qua generali sacræ Scripturæ regula quempiam excipere, cõtra fidem esse dicit Diuus Augustinus, lib. 1. de peccat. merit. & remissio. cap. 27. & 28. & lib. 3. cap. 3. & lib. 6. contra Iulianum cap. 8. & eadem re est communis totius Ecclesiæ sensus: quæ expresse asserit in Adamo totam humanam naturam fuisse collapsam, ac per Christum Dominum & Saluatorem nostrum instauratam, redemptam atque reparatam: ipsumque esse vniuersalem totius humani generis Redemptorem, ac pro omnibus fuisse mortuum: á qua generali redemptione quempiam excipere (etiam sacram Virginem) aliquo modo esse videretur derogare dignitati eiusdem Christi. In qua re cum vnanimiter conueniãt omnes sancti Patres, dicantque illud esse firmiter tenẽdum de fide, non est cur in præsentiarum immoremur, in eorum multiplicibus auctoritatibus referendis & recitandis, quod sine vrgenti causa multi faciunt. Solummodo est difficultas, an dicere prædictam sacratissimam Virginem ab originali peccato fuisse præseruatam, obstet aliquo modo, quo minus verè & proprie dicatur, eandẽ per Christi sanguinem fuisse redemptam?

Contra fidem est quempiam à Christi Domini redemptione excipere etiam Beatam Virginem.

Circa quam difficultatem tres esse inuenio Doctorum opiniones atque sententias.

Tres sunt hac de re opiniones.

Prima opinio est eorum, qui vnum tantum putant esse redemptionis genus, verè & proprie loquendo, nempe liberatiuum siue subleuatiuum á seruitute peccati actu existentis. Nam redemptio præseruatiua qua quis præseruatur ne in peccati seruitutem labatur, non est (inquiunt) propria & vera redemptio, sed impropria & abusiua: quia verè & proprie non dicitur quis quempiam á peccato redimere, pro eo quod eum liberet siue præseruet, vt ne in peccatum cadat. Hanc sententiam & opinionem tenuit olim, quidam Ioannes de Neapolis, relatus à Capreolo in 3. sent. dist. 3. quæst. 1. art. 3. ad primum, & ad tertiam probationem de mente Scoti, quem sequitur prædictus Capreolus ibidem, sed maxime respondendo ad nonum argumentũ eorum quæ tertio loco adducuntur: & cum necessario iuxta fidem tenẽdum sit (prout dictum est supra) sacram Virginem Christi Filij sui sanguine fuisse redemptam, consequenter dicunt Doct. prædicti, ipsam actualiter peccatum originale contraxisse: nam alias (inquiũt) nõ vllo modo posset dici redempta, verè & proprie, sed improprie atque abusiue. Hanc sententiam & opinionem tenuit etiam olim Bandellus in tract. quem inscripsit contra immunitatem Virginis cap. 27. & fuit communis suo tempore, apud illos qui ante constitutionẽ Sixti IIII. dicebant opinionem quæ sacram Virginem á peccato originali reseruat esse hæreticam, & vt talem procul reijciendam, de quibus in præ-

Prima opinio, Quæ non admittit, nisi vnum dũtaxat redemptionis modum, liberatiuum siue subleuatiuum.

cedenti quæstione diximus. In eadem sententia fuit etiam olim D. Thom. vt constat ex ipsius doctrina, tertia parte quæst. 27. artic. 2. ad secundum, & 3. sentent. dist. 3. quæst. 1. artic. 1. quæstiuncula 2. & quodlib. 6. quæst. 5. artic. 7. Quibus in locis expresse dicit, quod Beatam Virginem ab originali peccato eximere, est derogare dignitati Christi, quatenus vniuersalis est omnium hominum Redemptor. Idem affirmat Ægidius in 2. sentent. dist. 29. quæst. 1. art. 2. dubio 4. & dist. 3. quæst. 1. art. 2. in tertia via, & quodlib. 6. quæst. 20. Et Gregorius de Arimino in eodem secundo sentent. dist. 30. quæst. 2. art. 1. littera K. Pro eadem sententia refertur Diuus Bonauētura in 3. dist. 3. art. 1. quæst. 2. num. 17. ad finem, & multi alij qui ante prædictam Sixti Quarti Extrauagantem, siue constitutionem scripserunt, & post ipsam alij, cum videant iam opinionem prædictam quæ sacram Virginem à peccato originali liberat, hæresis non posse damnari, quamuis admittant ipsam si ab originali peccato eximatur, aliquo modo per Christum posse dici redemptam: dicunt tamen id non esse vere & proprie, sed improprie & abusiue. In qua sententia ex Iunioribus est Medina in 3. parte D. Thom. quæst. 27. art. 2. in vltimo argumento partis affirmatiuæ, & in solutione ad primū & ad vltimum partis negatiuæ.

Prædictæ opinionis fundamenta. Primum argumentum.

Huius sententiæ & opinionis, vnicum ac potissimū fundamentū est, quia (inquiunt) nō potest vere & proprie quis dici curasse aut sanasse hominē, quia illū præseruauit vt ne in morbū incideret, aut eundem resuscitasse, quia illum præseruauit ne moreretur: nec vere & proprie quis dicitur alium redemisse, pro eo quod illum liberauit, vt ne in hostium manus veniret: ergo nec Beata Virgo vere & proprie dici poterit redempta, pro eo quod ex speciali gratia, siue priuilegio ab originali peccato fuerit præseruata.

Secundum argumentum.

Quam etiam suam sententiam confirmant ex diffinitione Sozimi Papæ, relati à Diuo Augustino epistola 117. vbi ait: *Quod redemptus non potest dici, nisi qui vere per peccatum fuit captiuus*: quod & dicit Diuus Augustinus concio. 2. in Psalm. 70. littera A. *Vnde* (inquit) *redempti si non ante captiui? quis redimitur nisi à captiuitate?* Ex quibus verbis colligunt omnes supradicti Doctores, dari non posse veram & propriam redemptionem, nisi liberatiuam: & præseruatiuam, nō esse dicunt redemptionem, nisi impropriam & abusiuam.

Secūda opinio, Quæ duplicem constituit verū & proprium redemptionis modum, alterū

Secunda est aliorum opinio, asserentium non vnam tantum esse veram & propriam redemptionem, sed duplicem: alteram liberatiuā, aliam verò præseruatiuam. Hoc tenet expresse Scotus in 3. sentent. dist. 3. quæst. 1. §. contra primam rationem, & §. sin autem teneatur. Et Catherin. in primo tract. de Conceptione Virgin. 1. part cap. 1. & in 2. tract. lib. 2. cap. etiam 1. Et Galatinus lib. 7. contra Iudæos cap. 9.

Canis

Canisius lib. 1. de Maria Deipara cap. 8. ad finem. Franciscus Turrianus in epistola de peccato originali, à pagina 45. vsque 48. Paiua lib. 5. defensio Tridentinæ fidei. Suarez 2. tomo in 3. parte disput. 3. sect. 5. §. dici potest. Corduua lib. 1. sui Quæstion, quæst. 44. ad 2. contra 6. Valencia 4. tom. disput. 2. quæst. 1. puncto 2. Bellarmin. 4. tomo in 4. lib. de amissione gratiæ & statu peccati capit. 6. ad tertium testimonium. Quandus ad 3. Scoti dist. 3. quæst. 1. in titulo, an Beata Virgo fuerit proprie redempta? Vazquez 2. tomo ad tertiam partem Diui Thom. disput. 117. cap. 13. in principio. Ac denique hanc sententiam & opinionem tenent, ac defendere tenentur, omnesqui nobiscum dicunt à peccato originali sacram Virginem fuisse præseruatam. Etenim cum dicere teneamur, vere & proprie per Christum fuisse redemptam, consequenter & statuere debemus, duas veras & proprias redemptiones, vnam liberatiuam, aliam verò præseruatiuam. Quod ex aduersarijs etiam concedunt, Durandus in 3. sent. dist. 3. quæst. 1. num. 14. ad finem: quin verò & Caietan. in tract. de Concept. Virgin. cap. 5. in 2. parte capitis, & super 3. p. D. Thom. quæst. 27. art. 2.

liberatiuũ, siue subleuatiuum, aliũ vero præseruatiuum.

Tertia opinio. Quæ triplicem constituit redemptionis modum, vnum liberatiuum, aliũ præseruatiuum, quendã vero mixtum, & vtriusque rationem participantem.

Tertia est aliorum sententia & opinio, quæ non vnam tantummodo, aut duplicem, sed triplicem statuit vere & proprie redemptionis speciem. Quarum prima est redẽptio simpliciter & omnibus modis liberatiua, qualis est illa qua quis redimitur à peccatis iam actu existentibus, siue iam incursis. Secunda pure præseruatiua, qua redimitur qui præseruatur à peccato quod non fecit: faceret tamen & incurreret illud, nisi præseruaretur. Et tandem tertia est partim liberatiua, partim verò præseruatiua, qua liberatur quis à culpa quam aliquo modo commisit in alio, & quamvis eam in se ipso non receperit, ipsam tamen reciperet, si non præseruaretur. Qui redimendi modus solummodo reperitur in redemptione Beatæ Virginis; quia Deus præseruando illam, redempta quodammodo fuit à peccato quod commisit in Adamo, cuius maculam actu (licet in se non contraxerit) contraheret tamen illam, nisi diuina gratia, & ex speciali priuilegio ab actuali ipsius contractione fuisset præseruata. Iste dicendi modus excogitatus est ab Ægidio in dicto suo tractatu de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione lib. 3. quæst. 11. & vltima art. 1. §. 1. num. 3. in relatione tertiæ opinionis, vbi ait quod quamvis prædictum tertium redemptionis genus, explicite & sub formalibus verbis non ponatur à Doct. Theologis, illud tamen de facto ponunt, si expendatur modus quo prædicta Beatissima Virgo ab originali peccato præseruata dicitur, quando dicunt eam fuisse redemptam medio quodam modo inter Angelos & homines.

Quibus sic præmissis vt propositæ difficultati satisfaciam, sequentes statuo Conclusiones.

Prima Conclusio.

Negari nullo modo potest, esse quendā redemptionis modum pure liberatiuum, siue subleuatiuum à peccati macula iam actu praexistente.

COMMVNITER & regulariter loquendo, & stando in terminis sacræ Scripturæ, negari nullo modo potest Christi Domini redemptionem, respectu cunctorum hominum esse pure liberatiuam atque subleuatiuam à macula peccati iam actu existentis. Hæc conclusio est de fide, quam & euidenter probant rationes & auctoritates adductæ in comprobationem primæ opinionis, satisque colligitur ex quampluribus eiusdem sacræ Scripturæ locis, sed præsertim ex eo quod habetur Matth. 1. vbi loquendo de Christo Domino dicitur, *Quod ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Et Lucæ 2. *quod ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.* Quibus in locis fit sermo de peccatis & iniquitatibus quibus Dei populus iam actu erat irretitus atque illigatus, à quibus eundem, Christus Dominus redemit atque liberauit, Facit etiam & ad hoc illud quod dixit Diuus Paulus ad Roman. 5. vbi agendo de peccatis omnibus, tam originalibus quàm etiā actualibus, quibus cuncti homines erant irretiti & illigati: ait ab eis fuisse redemptos per Christi Domini sanguinem, dum inquit: *Si enim adhuc peccatores essemus secundum tempus Christus pro nobis mortuus est, multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum.* Post quę subdit: *Si enim cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortē filij eius, multo magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius.* Ex quibus verbis superque satis colligitur, Christi Domini redemptionem respectu cunctorum hominum, & communiter ac regulariter loquendo, esse pure liberatiuam, siue subleuatiuam à macula peccatorum iam actu existentium. Facit & ad hoc id quod habetur 2. Corinth. 5. vbi arguendo inquit idem Diuus Paulus: *Quod charitas Christi vrget nos, æstimantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt & pro omnibus mortuus est Christus, vt & qui viuunt iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.* Et ad Galat. 3. inquit: *Quod conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Et scribens ad Titum cap. 2. de eodem Christo loquendo ait: *Quod dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum.* Et scribens ad Hebræos cap. 9. dicit de eodem: *Mortuum fuisse in redemptionem earum præuaricationum quæ erant sub priori testamento.* Et Apocalyp. 1. dicitur etiam de illo. *Quod dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Ex quibus omnibus locis manifeste concluditur, in eisdem sermonem fieri de Christi Domini redemptione (non quidem præseruatiua) sed pure liberatiua & subleuatiua à peccatis iam actu existentibus, siue ab originali, quod omnes homines ab Adam per rationem seminalem descendentes contraxerunt, siue ab actualibus quæ postea ex propria sua nequitia & praui-

tate

tate commiserunt, quibus erant irretiti atque illigati. Hoc itaque negari minime potest, quinverò id firmiter est tenendū de fide. De quo redemptionis genere intelligendus est Diuus Augustinus, lib. de pecc. meri. cap. 20. vbi post longam disputationem ita concludit. *Non est in filijs hominum, nec fuit nec erit, paruulus aliquis vel adultus, qui non egeat beneficijs mediatoris, vt illo saluetur, liberetur, redimatur & illuminetur: quæ salus, quæ liberatio, quæ illuminatio, non potest intelligi nisi à morte, à vitijs, à reatu, à seruitute, à tenebris peccatorum.* Idem dicit Augustinus de natura & gratia in principio: *Quicunque non putant pertinere ad hos omnes qui peccauerunt & egent gratia Dei, profectò nullam necessitatem habent quod Christiani fiant.* Et lib. 6. contra Iulian. cap. 4. ait. *Tu dicis Christum esse pro peccatoribus mortuum: ego dico non nisi pro peccatoribus mortuum.* Quæ auctoritates, & aliæ omnium Sanctorum Patrum similes, intelligendæ sunt de redemptione prædicta liberatiua atque subleuatiua, quæ fit à Deo in virtute meritorum Christi Domini, secundum legem ordinariam, & communiter ac regulariter loquendo, à peccatis iam actu existētibus & præcedentibus. Sed eo nihilominus non obstante, negari etiam minime potest, quod in Christi Domini redemptione stando in terminis eiusdem sacræ Scripturæ, reperiatur etiam redemptio pure præseruatiua, quamvis non respectu omnium in vniuersum hominum, neq; quoad omnia peccata: sed respectu aliquorum, & de certis quibusdā peccatis. De quo sit secunda Conclusio.

Secunda Conclusio.

STANDO etiam in terminis sacræ Scripturæ, & his quæ ex ipsa apertissime constant, negari minime potest, quod præter prædictum Christi Domini redemptionis genus, liberatiuū siue subleuatiuum: datur etiam redemptio præseruatiua, quæ vere & proprie est redemptio: & non solum improprie siue abusiue: & hoc negare non esse videtur nimium tutum in fide. Hæc conclusio statuitur, specialiter contra eos qui tenent Beatam Virginem haudquam fuisse ab originali peccato præseruatam: quia (inquiunt) id si ita foret, nullatenus Christi sanguine dici posset redempta, vere & proprie, sed solummodo improprie & abusiue: cuius contrarium est verius atque omninò tenendum. Et quod supradicta nostra conclusio vera sit, probatur in primis ex sententia D. Dionysij de diuin. nomin. cap. 8. ad finem, vbi expresse ponit duplex salutionis redēptionis siue liberationes genus & dicit. *Necessario id ipsum esse ponendum secundum verā Theologiam & intentionem sacræ Scripturæ, nempe liberatiuum atque præseruatiuum.* Quod dicit D. Thomas explicando eundem Dionysium loco citato, lect. 5. & Dionysius Carthusian. ibidem fol. 278. littera F. vbi ait. *Laudandam esse diuinam potentiam, non solum redimentem & liberantem nos à malis, verum etiam*

Negari etiam minime potest, esse quendam redemptionis modum pure præseruatiuū, non à macula quæ infuit, sed quæ in esset, nisi eiusmodi præseruatio facta fuisset.

etiam continentem, & preseruantem nos, vt ne in mala cadamus: quinverò & propter hoc saluationis, redemptionis & liberationis genus, principaliter esse. Vbi & notandum quammaxime venit, verbum *principaliter*, quo vtitur Diuus Thomas in explicatione verborum Dionysij: dicens, *Quod eiusmodi redemptio est principaliter redemptio*. Qua quidem ratione ego certe non video, quomodo & Diuo Dionysio, quinverò & D. Thomæ non sui sequaces contradicant, dum asserunt tale redemptionis genus, non esse vere & proprie, sed improprie atque abusiue redemptionem. Probatur præterea prædicta conclusio, ex sententia Diui Augustini, explicando illa verba Psalm. 85. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, vbi inquit. *Eruisse Deum animã suam ex inferno inferiori dixit, quia liberauit eum à talibus peccatis, per quæ posset deduci ad tormenta inferni inferioris: quemadmodum si medicus videat imminentem ægritudinem forte ex aliquo labore, & dicat parce tibi, sic te tracta, his cibis vtere: nam si non feceris ægrotabis. Tu autem, si feceris, & saluus fueris, recte dices medico, liberasti me ab ægritudine, non in qua eras sed in qua futurus eras. Nescio quis habens causam molestam, mittendus erat in carcerem, venit alius defendit eum, gratias agens quid dicit? Eruisti animam meam de carcere. Suspendendus erat debitor, solutum est pro eo, liberatus dicit, de suspendio me liberasti. In his omnibus non erant, sed quia talibus meritis agebantur, vt nisi subuentum esset ibi essent: inde se recte dicunt liberari, quo per liberatores suos non sunt permissi perduci.* Hæc Augustinus vbi supra. Quid quæso amplius aut clarius dici vnquam potuit? Ad ostendendum iuxta sacrę Scripturæ phrasim, & congruentissimũ loquendi modum, non quidem improprium atque abusiuum (vt quidam perperam dicunt) in redemptione Christi Domini duplex reperiri, vere & proprie redemptionis genus, alterum liberatiuum, siue subleuatiuum, quo quis liberatur ac redimitur à malo in quo actu existit: aliud verò præseruatiuum, quo similiter liberatur ac redimitur, à malo, non quidem in quo actu existit, sed quod incurreret, nisi præseruaretur.

Pro prædicta conclusione & nostra resolutione, facit etiam auctoritas Diui Bernardi serm. 22. super Cantic. vbi de Angelis loquendo inquit. *Redemptos quidem eos fuisse per Christi sanguinem, non ab aliquo peccato quod commiserint, sed ab eo quod commisissent, nisi diuina gratia præseruarentur.* Et postquam prædictam suam doctrinam statuit, ad maiorem eiusdem explicationem contra eandem arguendo, sic inquit. *At Angelis quomodo redemptio fuerit non video, nec enim auctoritas scripturarum vspiam assentire videtur, eos peccato extitisse captiuos aut morti obnoxios, vt necessariam haberent redemptionem. Siquidem Angeli nunquam redempti sunt, alij vtiq; non egentes alij non promerentes, alij quia non lapsi sunt, ij autem quia irreuocabile sunt: quo pacto tu dicis Dominum Iesum Christum ei fuisse redemptionem?* Huic obiectioni respondet his verbis prædictus Diuus Bernardus. *Audi breuiter, qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur*

bere-

beretur, sic illum de captiuitate eruens, sic hunc à captiuitate defendens, & hac ratione fuit æque vtrique redemptor, soluens illum; & seruans istum. Quid iterum quæso amplius ad hoc propositum potest dici? Ecce qualiter D. Bernardus aperto ore, duplex constituit redemptionis genus, alterum liberatiuum siue subleuatiuum: aliud verò præseruatiuum, & vtramque dicit esse æque siue æqualiter redemptionem. Hoc cum ita sit, qua fronte quidam non verētur in contrarium dicere, præseruationis genus non vere & proprie, sed improprie atque abusiue esse redemptionem, cum iuxta logicæ regulas, quod non nisi improprie & abusiue est tale: non sit simpliciter tale. Desinat obsecro talia dicere, dentque locum vt in ipsorum intellectũ ingredi veritas posit.

Quod redemptio præseruatiua, approbata reperiatur in quã pluribus sacræ Scripturæ locis.

Probatur præterea prædicta conclusio, ex quan pluribus alijs sacræ Scripturæ locis, quæ adducuntur à D. Augustino in comprobationem supradictorum verborum Psalm. 85. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Facit in primis illud Psalm. 29. *Domine eduxisti ab inferno animam meam, saluasti me à descendentibus in laqueum.* Facit & illud Psal. 143. *Qui redemisti David seruum tuum de gladio maligno.* Quo loco fatetur se redemptum atque liberatum à gladio Gigantis Goliath, seu (vt alij volunt) Saulis: non quidem in quem incidit: sed in quem incidisset, nisi à Deo liberatus & præseruatus fuisset. Ad quod etiam propositum potest adduci & illud quod dixit Diuus Paulus ad Galat. 3. loquendo de Christo, nempe: *Quod nos redimit siue liberauit à maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Quæ verba cum dicta fuerint ad Gentiles, cũ quibus tunc loquebatur Diuus Paulus, qui nunquam fuerunt sub lege: clare & manifeste colligitur, quod stãdo in sacræ Scripturæ phrasi, in omni sacrarum litterarum rigore, vere & proprie datur redemptio pure præseruatiua, quæ est à malo siue peccato, in quod non actu incidimus, incideremus tamen nisi præseruaremur, & contrarium dicere aperte (vt videtur) est sacræ Scripturæ eidem velle contraire. Multa ad hoc propositum possem adducere, quæ breuitatis gratia facio missa, in huius rei confirmationem, de præseruationibus quæ communiter fiunt adeò à peccatis innumeris, iuxta illud quod dicitur Sapientiæ 4. de viro iusto: *Quod raptus est ne malitia mutaret intellectum eius aut ne fictio deciperet animam illius.* De quibus videndus est Diuus Augustinus lib. 50. Homiliarum, Homil. 23. cap. 6. in fine, tomo 10. Hoc solummodo contentus dixisse, de mente *Bartholi in l. decem, ff de verborum obligat. & in l. non vtique, ff de exceptio, quod miles ab alio milite liberatus ne in hostium potestatem veniret, etiam si eorum nunquam seruus extiterit, vere & proprie dicitur manumissus:* id quod Hispani dicimus *libertado*. Si igitur id ita est, negare quis poterit, quod vere & proprie loquendo, redemptus siue liberatus etiam dicatur, qui ne in aliquod peccatum incideret præseruatur? Quis etiam vllo modo in ciuili iure stando negare poterit, quod si quis alicuius ancillæ à vero Domino emeret, omnem

partium, & omnem etiam statim libertate donaret: quod omnes eius filij (nondum geniti sed generandi) vere & proprie dicerentur redempti: non quidem ab actuali seruitute (cum vt supponitur tunc eorum nullus esset genitus) sed à seruitute futura, in qua omnes futuri erant, nisi redimerentur? Non igitur negari vllo modo potest redemptio pure præseruatiua, quidquid nonnulli in contrarium dicant.

Tertia Conclusio.

Satis probabilis videtur sententia, quæ tri plicem constituit redemptionis modum, liberatiuum, præseruatiuũ, & mixtum.

SATIS probabilis etiam videtur Ægidij sententia, quæ dicit præter prædicta duo vere & proprie redemptionis genera, nempe pure liberatiuum siue subleuatiuum, & pure præseruatiuum: constituendum esse etiam tertium aliud redemptionis genus, non pure liberatiuum siue subleuatiuum, nec pure præseruatiuũ, sed mixtum: quo liberatur quis à culpa quam in alio commisit, non tamen actu illam contraxit in se ipso: contraheret tamen nisi ex speciali gratia siue priuilegio ab ea præseruaretur. Quod redemptionis genus solummodo in redemptione Beatæ Virginis reperitur, quam præseruando redemit illam Deus à peccato, quod virtualiter, habitualiter, siue originaliter commisit in Adamo: non tamen in se actu contraxit, contraheret tamen illud, nisi ex speciali priuilegio ab eiusmodi peccati macula præseruaretur. Hæc sententia est valde probabilis, & hic certe dicẽdi modus satis placet, & necessario ponendus videtur, vt aliqualis fiat distinctio inter modum, quo iuxta Diui Bernardi & multorum aliorum sententiã, redempti fuerunt Angeli, & prædicta Beatissima Virgo fuit redempta. Qua quidem ratione, dicunt communiter omnes qui eandem ab originali peccati contractione liberant, redemptam illam fuisse medio quodam modo, inter homines & Angelos, pro eo quod homines communiter & regulariter loquendo, redemptione pure liberatiua, siue subleuatiua redempti sunt per Christum, rediminturque in dies à peccato originali, quod simul cum Adam commiserunt, atque in semetipsis nascendo contraxerunt, necnon & ab actualibus quæ postea ex sua prauitate & nequitia perpetrarunt: Angeli verò redemptione pure præseruatiua, redempti etiam sunt per eundẽ Christum, non à peccato aliquo quod actu commiserint aut illud committendi vllum habuerunt debitum: nisi solummodo ortum ex fragili conditione suæ naturæ: quo fit vt illud commisissent, nisi diuina gratia præseruati fuissent. At verò prædicta Beatissima Virgo, supradicta redemptione mixta, non solius vnius, aut alterius, sed vtriusque rationem participante, redempta fuit, non quidem ab actuali aliquo peccato quod commisit, sed ab eo quod virtualiter, siue originaliter commisit in Adamo, & actu etiam in semetipsa contraxisset, nisi ex speciali priuilegio diuinitus ab eo præseruata fuisset. Quod redẽptionis ge-

Nota hic valde pro redemptione B. Virginis, quæ quodammodo media fuit, inter communem hominũ, & Angelorum redẽptionem.

tius propriſsime quidem dicitur mixtum, hoc eſt nec pure liberatiuum ſiue ſubleuatiuum, nec etiam pure præſeruatiuũ, ſed medio quodammodo ſe habens: pro eo quod, cum redemptio pure liberatiua ſiue ſubleuatiua actualem culpam prærequirat, pure vero præſeruatiua, non actualem culpam quę fuit, fuiſſet tamen niſi eiuſmodi præſeruatio interueniſſet: mixta hæc (de qua loquimur) culpam non in ſe, ſed in alio præſuponit. Ex quo duplici reſpectu, partim dicitur liberatiua ſiue ſubleuatiua, partim vero præſeruatiua ad ſenſum ſupradictum.

Aduertendũ eſt tamen, conſulto (nec immerito) fuiſſe in concluſione dictum, eiuſmodi mixtæ redemptionis genus, ſolummodo in ſacra Virgine reperiri: nam licet prædicta alia duo, nempe pure liberatiuum & ſubleuatiuum, aut pure præſeruatiuum (de quibus in prima & ſecunda concluſione diximus) iuxta ſacræ Scripturæ phraſim, & communem ſacrarum litterarum loquendi modum, in cunctis reperiantur hominibus: hoc tamen mixtæ redẽptionis genus, haudquaquã reperitur, nec reperiri poteſt niſi in ſola redemptione quæ eſt ab originali peccato, vt ſatis conſtat ex ſupradictis. Et licet id fuerit primũ ſeu principaliter intentũ à Christo Domino (nam & propter idem delendum principaliter venit in hunc mundum) in nullo tamen hominum eiuſmodi mixtæ redemptionis genus executioni eſt traditum, niſi in prædicta ſola Beatiſsima Virgine: quia (ea excepta) omnes ab Adam per rationem ſeminalem deſcendentes (præter quam quod virtualiter, habitualiter, ſiue originaliter peccarunt) eiuſmodi originale peccatum actu etiam in ſemetipſis contraxerunt: ſicque & redempti ſunt à Christo Domino, redemptione pure liberatiua, & ſubleuatiua, & à culpa iam in ipſis actu præexiſtente. Quod autem id quod dicimus, factum eſſe potuerit cum ſacra Virgine prædicta ex meritis Christi Domini præuiſis Deo illam ſua gratia præueniente, & per ipſius infuſionem impediente reſultantiam originalis maculæ, quæ naturaliter in Beatam Virginem proflueret, niſi præſeruaretur, nemo eſt qui dubitet, ſiue dubitare poſsit: & neque Caietanus hoc negauit: quinverò ſæpe ac ſæpiſsime illud fatetur, vt conſtabit ex inferius dicendis.

Eiuſmodi liberationis modus mixtus ſolummodo in B. Virgine reperitur, reperiri ve poteſt.

Quarta Concluſio.

FIRMITER tenendum eſt, prædictam ſacratiſsimam Virginẽ per Christi Domini ſanguinem, vere & proprie fuiſſe redemptã: & quod huic nullo modo obſtat, quod ex ſpeciali priuilegio ab originali peccato fuerit præſeruata: quinverò eiuſmodi redemptionis modus, eiuſdem excellentiam atque dignitatem extollit: dum illi ſupremum apicem, atque perfectiſsimum redemptionis effectum concedit. Hæc concluſio quoad primam partem, manifeſtiſsime conſtat ex præmiſſo notabili in initio quæſtionis propoſito, quo tanquam fi-

Firmiter tenẽdum eſt B. Virginẽ per Christi ſanguinem fuiſſe redemptam, nec huic obſtare, quod à peccato originali fuerit præſeruata: quinvero ſic perfectiori fuit modo redemptam.

dei generalem regulam (à qua si quispiam discedat, à fide etiam Catholica deflectat necesse est) statuimus Christum Dominum & Saluatorem nostrum, vniuersalem fuisse omnium hominum Redemptorem, ac vere & proprie per suum sanguinem sacram suam Matrem redemisse. Quoad secundam verò partem, nempe quod prædictæ fidei resolutioni, haudquaquam obstet eandem ex speciali priuilegio ab originali peccato diuinitus fuisse præseruatã: post supradicti Sixti IIII. constitutionem, quæ incipit *Graue nimis*, adeò etiã firmiter id est tenendum, vt sine quammaxima temeritate siue errore, negari minime possit. Dicitur enim ibidem, nõ solum falsum & temerarium, verum etiã & erroneum esse dicere, hæreticam esse propositionem quæ affirmat Beatam Virginem originale peccatum non contraxisse, seu ab eo præseruatam fuisse (quod est idẽ.) Ex qua definitione siue determinatione sic colligo argumentum. Sixtus Quartus diffinit non esse contra fidem, dicere Beatam Virginem à peccato originali fuisse præseruatã: ergo id ipsum eiusdem redemptioni minime obstat. Probo consequẽtiam. Nam si obstaret, illud dicere omninò esset contra fidem, cum (sicut prædictum est) tenendum sit firmiter de fide, eandem per Christi Filij sui sanguinem fuisse redemptam. Quod autem id ipsum Christi Domini Redemptionem, necnon & ipsius excellentiam atque dignitatem quammaxime extollat, constat euidenter ex his quæ dicit Scotus in 3. sent. dist. 3. quæst. 1. §. ex tertia via, vbi sequentia notabilissima verba dicit. *Excellentiorem esse redemptionis modum, aliquem præseruare ne cadat, quam ipsum post quam cecidit eleuare. Sicut melius est quempiam à vulnere præseruare & defendere, quam post vulnerationem remedium eidem adhibere.* Id quod & satis constat, *ex l. 1. C. quando licet vnicuique sine iudice vĩdicta.* Constat etiam apertissime, ex eo quod dicit Augustinus lib. sup. Genes. ad litteram, vbi ait: *Maiorem gratiam impendi illi cui conseruatur innocentia, quam cui remittitur culpa.* Hoc igitur præstantissimo atque excellentissimo Redemptionis modo, vsus est Christus Dominus solummodo cum sanctissima sua Matre, cui proinde non incongrue accommodari possunt verba illa, quæ habentur Threnorum 1. *Torcular calcauit Dominus, Virgini filiæ Iuda.* Circa quorum verborum explicationem, quæro num quid passionis suæ torcular Christus Dominus soli Virgini Matri suæ calcauerit: Minime: cum teste Diuo Paulo 2. Corinth. 5. pro omnibus mortuus fuerit. Sed id pro eo dicitur, quia prædicto redemptionis modo præseruatiuo ab originali peccato, solã Virginem Matrem suam redemit, atq; liberauit. Qui modus (vt supra diximus) iure optimo dici potest partim liberatiuus, partim verò præseruatiuus. Liberatiuus, in quantum redemit & liberauit eam à peccato, quod simul cum Adamo & omnibus nobis in eodem existentibus virtualiter, habitualiter, siue originaliter commisit: præseruatiuus autem in quantum ex speciali priuilegio, diuina ipsam præueniente gratia,

Nota quod dicit Scotus in cõprobatione redẽptionis præseruatiuæ.

Nota hoc pro B. Virginis redemptione, & ab originali peccato præseruatione.

eam-

eandem præseruauit à maculæ resultantia quæ ex prædicto Adami peccato, in propria eiusdem persona habebat profluere siue resultare, nisi præseruaretur. Quod verò id omne factum fuerit ex meritis Christi præuisis, & per veram & propriam Christi Domini redemptionem, prout dictum est in conclusione, constat expresse ex verbis quibus in sua oratione vtitur Ecclesia, in celebratione diei Festi purissimæ prædictæ atque immaculatæ Conceptionis, quando dicit: *Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, dignum Filio suo habitaculum præparasti, quæsumus, vt sicut ex morte eiusdem Filij sui præuissa, eam ab omni labe præseruasti, ita nos quoque mundos eius intercessione ad te peruenire concedas.* Quid amplius aut clarius dici potuit ad hoc propositum redemptionis Beatæ Virginis, postquam ipsa Ecclesia Romana adeò expresse fatetur, non solum Beatam Virginem ab originali labe præseruatã fuisse ex meritis Christi præuisis, verum etiam & constanter à Deo petit, vt & fideles omnes, ita mundos eiusdem intercessione ad se peruenire concedat, sicut & illam præseruauit in prædictis meritis præuisis. Quis credet, dicereve audebit, Ecclesiam Dei sanctam quæ ab Spiritu Sancto in hisce semper rebus, quinverò & in omnibus, dirigitur atque gubernatur, prædicta verba dum dicit, vllo modo posse errare aut falli?

Quod redemptio & præseruatio B. Virginis facta fuit in meritis Christi præuisis, id quod profitemur in oratione, quæ in hoc festo sacro recitatur ab Ecclesia.

Tandem quod prædicta præseruatio facta fuerit in meritis Christi præuisis, & Beatissima prædicta sacra Virgo per eiusdem sanguinem, vere & proprie redempta, constat expresse ex diffinitione & determinatione Concilij Tridentini Sessione 5. cap. 3. de peccato originali vbi dicitur. *Ab Adami peccato in nos per generationem transfusio nullũ omnino ex Adami posteris eximi atque liberari posse, nisi per merita vnius mediatoris Domini nostri Iesu Christi nobis applicata.* Ex quibus verbis constat satis aperte, quod si ex Romanæ Ecclesiæ auctoritate, licitum, pium ac sanctum est, credere Beatam Virginem iustitiam accepisse, & ab originali macula præseruatam fuisse, id nullo modo fieri potuit nisi per Christi Domini merita præuissa applicata sibi, & quod eiusmodi gratia præseruatiua, vere & proprie pertinet ad redemptionem eiusdem Christi, qui teste Diuo Paulo 1. Corinth. 1. *Factus est omnibus nobis sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio.* Item & quod Ecclesia Romana, quę Beatæ Virginis sanctificationem præseruatiuam colit ac publice celebrat, vt rem vere piam, sanctam & licitam: non id ipsum faceret, eandem si intelligeret Christi Domini redemptioni vllo modo repugnare, aut ad illam solummodo improprie & abusiue pertinere: vt enim supra diximus, quod improprie & abusiue est tale, non est simpliciter tale. Qua quidem ratione, quammaxima sunt digni reprehensione Doct. eiusmodi verba proferentes: maxime post expressam determinationem Sixti Quarti in supradicta Extrauaganti *Graue nimis*: id enim certe est expresse dicere, quod Beata Virgo, si ab originali labe fuit

præ-

præseruata, per Christi tamen sanguinem non fuit redempta: cum redemptio impropria & abusiua non sit simpliciter redemptio: dicere autem quod non fuit redempta, iam satis constat quod est hæreticū, & consequenter eorum assertio falsa, temeraria & erronea. In quo & recedunt etiam à sententia & opinione aliquorum factionis ipsorum, nempe Durandi & Caietani, Doctorum insignium Prædicatorū Ordinis, ex familia Diui Thomæ: qui licet in ea fuerint sententia & opinione, quod prædicta sacra Virgo peccatū originale contraxit: haudquaquam tamen dicere ausi sunt, quod si ex Dei speciali priuilegio ab eodem fuit præseruata (vt nos dicimus) nō propterea dici nō possit Christi Domini sanguine redempta. Et verba Durandi sunt quæ sequuntur, & habentur in 3. sentent. dist. 3. quæst. 1. vbi ait. *Puto quod & si Beata Virgo peccatum originale non contraxisset, posset nihilominus à Deo dici redempta, pro eo quod in radice sua, & ex natura sua conceptionis, obligata erat ad incurrendum eiusmodi peccatum, nisi à Deo præseruata fuisset.* Caietani autem verba sunt etiam quæ sequuntur, & habentur 3. parte quæst. 27. art. 2. §. circa secundam rationem, & §. ad euidentiam, & §. circa corolarium, & §. scripsimus de hoc, vbi sic ait. *Si tenetur Beatam Virginem non ex vi Conceptionis, sed ex singularissima gratia, in ipso instanti infusionis animæ ab originali peccato præseruatam fuisse, quod tunc incurrisset nisi illa gratia adfuisset: nihil tenetur contra fidem: sed specialis modus redimēdi, ac saluandi à peccato originali attribuitur Christo respectu suæ Matris.* Quid quæso clarius siue amplius, aut expressius vnquam potuit dici ad probādam & corroborandam nostram supradictam conclusionem, qua diximus Beatā Virginem ab originali peccato esse præseruatam, & nihilominus per Christi sanguinem redemptam: non quidem impropriè & abusiuè (vt quidam perperam dicunt) quinverò verissime atque propriissime, & præstantissimo & perfectissimo quodam modo fuisse redemptam & liberatam: & quod vnum alteri minime obstet siue contradicat. Hac de re dicta sufficiant.

Notentur verba Durandi & Caietan. circa præseruationē B. Virginis.

Solummodo superest nunc respondere ad argumenta, adducta in initio quæstionis pro parte primæ opinionis, non agnoscentis neque admittentis nisi vnum dumtaxat, verum & proprium redemptionis modum, nempe liberatiuum siue subleuatiuum, à seruitute peccati, iam actu existentis. Et quidem per facilis est solutio, cum iam superq; satis constet ex supradictis.

Respondetur ad argumēta adducta pro parte primæ opinionis.

Sed nihilominus ad primum respondetur, negando ea quæ tanquam notissima præsupponuntur, cum (vt dictum est in secunda cōclusione) stando in omni sacræ Scripturæ rigore, redemptio præseruatiua, vere & propriè sit redemptio. Quod haudquaquam negauit Diuus Augustinus, vt satis constat ex eiusdem auctoritate ibidem adducta, & ex exemplis ibidem ab eo positis: & quamvis nemo vere & propriè alium dicatur resuscitasse, pro eo quod illum à morte, vt ne more-

Ad primū argumentum.

moreretur præseruauit: quia sicut mors ex sua natura & intrinseca ratione supponit actu præcessisse vitam, ita & resuscitatio ex se supponit etiam actu præcessisse mortem. Nihilominus tamen cum hoc stat, quod ille talis vere & proprie, eum (& si non resuscitauit) præseruauit tamen à morte quam actu incurreret, quod est intentum, nam redimere siue liberare alium à morte, latius patet, quam eundem à morte resuscitare.

Nota valde huius argumenti solutionem, & quod non bene arguitur ab actuali morte corporis, ad præseruatiuã de qua loquimur.

Ad confirmationem verò siue secundum argumentum, quo Sozimi Papæ, & Diui Augustini auctoritates continentur, dico quod loquuntur de redemptione quæ est secundum legem ordinariam, & de his quæ fiunt communiter & regulariter loquendo, de quibus etiam latissime diximus nos in prima conclusione. Id enim redemptionis genus, certum est quod supponit culpam, & captiuitatem actu præcedentem. Cum quo etiam stat, quod ad hoc vt quis vere & proprie dici possit redemptus, sufficit quod fuerit aut debuerit esse captiuus, & captiuitas actu vel habitu præcesserit. Quod superque satis verificatur in Beata Virgine, quæ iuxta communem & probabiliorem opinionẽ, quamvis actu nunquam fuerit captiua: fuit tamen habitu, postquam virtualiter, seu originaliter (vt pluries dictum est) si non peccauit in se, peccauit tamen in Adamo. & in ea supponitur captiuitas præcedens, non actu, sed habitu. In opinione verò eorum qui non concedunt eandem etiam in Adamo peccasse: ad redemptionem prædictã dicendum est, sufficere quod debitum habuerit peccandi, ortum ex conditione suæ naturæ, & quod de facto peccaret, nisi præseruaretur, seu potius eximeretur à pacto inito inter Deum & Adamum primũ nostrum parentem, siue à communi lege, Adamo & suis posteris imposita. Quæ pro hac quæstione dicta sufficiant.

Ad secundum argumentum.

Quod ad hoc vt quis dici possit, vere & proprie redemptus, non requiritur quod fuerit actu captiuus, quinverò sufficit, quod id ipsum fuerit habitu, aut secundum debitum.

QVÆST. XVI.

An dicere sacram Virginem ab originali peccato fuisse præseruatam, sacris sit litteris magis consonum, quam oppositum?

POSTQVAM in duabus præcedentib⁹ quæstionibus, adeò euidenter ostendimus prædictarum opinionem neutram sacris litteris repugnare, nec eam quæ dicit Beatam Virginem peccatum originale contraxisse, neque verò illam quæ asserit ab eodem ex speciali Dei priuilegio fuisse præseruatam (quæ est nostra opinio) & in eiusdem comprobationem monstrauimus hanc

 senten-

sententiam minime obstare, quominus prædicta sacratissima Virgo per Christi Domini sanguinem, vere & proprie dicatur redempta: superest in præsentiarum inuestigemus, quæ nam earūdem opinionum sacris litteris magis sit conformis, & an sententia nostra eisdem magis sit consona quam opposita?

Prima opinio asserens sacrā Virginem cum originali peccato fuisse conceptam, & id esse magis consonū sacris litterisquam oppositam.

Circa quam difficultatem omissis illis, qui ante constitutionem Sixti Quarti (de qua supra) dicere ausi sunt seu potius non erubuerunt, sententiā & opinionem nostram sacris litteris repugnare: quod nemo iam audebit dicere propter excommunicationis periculum, & censuram latam ipso facto incurrendam, ac soli Apostolicæ Sedi reseruatam: & quia eiusmodi assertio (nec immerito) acriter puniretur, & censuraretur & qualificaretur vt propositio falsa, impia, temeraria & erronea (seu vt quibusdam etiam placet hæretica) deueniendo ad alios qui vt tenentur constanter affirmant, prædictarum opinionum neutram sacris litteris repugnare aut contradicere: cum hoc tamen non desunt qui dicant, opinionem quæ asserit Beatam Virginem in peccato originali fuisse conceptam, sacris litteris ac fidei regulis magis esse consentaneam atque conformem, quam oppositam.

Fundamenta opinionis prædicta.

Huius sententiæ & opinionis est in primis Caietanus in tract. de Conceptione Virginis cap. 2. quem sequitur Medina in 3. part. quæst. 27. art. 2. conclusione quarta, quos sequuntur omnes cōmuniter Thomistæ, qui cum Diuo Thoma dicunt sacram Virginem in peccato originali fuisse conceptam. Cuius positionis fundamenta sunt quæ sequuntur.

Primum argumentum.

Primò fundantur in sacræ Scripturæ propositionibus vniuersalibus, quæ communiter atque generaliter dicunt, omnes Adami posteros ab eo per rationem seminalem descendentes peccatum contrahere originale: quæ quidem auctoritates in præsentiarum non adducūtur, pro eo quod iam in præcedentibus quæstionibus, semel atque iterum ad diuersa proposita sunt adductæ.

Secundum argumentum.

Secundò fundatur in similibus sacræ Scripturæ propositionibus vniuersalibus, quibus expresse dicitur aut saltim insinuari videtur, Christum Dominum & Saluatorem nostrum, solum esse Sanctum & in sua Conceptione à peccato liberum.

Tertium argumentum.

Tertiò probant id ipsum, ex alijs sacræ Scripturæ locis, quibus expresse dicitur seu potius insinuatur, omnes Adami posteros ad Christi Domini redemptionem pertinere: ad quam certum est non pertinere nisi peccatores, & qui prædicta indigebant redemptione. Quæ dicta loca non etiam hic afferuntur, pro eo quod in præcedenti quæstione sunt adducta.

Quartum argumentum.

Quartò Diuus Thomas 3. parte quæst. 27. art. 2. ad probandum Beatam Virginem, non quidem ab originali labe liberatam siue præseruatam, sed post modum sanctificatam fuisse, adducit illud quod habe-

habetur, Exod. vltimo vbi dicitur. *Quod postquam perfecta sunt omnia, operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloriam Domini operuit illud:* ex quo loco sic colligit argumentum. Quod cum omnia quæ fuerunt in veteri Testamento, figura fuerint eorum quæ euentura erant in nouo, iuxta illud quod habetur 1. Corinth. 10. *Omnia in figura contingebat illis*, & per sanctificationem Tabernaculi de qua dicitur Psalm. 45. *Sanctificauit tabernaculum suum altissimus*, significetur sanctificatio Dei Matris, quæ ipsius tabernaculum dicitur, iuxta illud Psalm. 18. *In sole posuit tabernaculum suum*: de tabernaculo etiam supradicto dicatur Exodi vltimo: *quod postquam perfecta sunt omnia, operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloriam Domini operuit illud*: quod Beata Virgo (non quidem fuit ab originali peccato præseruata) sed solummodo sanctificata: & hoc postquam perfecta sunt omnia, id est postquam ipsius corpus & anima sanctissima inuicem fuerunt vnita. Hoc est argumentum Diui Thomæ.

Quintò sed Bandellus quammaximus sacræ Virginis oppugnator, in eo tractatu quem inscripsit contra Immaculatam eiusdem Cõceptionem, ad probandum id ipsum, adducit id quod habetur Ecclesiastes 7. *Virum de mille vnum reperi: mulierem autem ex omnibus non inueni:* quem locum (inquit) in hunc modum explicat Glossa Ordinaria. *Virum (id est Christum) de mille scilicet sanctum, vnum reperi: ipse enim est de quo Sponsa Cantic. 5. ait. Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus: mulierem autem non inueni, quæ scilicet aliquid muliebritatis non haberet, saltim originaliter: Beata autem Virgo originale habuit.* Hæc Hugo Cardinalis sequutus supradictam Glossam. *Quintum argumentum.*

Sexto probare cõtendit id ipsum Bandellus prædictus, ex eo quod habetur Prouerb. 25. *Aufer rubiginem de argento, & egredietur purissimũ vas.* Et dicit quod per argentum intelligit ibi Glossa Beatam Virginẽ, per rubiginem autem originale peccatum: ita vt fiat sensus. Aufer à Virgine originale peccatum, quod in sua Conceptione contraxit: & egredietur siue nascetur ex vtero, sine peccato purissima. *Sextum argumentum.*

Multa alia ita nullius ponderis ac momenti, tam ex sacra Scriptura, quam ex Sanctis Patribus capillis extracta, adducuntur à prædicto Bandello, ad probandum (sibi vt videtur) euidentissime, quod prædicta sacra Virgo cum originali peccato fuerit concepta: de quibus infra proprio suo loco specialis sermo fiet. Sed eis nihilominus non obstantibus, contrarium omninò est dicendum, & pro B. Virginis immunitate sequentem statuo Conclusionem.

Conclusio.

Sententia asserens sacrã Virginem ab originali peccato præseruatam fuisse, multo magis est sacris litteris cõsona, quam opposita.

SENTENTIA quæ Beatam Virginem ab originali peccato liberat, & ab eo prorsus dicit immunem atque præseruatam fuisse, sacris litteris multo magis est consona quam opposita. Hanc sententiam & opinionem tenent Doctores grauissimi, sed quammaxime illi omnes qui viam sequuntur nostri Scoti. Sed exeat in primis Catherinus lib. 3. de Conceptione Virginis cap. vltimo, & Canisius lib. 1. de Maria Deipara cap. 6. §. sed scripturas ad huc exigimus, vbi latissime id ipsum probat vsque ad finem capitis. Quod & facit Valentia quarto tomo disput. 2. quæst. 1. puncto 3. §. primum igitur probatur, & Morales lib. 3. de Christo & Virgine, tract. 1. in probatione sextæ conclusionis, Bellarminus tomo 4. lib. 4. de amissione gratiæ & statu peccati cap. 15. §. quod attinet ad tertium, Suarez secundo tomo ad tertiam partem disput. 3. sect. 5. Stephanus Mendez Prædicatorum Ordinis, lib. 3. *de la dignidad de la Virgen*, cap. 33. cum sequentibus. Præter quos sunt & alij qui varios tractatus eadem de re concionatorio modo, ac vulgari lingua his nostris temporibus scripserunt, de quibus postea latius dicemus.

Quod cum in sacris litteris nullum sit expressum testimonium pro immunitate Virginis, neque è contra (alias enim non esset opinio, sed res fidei) ipsius veritas comprobãda est ex varijs figuris, & sacræ Scripturæ locis probabilibus, mistice siue spirituali intellectus.

Sed antequam ad probationem supradictæ conclusionis accedamus, aduertendum duxi, quod sicut in sacra Scriptura nullum datur expressum testimonium, quo explicite & in particulari dicatur sacrã Virginem in originali peccato fuisse conceptam (id enim si haberetur, haudquaquam licitum esset eiusmodi assertioni salua fide cõtraire) ita nec habetur testimonium vllum expressum, quo explicite dicatur contrarium, nempe illam ab eodem fuisse præseruatam, seu ex quo ad litteram siue in litterali sensu id ipsum possit concludi. Etenim si illud etiam haberetur, iam nostra sententia, non quidem esset opinio sed res fidei: & contrarium asserentes, tanquam veri hæretici acriter venirent puniendi: relinquitur ergo, quod hæc præsens nostra assertio, & conclusio, solummodo probanda sit aliquibus sacræ Scripturæ locis probabilibus, ex quibus salua fide, non quidem incongrue: quin verò congruentissime, & multum ad rationem conformiter, colligatur prædictam sacram Virginem ab originali peccato fuisse præseruatam, siue quia eiusdem fuerunt figuræ, aut in sensu mystico illam significant: siue verò quia à Sanctis Patribus spiritualiter de ipsa intelliguntur, & communiter interpretantur: aut denique quia ex his quæ in sacris litteris continentur, iunctis aliquibus circunstantijs, præseruationis priuilegium prædictum, aliquibus rationibus efficacibus potest comprobari & conuinci. Isti sunt loci omnes ex quibus venit nostra comprobanda conclusio. Neque hac in re (vt ex dictis constat) qui quam amplius est expostulandum: cum iuxta Philosophi sententiam demonstratio non sit quærenda, vbi ea haberi minime potest.

hæc

Et præter quam quod ex sacra Scriptura, aliquod clarum petere testimonium, vbi aperte & expresse dicatur sacram Virginem ab originali peccato fuisse præseruatam esse videtur temerarium: in hoc proposito praeterea foret insolitum & in vsitatum, cum ad credenda alia similia priuilegia quæ de eadem tanquam certa & indubitata tradit Ecclesia, eiusmodi sacræ Scripturæ expræssum testimonium minime requiratur: & qui his non contenti amplius quidquam exposcunt, & hac in re rigidi exactores haberi volunt: dicant (obsecro) mihi, an omnes Theologicæ veritates in sacra Scriptura, plane, aperte atque expresse contineantur: ita vt nihil omninò quod extra eam sit, vllo modo veniat credendum? Hoc (vt crediderim) haudquaquam dicent: vt ne negandi omnes in vniuersum Ecclesiæ traditiones, & nihil prorsus credendi nisi quod in sacra Scriptura fuerit expresse contētum, hæreticis sectarijs ansam præbeant. Ob id enim ipsi Ecclesiæ traditiones prædictas negāt, quia nihil omninò admittēdū, esse dicunt, nisi quod in sacra Scriptura expresse habetur contentum. Si igitur id non vllo modo est dicendū, cur prædictū B. Virginis præseruationis priuilegium ex hoc solummodo admittere renuunt, quia nullis sacræ Scripturæ expresfsis testimonijs comprobetur? Dicant etiā vlterius mihi, in quo sacræ Scripturæ loco habeatur expresse, Virginem sacram filium suū Christum Dominū & Saluatorem nostrum, absque virginei sui claustri violatione, & absq; vllo prorsus dolore peperisse: & in sanctissimæ suæ Matris vtero fuisse sanctificatā: scientia infusa condecoratam, ab omni actuali peccato immunem: à putridine & corporis corruptione præseruatā: & post mortē in corpore simul & anima, ad cœlos vsq; quinverò & supra omnes cœlos euectā, & exaltatā? Si igitur hæc quæ de Virgine sacra ab Ecclesia traduntur priuilegia (cum etiā in sacra Scriptura non habeantur expressa) ex solius eiusdē Ecclesiæ traditione, Sanctorum Patrum consensu, populi deuotione & approbatione: & quia sacris litteris non contrariantur: quinverò eisdē esse videntur cōformia, adeò firmiter à fidelibus omnibus creduntur & admittuntur: cur ad prædictum præseruationis priuilegium, & ad credendū B. Virginem à primo suæ conceptionis instanti ab omni prorsus originali peccato fuisse immunē: quidquā amplius erit petendum siue ex postulandum? Minime quidem id ipsum fieri debet, quinverò his quæ promisimus esse omnes debent contenti: nē pe si mysterium prædictū sacræ Scripturæ locis probabilibus cōprobemus: ex quibus salua fide (non quidē incōgrue) quinverò congruētissime, & ad rationem multum conformiter, colligatur sacram prædictam Virginem ab originali peccato fuisse præseruatam, siue quia eiusdem fuerunt figuræ, aut in sensu mystico id ipsum significant, vel quia à Sanctis Patribus de ea spiritualiter intelliguntur, & interpretantur communiter.

Quod ad credendū de Virgine sacra ab originali peccato præseruationis priuilegium, nō quidquā amplius est expostulādum, quam ad alia similia priuilegia quæ de eadem credenda sancta nostra proponit Ecclesia.

Argumenta desumpta ex varijs sacræ Scripturæ figuris, ad insinuandam siue probandã Virginis sacram immunitatem ab omni prorsus originali labe.

Vt igitur à figuris quæ in sacra Scriptura continentur exordiamur, ex quibus (vt dictum est) non incongruum desumi potest argumentum; ex formatione primi nostri parentis Adami. Pro cuius figuræ, & subsequentium pleniori intelligentia præmittere libet. Deum Optimum Maximum (quæ sua maxima est misericordia & clementia, sapientia infinita, æternaque prouidentia: quique (vt inquit Sapiẽs Sapientiæ 8. *suauiter ac fortiter semper disponit omnia*:) vbicunque profundissima atque immensa sua scientia vidit & prænouit futuris temporibus aliqua fidei mysteria & arcana creditu futura difficilia, varijs tropis, simbolis & figuris, vt à fidelibus acceptarentur & crederentur, eadem prius delineare atque præfigurare semper consueuisse, vt vel sic humana vtcumque vinceretur incredulitas, & fideles ipsi rei figuratæ ad figuram miram consonantiam & correspondentiam attendentes, eisdem facilius assentirent. Hæc (inquiunt Doctores) omninò fuit causa ob quam in veteris Testamenti sacra pagina, earum rerum quæ in nouo erant adimplenda, variæ atque innumeræ præcesserunt figuræ, quibus veluti delineabantur, præfigurabantur & adumbrabantur, & ad eandem credenda fideles disponebantur. Qua quidem ratione Diuus Paulus 1. Corinth. 10, loquendo de sanctis olim veteris Testamenti Patribus, & de multis quæ illo tempore successerunt, & ab eisdem facta fuerunt, post alia dixit. *Quod omnia in figura contigerunt illis: scripta sunt autem ad correptoinem nostram, in quos sæculorum deuenerunt fines.* Nec verò id fecit Deus in mysterijs fidei, siue quę in nouo Testamento proponenda erant, vt necessario credenda tanquam de fide: verum etiam & in multis alijs, ad quorum credulitatem siue cognitionem fidelium animos dispositos, & veluti præparatos esse voluit: in quorum numero optima ratione constituere possumus prædictum de Immaculata Virginis Conceptione mysterium. Nam præuidens Deus Optimus Maximus, futuris Ecclesiæ temporibus, circa Sanctissimæ suæ Matris Immunitatẽ & à peccato originali præseruationem, ob eiusmodi quæstionis difficultatem, multorum fidelium animos esse commouendos atq; cõturbandos, & futuros quamplurimos qui ea in se fluctuarent: alios verò eo dementiæ esse deuenturos id ipsum vt credere minime vellent; quinverò illud tenaciter negarent: ad vtrosque erudiendos & conuincẽdos, & in veritate prædicta stabeliendos & confirmandos, mysterij eiusdem tropos atque figuras innumeras, pro sua misericordia & clementia, necnon & infinita prouidentia dignatus est præmittere: quibus plene perspectis & cõsideratis, res ipsa tanquam digito monstraretur: nec in dubium vocaretur quod tanta certitudine videretur adimpletum, atque ita apte correspondere, ac veluti quadrare (vt sic loquamur) figuras prædictas cum per easdem præfigurato & præsignato. Inter quas (meo quidem videri) haud infimum locum tenet, id quod in sacra Scriptura

tura factum fertur à Deo Optimo Maximo, in formatione primi nostri parentis Adami: nam & ipsum Christi Domini figuram gessisse, negari potest minime, id cum expresse dixerit Diuus Paulus ad Rom. 5. primum scilicet: *Adamum formam fuisse futuri.* Dicitur ergo Genes. 2. dum fit sermo de formatione & creatione primi prædicti hominis. *Quod formauit illũ Dominus Deus de limo terræ*: Seu (vt transfert Batablus) *De puluere terræ: & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Quæ prædicta verba expendens B. Andræas Apostolus (vt referunt Presbyteri Achaiæ in lib passionis ipsius) adnotauit multũ & bene, id quod quammaxima est consideratione dignum: nempe Adamum primum nostrum parentem, formatũ quidem à Deo fuisse de terra, non vt cumque, sed de terra Virgine, & priusquam malediceretur ab ipso. Neque enim terra maledicta à Deo fuit, nisi post peccatum, vt satis constat ex eo quod habetur Genes. 3. vbi Deus Optimus Maximus, peccati commissi hominem redarguens, dixit. *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes: maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi.* Quod (inquam) mysterium attente perpendens prædictus Beatus Andræas Apostolus, in quammaximum sacræ Virginis honorem, & Immaculatæ suæ Conceptionis comprobationem, protulit illa notabilia verba, nunquam obliuioni tradẽda: *Quod sicut primus Adam formatus fuit de terra Virgine, & antequam esset maledicta, ita & secundus Adam formatus fuit ex terra Virginea nunquam maledicta.* Verba sunt expressa prædicti Andreæ Apostoli. Ex quibus sic colligo argumentum, ad probandam Immaculatam Conceptionem sacræ Virginis. Si secundus Adam (nempe Christus Dominus, vt inquit Beatus Andræas) formatus fuit ex terra Virginea nunquam maledicta: ergo & Virgo sacra originale peccatũ minime contraxit: etenim illud si contraxisset, haudquaquam terra nunquam maledicta dici posset: postquam per ipsum (vt iam ex dictis constat) actũ ãis hominibus generalis Dei maledictio incurritur. Qua quidem ratione in proposito, terra nũquã maledicta, idem omnino pollet, ac si diceretur prorsus Immaculata, nunquam maledicto subiecta, & ab originalis peccati labe præseruata. Hæc est prima figura, & primum mysterium quod in sacra Scriptura continetur, ad sacræ Virginis immunitatem ad vmbrandam & præfigurandam: & probandum eandem absque originali peccato fuisse conceptam. Quo argumento ad idem ostendendum, vtitur Diuus Bernardinus de Sena tomo 4. serm. 47. post Resurrectionem pag. 272. & Catherin. tract. 2. de Concept. Virgin. lib. 3. cap. vltimo in fine. Canisius lib. 1. de Maria Deipara cap. 6. §. sed scripturas adhuc exigimus. Bellarmin. tom. 4. lib. 4. de amissione gratiæ, & statu peccati cap. 15. §. quod pertinet ad tertium aliquo modo, & Valentia 4. tomo disp. 2. quæst. 1. puncto 3. §. primum igitur

Notentur verba B. Andreæ Apostoli, in cõprobationis immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis.

igitur probatur. Quod certe argumentum haudquaquã est contemnendum: quinverò quammaxima æstimatione habendum: cum fundetur super doctrina Beati prædicti Apostoli Andreæ, & eo ipse vsus fuerit ad idem ostendendum. De cuius libri veritate, & ipsius auctoritate, dubitare minime licet: cum habeatur apud Surium in vita eiusdem Andreæ Apostoli, vt tradit Bellarmin. lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, ad finem primi sæculi pag. 36. vbi & refert Damianũ, Ioannem de Lobanio, & Aloysium Lypomanum, & alios libri prædicti historiam approbantes. Sumit præterea argumentum prædictum vires quammaximas, mirumque in modum fortificatur, & corroboratur, ex eo quod eisdem D. Andreæ Apostoli verbis, ad litteram vsus fuerit Beatus Dominicus Prædicatorum familiæ Pater, & fundator inclytus: ad probandã & confirmandã prædictã sacræ Virginis ab originali peccato immunitatẽ: in tractatu quem contra hæreticos Albanẽses inscripsit de corpore Christi. Neque hac in re audiendus, admittendus ve vllo modo est, Bandellus iam pluries citatus, qui pro more suo, libere (vt ne impudenter atque temerarie dicam) mendatij damnat eos, qui librum prædictum tribuunt Sãcto Dominico. Nam quod ille reuera sit suus, ex multorum Doctorum auctoritate latissime tradit & probat Ægidius Augustinianus lib. 3. de præseruatione Virginis ab originali peccato quæst. 4. art. 1. §. 13. num. 65. & 66. Et multo minus est audiendus Bandellus prædictus, in eo quod dicit, supradicta verba intelligenda esse in hoc sensu, vt scilicet Christus Dominus formatus sit de terra, nõ maledicta siue immaculata, pro tempore quo Beata Virgo sacro suo eundem concepit vtero: non vero de Conceptione ipsius: nam certe huic euasioni aperte contradicunt verba illa, *ex terra Virginea, nunquam maledicta*. Vbi quammaxime venit notãdum, verbũ, *nunquam*: quod (vt de se patet) tempus in se cõplectitur omne, & ad omnes temporis differentias extenditur: ac ideò dum Virgo sacra dicta fuit terra nũquam maledicta, idem omninò fuit, ac si diceretur expressius, semper benedicta, semper pura, semper immaculata, & originalis peccati maledicto, nunquam subiecta. Neque enim alias bene stare posset similitudo, à B. Andrea, & Sancto Dominico adducta. Hoc itaque sit primum ac potissimum argumentum, ex Testamenti veteris figuris desumptum.

Secundum argumentum, desumptum ex formatione matris nostræ Euæ.

Secunda figura, ex qua etiam efficacissimum desumi potest argumentum, ad veritatem eandem confirmandam & comprobandam, est de formatione Matris nostræ Euæ, quam & sacræ Virginis figurã gessisse, præterquam quod vulgare est apud omnes Patres & Doctores Sanctos, tradit illud expresse D. Epiphanius lib. 3. de Hæresibus, hæresi 68. vbi de eadem Eua loquendo, inquit: *Quasi per enigma accepisse vt mater viuentium appellata sit, vtiq; ad præsignandam prædictam sacram Virginem: quæ dum vitam genuit (Dominum scilicet ac Saluatorem nostrum Iesum Christum.)*

Christum:) vitæ causa omnibus nobis facta est & vt mater viuentium vocetur, potiori multo sibi competit iure quam Euæ: nam & si ab hac deducta sit carnalis omnium hominum generatio, ab illa genitus est Christus per quem facta est spiritualis eorundem regeneratio & saluatio. Ad prædictum igitur locum deueniendo, dicitur Genes. 2. quod post creationem primi nostri parentis Adami, dixit Deus: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.* Et post pauca additur: *Quod immisit Deus soporē in Adam, cumq; obdormisset tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea, & ædificauit costam quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Dixitq; Adam. Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea. Hac vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* Supradicta omnia verba expendamus oportet per singula, nam certe nullum in eis est, non quam maxima consideratione dignum. Et primo notandā occurrunt illa: *non est bonum hominē esse solum, faciamus ei adiutoriū simile sibi* Iam Deus terræ cuncta animantia creauerat, vt satis constat ex textu sacro Genesis primo, iumenta & reptilia, & bestias terræ, secundum species suas: & ad huc Adamus esse dicebatur solus, eaque ratione, vt de societate vt cumque haberet solatium, dum Deus Euam producere vellet, dixit: *faciamus ei adiutorium simile sibi.* Fuit autem Eua Adamo similis, non solum in natura, verum etiam in gratia & in originali iustitia, in qua iuxta communem Sanctorum Patrum sententiam ambo conditi sunt. Quo plane symbolo atque figura, omni proculdubio adumbratum, atque præfiguratum fuit, tempore futuro (nempe legis gratiæ) secundo Adamo (scilicet Christo Domino & Saluatori nostro) dandam fore secundam aliam Euam (nempe sacram Virginem Mariam) in adiutorium simile sibi, vt non ipse in toto hoc mundo reperiretur solus, & vt de societate eiusdem habere posset solatium. Etenim Christi Domini respectu (si non prædicta sacra adesset Virgo) omnes totius mundi homines forent quasi animalia irrationabilia quædam, iumenta & reptilia, & bestiæ terræ. In id ergo, siue ad hunc finem, condita fuit sacra Virgo, vt idem Christus adiutorium haberet simile sibi: nam & ipsa sibi fuit per quam similis, non solum in natura: verum etiam & in gratia: & in eo quod sicut Christus omnis peccati semper expers omninō fuit, ita & sanctissima Virgo Mater ipsius, nullius originalis siue actualis vnquam culpæ fuit particeps, diuersa licet ratione & causa id ipsum fuerit: nam ille id habuit per naturam, & ex suæ conceptionis vi (pro eo quod non ex aliquo virili semine, sed de Spiritu Sancto fuit conceptus) hæc verō non ita: sed per gratiam, & ex speciali cœlesti priuilegio, naturali ipsius propagationi minime debito, cum re vera per rationem seminalem fuerit concepta.

Secundo circa idem notandum occurrit, id quod statim post verba *Rationes, &*

KK prædi-

causas, ob quas Deus conceptionis mysterium hucusq; occultum esse voluerit.

prædicta subditur: ad formandam olim Euam immisisse Dominũ soporem in Adam, & cum obdormisset tulisse vnam de costis eius, & repleuisse carnem pro ea: nam & illud quis credet speciali aliquo vacasse mysterio? Et (meo quidē videri) in eo quod Deus Adamo dormiente Euam produxerit, hoc adumbratum & præfiguratum esse apparet, nolluisse eundem ipsius productionem etiam Ademo ipsi innotescere, sed eius rei ipsum solummodo esse veluti occulatum testem. Quo symbolo ad præsens nostrum propositum, egregie atque mirifice præfiguratum fuit, productionem siue Conceptionem immaculatam huius nostræ secundæ Euæ (Beatam Virginem Mariam intelligo) ita cunctis populis futuram mirabilem, vt nullus vnquam Adam, nullus (inquam) homo, absque speciali Dei auxilio, plene illam possit percipere, sed soli ipsi Deo mysterij huius cognitio esse quasi videatur reseruata, & his quibus pro sua pietate & clementia illud sibi placuerit reuelare. Hinc experientia ipsa factum videmus, quod cum Deus Optimus Maximus Ecclesiæ suæ sanctæ temporis processu, plura ac fere innumera obscurissima arcana & mysteria reuelauerit atque manifestauerit: hoc Immaculatæ Sanctissimæ suæ Matris Conceptionis, vsque adhuc ita semper occultauit, vt noluerit veritatem hanc tanquam Fidei Catholicæ assertionem, à Summis Pōtificibus diffiniri & determinari, reseruando illud secretæ suæ diuinæ & prouidentissimæ dispositioni. Cuius quidem rei causæ, si plene & ad vnquem considerentur, haudquaquam admodum difficile erit aliquas in præsentiarum adducere. Quarum quæ primo occurrit est, vt ne fidelibus aliquibus errandi ansa siue occasio tribueretur, seu (vt ita dicam) idolatrandi, & eidem sacræ Virgini eum cultum & honorem defendi, qui soli Deo debetur. Etenim si (vt inquit Diuus Epiphanius lib. 3. de Hæresibus hæresi 78.) honoris tantum & reuerentiæ nonnulli olim prædictæ sacræ Virgini detulerunt, ac tot in ea diuinitatis vestigia inspexerunt, vt vere esse Deam putauerint, & vt talem nisi detinerentur illam voluerint adorare. Id quod de Beato Dionysio Areopagita refert Vbertinus libro quarto de vita Saluatoris, quod cum primum eam vidit voluit ipsam adorare, & dixit quod nisi sibi obesset fides putaret illā esse Deam: quid credendum est facerent homines simplices & rudes, certum & exploratum si habuissent Beatam Virginem prædictam in primo suæ conceptionis instanti, supernaturali gratia plenam fuisse, & cum cæteris hominibus originale peccatum minime contraxisse? Omni proculdubio decipi de facili possent, existimantes non naturali modo fuisse conceptam, nec esse puram creaturam, sed aliquam Deam. Hæc (vt credo) fuit prima atque potissima causa, ob quam prouidentissimus Deus de veritate prædicta nos hucusque certos esse noluit. Nam si vt refertur

Actuum

Actuum 20. ad Mileti Insulam peruenientem olim Diuum Paulum, intuentes incolæ, quod inuadente eum vipera, veneni nihil in illum euomuit, nec momordit, aut damni quidquam eidem intulit: statim omnes aclamare cœperunt, dicentes illum esse Deum: quanto magis facilius decipi possent homines indocti, rudes ac simplices, certi si fuissent originalis peccati viperam, quæ veneno suo omnes in vniuersum ab Adamo per rationem seminalem descendentes infecit, prædictam Virginem Sacram non tetigisse, inomordisse, aut damni quidquam eidem intulisse? Non ne revera Deam ipsam esse arbitrarentur: Ansamque haberent, illum cultum & honorem ipsi deferendi, qui soli Deo debetur? Hanc igitur ob causam sapientissimus & prudentissimus Deus (quæ maxima est sua sapientia & prouidentia) ordinauit atque disposuit, huiusmodi veritatem de Immaculatæ Beatæ Virginis Conceptionis mysterio sub opinionum tegumento vt lateret, ne id ipsum omninò certum si fieret, hominibus rudis & imperitis occasio præberetur se refricandi & intricandi in pristinum prædictum errorem quem commemorat, Diuus Epiphanius loco supra citato. Cui prædictæ primæ rationi, superaddere libuit præstantissimam aliam eiusdem rei causam, ob quam prouidentissimus Deus eiusmodi mysterium voluerit sub opinionum in volucris latere: vt propterea solertius atque diligentius multo, Immaculatæ B. Virginis propugnatores, ad eandem vindicandam, & ab omni prorsus originalis peccati labe liberandam, animum suum applicarent. Vt enim inquit Diuus Augustinus libro 16. de Ciuitate Dei capite secundo. *Multa ad fidem Catholicam pertinentia, dum aduersariorum callida inquietudine agitantur: vt aduersus eos deffendi possint, & considerantur diligentius, & intelliguntur clarius, & instantius prædicantur, & ab aduersario mota quæstio discendi existit occasio.* Id quod & experientia ipsa constat superque satis: nam huius controuersiæ occasione, mira & stupenda quæ latebant, in honorem Sacræ Virginis cum immortali eiusdem gloria in lucem prodierunt mysteria & encomia, quæ forsam alias nunquam prodijssent. Et quemadmodum in rebus naturalibus, per Antyparistasim siue contrapositionem, contraria contrarijs augentur: sic & in moralibus, oppositio & contradictio, quã quidam huic altissimo fecerunt mysterio, occasionem certe præbuit alijs, illud magis ac magis elucidandi, mira & pulchra de eodem dicendi & propalandi, illorum tella omnia in eosdem retorquendi, ac cunctis populis ostendendi & mostrandi, argumenta sua quam nullius sint ponderis ac momenti.

Nota ex Diuo August. ad veritatem quam lib. indagandam, quãtum prosit oppositio & contradictio.

Sed iam finem faciamus explanandi figuram prædictam de formatione matris nostræ Euæ, eandem ad Sacram Virginem applicando, & videamus de qua materia ea formata sit? Ex carne fragili?

 Minime

minime: sed ex Adami costa. Sequitur enim in textu, & dicitur: *Cumque obdormisset Adam, tulit Deus vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea.* Quo etiam symbolo aperte satis exprimitur, quod in Virgine sacra (quamvis revera ex Adam naturali propagatione, ac per seminalem rationem fuerit concepta) nihil tamen fragile considerare debemus: nihil quod carnem sapiat: omnia ipsius fuere fortia, & quæ merito ossibus valeant & debeant comparari. Et præterea quod sicuti Eua ex Adami costa, absque vlla prorsus peccati contagione formata fuit: sic & prædicta Virgo Sacra, per eandem figurata, in suæ Matris vtero absque vlla omninò peccati originalis labe & macula formata est. Item sicuti & Eua, quæ (vt pluries est dictum Mariæ nostræ Sacræ extitit figura) tota pulchra & formosa, tot muneribus condecorata, & in nullo vitiata, Adamo in vxorem fuit tradita: quam cum ipse expergefactus vidisset dixisse fertur: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est*: ita quoque suo modo de Virgine Deipara dicere possumus, atque debemus, quod tota pulchra & formosa, in comparabilibus gratiæ muneribus, â primo suæ Conceptionis instanti condecorata, in nullo vitiata, seu originalis peccati labe fœdata, Verbo Diuino in Matrem est tradita. Talis Mater, qualem habere decebat tantum Filium: & de qua non quidem pudere aut erubescere: quinverò gloriari potuit ipse Filius, & dicere: hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Ac si expressius diceret, hæc est Mater mea, tanto digna Filio. Hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est. Vocabitur (inquam) non tam fœmina, quam Virgo super omnes virgines, & fœminas benedicta, quæ absque pudore, & absque violatione virginalis sui Claustri, & sine dolore, quia verò cum summa gaudij exultatione, concipere ac parere meruit Christum Dominum & Saluatorem nostrum, suum simul & Æterni Patris Filium, qui est super omnia benedictus in sæcula Amen.

Supradicto argumento de formatione Matris nostræ Euæ, ad Sacræ Virginis Immaculatam Conceptionem confirmandam, vtitur etiam Catherinus, Canisius, Bellarminus, & Valentia, locis supra citatis.

Tertium argumentũ, desumptum ex comparatione terrestris Paradisi.

Tertia figura siue argumentum, desumi potest ex comparatione terrestris Paradisi, quem etiam Sacræ Virginis figuram gessisse; tradit Petrus Damianus sermone de Annunciatione Beatæ Virginis Mariæ, de quo prædicto Paradiso habetur Genesim secundo. *Quod plantauit Deus Paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formauit.* Cum Diuus Paulus comparationem faciens inter Adamum primum nostrum parentem, & Christum Dominum & Seruatorem nostrum, dicat primo Corinthior. 15. *Quod primus homo de terra*

terrenus, secundus verò de Cœlo cœlestis: videamus oportet atque expendamus per singula, qualis fuerit terrestris ille Paradisus, in quo Deus constituit terrenum illum hominem quem à principio formauit, perspicuum vt exinde fiat, qualis & esse debuerit, seu potius de facto fuerit, secundus iste Cœlestis, in quo Cœlestem etiam hominem (nempe Christum Dominum) collocauit, Sanctissima scilicet Maria eiusdem Mater. Et vt à primis exordiamur, de situ terrestris olim Paradisi dicit Diuus Isidorus, libro quarto Æthymologiarum capit. 13. Diuus etiam Ioannes Damascenus, libro secundo Orthodoxæ Fdei capite vndecimo, & Tertulianus lib. de iudicio Domimini capite octauo, constitutum quidem illum fuisse in Orientis partibus: quod quidem ad præsens nostrum propositum haudquaquam mysterio vacare credendum est. Et ni fallor in eo est ad vmbratum atque præfiguratum, hoc inter alia interesse inter Virginem Sacram, & omnes alios homines ab Adamo primo nostro parente naturali propagatione, & per rationem seminalem descendentes, quod licet vtrique simili modo procedant: illi tamen (vt sic loquamur) concipiuntur veluti ad occidentalem plagam: versus originalis peccati caliginosum locum: tenebris offuscantem animam: at sacra prædicta Virgo instar Paradisi prædicti, concepta fuit in Orientis partibus, ad Orientem Solis iustitiæ Christi Filij sui, diuinæ suæ gratiæ splendore eam totam irradiantis: qui & ab originalis peccati tenebris mirifice illam præseruauit. Talem namque decebat esse Matrem, quæ talem ac tantum conceptura & paritura erat Filium.

Secundo præterea dicitur de terrestri illo Paradiso, quod à suæ productionis principio clarissima luce fuit illustratus, quæ & ibidē vsque in hodiernum diem perseuerat, eaque fruitur Enoch, absque eo quod ibidem experiatur noctem: de quo Ecclesiastici 44. dicitur: *Quod placuit Enoch Deo, & in Paradisum translatus est*. Quod nec in congrue sacræ nostræ Virgini possumus tribuere. Nam primam quā in Conceptione sua diuinæ gratiæ lucem accepit, eandem magis ac magis auctam, perpetuo conseruauit: nunquam illam amisit: nunquam illam non habuit, aut in ipsa vnquam noctis peccati aliquid repertum est. Qua quidem ratione Dauid Psalm. 88. eiusdem lucem orbium Cœlestium luci comparat, dum loquendo de Christo Domino, & de Sanctissima eius Matre, dicit: *Et ponam Thronum eius sicut dies Cœli*. Quo quidē loco Throni nomine sacra intelligitur Virgo, quæ & futura dicitur Thronus tāquā dies cœli, pro eo quod lux in ea semper perseuerauit, & peccati noctē nūquā experta est. Nam & hoc interest inter Virginē sacrā, & omnes alios sanctos, vt cūq; perfecti extiterint. Etenim ipsi (licet etiā Troni Dei fuerint) nō tamē

Quod Virgo sacra claritatē gratiæ, quā à principio recepit nunquā amisit, semperque illam habuit.

fuerunt Throni, sicut dies cœli: sed sicut dies terræ, quos atra nox antecedit, & iterum subsequitur: primum enim fuerunt sub peccato, postmodum vero sub gratia: at prædicta Beatissima & Immaculata Virgo, fuit Christi Domini Thronus, sicut dies cœli, luce incredibili semper superfussus, noctis omninò expers, & qui originalis culpæ obscuritatem nunquam in se admisit.

Notentur plures terrestris Paradisi laudes, quæ omnes B. accommodantur Virgini.

Tertiò dicitur de prædicto terrestri Paradiso (id quod & nec modicũ facit ad præsens propositum) & tradit illud Phylogenus in eleganti illa oratione quam de arbore vitæ scriptam reliquit, super illius portionem haudquaquam cecidisse maledictionem illam quæ habetur Genes. 3. qua post perpetratum primi nostri parentis peccatum, dixit Deus. *Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi*. Quo etiam haud quidem obscure præfiguratum fuit, originalis peccati maledictionem illam, terram vniuersam, seu potius totam humanam naturam inficientem, hunc voluptatis Paradisum (Sacram intelligo Virginem) minime comprehendisse. Qua etiam ratione factum est (sicut referunt Tertulianus, & Diuus Damascenus loco vbi supra) quod in terrestri illo Paradiso, ab arboribus nunquam defuerunt frondes & fructus: fuitque ille locus quasi totius lætitiæ & voluptatis promptuarium, optima temperie donatus, subtilissimo atque purissimo aëre splendidus, plantis semper virentibus insignitus: nimia odoris suauitate refertus: lumine plenus, vniuersæ sensibilis venustatis intelligentiam superexcedens: & in quo animalia rationis expertia minime fuerunt. Quæ prædicta omnia Sacræ etiam Virgini accomodantes, iure optimo dicere possumus, tantam semper fuisse huius Virginis Sacræ excellentiam, & virtutem, ac talem & tantam gratiam à primo suæ Conceptionis instanti sibi donatam: atque ita ab omni maledictione elongatam, vt ab ea (quæ cœlestis quidam fuit Paradisus) haudquaquam vnquam defuerint bonarum cogitationum & operum frondes & fructus: nunquam ab eius ore aliquod effluxit otiosum verbum, seu aliquid in ea repertum est superfluum aut superuacaneum, quod in exteriorem hominem redundare posset: omnia fuerunt in illa pulcherrima ac florida, & Sanctissima ipsius anima nihil omninò aliud fuit, quam cœlestis quidam totius spiritualis lætitiæ, & voluptatis Paradisus, cunctis arborum floribus & fructibus virtutum insignitus. Animalia rationis expertia (per quæ recte intelliguntur peccata) cum nihil sint omninò aliud quam deuiatio quædam a recta rationis regula: in cœlesti prædicto Paradiso haudquaquam fuerunt inuenta: nullum peccatum vnquam in Virgine fuit sacra, nec originale, nec vero actuale.

De altitudine

Quartò dicunt Doctores quidam grauissimi de supradicto terrestri

terrestris olim Paradisi, quod etiam applicatur perf[...]oni B. Virginis.

restri Paradiso, sed præsertim Diuus Thomas prima parte quæst. 102. articulo primo, & Magister Sententiarum in secunda dist. 17. capit. tertio, & Alexander Alensis secunda parte quæst. 38. membro primo, conditum quidem eum fuisse in eminentissimo omnium totius orbis monte: quinverò ex quorundam sententia refert Albertus Magnus, secunda parte suæ Theologiæ tractatu 13. quæst. 79. diuum olim Thomam Apostolum dixisse, tantæ fuisse eminentiæ & altitudinis, vt vsque ad lunarem globum ascenderet. Sed quidquid sit de tanta illius sublimitate & celsitudine, certum tamen existimatur, quod de eo dicit Diuus Basilius super Genesim capite secundo adeò magnam fuisse, vt in eo nunquam fuerit reperta immoderata ventorum vis: nulla tempestatum procella: hiemis horror nullus: non veris humiditas nimia: non torrens æstatis ardor: non molesta autumni, siccitas: sed temperata & pacifica omnium temporum inter se consonantia gaudebat. Quibus addit Lactantius Firmianus in carmine de Phenice, aquarum alluuionem terram vniuersam inundantem, Paradisum prædictum ob nimiam ipsius celsitudinem minime attigisse. Quæ prædicta omnia Sacræ etiam Virgini accomodantes, iure optimo dicere possumus, in eadem spiritualiter omninò fuisse reperta, & ob magnam gratiæ ipsius celsitudinem, & eminentiam dignitatis Dei Matris, vniuersalem originalis peccati alluuionem, (totam humanam naturam inundantem) illam minime attigisse.

Quod terrestris Paradisus à principio plã tatus fuit in forma Paradisi, & sic Beata Virgo à sua Conceptionis initio fuit plena gratia, & quasi cælestis quidam Paradisus.

Quintò aduertunt aliqui Doctores, sed præsertim Diuus Hieronymus, lib. de quæst. Hebraicis, terrestrẽ Paradisum prædictum, à principio suæ creationis & conditionis, semper fuisse Paradisum, & nunquam sua pulchritudine caruisse: terram rudem, incultam siue aggrestem: nullo vnquam tempore fuisse: quod colligit ex illis verbis quæ habentur Genes. secundo, vbi dicitur: *Quod plantauit Deus Paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formauerat.* Nam verbum illud *à principio*, sic explicat, vt sit sensus, quod Deus Optimus Maximus, non solum à principio constitutionis mundi plantauit Paradisum prædictum, verum etiam quod & ipse in se à principio fuit Paradisus, & conditus siue constitutus sub forma & figura Paradisi: quod multum est notatu dignum. Et applicatum & accommodatum Sacræ Virgini, quam maxime facit ad eiusdem immunitatem comprobandam, & suam præseruationem ab omni originali peccato. Etenim correspondente figura cum figurato, si Virgo sacra à primo suæ Conceptionis siue formationis instanti, semper fuit Dei voluptatis Paradisus, nunquam terra inculta, aggrestis & impolita, semper diuina gratia ornata & condeco-

decorata: bene sequitur quod nunquam originale peccatum contraxit. Vnde sicut terrestris ille Paradisus, omnes totius mundi hortos (etiam Regios) in hoc excessit ac superauit, quod ipsi prius quam hortorum pulchritudinem obtinerent, terra quædam rudis, inculta & impolita extiterunt: at Paradisus prædictus non ita: quia semper à principio fuit Paradisus: & nunquam sua pulchritudine caruit, ita & nostra Sacra Virgo in hoc etiam omnes Sanctos & Sanctas excessit atque superauit, quod quamvis ipsi Horti & Paradisi voluptatis Dei fuerint, non tamen id ipsum fuit à primo suæ formationis siue conditionis initio: prius enim fuerunt quædam terra rudis, inculta, aggrestis, & impolita: originalis peccati nuditate deturpati: non sic autem prædicta Sacra Virgo: nam à primo suæ Conceptionis siue formationis initio fuit Paradisus, & nunquam (nec per minimum temporis instans) Paradisi venustate & pulchritudine caruit. Hæc de prædicta figura dicta sufficiant.

Quartum argumentum desumptum ex comparatione Arcæ veteris Testamenti.

Quarta figura siue argumentum, ad prædictum propositum probandum, desumi etiam potest ex arca veteris Testamenti, quam & prædictæ Beatæ Virginis figuram gessisse tradit Glossa Ordinaria moralis, & Burgens. super Exod. capit. 25. Cuius rationem reddunt, quia eiusmodi arca in eum finem fuit fabricata & constituta, vt cœleste illud antiquum Manna in se contineret, quod figuram gessit Christi Domini, quem Virgo sacra sanctissimo suo concepit vtero. Ad propositum ergo accedendo, de arca prædicta habetur Exodi 25. *Quod facta fuit ex lignis Sethim incorruptibilibus, & quod intus & foris erat de aurata auro mundissimo*. Quod Virgini Sacræ applicantes & accommodantes, dum eiusmodi arca ex lignis incorruptibilibus fabricata, & intus & foris auro mundissimo de aurata, fuisse dicitur: haudquidem obscure, quinvero apertissime & manifestissime adumbratum fuit, Virginem Deiparam (quæ diuina operante sapientia & prudentia) in eum fuit condita finem, & Spiritu Sancto cooperante ipsius corpus & animam præparata, vt dignum Filij Dei habitaculum effici mereretur: haudquaquam habituram in se quidpiam, quod eximiam ipsius puritatē posset fœdare & obscurare: & consequenter neque contracturam vllo vnquam tempore (etiam per minimum instans) peccatum originale. Quod adhuc expressius præfiguratum fuit, in ea vrbanitate qua olim erga prædictā testamenti arcā, vsas fuisse fertur olim Iordanis aquas dū illa per trāsiret: habetur enim Iosue 3. *Quod impetum sui influxus reprimentes retrocesserunt*. Quo symbolo significatū est, originalis etiā peccati aquas, ab Adamo primo nostro parente in omnes nationes defluentes, ad misticam hanc sacram arcam cum peruenirēt, minime illam fore in-

vsuras, quinverò retrocessuras, liberumque ei transitum præbituras, vt sicco ipsa (vt aiunt) transiret pede. De prædicta etiam testamẽti arca, dicitur 1. Reg. 5. nullatenus illum ferre potuisse vt Dagonis Idolum in altari in quo erat cum ipsa simul extitisset, sed à se longe illud proiecisse, & capite pedibusque confractis prohibuisse, vt ne per modicum etiam tempus in eiusdem consortio permaneret. Quo etiã mistico symbolo monstratum est, prædictam cœlestem Dei arcam, Virginem Sacram, diuinæ gratiæ fortitudine, quam à primo suæ conceptionis instanti accepit præmunitam, haudquaquam permissuram originalis peccati Idolum (etiam per minimum temporis instans) simul sibi commorari; quin vero eiusdem caput & pedes ab eadem cõterendos fore. Quæ de figura prædicta breuiter dicta sufficiant.

Quinta figura siue argumentum, desumi potest ex Salamonis Throno, quem etiam Sacræ Virginis figuram gessisse tradit Petrus Damianus sermone primo de Natiuitate eiusdem, & Burgensis in Glossa Morali super lib. 3. Reg. cap. 10. vbi de throno prædicto dicitur: *Quod fecit Rex Salomon Thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis, cuius sedile duæ hinc inde manus tenebant.* Et post alia additur. *Quod non est factum tale opus in vniuersis Regnis.* Quæ quidem figura Virgini Sacræ accommodata (mihi vt videtur) aperte satis ipsius magnitudinem, excellentiam, atque perfectionem nimiam, & ab omni prorsus originali peccato immunitatem designat. Et in primis in eo quod thronus prædictus eburneus fuisse dicitur, ipsius continentia & castitas, corporis & animæ candor & puritas, mirifice datur intelligi. Est enim ebur (vt dicitur) Elephantis os inter omnia animantia castissimi, cum vt adnotat Rauanus prædicto in loco, secundam ad fœminam minime accedat. Qua quidem ratione eboris candor qui purissimus est, lacti similis, maculis nullis deturpatus, continentiæ & puritatis est symbolum, congruentissimeque proinde Virgini Sacræ accommodatur, cuius continentia & puritas, in vniuerso humano genere, vnica atque singularissima fuit, & melius multo quam Elephantis continentia & castitas inter animantia omnia singularis esse prædicatur. Et certe talem esse decebat eius continentiam & puritatem, quæ Filium Dei hominem factum, sacro suo erat gestatura vtero, & vt ipsius corpus & anima (vt canit Ecclesia) Spiritu Sãcto cooperãte ita præpararetur, vt eiusdem dignum habitaculum effici mereretur. Vlterius procedentes, sub eboris similitudine prædicta, haud obscure etiam significatur, quod sicut ebur, ex Elephante animali fœdissimo licet oriatur, ipsum tamen in se intrinsecus & extrinsecus purissimũ, candidissimum atque pulcherrimum est; ita & prædicta Sacra Virgo, ex parentibus originali peccato infectis, naturali modo & per rationem seminalem licet fuerit concepta, ipsa tamen in se superno munere & ex speciali priuilegio, instar pulcherrimi & cãdidissimi eboris, to-

Quintum argumentum, desumptũ ex cõparatione ad thronum Salomonis.

tius fœditatis & peccati maculæ expers omnino fuit à primo suæ conceptionis instanti, & originale peccatum minime contraxit. In eo autem quod dicitur thronum Salomonis prædictum fuisse grandem, & vestitum auro fuluo nimis: quis non videat adûbratum etiã fuisse mirifice, Virginem nostram sacram (mysticum veri Salomonis Filij Dei Thronum) virtutum omnium meritis, gratijs, prorogatiuis & priuilegijs, supra omnes puras creaturas (etiam Angelos) futuram per grandẽ: vestiendã atque ornandã vndique fuluo gratiæ & charitatis auro? Cuius & ab originali peccato immunitatem, duæ illæ manus hinc inde prædicti Salomonis Throni sedile tenentes; haud quidem obscure, quinvero (vt videtur) satis clare præfigurarunt. Etenim sicuti illæ duæ manus, vtraque ex parte sedile prædictum tenebant; ita vt nihil esset omnino illius quod non à duabus illis manibus teneretur: sic diuina sapientia & potentia, & quæ quãmaxima est Dei Opt. nostri Max. prouidentia; Virginem sacram prædictam, in eum finem vt in ipsius sacratissimo vtero debite atque decenter cœlestis Salomon Christus Dominus requiesceret; hinc inde manibus suis ita semper tenuerunt, tam à principio sui esse (quod à conceptione incipit) quam ex parte totius suæ vitæ (quæ morte finitur) vt nihil omnino fuerit vnquam, quod à sacris illis manibus non fuerit tentum, protectum, & subleuatum: vt nulla prorsus originalis peccati labe siue macula inficeretur. Quod etiam nec minus extitit præfiguratum, in eo quod subiunctum est de supradicto Salomonis throno; nullum vnquã tale opus fuisse factum, in vniuersis Regnis: quo etiam datum est intelligi, gratiam atque prorogatiuam prædictam, quod Virgo Deipara ab originali peccato immunis prorsus fuerit, singularem & specialem in eadem omnino fuisse, in nulla vnquam pura creatura repertam. Si Virgo sacra (vt volũt aliqui) post contractam originalem maculam, in sanctissimæ suæ Matris vtero tantummodo fuisset mundata & sanctificata: haudquaquam recte & congrue verba figuræ prædictæ de ea possent verificari, nempe nullum tale vnquam factum fuisse opus in vniuersis Regnis. Nam simile opus iam olim factũ fuerat in Hieremia, & postmodum in Beato Ioanne Baptista: de quibus in scriptura Sacra fertur, quod in suarum Matrũ vtero fuerunt sanctificati: Vt igitur figura figurato, & per eam significato cohereat, atque conueniat; dicendum videtur Virginem sacram, nec dum in suæ Matris vtero mũdatam siue sanctificatã: verũ à primo suæ conceptionis instanti, ab omni prorsus originalis peccati labe fuisse præseruatam; & quod simile opus in nullo vnquã puro homine fuit repertum; sed in ea id speciale fuerit priuilegiũ diuino sibi munere cõcessum; quod cum alij ab originali peccato iam contracto, in suarũ matrũ vtero fuerint mũdati & sanctificati (vt prędicti Hieremias & Ioannes Baptista) alij vero extra ipsum per gratiã iustificati, & originalis pec-

cati macula sibi remissa; prędicta Sacra Virgo, nō sic, sed ab ea omnino, (vt ne illā incurreret) praeseruata fuit ex speciali praedicto priuilegio.

Praeter id quod dictum est de Salomonis Throno, qui Sacrae Virginis extitit figura: reperitur in Scriptura sacra alius multo excellentior illo, qui meo quidem videri eandem etiam praefigurauit, & praesignauit. Ille est in quo Ezechiel olim (vt refertur ca. 1.) vidisse se dicit sedentem Deum hominem factum, ex Saphirinis lapidibus constructum. *Quasi aspectus* (inquit) *Lapidis Saphiri, erat similitudo throni, & super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper.* Quo symbolo sacrae Virginis à peccato originali praedicto immunitatem, mirifice praesignatam atque praefiguratam crediderim, in eo quod Deus Optimus Maximus ex Saphirinis lapidibus, potius quam ex alijs eiusmodi thronum voluerit esse constructum. Est enim Saphirus (vt referunt rerum naturalium diligentissimi scrutatores) sereno coelo simillimus, caeteros lapides vtcunque praeciosos, specie atque valore excedens: & (vt fertur) ita castitatis amantissimus, vt ea virtute carens secum illum si deferat, haudquaquam innatae suae virtutis mirabiles experiatur effectus. Quem praeterea conciliandi discordes animos vim habere dicunt, necnon & expellendi venenum, & ea virtute pollere, vt aranea continuo ad eiusdem intereat aspectum: & quod his omnibus mirabilius multo atque aestimabilius est, carbunculi etiam mater esse dicatur, & quod in ipsius venis generatur. Quae praedicta omnia adeò clara & perspicua in sacra nostra experiuntur Virgine, ita de eadem plene verificantur: vt ad illam solummodo adumbrandam atque significandam à supremo rerum omnium conditore, genitus ac conditus esse videatur Saphirus praedictus. Et quod in supradicto Ezechielis throno ex Saphirinis lapidibus constructo, ipsa fuerit adumbrata & significata mirifice, ex dicendis constabit. Illa enim Saphirini lapidis serenitate coelesti praedita fuit, & sicut peregrinae impressiones serenitatem coeli turbare minime possunt: sic nec Virginis nostrae sacrae pacem, & animi sui tranquilitatem & serenitatem laedere, siue labefactare, nunquam potuerunt diabolicae suggestiones. Haec creaturas omnes (etiam Angelicas) valore & dignitate longe superauit & excessit: & adeò est castitatis amantissima, vt quisquis eiusdem obsequio vt eamque deditissimus, excellentissimae huius virtutis custos si nō fuerit, licet alioquin suorum beneficiorum munificentissima fluenta cōtineat: longe tamen illum à se abijciat. Haec etiam instar Saphari coelestis, carbunculi mater extitit: nam Deum simul & hominem genuit, & in suo sacratissimo vtero nouem mensibus portauit. Haec praeterea Dei, & hominum diligentissima extat conciliatrix: quae & inter eosdem propter peccata excitatas inimicitias & rixas, mirabili sua virtute & singulari industria sedat atque componit. Haec tandem, non secus atque Saphirus lapis, contra venenum originalis peccati tali fuit

De alio throno cui etiam coparatur Virgo Deipara, & in eo etiam eiusdem à peccato originali immunitas adumbrata fuit.

 diuini-

Virgo sacra nubi diei comparatur, & in ea etiam eius à peccato originali immunitas figuratur.

diuinitus virtute prædicta; vt in puncto conceptionis ipsius, vel solo suo aspectu dæmon humani generis hostis, aranea expurcissima perterritus, veluti interierit & contabuerit, & venenum originalis culpæ in ipsam euomere minime potuerit. Quid quæso amplius ad hoc propositũ potuit dici aut desiderari? Cæli etiam prædictæ Virgini cõgruentissime adaptari possunt verba illa quæ habentur Psalm. 76. vbi Regius Psaltes de Israelitico populo loquendo, inquit: *Quod eduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis.* Quæ prædicta nubes diei, iuxta sententiam Diui Hieronymi Virginem sacram prædictam designat, & fuit quasi alter thronus similis illi in quo Deus Optimus Maximus populo prædicto suo dum à captiuitate Ægypti regredetur apparere dignatus est: iuxta id quod habetur Exodi 13. vbi de filijs Israël loquendo dicitur, quod ad ostendendam viam præcedebat eos Deus, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis: vt dux esset itineris illis vtroque tempore: *Pulchre* (inquit Diuus Hieronymus) *Virgo sacra dicitur nubes diei, nam nubes illa nunquam fuit in tenebris, sed semper in luce.* Quid quæso clarius aut expressius dici vnquam potuit, ad prædictæ Virginis puritatem, & eiusdem à peccato originali immunitatem præsignandam? Si nubes fuit, & nunquam in tenebris, sed semper in luce: consequens profecto fit, quod nunquam fuerit originalis peccati caligine & obscuritate obnubilata. Sed pergamus figuram eandem amplius elucidare, sacræ Virgini illam accõmodando, & ex eo magis ac magis, id quod probare intendimus cõstabit. Et quidem congrue satis Virgo Deipara nubi prædictæ dici assimilatur. Sicuti enim illa vna & eadem cum esset, Ægyptijs intuẽtibus eam, obscura atque caliginosa videbatur: Israëlitis verò non nisi clarissima atque fulgentissima: sic & sacra prædictã Virgo, Immaculatam eiusdem Conceptionem negantibus, originalis peccati caligine obscurata videtur: assertoribus verò & eam confitentibus, ac pro illius immunitate pugnantibus: non ita: sed nubes quædam clarissima & fulgentissima, diuinæ gratiæ radijs à suæ formationis principio semper corruscans. Nomen etiam nubis Virgini eidem quammaxime conuenit: etenim sicut nubes licet ex terræ vaporibus concipiatur, formetur atque generetur, ipsa tamen in se terrenam grauitatem non contrahit: vnde & fit quod in terra minime conquiescat, sed alta & cœlestia semper appetat: ita & prædicta sacratissima Virgo, ab Adam cæterisque maioribus suis, terrestris originalis peccati pondere grauatis, suum licet trahat ortum & originem, eiusmodi tamen pondus & grauitatẽ ipsa in se minime contraxit: quin verò diuino munere & singulari priuilegio, ab originali peccato facta immunis & libera: instar nubis leuis supernã Regionem, alta & cœlestia semper appetijt, adeò vt cũ D. Paulo, & cæteris Apostolis ad Philip. 3. dicere optime potuerit: *Quod ad huc in terris agens, omnis eiusdẽ conuersatio in cælis erat.*

Sexta:

Sexta figura siue argumentum, desumi potest ex domo quæ mõstrata fuisse dicitur olim Ezechieli cap. 43. nam & eandem non solũ sanctam Dei Ecclesiam, verum & sacram prædictam Virginem præsignasse & præfigurasse (vt crediderim) negabit nemo in sacris litteris & doctrina Sanctorum Patrum vt cunque versatus & exercitatus, id cum expresse dicant fere omnes, explicando illa Isaiæ verba. cap. 2. *Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Quæ quidem verba specialiter versans D. Gregorius super 1. Reg. cap. 1. sic inquit: *Montis Ephraim nomine, Beatissima semper Virgo Maria Deigenitrix congruentissime designari potest. Mons quippe Dei fuit quæ omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ vt ad Conceptionem æterni verbi pertingeret, meritorũ verticem supra omnes choros Angelorum, vsque ad solium Deitatis erexit? Huius enim montis præcellentissimam dignitatem Isaias vaticinans ait. Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montiũ.* Post quæ addit. *Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ supra omnes Sanctos refulsit. Namq; sicut mons altitudinem, ita & domus habitationem & signat. Mons quippe & domus aperte dicitur, quia dum incomparabilibus est illustrata meritis, Dei vnigenito sanctum quo recumberet, sacrum præparauit vterum. Nam certe (inquit) mons in vertice montium Maria non fieret, si supra Angelorum altitudinẽ, hanc diuina fœcunditas non leuaret. Et Domus Domini non fieret, si in eius ventre per assumptam humanitatem Verbi diuinitas non iaceret.* Hæc Gregorius vbi supra. Quæ quammaxime sunt notatu digna. Quo præmisso fundamento, postquam constat Virginem sacram domui supra montem ædificatæ congruentissime comparari, videamus oportet quid Ezechieli prædicto de supra dicta domo fuerit præmostratum: & qualiter ex eo colligi possit eandem ab originali peccato præseruatã fuisse? *Hæc est* (inquit Ezechiel) *lex domus in summitate montis ædificata, omnes fines eius in circuitu Sanctum Sanctorum est.* Subditque iterum. *Hæc est ergo lex domus.* Quasi expressius ac clarius diceret. Domum prædictam in summitate montis ædificandam, talem omninò futuram, vt omnes eius fines in circuitu, essent quales oportebat habere domum quæ futura erat habitatio Sancti Sanctorum. Vtque ostenderetur quantum id ita esse oporteret, subiunctum est. *Hæc est ergo lex domus prædicta.* Ac si diceret: & eo minus habere debuisse nihil. Ex quibus verbis sic colligo argumentum, ad sacræ Virginis puritatem & eiusdem ab omni originali peccato immunitatem comprobandam. Etenim si hæc fuit olim lex domus Domini in summitate montis ædificandæ, vt omnes fines eius in circuitu essent vti decebat domum Sancti Sanctorum: satis aperte & plane ad nostrũ propositum datur intelligi, quod etiam omnes Beatæ Virginis fines, per circuitum esse debuerint sancti, vti & esse decebat domum quam habitaturus erat Sanctus Sanctorum: ita vt tota per circuitum considerata, nec dum ipsius natiuitas, vita &

Sextum argumentũ, desumptum ex domo quæ monstrata olim fuit Ezechieli.

mors: verum etiam & eiusdem conceptio (qua primo esse cœpit in mundo) fuerit Sancta, Pura, Munda, & Immaculata, & omninò nihil in ea vnquam fuerit, quod non Sanctum Sanctorum decuerit: & consequenter quod nunquam originalis peccati labe fuerit maculata, siue fœdata. Facit ad hoc propositum de Immaculata Virginis Conceptione, quod lib. 1. officiorum cap. 14. dixit olim D. Ambrosius, quod bona domus quam maxime ex ipso vestibulo debet agnosci: ita vt lux intus posita, foris luceat. Si igitur id ita est: & nos cœlestis domus nostræ bonitatem, perfectionem, celsitudinem, atque pulchritudinem à vestibulo ipso (hoc est à suæ Conceptionis & formationis initio, siue principio) agnoscêtes, dicamus oportet eam fuisse (vt præmissum est) per omnes suos fines, vti decebat domum Sancti Sanctorum, nitidam, pulchram atque formosam, omni prorsus carentem originali necnon & actuali macula.

Septimũ argumentum desumptũ ex ciuitate Dauidica.

Septima figura siue argumentum ad idem ostendendum, desumi potest ex ciuitate Dauidica, cuius fit mentio 2. Reg. 5. de qua dicitur: *Quod ædificauit illam Dauid, & circuit atque muniuit eam, intrinsecus & extrinsecus per girum, & vocauit eam ciuitatem suam.* Quæ prædicta ciuitas; nostræ militantis Ecclesiæ licet figuram gerat, adhuc proprissime dici potest, quod & sub ea nostra etiam sacra Virgo intelligatur, & præsignetur: quinverò & id ipsum insinuatum esse apparet in illis verbis, quæ habentur Ecclesiastici 40. vbi de Ecclesia prædicta ad litteram dicitur: *Quod ædificatio ciuitatis confirmauit nomen. & super hanc mulier immaculata computabitur.* Quæ prædicta verba, si recte & congrue expendantur, conuenientissime adaptari possunt, & Ecclesię nostræ Sanctę, & etiã sacræ Virgini: ita vt Ecclesia sit ciuitas illa à verò Dauid Christo Domino ædificata, intrinsecus & extrinsecus per girum, contra hæreticos eandem oppugnantes munita & roborata, quam & sacro suo nomine insigniuit, cuius etiam ædificatio ipsius in æternum confirmauit nomen. Super quam (scilicet Ecclesiam) etiam mulier immaculata computata est, dum Virgo sacra ex speciali Dei auxilio in hunc mundum exijt, immunis ab omni prorsus originalis peccati macula. De qua prædicta ciuitate Dauidica (Virginem sacram intelligo) congruentissime etiam explicari possunt verba illa, quæ olim Isaias cap. 26. de eiusdem fortitudine nimia prophetando dixit: *Vrbs fortitudinis nostræ Sion, saluator ponetur in ea murus & antemurale.* Nam & si de Ecclesia militanti principalius intelligantur, haud quidem in congrue sacræ prædictæ Virgini possunt adaptari. Cuius & fortitudinis ratio ex inde processit, quia ipsius filius (Iesus totius mundi Saluator) futurus in ea erat inexpugnabilis murus, necnon & antemurale: quo dæmonis tella infestissimi humani generis hostis, in illam omninò nihil possent, & ad eam minime valerent pertingere. Cuius etiam sacræ Virginis figura fuit, illud quod habetur 4. Reg. cap. 19. vbi de ciuitate

præ-

prædicta Dauidica, cum Asyriorum Rex illam tentaret deuastare, dictum de eo fuit: *Non ingredietur vrbem hanc, nec mittet in eam sagittam, nec occupabit eam Clypeus, nec circundabit eam munitio: per viam qua venit reuertetur, & ciuitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus. Protegamq; vrbem hanc & saluabo eam, propter me & propter Dauid seruum meum.* Verba prædicta, quis non videat, per tropum atque figuram adaptari quam maxime posse sacræ nostræ Virgini, ciuitati cœlesti præcelsæ, quam Deus Optimus Maximus pro sua pietate & clementia, speciali sua prouidentia, semper vtique protexit, circuit atque muniuit: vt ne iniquissimus Asyriorum Rex (dæmonem intelligo) nec dum per actuale peccatũ illam ingredi nullo modo posset, verum neque in eam originalis peccati mittere sagittam. Quod & se fecisse fatetur Deus ipse, propter se & propter Dauid seruum suum: ac si diceret propter benignitatem suam nimiam, & propter Christum Dominum Filium suum, quem talem decebat habuisse Matrem, ab omni prorsus originalis peccati labe, & macula omninò immunem & liberam.

Octauum argumentum, de sumptũ ex historia Reginæ Esther.

Octaua figura siue argumentum desumi potest, ex celebri illa historia, quæ cõmuniter circunfertur de Regina Esther, quam & sacræ Virginis figurã gessisse, negabit nemo (vt crediderim) cum & historia prædicta approbata reperiatur ab Ecclesia, inter quã plures alias figuras, quæ afferũtur pro struendo Immaculatæ Virginis Conceptionis officio. Et prætermissis pluribus quæ de supradicta Esther in eiusdem historia dicũtur cap. 2. (nempe quod erat pulchra nimis, decora facie valde formosa, & in omnium oculis amabilis atque gratiosa, & quod Adamauit eam Asuerus Rex plusquam omnes alias mulieres, & posuit diadema Regni in capite eius) vt ad præsens nostrũ propositum deueniamus, refertur ibidem Asuerum prædictum omnibus Regni sui vniuersalem imposuisse legem, vt nisi ab eodem accersitus & vocatus, sub comminatione mortis ad eundem accedere nemo auderet. Obtulit ergo se te occasio quã prædicta Regina Esther, nõ vocata ad illum ingredi fuit constricta, vt scilicet populo Hebræo suo ab Aman per fraudem ad mortem damnato, veniam atque libertatem impetraret, quod vt faceret instantissimis precibus rogauit illam eiusdẽ auunculus Mardocheus. Ipsa verò dicitur in textu, quod licet ea super re, deliberando per aliquod temporis spatium cogitabunda extitisset, videns tamen quod negotium vrgebat, & tanti ponderis atque momenti erat omni timore postposito (etiam cũ propriæ vitæ periculo) contra Regis præscriptum, eiusdem ad ire præsentiam minime dubitauit. Ingressa igitur cuncta per ordinem ostia, dicitur cap. 15. *Quod stetit contra Regem, vbi ille residebat super solium Regni sui, Regijs indutus vestibus, auro fulgens & lapidibus pratiosis. Et quod erat terribilis aspectu. Cumque faciem eleuasset, & ardentibus oculis furorem sui pectoris indicasset, Regina corruit, & in pallorem colore mutato lassum super antillulam reclinauit caput.*

conuertitq; Deus spiritum Regis in mansuetudinem, & festinus ac metuens exiliuit de solio, & sustentans eam vlnis suis donec rediret ad se, his verbis blandiebatur. Quid habes Esther? ego sum frater tuus, noli metuere, non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. Prædicta figura adducitur à Catherino & ab alijs multis, ad probandum Virginem sacram exemptam fuisse à lege originalis peccati, quod omnes ab Adam naturali propagatione, & per rationem seminalem descendentes, contrahimus. Ordinarique potest sequenti modo. Vt primo sermo fiat de Virginis Deiparæ pulchritudine nimia, tam in anima quam in corpore, sed præsertim in anima: ob quam Deus Optimus Maximus, multo potiori iure quam Asuerus Esther Reginam, adamauit illam plusquã omnes mulieres, & quia præordinauerat illam, vt digna foret vnigeniti filij sui Mater. Occasionem habuit (nec minimam quinverò quam maximam) prædicta sacra Virgo, ob vniuersalem mortis legem cunctis hominibus impositam, propter peccatum Adami primi nostri parentis, timendi ne in vtero suæ matris cum peccato originali conciperetur: quemadmodũ & Esther Regina, ob aliam similem legẽ, in cõspectu Regis Asueri comparere merito formidauit; sed huncab ea timoré abstulit omnipotens & misericors Deus, qui prædictas ob causas manibus & vlnis suis illam sustentauit, & tenuit, vt ne in terram caderet & macularetur, & fœderetur originalis peccati labe. Quod & fecit dicens ei blandia supradicta verba: *Quid habes Esther (seu potius Maria sacra) ego sum Filius tuus, noli metuere: non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Hæc (inquam) lex, vt omnes ab Adam per rationem seminalem descendentes, peccatum contrahant originale, generalis & pro omnibus constituta licet sit, & vniuersos Adæ posteros comprehendat, quia omnes in eo peccauerunt: non tamen pro te posita est: ego sum Rex: tu verò coniuncta mihi Regina: ego hanc legem statui cuius est legem condere, eiusdem est super eandẽ dispensare: nolo vt te comprehendat eiusmodi lex. Sic prædicta verba interpretatur Petrus Comesthor, lib. in Esther cap. 15. dicendo: *Nolli timere ô Regina, propter subditos hæc lex constituta est, non pro te: tu mihi conregnas, non morieris: exceptionem patitur hæc lex: ego spontaneus qui illam statui, ab ea te liberam feci; minime originalis peccati mortem incurres, mater enim mea tu futura es.* Et certe quod sacræ Virgini, à supradicta lege exceptionis siue præseruationis concederetur priuilegium quammaxime consonum rationi fuit: quinvero & iuri ipsi ciuili, nam secundum ius ciuile Regina legibus, ex natura rei licet subiecta sit, Rex tamen siue Princeps, priuilegia omnia quæ habet ex æquitate eidem debet concedere, iuxta id quod dixit Vlpianus, & habetur in l. Princeps, ff. de legibus, cuius sunt quæ sequntur verba: *Princeps legibus subditus non est: Augusta vero eisdem licet subdita sit, Princeps tamen eadem priuilegia quæ ipse habet illi concedit.* Faciunt ad hoc & illa verba quæ habentur in l. *sacris, C.*

 da

de proximis sacro scrin. & in l. bene à Zenone, C. de quadrig. pref. Et in multis alijs legibus, quibus dicitur: *Quod mater gaudet, siue gaudere debet priuilegio filij, & Augusta priuilegio Imperatoris siue Principis.*

Nona figura siue argumentum desumi potest, ex Daniele Propheta cap. 4. de arbore quam vidit olim Nabucdonosor, quæ iusa est succidi, & præcidi ramos eius, & excuti folia, & tamen germen radicum eius iusum est in terra seruari. Verba sacri textus sunt quæ sequuntur: *Succidite arborem, & præcidite ramos eius, & excutite folia: verumtamen germen radicum eius sinite in terra.* Prædicta arbor secundum mysticum sensum, figura fuit Adami primi nostri parentis in innocentiæ statu constituti, in quo mira fruebatur fœlicitate, & erat quasi arbor quædam procerissima atque amplissima, abundantissimis ornata frondibus, floribus & fructibus; quæ tamen arbor post peccatum iusa est succedi, & omnibus suis ornamẽtis expoliari. In quo & figura fuit miserrimi status humanæ naturæ post peccatum, quia omnibus gratuitis donis sibi à Deo datis atque concessis expoliata fuit, & insuper originali peccato vitiata atque fœdata. At dum in ea germen radicum eius intactum iusum est seruari, vt tandem aliquando crescere, florescere, & fructificare posset; in hoc arbor prædicta sacræ Virginis figuram gessit: quæ iuxta Isaiam cap. 11. radix fuit Iesse, ex qua quasi virga quædam exortus fuit Christus Dominus: ipsa autem iusa fuit seruari ne originali inficeretur peccato, sed remaneret in sua puritate, vt digne ipsum concipere ac parere posset, & per eum humanę naturæ arbor in Adamo plantata (per peccatum autem vitiata) necdum in pristinum restitueretur statum, verum etiam & longe ampliorem & florentiorem dignitatem assequeretur. Quæ de prædicta figura breuiter dicta sufficiant.

Nonum argumentum, desumptũ ex arbore quam vidit Nabucdonosor.

Decima figura siue argumentum desumi potest, ex terra illa Sacerdotali, quæ olim libera erat ab omni vectigali & tributo. De qua habetur Genes. 47. vbi dicitur: *Quod cum vniuersa terra Ægypti, Regio Pharaonis seruitio addicta, tributariaq; olim fuisset, sola Sacerdotalis terra ab omni vectigali & tributo libera erat, propter honorem Sacerdotalis muneris.* In qua quidem figura, mystice etiam Sacratissimæ Virginis immunitas delineata atque præfigurata fuit, in eo quod cum vniuersus per totũ orbem mũdus (Ægypti nomine designatus) propter originale peccatũ Adami, diabolo (quẽ etiam mystice Pharao designauit) subiectus remaneret, magni Iosephi atque Redẽptoris mundi (Christi scilicet Iesu) opera atque benignitate factũ est, vt Sacerdotalis terra illa (Mariam intelligo) ex qua ipse carnem erat assumpturus, à prædicti originalis peccati iugo libera atque immunis permaneret, multo quidẽ potiori iure, quam olim propter summi Sacerdotis honorem, Sacerdotalis prædicta terra, à vectigali & tributo illo libera erat.

Decimum argumentum. Desumptũ ex terra olim Sacerdotali, quæ libera erat ab omni vectigali & tributo.

Vndecima figura siue argumentum desumi potest ad idem, ex

Vndecimũ ar-

celebri illa arca quæ fabricata olim fuit tempore Noe, de qua refertur Genes. 17. *Quod cum aquæ diluuij vniuersam inundassent terram, & repleuissent omnia quæ in ipsius superficie erant, & præualuissent nimis, adeo vt operti essent omnes montes excelsi sub vniuerso cælo, arca prædicta ferebatur super aquas, & præualere haudquaquam potuerunt contra eam.* Sub qua figura mirifice monstratum est, quod quanquam inundante alluuione originalis peccati, omnes montes siue homines, vt cunque alti, & sancti in eo submersi & suffocati fuerint, & in semetipsis illud contraxerint omnes ab Adam per rationem seminalem descendentes, absque delectu & discrimine: arca tamen prædicta Dei sacra (Virgo scilicet Sacratissima) quæ futura erat mater veri Noe (Christi Domini Iesu Saluatoris & Redemptoris nostri) eleuata est in sublime: ita vt originalis peccati aquæ contra eam præualere minime potuerint: quinverò ab omni prorsus labe remansit immunis & libera. Arcam prædictam sacræ Virginis figuram gessisse, testatur Diuus Bernardus sermone de Arca Noe, vbi ait: *Arca Noe significauit arcam gratiæ, excellentiam scilicet Mariæ: sicut enim per illam omnes euasserunt diluuium: sic per istam peccati naufragium: Illam Noe vt diluuium euaderet fabricauit: istam Christus Dominus (qui est pax nostra & requies) vt humanum genus redimeret sibi præparauit. Per illam octo animæ tantum saluantur, per istam omnes ad æternam vitam (quæ per octonarium numerum significata est) vocantur. Per illam paucorum facta est liberatio, per istam humani generis saluatio. Illa centum annorum fabricata est spatio, in ista omnium virtutum fuit perfectio. Illa facta est de lignis læuigatis, ista de virtutibus consumatis ædificata est. Illa superferebatur aquis diluuij: ista non sensit naufragia vllius vitij.* Quid (quæso) amplius potuit ad hoc propositum expostulari, aut dici? Et quonam pacto Diuus Bernardus id ipsum diceret, si Virgo sacra originale peccatum contraxisset? Arcæ prædicta figura quam maximum ponderis & auctoritatis sumit ex eo, quod in antiquo solemni Immaculatæ Conceptionis officio, quod Ecclesia olim Romana habuit, & nunc etiam ex approbatione Sedis Apostolicæ sacra nostra vtitur Religio, inter alia responsoria vnum habetur, quod sic incipit: *Fac tibi arcam de lignis læuigatis, Ruptique sunt fontes abyssi magnæ, & factum est diluuium peccati super omnem terram. Arca verò Dei sacra eleuata est in sublime, & ferebatur super aquas, opertique sunt omnes montes excelsi Sanctorum.* Quo symbolo aperte satis supradictum nostrum concluditur intentum, adeò vt de Virgine sacra iure optimo dicere possimus, illud quod habetur Cantic. 8. *Quod aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, & gratiam in qua condita fuit, nec peccatorum flumina obruere illam.*

Duodecimum argumẽtum Desumptũ ex Abaco olim apud Hebræos celeberrimo.

Duodecima figura siue argumentũ, desumi potest ad idem mysterium adumbrandum, ex Abaco illo olim apud Hebræos celeberrimo; cuius meminit David Psalm. 79. Nam vbi secũdum nostram vulgatã editionem dicitur: *Perfice eam quam plantauit dextera tua:* Hebræorum

habet

habet translatio, *perfice Abacum, quem plantauit dextera tua*. Quæ verba explicans Galatin. lib. 7. de Arcan. & Catherinus de veritate cap. 3. refert Antoninum olim Romanum Consulem, petijsse à quodam Hebræorum viro doctissimo, sibi vt diceret quidnã Abacus ille significaret? Qui (vt fertur) illi respondit; per Abacum prædictum sacram Virginem significari, esseque rerum prætiosissimarũ promptuariũ. Nam sicuti Reges & Principes ad suæ dignitatis magnitudinem ostendẽdam, & diuitiarum copiam, pulcherrima atque præstãtissima, habere solent promptuaria (quæ apud Hebræos Abaci dicebãtur) in quibus nullum vas luteum, æreumve, sed solummodo praeciosissima argẽtea vel aurea, praeciosis quandoque lapidibus distincta & ornata, collocari solent: ita & prædicta sacra Virgo, fuit quasi cœlestis quidam Abacus, quem Deus Optimus Maximus ad ostendendas gloriæ suæ diuitias constituit: sicque in illa nullum vas ex peccati luto confectum, & quod non pluris æstimari posset collocari permisit: sed omnia in illa fuere praeciosissima, inæstimabilis valoris, auri & argenti vasa, insignis puritatis, & ardentissimæ charitatis, lucida atq; splendida, & absq; omni prorsus rubiginis labe.

Multæ aliæ ad hoc propositum adduci possent figuræ, & communiter adducuntur à Doctoribus, quibus aperte probatur, aut saltem insinuatur, prædictam conclusionẽ, qua diximus sacram Virginẽ ab omni prorsus originalis peccati labe fuisse præseruatã, sacris esse litteris consentaneam: sed prædicta sufficiant. Solummodo aduerto, argumẽta prædicta desumpta ex sacræ Scripturæ figuris, haudquaquam esse contemnenda, aut parui facienda, cum (vt supra diximus) omnia fere nouæ legis mysteria in veteri lege, diuersis symbolis atque figuris à Deo olim fuerint adumbrata: iuxta id quod Paulus 1. Corint. 10. dixit, loquendo de illius testamenti Patribus; *quod omnia in figura contingebant illis*. Qua quidem ratione Cano lib. 12. de locis Theologicis, cap. 12. dicit argumenta desumpta ex sacræ Scripturæ figuris, pluris esse facienda, & efficacissima ad quamlibet Theologicam veritatem confirmandam.

Argumẽta desumpta ex variis sacræ Scripturæ locis mystice intellectis ad idẽ proband. m.

Postquam propositam conclusionẽ tot multiplicibus sacræ Scripturæ figuris, probauimus & confirmauimus, reliquum est vt id ipsum faciamus etiam aliquibus sacræ Scripturæ locis mystice intellectis, ex quibus non etiam inefficax desumi posse argumentũ, ad rei cuiuslibet confirmationẽ, luculenter tradit supradictus Cano loco supra citato. Pro cuius intelligentia suppono (id quod quammaxima cõsideratione est dignum) quod quãvis ex sacræ Scripturæ sensibus litteralis præcipuus sit, & solus qui conuincere potest ad hoc vt aliquid tanquam certum atque indubitatum de fide sit tenendum, nihilominus tamẽ sensus mysticus quicunq; ille sit, haudquaquam ad quamlibet veritatem Theologicam, etiam comprobandam & confirmandam, quasi in

Quam sint efficacia sacræ Scripturæ testimonia in sensu mystico adducta ad quamlibet veritatẽ comprobandã.

efficax seu inualidus & inutilis est reijciendus: cum in Scriptura sacra nonnulla reperiantur testimonia in sensu mystico adducta, quæ etiam pro litterali habentur. Id quod & experiri licebit in eo quod habetur Matth. 2. vbi loquendo de visione seu apparitione illa, qua Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: *Surge & accipe puerum & matrem eius & fuge in Ægyptum, & esto ibi vsque dicam tibi*: postquam Euangelista dixit, quod Christus Dominus fuit ibi vsque ad obitum Herodis, addit id quidem factum fuisse, vt adimpleretur illud, quod dictum erat olim à Domino per Prophetam (Oseæ 11.) *Ex Ægypto vocaui filium meum*. Vbi videre licebit, quod verba illa quæ primo atque litteraliter de populo Israelitico fuerunt dicta, mystice etiam Christo Domino sunt accommodata à sacro Euangelista Matthæo. Quod & similiter fecit D. Ioannes capit. 19. agendo de Christi Domini morte. Nam rationem reddendo ob quam Christo Domino fracta non fuerunt crura, inquit: *Id ipsum factum fuisse, vt adimpleretur scriptura quæ dixit, Exodi 12. os non comminuetis ex eo*. Post quæ etiam addit & dicit: adimpletam fuisse Scripturam aliam quæ dicit: *videbunt in quem confixerunt*: pro qua citat Zachariam Prophetam cap. 12. In quibus primis verbis videre etiam licebit, quod quæ olim litteraliter de Agno Paschali fuerunt dicta, in secundis verò de Dauid: in sensu mystico Christo Domino accommodantur, neque id quidem in cõgrue, quinverò congruentissime.. Quod etiam fecit Diuus Paulus prima Corinth. 9. agendo de Prædicatoribus, & congruo eisdem alimento debito. Nam quod ad litteram habetur Deutheronom. 25. de bobus, *non alligabis os bobi trituranti*: in sensu mystico Prædicatoribus prædictis accommodauit, dicens: *Numquid de bobus cura est Deo? an propter nos vtique hoc dicit?* Et respondet. *Propter nos hæc scripta sunt, quia debet in spe qui arat, arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi*. Post quæ etiam subdit: *Quod si nos vobis spiritualia seminauimus; magnũ non est si carnalia vestra metamus*. Ex quibus omnibus locis adductis, superque satis colligitur, quod sensus spiritualis siue mysticus ad veritatem quamlibet Theologicam comprobandam (non quasi inefficax, inualidus siue inutilis est reijciendus) quinverò multum æstimandus, ac magni habendus. Quod etiam amplius conuincitur ex eo, quod sensus spiritualis siue mysticus prædictus, vere sicut & litteralis intentus est à Spiritu Sancto: in hoc tantum ab eo differens, quia est secundum accommodationẽ, cum litteralis iam ex se sit accommodatus. Quando tamen ille nobis innotuerit, quid prohibet quod ex eo ad veritates Theologicas cõfirmandas, efficax desumatur argumentum? Dicẽdũ est igitur, quod sicut quando de litterali sensu nobis constat, efficaciter deseruit ad argumentum, sic & cum mysticus innotuerit, ad idẽ munus, haudquaquam in idoneus siue inutilis debet reputari. Verum licet sit magnum esse discrimen inter vtrumque sensum (litteralem scilicet & mysticum)

Quod sensus spiritualis, & mysticus intẽtus etiam sit à Spiritu Sãcto, & quid inter sit inter vnum & alium?

stlcum)penes hoc, quod cum ille per voces exprimatur, facilius nobis innotescit; iste vero cum non per voces, sed per res immediate significatas indicetur, non ita facile nobis potest constare. Constabit autem alicuius loci spiritualis sensus, si vel ipse sermonis contextus id ipsum requirat, aut si aliqui Sancti Patres, vel etiam Doctores Theologi, communiter illum sic intellexerint, & tunc omni proculdubio ex eo ad quamcumque veritatem Theologicam confirmandam, probabile, quin vero & efficax elici potest argumentum.

Prædictum notabile apponere libuit (quinvero & id ipsum facere vissum fuit necessarium) vt non paruipendantur, & pro nihilo ducantur, quin vero pluris æstimentur sacræ Scripturæ testimonia, quæ in sensu spirituali siue mystico in sequentibus à nobis adducentur, ad prædictam nostram conclusionem confirmandam & comprobandã: maxime si Sanctorum Patrum, & Doctorum Theologorum auctoritatem fuerint confirmata. Quin vero potius tanto cum maiori reuerentia sunt recipienda, quanto constat spiritualem sensum, interdum etiam litterali antecellere, eique esse præferendum, iuxta commune illud dictum D. Pauli 2. Corinth. 3. vbi ait: *Quod litera occidit, spiritus autem viuificat*. Quod si adhuc non omnia ad nostrum probandum propositum concludere quispiã tergiuersetur, aduertat obsecro, id quod Aristotel. 1. topic. & 3. æthyc. dicit, nempe nõ esse bene instructi philosophi in omni re æqualem certitudinem, siue demonstrationem quærere; sicque cum in præsenti alia non habeatur, hac debemus esse contenti.

Hoc igitur præmisso atque præsupposito, primus locus qui ad hoc propositum se se offert, & insignis quidem, desumitur ex eo quod habetur Genes. 3. vbi cum serpente loquendo dixit Deus, *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius*. A quo loco tanquam a prophetico quodam testimonio, incepit Catheri. tractat. de Conceptione Virginis suam probationem, & adducitur à Canisio lib. 1. de Maria Deipara cap. 6. liter. B. & C. & à Suarez tom. 2. ad 3. p. D. Thom. disp. 3. sect. 5. §. possumus ergo primo argumentari, prope finem. Et pro intelligentia huius loci, vt ipsius vis & efficatia perspicua fiat; præmittendum est, loqui Deum in eo loco cum Serpente qui Euam decepit, volens illi maledicere, & malignitatem suam ob fraudem primis nostris parentibus illatam vindicare, vt satis constat ex antecedentibus verbis, præmittitur enim, ibi. *Et ait Dominus Deus ad serpentem: quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia ammantia & bestias terræ; super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*. Post quæ subdit. *Inimicitias ponam, &c.* Circa quæ prædicta verba triplex se se offert dubitatio.

Primus locus mystice sumptus ex illo Genes. 3. inimicitias ponam inter te & mulierem.

Prima est, an intelligenda ea sint de vero antiquo Serpente, in quo diabolus est locutus quando Euam decepit: an vero de serpente

Prima dubitatio.

translatitie, sumpto pro diabolo?

An prædicta verba intelligenda sint de vero antiquo serpente, an vero de diabolo per ipsum significato? Triplex hac de re sententia.

Circa quod est triplex Doctorum sententia. Quidam enim (quos refert D. Thomas in postilla ad Genes. cap. 3. & Oleaster eodem loco) dicunt intelligenda esse de vero antiquo illo serpête, in quo Diabolus Euam fuit allocutus. Alij vt Augustinus lib. 2. de Genes. contra Manicheos cap. 17. & 18. & lib. 11. de Genesi ad literam cap. 36. & Gregorius lib. 21. Moraliū cap. 2. & in 3. parte sui Pastoralis, admonitio. 21. dicunt in verbis prædictis, serpentis nomine intelligendum esse diabolum, & ad eum solummodo pertinere, maledicta quæ ibidem sub serpentis vocabulo & figura sunt posita. Alij autem vtraque opinionem conciliare volentes, aiunt serpentis maledictionem, secundū historicum sensum ad verum serpentem pertinere: secundum vero sensum mysticum, & qui à Deo principaliter fuit intentus, ad diabolū esse referendā. Quam sententiam tenet Abulensis, super dictū cap. 3. Genes. §. dicendum est quod verū est, & Benedictus Pereira lib. 6. in Genes. quæst. 4. in sent. 4. Ex quibus opinionibus, prima si sic intelligatur, vt verba prædicta de solo vero serpente intelligantur, non esse videtur rationabilis, imo vero omnino irrationabilis (vt optime aduertit ibi Lyra) tertia vero opinio esse apparet probabilis, si verba illa admittant mysticum sensum, vt scilicet verus serpens mystice diabolū significet. Sed secunda longe est probabilior, & omnino amplectenda, quia inter Patres & Sacræ scripturæ interpretes est communior, & præter supradictos tenet illam D. Chrysostomus hom. 17. in Genes. & Auctor operis imperfecti apud eūdem, hom. 45. Theodoretus in eodem loco. Rupertus lib. 3. de Trinitate cap. 18. 19. & 20. & lib. 2. de victoria Verbi Dei cap. 16. & 17. Hugo de Sancto Victore cap. 3. Genes. & ibi Glossa ordinaria, Lyra & Caietanus. Iuxta quam sententiam, in supradictis verbis, serpentis nomine intelligendus venit diabolus, ad quem sub nomine veri serpentis Deus supradictam maledictionem direxit. Et certe non immerito diabolus serpentis nomine designatur: nam omnia mala quibus Deus serpentem illum maledicendo perstrinxit, in eodem vere esse adimpleta conspicimus. Sed in primis illud: *Maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ*, cum æternis pœnis damnatus, quidquid in bestijs terræ corporaliter reperitur obcænum, id in cacodæmone spiritualiter abundantissime cernatur, quemadmodū & illud. *Super pectus tuum gradiens*. Nam etiā super pectus & ventrem suum graditur Dæmon: quia hijs duabus vijs, vt plurimum seducere homines aggreditur; per superbiam (scilicet in pectore significatam & figuratam) & per libidinem, adumbratam in ventre. Similiter & experimur adimpletum in eo etiam fuisse illud, *terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*. Nam & eo solummodo cibo pascitur & delectatur, & homines terrenis cupiditatibus inhiantes, tanquam escam sibi conuenientem, captat auidissime. Qua ratione

Vera resolutio est, quod in supradictis verbis ad literam intelligitur diabolus, & redditur eius ratio.

tione D. Gregorius sup. Psalm. 101. explicans verba illa, *& terra eius miserebuntur*. Inquit *quod per terram peccatores intelliguntur, ac propterea serpenti dictum fuisse à Domino terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Quod etiã dicit Rupertus lib. 3. de Trinitate cap. 18. prædicta verba explicando, *terram* (inquit) *comedes & non cælum. Hoc est non comedes eos quorum conuersatio in cælis est sed qui terrena sapiunt, cibus tuus erunt.* Assimilatur præterea dæmon siue diabolus serpenti, penes hoc, quod sicut serpens tortuosis anfractibus & furtiuis gressibus in puluere aut herba latere solet, iuxta commune Maronis dictũ. *Latet anguis in herba.* (Siue sub herba) vt inde in cautos siue discalceatos venenatis morsibus impetat; sic & diabolus (vt plurimum) in cautos & sine præparatione homines aggreditur. Ex quibus omnibus constat superque satis, quam meritissime ipse antiquo olim serpenti, à Domino maledictionibus imperito, assimiliter & comparetur.

Secunda vero dubitatio est, quid nam sit intelligendum per mulierem, inter quam & serpentem (diabolum scilicet) dixit olim Deus se inimicitias positurum? Circa quod communis expositio est, per mulierem intelligi appetitum sensitiuum, & ea quæ ad inferiorem hominis partem pertinent; quæ licet amissa originali iustitia, cum diabolo amicitiam inierit, dum sua pronitate malum semper aduersus spiritum concupiscat (iuxta id quod dixit D. Paulus ad Galatas 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum*) adiuta tamen Christi gratia, inimicitiam gerit contra diabolum: cuius caput (idest malam suggestionem) quã diabolus in initio ingessit, resistendo conterit: quãtumuis per latẽtes insidias calcaneo positas illã vincere contẽdat ipse. Hæc est cõmunis explicatio quã ex August. refert & probat Lyra super prædicta verba, & sup. c. 1. Iob: explicando illa verba: *ne forte peccauerint filij mei.* Et probat eãdẽ expositionem D. Gregor. lib. 1. moral. cap. 38. & Chrysost. hom. 40. in Mattheum. Alij alias loci huius tradũt expositiones.

Secunda dubitatio. Quid intelligatur per mulierem inter quam & serpentem dixit olim Deus se inimicitias positurum? Varij dicendi modi.

Sed illis omnibus omissis, vera resolutio est, per mulierem prædicto in loco ad literam intelligendam esse sacram Virginem. Quam expositionem tradit D. Ambrosius de fuga sæculi cap. 7. & Chrysostomus hom. 17. in Genes. Augustinus lib. 2. contra Manichæos cap. 18. Greg. lib. 1. moral. cap. 17. Quam etiam tradit Abulensis, & Lyra sup. dictum cap 3 Genes. & ex Iunioribus Pereira lib. 6. sup. Genes. q 4. Sed omniũ apertissime Rupertus lib. 2. de victoria Verbi Dei, cuius sunt quæ sequuntur verba. *Principaliter Beata Virgo Maria mulier illa est, inter quam & serpentem inimicitias se positurum dixit olim Deus.* Cui & concinit D. Cyprianus explicando eadem verba: *inimicitias ponam inter te & mulierem. Vbi ait, idest suscitabo mulierem, quæ repudiata facilitate credẽdi non solum te non audiat sed ipsa etiam Gabriele deferente verbum, rationem de promissionis exigat nouitate, dicendo quomodo fiet istud?* Vbi clarissime quasi digito indicata est Beatissima Virgo Maria. Sed id ipsum a illuc

Vera resolutio dictæ dubitationis.

euiden-

euidentius demonstratur cum loco prædicto positum sit futuras fore inimicitias inter semen serpentis & semen mulieris. Quodnā (quæso) est mulieris prædictæ semen? Proculdubio Christus. Ipse vero cuius Filius, nisi Mariæ? Quando igitur dictum est serpenti, inimicitias ponam inter te & mulierem: per eiusmodi mulierem, sacra intelligitur Virgo, interquam & diabolum maiorem Deus posuit inimicitiam, quam interquamcumq; aliam creaturā. Supradictis omnibus accedit quod Eua cuius occasione cōtra diabolum verba supradicta fuere dicta, prædictæ sacræ Virginis fuit figura, quod negabit nemo: sed neque negari illud vllo modo potest. Ex quo etiam sub inde sequitur per mulierem ibi intelligandam esse Virginem prædictam Deiparā.

Tertia dubitatio, quidnā sit conterere serpentis caput? Resolutio.

Tertio circa prædicta verba insurgit dubitatio, quid nam sit conterere serpentis caput? & an inde sequatur Virginem sacram ab omni prorsus originalis peccati labe fuisse immunem?

Cui difficultati respondeo cū D. Augustino, & omnibus Sanctis communiter, per supradicta verba intelligendam esse omnigenam de diabolo victoriam, & prædictam sacram Virginem ab omni prorsus originalis peccati labe fuisse immunem. Hæc resolutio est D. Augustini dicentis super prædictum locum, per serpentis caput peccatum originale intelligi. Estque in id ratio quidem appotissima. Etenim si in Scriptura sacra peccatum appellatur coluber, iuxta illud sapientis Ecclesiastici 20. *Quasi à facie colubri fuge peccatum*, quod nam quæso erit caput siue initium huius colubri, siue serpentis, nisi quod caput & initium fuit omnis peccati? (originale inquam) ex quo alia omnia peccata ortum duxerunt & originem, & à quo tanquam à capite & origine, omnis diaboli potestas incæpit in mundum. Dictum est autem de Virgine sacra, quod ipsa conterere habebat serpentis caput, pro eo quod proditura erat in mundum absque omni prorsus originali peccato. Qui dicendi modus haudquaquam displicuit D. Bernardo sermone de 12. gradibus humilitatis, vbi hac de re agendo originale peccatum serpenti comparando dicit, *quod omnes nascimur morituri, quia prius morimur nascituri: & tanquam abscerti nascimur mortui, quia in veteris matrum sumus à serpente strangulati*. Quid est in veteris matrum à serpēte strangulatos nasci? nisi concipi & nasci cum prædicto originali peccato? quod sacræ Virgini minime contigit, postquam (vt diximus) venenosi antiqui serpentis caput ipsa contriuit. Confirmat hoc idem D. Bernardus hom. 2. *super Missus est*, dum explicando supradicta verba. *Ipsa conteret caput tuum* (inquit) *Cui hæc seruata est victoria, nisi Mariæ? ipsa proculdubio caput contriuit venenatum, quæ omnimodam serpentis maligni suggestionem ad nihilum deduxit.* Vbi quam maxime consideranda veniunt verba illa, *omnimodam suggestionem*, per quæ omni proculdubio quodcunque intelligitur peccatum, necdum actuale, verum etiam originale, quod omne Virgo sacra destruxit, & ad nihilum deduxit. Quātum

tum attinet ad semetipsam. A quo non discedit etiam Diuus Gregorius, qui lib. 1. Moral. cap. 38. ad simile propositum dicit: *Caput serpentis observare, est initia suggestionis aspicere, & à cordis aditu funditus euertere.* Caput igitur serpentis sacram Virginem destruxisse atque contriuisse dicitur, quia in Conceptione sua (per quam in hunc mundum intrauit) in vtero matris suæ ex quo exijt, libera atque omninò immunis fuit ab omni prorsus originali peccato, quod est dæmonis siue diaboli caput, à quo peccatum omne, & omnis diabolica suggestio, ortum & originem duxit. Neq; huic nostræ resolutioni obstat, quod in aliquibus Codicibus non *ipsa*, sed *ipse*, habeatur, & dicatur *ipse conteret caput tuum*: quo insinuari videtur verba prædicta (non quidem de sacra Virgine) sed de Christo Domino ipsius Filio siue semine, esse intelligenda. Nam eo nō obstante, & quidquid nonnulli in contrarium dicant, varias prædicti loci adducendo translationes atque interpretationes: æditio nostra vulgata (cui iuxta sacrum Concil. Tridentin. Sessione 4. decreto de æditione & vsu sacrorum librorum est standū) non ipse, sed ipsa, habet: atque ita hæc lectio est amplectenda. Dicitur præterea sacra Virgo in præsentiarum, à Christo & per Christum ex diuina gratia speciale hoc habuisse priuilegium, vt antiqui serpentis siue diaboli contriuerit caput: dum absq; omni prorsus originali peccato concepta fuit: quod de ea minime posset dici si res aliter se haberet, & aliquando (etiam per minimum temporis instans) peccato subiacuisset, & dæmoni fuisset subiecta. Tūc enim non quidem ipsam diaboli caput contriuisse: quinverò è contra, diabolum ipsius caput contriuisse dicendum foret. Quod cum non ita sit, standum est firmiter in supradictis. Id quod & approbat communis sensus Ecclesiæ cōsentientis in depingenda vsitata imagine Conceptionis sacræ Virginis, illam à pictoribus pede Draconem conculcantem describi: quo satis manifeste indicatur, eandem originale peccatum minime contraxisse: nam de actuali post determinationem Concilij Tridentini Sess. 6. can. 23. dubitare nemini licet. Nec eiusmodi Ecclesiæ picturæ vllo modo despiciendæ sunt, & eas quam maximum auctoritatis pondus habere (vt crediderim) ignorat nullus. Solummodo ergo habuit dæmon siue diabolus contra Virginem, id quod loco citato post prædicta verba additum est, *& tu insidiaberis calcaneo eius*. Quod etiam nihil aliud omnino fuit, quam exteriori & vltimæ illius parti, per externas solummodo siue extrinsecas tētationes ipsi insidiari: ac fraudem velle illi moliri. Merito igitur de Virgine sacra possumus dicere, id quod de Iudich olim cap. 13. & 14. (nam & ipsa Beatæ Virginis fuit figura) *quod abstulit Olophernis caput, & confusionem magnam fecit in domo Nabuchdonosor.* Quæ supra dicta omnia confirmantur, per id quod de eadē dixit Gregorius Nisenus Oratione de Natiuitate, agendo de peccato Euæ, quam diabolus per fraudem decepit, & per cuius suggestionem

Qualiter sacra Virgo destruxisse siue contriuisse dicatur dæmonis siue diaboli caput.

peccatum intrauit in mundum: *Defenditur* (inquit) *& purgatur mulier à muliere*. Et Augustinus serm. 17. de Natali Domini, ait: *Cum nemo succurreret, ad faminam causa reuertitur, & origo per originem detruncatur, origo peccati per originem Christi*. Diuus etiam Bernardus ad hoc propositum Homil. 2. *in Missus est*. Inquit: *Curre Eua ad Mariam: curre mater ad filiam: filia pro matre respondeat, ipsa matris opprobrium auferat*. Si Maria Euam à serpente vindicauit (vt præmissum est) haudquaquam est asserendũ eandem originale peccatum contraxisse. Quod fuit propositum nostrum.

Secundus locus, desumptus ex Iob 3. expectet lucẽ & non videat, nec ortum surgentis auroræ.

Secundus locus in sensu etiam mystico desumi potest, ex illis verbis quæ habentur Iob cap. 3. *Expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis auroræ*. Quod quidem testimonium (vt iudico) nimiũ ad præsens nostrum propositum conducit. Sed vt plene intelligatur aduertere oportet, Beatum Iob ante prædicta verba, quædam alia præmisisse, quam maxima consideratione digna. Dicitur enim in prædicti capitis initio. *Post hac aperuit Iob os suum, & maledixit diei suo, & loquutus est: Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras: non requirat illum Deus desuper, & non illustretur lumine. Obscurent eum tenebræ & vmbra mortis: occupet eum caligo & inuoluatur amaritudine. Noctem illam tenebrosus turbo possideat: non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus. Sit nox illa solitaria nec laude digna: maledicant ei qui maledicunt diei; qui parati sunt suscitare Leuiathan. Obtenebrentur stellæ caligine eius, expectet lucem & non videat, nec ortum surgentis auroræ.*

Prima dubitatio. An sãctus Iob vere & realiter maledixerit naturali diei in qua natus est.

Circa quæ prædicta verba, prima dubitatio insurgit, an scilicet Sãctus Iob vere & realiter maledixerit naturali diei in qua natus est? Circa quam difficultatem Thalmudici Iudæi (dæmone ipso crudeliores atque impudentiores) sanctissimum & patientissimum Iob quem Sathanas ipse damnare nequiuit, caninis suis oribus, maledicentiæ, & blasfemiæ redarguere non verentur: dicunt enim ipsum impacientiã ductum, vere & realiter os in cœlum vertisse, ac naturali diei in qua natus est, maledixisse. Sed horum sententia merito ab omnibus reijcitur, haud enim credendum est virum pijssimum, sanctissimum atque patientissimum, à Deo Optimo Maximo cunctis hominibus inpacientiæ exemplum propositum, adeò illam perdidisse, vt maledictis increpare voluerit veram diem in qua natus est, cum id facere nullo esset sibi modo licitum. Neq; enim creaturis (etiam irrationabilibus) maledicere fas est, vt egregie probat Diuus Thomas, & cum eo omnes Doctores communiter, in 2. 2. quæst. 76. art. 2. quia eiusmodi creaturæ incapaces sunt pœnæ cuiuslibet, & præterea quia tale maledictũ in auctorem naturæ, potius quam in res ipsas videretur refondi. Dicendum igitur est, quod prædictus Iob, non quidem loquebatur in dictis verbis cum naturali die in qua natus ipse est, neque cum nocte in qua dictum est, *conceptus est homo*: sed imprecationes omnes illæ quæ

ibidem ponuntur alio tendunt: & per diem & noctem ibidem positā, aliud omninò præsignare voluit. Sed quod nam sit illud? dicunt Doctores communiter, non fuisse aliud quam originale peccatum, & primum illud Adami primi nostri parentis crimen, quod olim in Paradiso commisit, diuinum transgrediendo præceptum, de non comedendo de ligno vetito. Hoc tradunt communiter omnes Ecclesiæ Doctores, sed præcipue Beda super prædictum locum, & D. Greg. lib. 4. Moral. cap. 6. vbi & ad notat non dixisse Iob, pereat dies in quo conditus sum, sed pereat dies in qua natus sum: *Quia* (inquit) *in die iustitiæ homo conditus est, sed iam in tempore culpæ natus.* Plura alia ad hoc propositum dicit, asserendo iuxta mentem Sancti Iob, per natiuitatis diem (vt etiam noctem includit) peccatum originale & culpā Adami primi nostri parentis intelligendam fore. Quod & cōfirmat etiam Diuus Bernardus serm. 4. super. *Salue Regina*, vbi ait: *Quid autem est nox frigida & obscura, nisi originale peccatum, frigidum concupiscentia, obscuram ignorantia?* Id ipsum tenet Diuus Thomas loco supra citato 2. 2. quæst. 76 artic. 2. agendo de maledictione creaturarum irrationabiliū. Vbi quærit, *Vtrum licitum sit illas maledicere?* Et ait: *quod non, & quod Iob maledixit diei natiuitatis suæ, non propter ipsam, sed propter originalem culpam, quam nascendo contraxit.* Quod etiam repetit 3. parte quęst. 27. art. 2. ad secundū, vbi etiam dicit, prædicta verba Iob de originali peccato esse intelligēda. Et quidem meritissime natiuitatis diei seu potius nocti originale peccatum comparatur. Sicut enim nox (vt Sapientiæ 17. habetur) ex infimis inferni visceribus superuenisse dicitur, sic etiam & originalis culpa siue peccatum ex intimis inferni visceribus, & priuatione supernaturalis luminis & gratiæ, ortum atque originem duxit. Sicut etiam nox totius est mali celatrix & prouocatrix (vnde & nox anocendo dicitur) ita & originale peccatum totius nostri damni, & cunctorum aliorum peccatorum principium & origo fuit: multaque alia tam in sacris quàm in humanis litteris passim reperire licebit, quibus per noctem & ipsius tenebras & caliginem, peccatum prædictū originale significatur, noxque ipsa veteri olim Adami primi nostri parentis peccato comparatur.

Quid significetur nomine diei ac noctis, quibus Sāctus Iob olim male dixit?

Hoc igitur constituto atque præmisso, secunda insurgit dubitatio circa verba prædicta, quidnam intelligatur lucis siue auroræ nomine, quando prædictus Sanctus Iob de peccato originali agendo dixit: *Expectet lucem, & non videat nec ortum surgentis auroræ?* A qua difficultate breuiter me expediam, contentus cum Diuo Thoma dixisse, per lucem prædicto in loco Christum Dominum intelligi, per auroram verò sacram Virginem. Et vt ne quispiam dicere audeat, in præsentiarum nos aliquid imponere illi, eiusdem verba ad vnguem referre libet: & habentur 3. parte quæst. 27. artic. 2. in solutione ad secundum, vbi expendendo verba supra dicti Iob cap. 3. postquam dixit, intelli-

Secunda dubitatio. Quid intelligatur lucis & auroræ nomine, quando Iob supra dicta verba dixit.

genda ea esse de nocte originalis peccati, additq; eorundem hunc esse sensum: *Expectet lucem (id est Christum) & non videat; quia nihil inquinatum incurrit in illam, vt dicitur Sapientiæ 7. Nec ortum surgentis auroræ (id est Beatæ Virginis) quæ in suo ortu à peccato originali fuit immunis.* Ex quibus prædictis verbis suis constat, iuxta mentem atque sententiam D. Thomæ, noctem originalis peccati (quæ est nox in qua omnes cum originali culpa concipimur) expectasse quidem luce (id est Christum Dominum) vt conquinaret illum, sed tamen eiusmodi coinquinationem nõ vidit, sed neque videre potuit: cum ipse non ex aliquo virili semine, sed de Spiritu Sancto fuerit conceptus. Expectasse etiam ortum surgentis auroræ (id est ortum supradictæ Beatæ Virginis) vt illum coinquinaret, sed tamen eiusdem coinquinationem videre etiam minime potuit, quia in suo ortu à peccato originali fuit immunis. Ex hoc loco sic explicato, inferre nos volumus prædictam sacram Virginem ab omni prorsus originali peccato fuisse immunem, & in sua purissima Conceptione, ab omni originali macula fuisse præseruatam. Sed discipuli Diui Thomæ, & qui in eiusdem sunt sententia & opinione dicunt non id inde sequi: quia (inquiunt) Diuus Thomas non ibidem agit de sacræ Virginis Cõceptione, sed solummodo de ipsius ortu & natiuitate, in qua etiam in eius sententia à peccato originali fuit immunis. Sed supposito quod Diuus Thomas nobiscum conueniat, in eo quod dies & nox illa quibus maledixit Iob, originale peccatũ significent, & per lucem Christus Dominus designetur, per aurorã vero sacram Virginem: certe non apparet ratio ob quam verba prædicta intelligenda sint de secundo ortu, siue natiuitate Beatæ Virginis, & non de primo & Conceptione purissima sua, qua primum concepta fuit in vtero sanctissime suæ matris. Et quidem verba ipsa prædicti Sancti Iob id ipsum ex se satis significant, cum dicat, *nec videat ortum surgentis auroræ*: nam quando (quæso) aurora oriri siue consurgere dicitur, nisi cum primum in emisferio nostro apparere incipit? Si id igitur ita est, cur non & sacra Virgo dicetur orta, cum primum in rerum natura in sua Conceptione esse incepit: cum & tunc proprie natã dici possit: sicut Christus Dominus vere & proprie natus fuit dictus, cum primum in sacro Virginis vtero fuit conceptus, iuxta illud Lucæ 1. *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei:* item: *Et quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Sequitur ergo, quod si per auroram sacra intelligitur Virgo, & ipsius ortum peccatum originale non vidit: quod in Conceptione sua ab eodem prorsus fuit immunis & libera (quod nostrum est intentum) atque ita ex hoc loco & alio superius allato, superque satis constat Virginem sacram à peccato originali prædicto omninò fuisse præseruatam, & id ipsum quam maxime esse consonũ prædictis sacræ Scripturæ locis in sensu mystico adductis. Quibus proinde (nec immerito) ad prædictam nostram conclusionem & sen-

tentiam

tentiam confirmandam, vtuntur Suarez 2. tomo ad tertiam partem Diui Thomæ disput. 3. sectione 5. littera C. & Valentia 4. tomo disp. 2. quæst. 1 puncto 2. & Ægidius lib. 3. de Immaculata Conceptione Beatæ Virginis quæst. 5. art. 6. §. 4.

Argumēta desumpta ex varij sacræ scripturæ locis, quæ in spirituali sēsu sacræ etiam Virgini accommodantur ad insinuanda atque probandā ipsius immunitatem ab omni prorsus originali labe.

Sed vt id ipsum illustretur & explicetur amplius, confirmare etiam atque probare libet, ex aliquibus sacræ Scripturæ locis qui spirituali sensu prædictæ etiam sacræ Virgini accommodantur: nam ex his non inefficax, sed satis probabile desumi posse argumentum, expresse tradit supradictus Cano, loco supra citato de locis Theolog. lib. 12. cap. 12.

Primus locus, desumptus ex illo Prouerb. 8 Domin⁹ possedit me in initio viarū suarū antequā faceret à principio.

Primus locus ad hoc desumi potest ex illo Prouerb. 8. vbi sapientiæ nomine dicitur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Pro quorum verborum intelligentia præmittere libuit, quod locus prædictus varias habere potest explicationes & declarationes. Nam Diuus Basilius lib. 1. contra Eunomium. Origines lib. etiam 1. Periarchon, Tertulianus lib. contra Placentinū, Iustinus in Dialogo contra Triphonem, dicunt prædictis in verbis loqui ipsum Filium Dei (qui est virtus & sapientia æterni sui Patris) non quidem vt terminat naturam humanam, sed vt terminat diuinā. Quem dicendi modum refellit Diuus Ambrosius lib. 1. de Fide cap. 7. dicendo id ipsum excludere verbum illud: *Dominus: quia (inquit) Filius Dei vt est Deus, & vt naturam terminat diuinam, non vllum agnoscit Dominum, & sub nullius dominio & possessione esse dici potest.*

De qua sapientia intelligenda veniāt prædicta verba? Sententiæ & opiniones diuersæ.

Alij vero Doctores dicunt, prædictis in verbis sermonē non fieri de ipso æterno Filio Dei, & sapientia increata, nec vero de sapientia incarnata: sed de sapientia absolute, prout est directiua diuinarum siue humanarum actionum, quæ ibidem introducitur per figuram quam Rethores vocant prosopopeyam, qua munus personarum animatarum, rebus etiam inanimatis accommodari solet. Et iuxta hanc sententiam (inquiunt) germanum illorū verborum sensum esse, semper sapientiam comitem indiuiduum Dei fuisse, in productione omnium creaturarum: iuxta id quod statim dicitur: *Cum ipso eram cuncta componens.* Ita vt sensus sit, quod Deus Optimus Maximus omninò nihil fecit, nisi sapienter atque prudenter, ipsumque commitante sapiētia & prudentia.

Prima sent. *Secunda sent.*

Tertia sententia, & vera resolutio, quod prædicta verba intelliguntur, de sapientia Dei increata, & incarnata

Sed aliorum opinio & vera resolutio est, quod verba prædicta intelligenda sunt de ipso vero Filio Dei homine facto, id est de sapientia increata & incarnata. Quæ expositio in primis est Diui Epiphanij in Anchorato hæresi 67. vbi dicit illam esse magnorum Patrum, Idem sentit Diuus Hieronymus super epist. ad Hebræos cap. 2. & Cyrilus Alexand. lib. 5. Thesauri cap. 4. & 8. vbi ait: *quærendum est quis est qui dicit, Dominus possedit me? Et respondet: Christus iam homo factus.* Idem etiam tenet Damascenus lib. 4. cap. 19. Et Chrysostomus de sancta & miri-

ta: hoc est de Verbo æterno, siue Dei filio homine facto.

fiea Trinitate. Gregorius Nisenus de Fide ad simplicia. Hylarius lib. 12. de Trinitate. Diuus Ambrosius lib. 1. de Fide. Diuus Augustinus serm. 58. de Verbis Domini, & lib. 1. de Trinitate cap. 12. Gregorius Nazianzenus oratione 2. de Filio. Athanasius lib. 3. contra Arrianos. Idem tenent omnes Patres sextæ Synodi act. 6. tomo 4. Item & Patres Concilij Hispalensis secundi, cap. 13. & idem dixit Iustinus olim Imperator in edito fidei, misso ad Ioanē Secundū Papā, vbi adducit Basiliū id ipsum dicentē lib. 4. contra Eunomiū, & ante hos omnes docuit id ipsum Clemens Primus lib. 1. constitutio. Apostolic. cap. 12. vbi dicit hanc fuisse Apostolorum doctrinam. Quæ & valde consentanea est textui sacro, vt satis indicant illa verba quæ paulo inferius ponuntur: *Et delitiæ meæ esse cum filijs hominum*: quæ quidem de Filio Dei, siue sapientia increata & incarnata esse intelligenda, tradunt omnes Expositores communiter, sed præsertim Laurentius Iustinianus, serm. de Eucharist. Quæ & id circo (inquit) ab initio & ante sæcula creata ibidem dicitur, pro eo quod antequā Deus quidquam facere decreuisset, Verbi Incarnationem futuram disposuit. Et dicitur Æternum Patrem Verbum incarnatum, in initio viarum suarum possedisse: quia fuit primum & initium omnium operum suorum ad extra: quod cum intelligi non possit de executione temporali (vt de se constat) satis aperte colligitur, id ipsum fore intelligendum, de æterna, & diuina prædestinatione siue prædiffinitione, quod est verum & certum, ac firmiter tenendum.

Supradicta verba in sensu spirituali & mystico, intelliguntur de Virgine Deipara.

Sed quamvis prædicta omnia, loquendo de prædictorum verborum litterali sensu vera sint, in sensu tamē spirituali & mystico, minime negari potest, quod satis proprie verba prædicta de sanctissima etiam Virgine Deipara intelligi possunt. Ad quod quā maxime facit Ecclesiæ Romanæ auctoritas & consuetudo, quæ non semel aut bis, sed sæpe ac sæpissime, ea illi accommodat, Virginemq́; sacram introducit de se loquentem: Dominus possedit me in initio viarum suarū antequam quidquam facerer à principio: ab æterno ordinata sum & ex antiquis antequam terra fieret. Quod quidē non in modicam laudem siue excellentiam, cedit sacræ Virginis. Nam quis (quæso) non mirabitur, ea quæ secundū litteralem sensum de sapientia increata, & de Verbo incarnato dicuntur: in sensu mystico ita proprie sacræ Virgini adaptari & accommodari, vt fere videatur proprius nihil posse dici? Experientia videmus, quod vestis giganti cuipiā magno aptata statura pusillo homini, cōgruere minime potest. Cum ergo quæ de infinita Dei sapientia increata vel etiam incarnata dicuntur, de Virgine sacra ita proprie etiam verificentur: necesse (procul dubio est) vt dicamus ex infinitate filij, illam infinitatem quandam mutuasse. Vnde factum est, vt eadem omninò verba (licet in diuerso sensu) vtrique plane conueniant.

Pro explicatione igitur loci prædicti dico: quod licet sacratissimæ Virginis electio atque prædestinatio, aliorũ Sanctorum prædestinationi similis sit, in eo quod vtraque est æterna, & sine proprijs meritis eius qui prædestinatur, sed solũmodo ex meritis Christi Domini præuisis (nec enim ad prædestinationẽ aliqua nostra concurrunt merita) sed omninò ea referenda est in solius diuinæ voluntatis beneplacitum, habito respectu ad merita Christi: vt aperte constat ex his quæ dicit Diuus Paulus ad Ephesios 1. loquendo de eodem: *Quod elegit nos Deus in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus Sancti & Immaculati in cõspectu eius in charitate.* Et paulo infra dicit: *Quod prædestinauit nos in adoptionem filiorũ per Iesum Christum, in ipsum secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo.* Vbi etiam diuino afflatus spiritu, Sanctorum electionem atque prædestinationem sorti comparat, in illis verbis infra: *In quo etiam sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Et quidem meritissime, nam sicut in sortibus nulla omninò habetur meritorum ratio, in illis quibus aliqua fœlix sors contingit: ita & Deus Sanctorum neminem, propter propria ipsius merita prædestinauit: sed ob meram suam gratiam atque magnificentiam, & respectu habito ad merita Christi. Quod etiam dixit idem Diuus Paulus scribendo ad Titum cap. 3. dum loquendo de Deo ait: *Quod non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit.* Licet (inquam) id ita sit, in hoc tamen sacratissimæ prædictæ Virginis electio atque prædestinatio singularis est, & cuiuscunque puræ creaturæ (etiam Angelorum) prædestinationem superat & excedit, quod licet fuerit absque proprijs ipsius meritis, in diuina tamen præuisione (loquendo de prioritate rationis & dignitatis) post Christum Dominum & Saluatorem nostrum, verum Deum simul & hominem, omnium aliorũ prædestinatorum electionem & prædestinationẽ, longo interuallo antecedit: quo factum est vt non immerito (quinvero iure optimo) in eiusdẽ persona dici possint & debeant supradicta verba: Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequã terra fieret: non dũ erant abyssi & ego iam concepta eram. Quæ quidem verba planum est (vt etiam supradiximus) loquendo de Verbo æterno caro facto, haudquaquam esse intelligenda de temporis executione, cum ex hac parte satis constet, quod plures alij (quinvero & innumeri) ipsum, sacramq; Virginem præcesserunt: sed intelligenda sunt de diuina electione, prædestinatione & præuisione, in qua Virgo sacra præuisa atque prædestinata est, statim post Christum Dominum, qui teste D. Paulo ad Romanos 1. *Fuit prædestinatorum omnium primus, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum spiritum Sanctificationis.* Qui quidem Christus primum obtinet locum in

Quod generalis omniũ prædestinatio, est sine proprijs meritis eorum qui prædestinantur, ex solis Christi Domini præuisis meritis.

Quod B. Virgo in diuina præuisione, prima post Christum Dominum prædestinata.

in hoc prædestinationis ordine, vt satis colligitur ex illis verbis Psal. 39. *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Sed de hoc alias. Ad propositum ergo reuertendo dico, quod post ipsum in dicto electionis & prædestinationis ordine, & in præuisione diuina, prædicta sacra Virgo secundum obtinuit locum, vt ingeniose nimis dicit & probat noster Subtilis Scotus in 3. sent. dist. 7. quæst. 3. §. tertio declarandum: & est communis sententia in doctrina Scoti. Quam etiam tenet Alexander Alésis 3. parte quæst. 2. art. 13. & Pighius lib. 18. de liberr. arbit. capit. 1. art. 2. & 3. & lib. 10. cap. 1. Galatinus de diuinis Arcanis lib. 7. cap. 2. & Catherinus lib. de eximia prædestinatione Christi, & Viguerius in suis institutio Theolog. cap. 2. §. 1. Qui omnes incunctanter tenent sacram Virginem ante omnes alias creaturas præuissam, prædifinitam, atque prædestinatam fuisse. Quod satis (vt dixi) indicant verba superius dicta, quæ eidem ab Ecclesia, non semel aut bis, sed sæpe ac sæpissime in prædicto mystico & spirituali sensu tribuuntur & commodantur.

Explicantur iterum verba prædicta, ac sacræ Virgini accommodantur in particulari. Sed pro ampliori prædictorum verborum intelligentia, oportet vt eadem paulatim repetentes, quæ maiori consideratione esse videntur digna expendamus, ait igitur Virgo sacra. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Vbi notandum occurrit, quod dicit, *Dominus*, non verò, *Deus possedit me.* Quod (vt credo) nec minimo vocat mysterio, quamvis idem sit Dominus, qui & Deus, quod etiam in alijs sacræ Scripturæ locis factum reperimus, vt adnotauit & obseruauit Diuus Augustinus lib. 8. de Genesi ad literam cap. 11. dicens, quod quando Moyses Genes. 1. loquutus est de mundi creatione, de elementis & corporibus cælestibus, mira astrorum varietate côtextis: de diuersitate animantium, & pisciũ, & vegetabilium, & de alijs quæ à supremo rerum omnium opifice condita atque formata fuere: minime Deum vocauit Dominum, sed hanc Domini nomenclaturam, eidem solummodo tribuere cœpit, cum primũ hominem in Paradiso collocauit: tunc dixit, vt habetur Genes. 2. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis.* Cuius quidem rei ratione relicta (vt amplius & debite proprio suo loco explicetur) ad meum propositum reuertendo, dico, haudquaquam mysterio vacare (quin verò quam maxima esse consideratione dignum) quod dum in prædictis verbis sacra Virgo de sua loquitur Conceptione, non Dei sed Domini verbum vsurpauit, dicens: *Dominus possedit me.* In quo (meo quidem videri) suam puritatem atque immunitatem ab omni prorsus originalis peccati labe non obscure: quin verò clare significauit, & declarauit. Pro quo etiam aduertendum est, longe atque diuerso modo segerere Deum cum suis creaturis, quando procedit vt Deus, ac quando procedit vt Dominus. Nam in primo casu

Causa ob quã in prædictis verbis dicitur. Dominus possedit me, & non Deus possedit me?

haud-

haudquaquam iustitiæ suæ terminos excedit: quinverò solummodo vt rectus iudex, quod suum est reddit vnicuique. Quod nomen *Deus* (vt aduertit Aloysius Lipomanus in catena sup. cap. 1. Genes.) in Hebræo idem pollet, atq; *Elohim*, quod significit *Iudex*. Quo fit, vt vbi nos secundum nostram æditionem vulgatam legimus: *In principio creauit Deus Cælum & terram*, in Hebræo habeatur: *In principio Elohim* (quod significat iudex) *creauit cælum & terram*. Quo quidem Dei siue iudicis nomine, vsus est Moyses loco vbi supra, quia in prædicta cœli & terræ creatione se gesit Deus, non tam vt Dominus, quam vt Deus siue Iudex: creaturis cunctis tribuendo id quod secundum propriam cuiusq; naturam sibi debebatur: iuxta id quod habetur Sapientiæ 11. *Omnia in mensura, numero & pondere posuisti*. Non vero sic se habet Deus cum suis creaturis, quando procedit vt Dominus (quod nomē magnificentiā atque liberalitatem designat) quin potius absoluto dominij sui iure vtendo, tanquam verus rerum omnium Dominus, de rebus suis facit quod vult, illis tribuendo (nec dum id quod cuilibet secundum propriam naturam suam debetur) verum etiam interdum, & quod nō debetur: iuxta suam liberalitatem atq; magnificentiamq; maximam: & in ordine ad proprios suos & particulares fines. Ad propositum ergo deueniendo, si Deus cum prædicta Virgine sacra in Conceptione sua, vt Deus siue Iudex se gesisset (non vero vt magnificentissimus & liberalissimus Dominus) cum ea vere fuerit Adæ filia, ab eodem sicuti & cæteri omnes homines naturali propagatione per rationē seminalem descendens: omni proculdubio originale peccatū contrahere debuisset: cum autem non sic factū fuerit, sed ab eo diuinitus præseruata, ex singulari Dei priuilegio (ipso tanquā absoluto Domino nullo iure astricto, in vniuersali lege de contrahenda originalis peccati labe dispēsando) congruentissime prædictis in verbis dixit, non tam Deum, quā Dominum in initio viarum suarū illam possedisse. Cuius quidē etiam ab omni prorsus originalis peccati labe præseruationē, amplius declarat verbum illud *possedisse*: atque in eo mirificè præsignatur, Deum & Dominū Saluatorē nostrū, prædictæ sacræ Virginis à sua Conceptionis principio, siue initio (nec dum dominiū & proprietatē) verū etiam & possesionē actualē habuisse, & per originale peccatū ipsam diabolo, nec per minimū tēporis instans subiacuisse. Quod vt plenius notū fiat, breuiter præmittere libet, quid nā sit possesio, & in quo differat à dominio siue proprietate? Et dico de mente & sententia Pauli Iurisconsulti, *in l. 1. ff. de adquir. posses.* quod possesio nihil est omninò aliud: *quam pedis quasi positio*. Idem dicit Calepinus in eodem verbo, quod possesio significat ius posidendi quod quisq; habet super aliqua re. Estque quammaxima differentia inter possesionem ex vna parte, & dominium siue proprietatem ex alia. Nam iuxta tritum Iuristarum axioma, possesioni cum proprietate nihil est commune:

quinverò possunt ad inuicem separari, & sæpe accidit vt dominium, & proprietas alicuius rei ad vnum spectet: possessio verò ad alium. Qua quidem ratione in litibus & controuersijs, quando super re aliqua corporali disceptatur, primũ properatis terminis & per summariã quandam causæ cognitionem, de possessionis iure agitur: postmodum vero de eiusdem proprietate & dominio, prolixius atque lentiori gradu tractatur. Sed Quorsum hæc? Vt dicamus inter Deum & diabolum, antiquissimam esse satis ancipitem controuersiam de animarum proprietate & dominio, nec dum & de earundem possessione: contendente Deo suos esse proprios, ad ipsumque pertinere omnes prædestinatos: idque ipsum sibi vendicante diabolo de reprobis. Cum autem contingat (nec semel sed pluries) prædestinatorum aliquem in peccatum mortale aliquod incidere, ac per illud diabolum in eandem possessionem acquirere: viceque versa: sicque ius dominij & proprietatis, simul atque possessionis variari: iustitia ipsa expostulabat, vt ante quæstionem de proprietate & dominio circa personam sacræ Virginis, breuis alia circa possessionem promitteretur, in qua præcisis omnibus modis & terminis, summarie cognosceretur, an ipsa propter antiquam Adami primi nostri parentis culpam, atque ab eodem violatam Dei legem, diaboli aliquãdo vel in ipso suæ conceptionis instanti fuisset subiecta, subijcive deberet? Cui difficultati & quæstioni, superque satis prædictis in verbis ipsa respondet, dicendo: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Quod fuit ac si expressius diceret. Circa animæ meæ proprietatem & dominium, nulla est, esseve potest controuersia: nam ab æterno me elegit & prælegit Deus, vt digna essem æterni Filij sui Mater. Nec verò esse potest controuersia vlla de possessione: nam & ipse Deus, non tam Dei quam Domini, absolutissimo dominij sui iure mecum vtendo, & tanquam absolutus Dominus in vniuersali lege de contrahenda originalis peccati labe dispensando, me possedit in initio viarum suarum. Aliter (ait sacra Virgo) mecum actum est, atque cum alijs omnibus hominibus, vt cumque ad magnam gratiam & gloriam prædestinatis: nam licet eorum Deus semper habuerit proprietatem & dominium: non tamen possessionem semper: quia tempore quo fuerunt concepti & originalis peccati labe infecti: dæmon enim eorum suarum possessionem habuit: non sic autem factum mecum est: nam ipse Dominus magna sua vtendo liberalitate, magnificentia & clementia: ex speciali priuilegio animam meam in meo cõceptionis instanti, gratia sua præuenit, me à generali illa lege liberam fecit, diabolumque ipsum præocupando, in initio viarum suarum de me possessionem cœpit.

Differentia quæ versatur inter hoc quod est habere rei alicuius proprietatem, & possessionẽ, & qualiter Deus ab initio per gratiam nec dum proprietatem, verum etiam & actualem habuerit possessionẽ sacræ Virginis.

Quæ quidem possessio talis fuit, vt nihil omninò illi deficiat, ex his quæ ad præstantissimam quamque possessionem requiruntur.

Quod possessio Virginis

Ete-

Etenim si (vt dicit Iuris Cõsul. *in l. serui. ff de seruit.*) illa esse dicitur rei cuiusque possessio optima: quæ fuerit antiqua & præscriptionem inducit, certa (id est super quam nulla vnquam exorta fuerit controuersia) continua (quæ omnem etiam momentaneam ante eius possessioně excludat) supradicta omnia perfectissime reperire licebit, in possessione prædicta, quã habuit Deus de sacratissima Virginis anima. Nam quod sit antiqua, superque satis ex supra dictis verbis constat, postquam possedit illam in initio viarum suarum, antequam quidquã faceret à principio. Quod autem fuerit certa & continua: satis etiam patet, postquam nec per originale, nec per actuale peccatum, diabolus illius vllo vnquam tempore possessionem habuit. Et quantum attinet ad originale (de quo in præsentiarum est sermo) cum vt habetur, *in l. si vt certo, §. si duobus, vehiculum ff commodati*: nulla res à duobus dominis posit possideri: manifestissime profecto colligitur, quod si Deus Optimus Maximus ab initio viarum suarum sacræ Virginis animam possedit: quod sub dæmonis possessione, nullo vnquam tempore fuit, ac proinde nec prædictum originale peccatum contraxit.

prædicta habuit conditiones omnes, ad ipsum requisitas.

Nota hoc valde.

Quod autem constabit amplius, ex eo quod possessa dicitur sacra Virgo ab initio viarum Dei, antequam quidquam faceret à principio. Quibus verbis apertissime insinuatur, eãdem post Christum Dominum (vt supra diximus) in diuina præuisione, prædefinitione siue prædestinatione, fuisse omnium creaturarum primam, seu (vt quidam dicunt) primisceriam: quam Deus post Christum primo præuidit, elegit, prædiffiniuit, atque prædestinauit. Nam ibi viarum Dei nomine (secundum communem Sanctorum interpretationem) vel intelligũtur diuinæ cogitationes, quæ viæ Dei in sacris litteris dicuntur: iuxta illud Isaias 55. *Sicut exaltatur cœli à terra, sic exaltata sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Vel intelliguntur Dei ipsius opera: iuxta illud Psal. 144. *Iustus Dominus in omnibus vijs suis*: quod exponens magis, subdit: *Et sanctus in omnibus operibus suis*. Vt cunque enim id ipsum dicatur, verum est quod à nobis est dictum, nempe prædictam sacram Virginem, post Christum Dominum in diuina præuisione, prædiffinitione siue prædestinatione, fuisse omnium creaturarum (etiam Angelorum) primam, quam primo Deus vidit, elegit atque prædestinauit, ad præstitutum suum finem: vt scilicet digna esset vnigeniti filij sui Mater, Christi Domini & Saluatoris nostri: quẽ loquendo de rationis ordine, iam prius præuiderat, elegerat, atque prædestinauerat futurum hominem. Hunc volens Deus exaltare ad diuinæ & increatæ suæ filiationis celsitudinem illam exaltauit ad præcelsam Dei Matris dignitatem. Sicut enim olim Deus (vt dicitur Genes. primo) volens Adamum primum nostrum parentem, totius humani generis caput constituere, Euam etiam matrem nostram ex ipsius dormientis latere formatam, eidem adhibuit sociam: sic & ad

Nota hoc valde pro formatione B. Virginis.

reparandum prædictum humanum genus, & vt in mundo esset aliud alterius propagationis caput (non quidem carnalis, sed spiritualis) eorum scilicet de quibus dixit Ioannes cap. 1. *Quod non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*: decreuit atque prædestinauit idem Deus, vt esset Christus verus Deus & homo, quem Paulus 1. Corinth. 15. secundum & nouum Adamum appositissime nominauit: & ex eiusdem in cruce dormientis latere, educere secundam & nouam quandam Euam (sacratissimam Virginem intelligo) quæ sicut prima appellata est mater cunctorum viuentium per naturam: non quidem minori, quin verò potiori iure, appositissime etiã vocaretur mater cunctorum viuentium per gratiam. Et sicut antiqua illa Eua statim post Adam in principio creata fuit: ita & hæc noua immediate post Christũ secundo loco (de rationis ordine loquendo) ab æterno fuit prædestinata. Qua quidem ratione non immerito D. Aug. præfat. in Psal. 47. Christũ Dominũ vocat: *primam Sabbathi*: Mariam vero sacrã, *secundam Sabbathi* eo quod prima Sabbathi dies fuit Solis: secunda verò Lunæ: quæ sacratissime Virgini frequentissime cõparatur: & de ea dicit Ecclesia fuisse pulchrã vt Lunam, electã vero vt Solem. Sed quod Virgo Deipara post Christũ Dominum inter omnes puras creaturas (etiam Angelicas) fuerit prædestinatorum prima, tradit aperte Rupertus in Cantic. capit. 2. & Galatinus de Arcanis cap. 7. & Diuus Gregorius in lib. Regum cap. primo vbi ait: *Post Christum Dominum Mariam sacram dignitate suæ electionis omnes transcendisse creaturas*. Diuus etiam Bernardinus de Sena sermon. 51. de Virgine tomo 4. cum eadem sacra Virgine loquendo, inquit: *Tu ante omnem creaturam in mente Dei prædestinata fuisti, vt Deum ipsum hominem factum procreares*. Hanc etiam ob causam Andræas Cretensis, sermone de Assumptione Virginis Mariæ, vocat illam: *Declarationem profundorum mysteriorum diuinæ incomprehensibilitatis, & scopum earum cogitationum quæ à Deo ex cogitata sunt ante sæcula*. Haud modicum quidem huic veritati & cogitationi fauet, quod Georgius Venetus libro de Armonia Mundi, cap. 2. tomo 3. refert, inter reconditissima Hebræorum arcana illud celeberrimum habitum fuisse, nempe esse apud Deum vnam omnium creaturarum primam, quæ reliquarum omnium perfectiones contineret: quam ipsi *Mitatron* appellabant: quam & futuram esse Matrem Messiæ ex eo colligebant: quod apud Hebræos, *Maria*, nomen numerum constituit ducentisimum nonagesimum, quem eundem reddunt extremæ literæ prædicti nominis, *Mitatron*. Quæ præterea supradicta omnia ratio ipsa confirmat: nam si Deus (vt prædictum est) ab æterno decreuit Filium suum in hunc mundum mittere, factum hominem ex aliqua fœmina Virgine, consequens profecto esse videbatur, vt statim immediate (loquendo de prædicto rationis ordine) prædestinaret quam Filius ipse habiturus erat Matrem: ex cuius

Nota rationẽ ob quam Christus Dominus vocetur à Diuo Aug. prima Sabbathi: Maria vero secunda Sabbathi.

Quid dixerint olim Hebræi, de Messiæ Matris dignitate.

cuius Virgineo thalamo, tanquam sponsus erat processurus, vt dicit Propheta Regius Psalm. 18. & de qua vere diceretur illud, quod in ipsius figura de Rebecca olim dictum fuit, Genes. 24. *Hæc est quam præparauit Deus Filio Domini mei.* Hanc igitur ob causam Doctores Sancti cum de sacra Virgine Deipara loquuntur, sed præsertim Diuus Augustinus, à quo illud desumpsit Petrus Damianus, sermone de Assumptione vocant eam: *Electam atque praelectam*: alij *benedictam, præbenedictam, & post benedictam*: nonnulli vero aiunt quod cum cæteri hominum Christum Dominum habeant liberatorem, & post liberatorem, Sacra Virgo eundem habuit etiam præliberatorem. Et quid (quæso) amplius dici vnquam potuit, ad insinuandam atque monstrandã eius immunitatem, & liberationem ab omni prorsus originalis peccati labe? Hac de re videre oportebit, quæ dicit Ioannes Damascenus Orat. 1. de dormit. Deiparæ Virginis Mariæ, vbi ait: *Quod pater illam prædestinauit, Spiritus Sanctus praeigauit, ac demum filius in ea commoratus est.* Diuus etiam Ambrosius super Lucam, ad illa verba: *Ecce ancilla Domini*: de eadem loquendo inquit: *Nihil mirum si Dominus Redempturus mundum operationem suam à Matre inchoauit, vt per quam salus parabatur omnibus, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.* Facit & ad hoc propositum id quod dixit Diuus Bernardus sermone quodam, de eadem sacra Virgine. *Maria* (inquit) *à natura fuit reuerenter conseruata, à lege diligenter venerata, & à gratia clementer praelecta.* Quo dicendi modo (vt dixi) pluries vtitur Petrus Damianus loco vbi supra, dicens: *Sacram Virginem à Deo fuisse electam & prælectam.* Et subdit: *Quod totam prælectam rapuit illam Spiritus Sanctus.* Vbi quam maxime notandum venit verbum illud, *rapuit*: quo significare voluit, præmaturam celeremque liberationem Beatæ Virginis ab originali peccato: quasi diceret, quod cum alij homines assumpti & liberati fuerint ab incendio originalis peccati: prædicta sacra Virgo, non tam assumpta & liberata, quam rapta ab eodem fuit: vt ne quidem aliquâ vel leuis ipsius flamma ipsam vllo modo læderet. Ex quo toto discursu, superque satis colligitur, sacræ Virginis puritas & immunitas. Etenim si à Deo possessa fuit in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio: ab eodemque prædestinata, præuisa, & praelecta, vt digna esset Mater vnigeniti Filij sui ante omnes puras creaturas (etiam Angelicas) haudquaquam intellectus potest capere, quod Deus quam primo prædestinauerat & elegerat, originalis peccati labe infici vllo modo permitteret: & cum primum mentem ad creaturas conuerteret, illam videret præscientia sua æterna, quam propter prædictum originale peccatum odio haberet: & esset sibi ingrata atque inuisa.

Quid D. Augusti. & alij sancti dixerunt de B. Virgine ad insinuandam eius dem immunitatem & præseruationem à peccato originali.

Sed procedamus vlterius, & expendamus nouam quandam aliam ratio-

Alia nouarat

tio ob quã ab originali peccato Virgo praeseruata dicitur.

rationem, ob quam supradicta omnia vere sint dicta. Quæ & satis colligitur ex subsequentibus illis verbis, quando eadem sacra Virgo de se dicit: *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis: ante quam terra fieret.* Quid (quæso) est sacram Virginem ab æterno & ex antiquis ordinatã fuisse, ante quam terra fieret? Littera Hebræa dicit: *Ab æterno principatum habui: in vexilliferam operum Domini.* Quod est dicere. Quod sicuti in prælio vexillifer, est qui omnes preit, & anteit omnem exercitum: sic & prædicta sacra Virgo in diuina præuisione & prædestinatione, omnem præiuit Sanctorum & Angelorum exercitũ. Hac ratione Georgius Venetus, loco supra citato, in sua Armonia Mundi, cant. 2. tomo 3. vocat illam, *Redemptionis Christi primisceriam.* Cuius quidem nominis non vna tantummodo significatio est. Nam præter superius dictam, apud antiquos olim, inter milites *primiscerius*, dicebatur ille, qui eorum primus militiæ cathalogo erat scriptus: quasi diceretur, *primus scriptus in cera.* Quo etiã in nomine veteres aliquid ominis, fortunæ siue boni nuntij latere existimabant: sicque aliquem præmittebant qui ipsum ante alios prætenderet, & significatione sua quasi aliquid boni prætenderet, & significaret Victorem siue fortunatum eundem futurum. Cum ergo Georgius Venetus Deiparam Sanctissimam Redemptionis Christi primisceriam appellat, significare voluit (meo quidem videri) quod in libro vitæ, in quo omnes prędestinati, siue Christiani milites sunt ascripti & relati, ipsius fœlicissimum & auspicatissimum nomen, primo loco scriptum atque exaratum fuit: & ipsa in diuina præscientia (quæ vere vitæ liber est) primo fuit præscripta: & ipsius electio ad Dei Matris dignitatem præuisa, prædeterminata ac prædiffinita. Non desunt qui dicant primiscerij nomen, principis cuiusdam scribam siue notarium significare ac designare: cuius erat munus & officium milites scribere, & officiorum cartas, libellos & cætera alia quæ ad supremum scribam solent spectare. In quo etiam sensu sacra Virgo, Christi Domini primisceria congruentissime potest apellari: ac de ea dici, quod non modo in prædicto libro vitæ, ea primo scripta ante alios fuit: verũ etiam quotquot eodẽ in libro scripti sunt, seu potius scribi relati, eadem ipsa scribat, seu per eandem scribantur. In quem sensum intelligi possunt, suauia illa verba quæ illi dicit Seraphicus noster Diuus Bonauentura, in Psalterio Mariano, eandem sacram Virginem alloquendo: *Deduc me* (inquit Domina) *in portum salutis, ac per te interuentos scribatur nomen meum.* Quod (vt crediderim) proeo dixit: quia cum prædestinati omnes in libro vitæ scribi & obsignari, ac etiam siggillari dicantur: iuxta sacræ Scripturæ phrasim 2. Corinth. 15. & ad Ephes. 1. & 4. ad eandem sacram Virginem Mariam tanquam Redemptionis Christi primisceriam, spectet electos omnes in diem redemptionis vltimum obsignare. Qua ratione subdit etiam

Quod Virgo sacra sit totius mundi primiceria.

præ-

prædictus Diuo Bonauentura: *Quod qui acquirit gratiam eius, agnoscetur ciuibus Paradisi, & qui eius habuerit caracterem: annotabitur in libro vitæ.* Si igitur hæc omnia vera sunt, si Virgo sacra ante omnes alios præ destinatos (etiam Angelos) fuit electa: præuisa, atque prædestinata: ad prægrandem illam gratiam quam habuit, & gloriam quam habet: neque id solum, sed omnium Dei operum fuit vexillifera, etiam & primiceria, in libro vitæ primo scripta: & à qua seu propterquam, in eodem electi omnes scribuntur, & obsignantur: quis dicere audeat in Conceptione sacra sua originalis peccati labe, eandē vllo modo fuisse infectam, ac per ipsum in primo illo instāti diabolo subiectam: à Deo odio habitam, illive in gratam, inimicam, seu inuisam?

Alia noua ratio, ob quā Virgo sacra ab originali peccato dicatur præseruata.

Ad supra dicta verba reuertentes, quando prædicta sacra Virgo dicit de se: *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis* (nō etiam incongrue) quin potius congruentissime possumus dicere, quod (cum teste Diuo Augustino lib. 19. ad Marcelinum cap. 13. *Ordo nihil sit omnino aliud quam parium dispariumq; rerum sua cuiq; loca tribuens dispositio*) in Virgine tamen sacra cuncta fuerunt ab æterno ordinatissima, & bene disposita. Nam quamvis in executione in eadem inuētæ fuerint partes æquales & inæquales: pares & dispares: constitit enim sicut & cæteri hominum ex vera reali anima & corpore, & rationē habuit superiorē & inferiorē (quo nomine intelligitur appetitus sēsitiuus) eiusmodi tamē partes in ea adeò fuerunt ordinatæ, bene dispositæ ac sibi cohærētes: vt nulla vnquā contra aliā se reuelauerit aut conspirauerit: sed semper corpus absq; rebellione vlla, subiectū fuerit animæ, & appetitus sensitiuus, omni sublata resistentia rationi. Talem enim ordinem omninò habuisse decebat eam, quæ ab æterno ordinata fuit, vt vera & digna esset vnigeniti Filij Dei Mater: qui factus homo mirabili sua vita, & exemplo vniuersum hunc mundum erat ordinaturus & regulaturus. Ex quo etiam ordinatissimo atque paccatissimo ordine, quem sacra Virgo habuit, inter omnes suas partes integrantes (animam scilicet & corpus, necnon rationem superiorem & inferiorem) satis etiam colligi potest, quod ipsa nullo vnquam tempore (etiam per minimum instās) originali fuit peccato subiecta: quinverò ab eo mirificè præseruata: neque enim iniuria, sed iure optimo dicemus, sublatam omninò fuisse causam, vbi nullus vnquam fuit expertus effectus.

Quid sit ordo & quā in omnibus ordinatissima fuerit sacra Virgo.

Sed finem faciamus iam huic nostro discursui, & monstremus id ipsum, ex alijs supradicto in loco subsequentibus verbis, illis nempe: *Non dum erant abyssi & ego iam concepta eram.* Vbi abyssorum nomine (haud quidem incongrue) quinvero congruentissime, intelligitur peccatum: iuxta id quod dixit Diuus Gregorius Psalm. 41. explicando illa verba: *Abyssus abyssum inuocat, in voce cataratarum tuarum,* vbi ait eorundem hunc esse sensum *quod vnum peccatum in aliud trahit.* A qua interpretatione, non discordat abyssi nominis æthimologia quam tra

Alia ratio ob quam Virgo sacra ab originali peccato dicatur præseruata.

dit

dit Archidiaconus, *in cap. omne dist.* 37. vbi inquit, abyssum dici, ab *a* (quod est *sine*) & *byssus*, quod est genus quoddã lini candidissimi, vulgo dictum, *Olanda*: ita vt idem omninò sit *abyssus*, ac sine *bysso*, seu potius sine candore, quod quam maxime congruit peccato, quod animam denigrat, & candore diuinæ gratiæ eam priuat: iuxta illud Hieremiæ Threnorum quarto, vbi agendo de peccatoribus dicitur: *Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis.* Ad propositum ergo, dum dicit Virgo sacra: *Nondum erant abyssi & ego iam concepta eram*: quid (quæso) aliud insinuare voluit in defensionem nitidissimæ suæ puritatis, & immunitatis ab omni prorsus originalis peccati labe, aduersus contrarium dicentes, quam facere atque opponere illis Iurisperitorum illam tritissimam regulam, dictam *la coartada*: quę in controuersijs difficilis probationis quã maxime probat? Cum enim quispiam de aliquo patrato à se crimine accusatur, nec ad manum habet testes quibus probet contrarium, hoc sibi solummodo subest remedium, vt probet eo loco & tempore quo factum dicitur oppositum sibi delictum, longe ab eo loco fuisse illum. Ad propositum igitur, cum quidam sacræ Virgini opponant, illique imputare vellint, quod in Adamo primo nostro parente peccauerit, seu vero potius quod ipsius peccati maculam in sua conceptione nascendo contraxerit: huic accusationi se opponit dicens, id nulla ratione fieri potuisse; quia antequam essent abyssi (nempe peccata) in diuina præuisione illa iam concepta erat: & quo modo Immaculata sua Conceptio ab æterno fuit præuissa: eomet omnino in tẽporis plenitudine fuit executioni mandata. Quo fit vt licet in prædicto originalis peccati diluhio generali, omnes ab Adam per rationem seminalem descendentes fuerint submersi: ipsa tamen ex singulari Dei beneficio atque diuina gratia, à peccato prædicto fuit præseruata, quia ab æterno fuit preuissa immaculata. Quod factum est excipiẽdo eam à cõmuni pacto & lege Adamo & omnibus suis posteris imposita: vel cum illa dispensando vt generalis illa lex eam minime comprehenderet.

Circa probationem dictã la negatiua coartada.

Secundus locus ad idem probandum, desumi potest ex illis verbis, quæ habentur Canticor. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

Secundus locus. Desumptus ex illo Cãtic. 4. Tota pulchra es amica mea.

Circa quæ prædicta verba prima se se offert dubitatio, de quo ad litteram debeant intelligi? Non desunt qui dicant ea esse intelligenda de hac nostra Ecclesia Militanti. Sed hic dicendi modus facile reijcitur: nam non videtur qualiter de ea possint verificari, ita vt congrua sit explicatio. Nam siue sermo fiat de macula mortalis peccati, siue vero venialis: non apparet qualiter hæc sacra Ecclesia nostra Militãs, quæ nihil est omninò aliud quam congregatio quædam fidelium, sub vno visibili capite inseruientiũ atque vacantium Deo, tota dici possit Immaculata, & quod macula in ea nulla sit: cum (vt experientia constat)

Prima dubitatio, de quo ad litteram verba prædicta debeãt intelligi? Prima sententia.

stat) prædictorum fidelium multi, peccatis mortalibus sint infecti, veniàlibus vero quamplurimi, ac fere innumeri siue omnes. Nec huic obiectioni quidquam valet dicere, fore id ipsum de eadem intelligendum per figuram synedochem: ita vt militantis Ecclesię nomine, intelligatur præcipua eiusdem pars, quæ dumtaxat iustos ac sanctos comprehendit. Nam adhuc etiam, vt sic non videtur quod dici possit tota pulchra & immaculata: & de ea verificetur quod in illa macula omninò nulla sit: cum fideles vtcumque sancti & iusti in hoc mundo existentes, vix aut nullatenus à venialibus liberentur: iuxta id quod dixit D. Ioannes prima sua Canonica cap. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*: quæ verba secundum Doctorum communem expositionem de peccatis venialibus sunt intelligenda. Et cum sponsus de sponsa expresso sermone dicat, totam eam esse pulchrã & in ea nullam omninò reperiri maculam: non videtur qualiter de habentibus peccata venialia id ipsum verificetur; nam qui totum dicit nihil excludit: & omninò omnem præcludit aditum ad sumendam partem pro toto per figuram synedochem.

Prædicta igitur sententia omissa, secunda sententia & vera resolutio est, quod verba prædicta de Ecclesia Triumphanti sunt intelligenda, cui quam maxime aptari possunt, ac de ea dici quod est tota pulchra, & macula in ea nulla est. Vel dicere etiam possumus, quod etiam intelliguntur de Militanti, prout ordinatur ad Triumphantẽ: ita tamen vt verba supradicta in illa quam maxime verificentur, cum vna & eadem sit Ecclesia, quam (vt inquit Diuus Paulus ad Ephes. 5.) *Christus Dominus dilexit, & se ipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret: mundans eam lauacro aquæ verbo vitæ, vt exhiberet ipsam sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt esset sancta & immaculata.* Quæ sententia est Diui Hieronymi lib. 3. aduersus Pelagianos, & Diui Augustini lib. 1. retracta. cap. 19. & Venerabilis Bedæ in comment. huius loci, & Diui Bernardi serm. 38. super Cantic. Qui omnes videntes prædicta verba congrue aptari non posse Ecclesiæ nostræ Militanti, præcise ac secundum se consideratæ: dicunt eadem intelligenda esse de Triumphanti, seu de vtraque prout vna ordinatur ad alteram, iuxta sensum supradictum. Vnde dicunt hanc intelligentiam sequuti, quod in cœlo est vbi sponsa cœlestis sponsi amica, pulchra tota conspicitur: quia ibi Ecclesia est regnans in omnibus suis ordinibus, & gloriosa & immaculata: nam aula illa non vllam recipit peccati maculam.

Secunda sententia & vera resolutio.

Sed quamvis supradicta omnia vera sint, negari minime potest, quod in sensu spirituali & mystico, etiam intelligantur de B. Virgine, quæ à cœlesti suo sponso dicetur tota pulchra: pulchra corpore, & pulchra anima: & quod nulla in ea macula omninò sit. Hęc sententia

Prædicta verba in sensu spirituali & mystico, intelliguntur etiã de sacra Virgine.

est Alani super Cantica cap. 4. & fere omnium communis. Vnde D. Augustinus lib. contra duas hæreses, de eadem loquendo, inquit: *Vnde sordes, in domo in qua nullus terra habitator accessit, sed solus eius fabricator & Dominus ad eam venit?* Diuus etiam Bernardus serm. de Assumptione B. Virginis ipsius extollens puritatem, ait: *Quæ vel Angelica puritas, Virginis puritati valet comparari quæ digna fuit sacrarium fieri Spiritus Sancti, & habitaculum Filij Dei?* Diuus etiam Anselmus lib. de Conceptione Virginis eiusdem puritatem commendans, dicit: *Decens erat vt Virgo sacra illa puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi, cui Deus Pater vnicum Filium suum quem de corde suo æqualem sibi genuerat, ita dare disponebat, vt vnus idemque naturaliter esset communis Dei Patris & Virginis Filius.* A quibus verbis haudquaquam discedit D. Ambrosius super Cantica cap. 4. vbi explicando supradicta verba: *Tota pulchra es amica mea, &c.* Ait. *Pulchritudinem matrem quis existimare potest, decore eius quæ amatur à Rege, probatur à Iudice, dedicatur Domino, consecratur Deo, semper sponsa, & semper innupta. Ita vt neque amor finem habeat, nec damnum pudor. Pulchritudo ista (inquit) interior est, non exterior, quæ non marcescit, nec defluit.* Quibus omnibus accedit quod dixit Arnaldus Abbas, serm. de Laudib. Virginis, explicando illa verba Cantic. 6. *Vnica columba mea*, vbi ait: *Quod in puritate Angelos ipsos supergreditur, & cum ea minime valent comparari. Inter tot* (inquit) *hominum animas quæ saluantur, vt electa columba illa sola vna est quæ Christum genuit, Virgo Mater, puella Maria, quæ puritate Cherubim atque Seraphim antecedit.* Ex quibus omnibus superque satis colligitur, quam apte & conuenienter prædicta verba in sensu prædicto spirituali & mystico, prædictæ sacræ Virgini possint & valeant accommodari, & de ea verificentur. Certe tanta corporis & animæ pulchritudine Virgo Deipara à Deo Optimo Maximo fuit ornata & condecorata, vt cum ea Rebeccæ, Rachelis, Esther & Iudith pulcritudo, quæ adeò in Scriptura sacra celebratur, & de quibus (nec immerito dicere possimus quod ipsius fuerunt figuræ) minime possit aut valeat comparari. Et vt cæteras prætermittā de Esther in sua historia c. 2. dicitur: *Quod erat formosa valde atque incredibili pulchritudine, & in omnium oculis videbatur gratiosa & amabilis: & quod placuit Regi Asuero, & inuenit gratiam in conspectu eius, tradiditque ei decem puellas speciosissimas: & adamauit eam super omnes mulieres, posuitque diadema Regni in capite eius, & fecit eam Regnare in loco Basthi.* Quæ supradicta omnia planissime verificantur in sacra nostra Virgine. Esther enim (vt tradunt qui agunt de æthimologijs) abscondita seu in populis eleuata, atque in tempore præparata, communiter interpretatur: sicque prædicta sacra Virgo abscondita quidem fuit, adumbrata & declinata in figuris veteris Testamenti, eleuata in excellentia & perfectione super omnes puras creaturas (etiam Angelos) præparata in tempore (quin verò & ante omne tempus) vt digna esset Mater vnigeniti Filij Dei: iuxta id quod de ea legitur Prouerbio. 8.

Quanta fuerit B. Virginis corporis & animæ pulcritudo?

Ab æterno ordinata sum & ex antiquis, antequam terra fieret: nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram. Fuit præterea prædicta sacra Virgo, formosa valde atque incredibili pulchritudine, & in omnium oculis videbatur gratiosa & amabilis. Cui & concinit illud quod habetur Cãti. 6. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol terribilis vt castrorum acies ordinata?* De qua & proinde merito canit Ecclesia: *Egredimini & videte filiæ Sion Reginam vestram, quam laudant astra matutina, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirãtur, & iubilant omnes Filij Dei.* Quæ & multo melius quam Esther Asuero, placuisse dicitur Deo, & inuenisse gratiam incõspectu eius, traditasque sibi fuisse (eandem vt comitarentur) septem speciosissimas puellas siue ancillas, per quas intelliguntur non incongrue, celebres illæ septem virtutes quatuor Cardinales, Iustitia, Temperantia, Prudentia & Fortitudo: & tres Theologales, nempe Fides, Spes & Charitas, quibus cumulatissime ornata atque condecorata fuit. Vnde non mirum est, quod cœlestis ipsius sponsus eandem adeò adamauerit, ac posuerit diadema Regni in capite eius, feceritque illam ad dexteram suam (id est in potioribus donis) super omnes puras creaturas (etiam Angelos) in cœlis regnare. De prædicta etiam sacræ Virginis interna atque externa pulchritudine, agens D. Bernardus serm. 4. super Salue Regina, cum eadẽ loquendo, inquit: *Nihil est virtutis, quod in te non resplendeat & quidquid singuli habuere sancti, tu sola possedisti.* Neque id mirum: etenim si verum est quod dicit D. Augustinus tomo 3. tract. 9. *Quod quantum crescit Dei amor, tantum & crescit pulchritudo: quia charitas est ipsa anima pulchritudo:* facile inde colligi potest, sacræ Virginis pulchritudinem (quã maxime internam) in tantum aliorum Sãctorum (etiam Angelorum) pulchritudinem superasse, quantum & ipsius amor eorundem amorem excessit & superauit. Si etiam verum est id quod dicit idem D. Augustinus tract. 32. in Ioannem: *Quod sicut animus facit decus in corpore, ita Deus in anima: & quod decus corporis animus, decus vero animæ Deus:* facile etiam ex eodem principio potest colligi, quod tam in corpore quam in anima, nullius puræ creaturæ pulchritudo, cum pulchritudine prędictæ Virginis potuit vnquam aut valuit comparari. Merito ergo de ea cœlestis canit sponsus: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

Secunda dubitatio. De qua pulchritudine prædicta verba sint intelligẽda? & an ex eis colligatur sacram Virginẽ caruisse originali macula?

Sed circa prædicta verba, haud contemnenda insurgit quidem dubitatio: de qua pulchritudine intelligenda sint, & de qua macula sit sermo dum dicitur, *& macula non es in te:* & cur iterata fuerint eiusmodi verba? Quod meo quidem videri non quam maximo vocat mysterio. Præuiderat cœlestis atque diuinus sponsus, duo de Virgine sponsa & amica sua tractu temporis in dubium fore reuocanda: primo an omni ex parte fuerit pulchra, carueritque omni deformitate, nec dũ peccati mortalis, verum etiam & venialis? Secundo, an etiam caruerit defor-

deformitate & labe, originalis peccati? Et ad primum quidem respondet, qui totius innocentiæ & sanctitatis supremus est censor, atque iudex, dicendo, *tota pulchra es amica mea*. Quod fuit ac si expressius diceret: nullam omnino in ea esse deformitatem (nec dum peccati mortalis) verum etiam nec venialis. Ad secundum vero quæsitum, respondet per subsequentia verba: *& macula non est in te*, quæ (meo quidem videri) intelligenda sunt de macula originalis peccati. Et vt ne id absque sufficienti fundamento dictum esse videatur, præmittere libet, quod D. Thomas olim 3. parte quæst. 27. art. 4. postquam egit de sacræ Virginis sanctificatione (iuxta ipsius opinionem & placitum) & quonam tempore facta fuerit: ante natiuitatem ex vtero, an vero post: & de alijs ad idem propositum pertinentibus: tandem in prædicto articulo quarto inquirit, An per eiusmodi sanctificationē id ipsa consequuta fuerit vt nunquam peccaret, nec mortaliter, nec vero venialiter? Cui difficultati respondens dicit verba sequentia: quæ & ad litteram apponere libuit, vt ne quispiam dicere audeat, aliquid nos illi contra suā sententiam imposuisse.

Nota valde. Verba D. Tho. ad difficultatē quā proposuit an Virgo sacra cōsequuta fuerit, vt nunquā peccauerit, neque mortaliter, neque venialiter.

Respondeo dicendum, quod illos quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat & disponit, vt ad id ad quod eliguntur inueniantur idonei, secundum illud secunda ad Corinth. 3. Idoneos nos fecit ministros noui Testamenti. Beata autem Virgo fuit electa diuinitus vt esset Mater Dei, & ideò non est dubitandum, quod Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit, secundum quod Angelus ad eam dixit, inuenisti gratiam apud Deum, ecce concipies, &c. Non autem fuisset idonea Mater Dei si peccasset aliquando, tum quia honos parentum redundat in prolem, secundum illud Prouerbior. 17. Gloria filiorum Patres eorum. Vnde & per oppositum ignominia Matris, ad filium redundasset: tum etiam quia singularem habuit affinitatem ad Christum, qui ab ea carnem accepit. Dicitur autem secunda ad Corinth. 6. quæ conuentio Christi ad Belial. Tum etiam quia singulari modo Dei Filius, qui est Dei sapientia, in ipsa habitauit, non solum in anima, sed etiam in vtero: dicitur etiam Sapientiæ primò, in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis, & ideò simpliciter fatendum est, quod Beata Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale nec veniale: vt sic in ea impleatur quod dicitur Cantic. 4. tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Hæc prædictus Diuus Thomas vbi supra. Cuius verba expendens Caietanus ipsius expositor ibidem dicit, prædictum locum apte fuisse adductum fuisse à diuo Thoma, ad suam intentionem probandam, nempe quod prædicta Beata Virgo nullum habuit actuale peccatum, nec mortale nec veniale: vt sic adimpleretur in ea, quod dictū est: tota pulchra es amica mea, & macula non est in te: quia (inquit) sensus Ecclesiæ est grauis auctoritatis, & Ecclesia frequenter locum prædictum adaptat sacræ Virgini.

Nota valde. Argumētum

Sed ex ipsorum verbis eadem retorquendo ad hominem (vt dicitur) argumentum desumit Ambrosius Catherinus eiusdem ordinis Doctor.

Doctor eximius(sed alterius opinionis)lib.3. de Conceptione Virginis, ad probandum ex eisdem inferri à maioritate rationis, atque potiori iure, sacram prædictam Virginem, haudquam habuisse peccatũ originale. Etenim (inquit) si D. Thomas dicit caruisse illam omni labe actualis peccati, tam mortalis quàm venialis (quia alias si vel leuis quædam venialis peccati macula eidem adhæsisset, haudquaquam illi quadrarent, seu in illam vim haberent supra dicta verba: tota pulchra es amica mea, & macula non est in te) cum originalis macula maior sit quocunque peccato veniali (vt de se patet) illa enim hominem Dei inimicum facit: priuatque ipsum diuina gratia: hoc vero minime: liquidum profectò fit, vt iuxta sanctæ Ecclesiæ sensum verba prædicta de sacra Virgine verificentur, quod in ea, nec dum non fuit actualis peccati macula, mortalis siue venialis, verum etiam nec originalis: & quod horum primum insinuatũ fuit, in primo positis verbis, tota pulchra es amica mea, secundum vero in subsequentibus, & macula non est in te. Quod vt plenius notum fiat præmittendum duxi, quod D. Paulus 2. ad Thimot. 3. agendo de laudibus veteris Testamenti inquit: *Quod omnis scriptura diuinitus est inspirata, & vtilis ad docendum, arguendum, corripiendum, siue corrigendum hominẽ & ad erudiendum ipsum in iustitia, vt perfectus sit & ad omne opus bonum instructus.* Diuus etiã Petrus secunda sua Canonica capit. 1. eadem de re loquendo, inquit: *Quod non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines.* quod quam maxime verum habet in canticis, quæ ob maximam eorundem excellentiam Hebraice, *sirhasirim*, id est Cãtica Canticorum Salomonis dicuntur. Quòd cum ita sit, quis nam (quæso) dicere audeat, quave ratione in cuiuspiã mentem veniat, Scripturam sacram verbum aliquod, vel minimum, su perfluũ, ociosumve in se continere; & quod non cum magna ratione sufficientissimoq; fundamento ibidẽ fuerit appositũ: Cum ergo ad excludendã deformitatem omnem actualis peccati, siue mortalis siue venialis, sat fuisset dicere cœlestem sponsam, (sacram Virginem intelligo) totam fuisse pulchram: & addita præterea fuerint sequentia illa verba, & macula non est in te: omni proculdubio existimandum est, in eum finem id ipsum fuisse effectum: vt plane omnibus constaret, nec dum illam actualis peccati, mortalis, siue venialis maculam minime in se habuisse, verũ etiã neq; originalẽ incurrisse. Quod satis aperte & expresse dixit sapientissimus sacræ Virginis, deuotissimus atque obsequentissimus Idiota ille, ob profundissimam suam humilitatem eo insignitus nomine, dum in contemplatione positus, cum eadem loquendo dixit cap. 3. *Tota pulchra es Virgo gloriosissima, & macula non est in te. Tota pulchra es in tua Conceptione, ad hoc solum effecta, vt templum esses Dei altissimi.* Et infra: *Tota (inquit) pulchra es Virgo gloriosissima non in parte, sed in toto, & macula peccati siue mortalis siue venialis, siue originalis non est in*

Catherini ex verbis D. Tho. ad probandam immunitatem Virgini ab omni prorsus originali labe.

Quod cum sacra Scriptura diuinitus sit inspirata, omnino nihil in ea dici potest, ociosum siue superfluum.

Quod B. Virgo non in parte, sed in totũ fuit pulchra, & ab omni prorsus peccato libera.

te, neque unquam fuit, neque erit. Cui resolutioni fauet & alia translatio Hebraica, quæ sic habet: *Tota pulchra es omnis tu*. Quæ vox *omnis*, cum nō vnius sed multorum collectam vniuersitatem designet, videre oportet qua ratione Virgo sacra, *omnis tu dicatur*? Et dico id ipsum dictū fuisse, eamet ratione qua Seneca lib. 3. de Beneficijs dixit: in homine vno, secundum diuersas temporis & ætatis differentias, inueniri plures homines. Nam idem (inquit) homo in vtero suæ matris est fœtus: ex illo æditus infans: & inde per temporis discursum puer, adolescens, iuuenis, & tandem senex: tantaque est inter prædictas ætates dissimilitudo atque disparitas, vt non tam vnus, quam plures in vno esse videantur homines. Ad eundem ergo modum, cœlestis sponsus sacrā Virginem alloquendo, inquit: *Tota pulchra es omnis tu amica mea, & macula non est in te*. Ac si diceret, etiam si per omnes temporis differentias mensureris atque contempleris (eo modo quo multitudinem & pluralitatem in te concipere licet) *tota pulchra es omnis tu, & macula non est in te*, siue cū fœtus eras in vtero matris tuæ: siue cum infans, puella, adolescentula, ac tandem anus: tota omnis tu pulchra es: ita gratiæ atque iustitiæ decore perfecta. Vt macula non sit in te, neque in hoc vllum tempus, vllamve ætatem excipere licet. Fauet & huic nostræ resolutioni id quod dixit olim Galatinus lib. 7. de Arcanis cap. 4. vbi ait. Inter Hebræorum Magistros, illos qui Christum Dominum præcesserunt, constantissimam fuisse sententiam, supradicta verba de Matre Messiæ esse interpretanda, ac per illa designari ipsius immunitatem à peccato originali. Qua quidem ratione, & ab Apostolis bucis plenis immaculata semper fuit appellata & nominata, vt satis constāt ex lythurgia Diui Iacobi, vbi dum sacerdos dicit: *Deo & sanctis laudes esse deferendas sed præcipue Sanctissimæ, Immaculatæ, & super omnes benedictæ Gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ semperq; Virgini Mariæ*. Cantores deinde subijciunt ibidem: *Dignum est vt te Beatam dicamus Deiparam, semper Beatam, & omnibus modis irreprehensam*: seu vt in Græco habetur, & 70. trāsferunt. *sine reprehensione*. Idem dicitur & in Missa quæ vulgo circunfertur sancti Marci, vbi post Angelicam Salutationem præmissam, additur. *In primis Sanctissimæ, Immaculatæ & Benedictæ Dominæ nostræ Deigenitrici, semperq; Virgini Mariæ*. Idem & in alia Lythurgia quæ cōmuniter dicitur Æthiopum in canone, vbi post quam dicitur: *Lætare Domina quia peperisti nobis lumen verum, Iesum Christum*. Subditur: *Lætare ò Immaculata, vere Regina, lætare gloria nostrorum parentum*. In Lythurgia etiam Græcorum, verbo *Deipara*, quam ipsi Theotothō appellant, etiam habetur: *Qui consequuti sumus gaudium in tuo conceptu, ò plane immaculata, te salutamus cum Angelo clamante, aue Emanuelis Mater*. Id ipsum reperire licebit in missa quæ etiam dicitur Diui Ioannis Chrysostomi, vbi semel, iterum atque iterum Virginem sacram, *Immaculatam*, appellat. Quod nomen apud veteres Ecclesiæ Patres solemnissimū atque fami-

Nota valde. Hoc quod dixit Galatinus de matre Messiæ.

Semper sacra Virgo ab Apostolis Sanctisq; Patribus antiquis plenis bucis immaculata ista prædicta.

lirisimū est, præsertim in diuinis officijs & Ecclesiasticis precibus. Ad quod quidem propositum haudquaquam prætermittere libuit, solemnem quandam antiphonam, quam nos Minores Fratres habemus à Sixto Quarto approbatam, in officio Noguerolis quod canitur in festo Conceptionis Beatæ Virginis, vbi sic habetur: *Tota pulchra es Maria & macula originalis non est in te. Tu gloria Hierusalem: tu latitia Israel tu honorificentia populi nostri: tu aduocata peccatorum*. Ex quibus omnibus superque satis colligitur, quam antiquissimum atque vetustissimum fuerit apud Patres antiquos olim, prædictam sacram Virginem, plenis vt dixi bucis (nec dum pulchram, & ab omni actuali peccato mortali, siue veniali liberā) verum etiam & immaculatam (id est omni carentem macula) vocare & nominare, ipsiusque immunitatem, & ab omni originalis peccati macula præseruationem, ex prædictis verbis colligere: nempe tota es amica mea, & macula non est in te. Quod & ex recentioribus etiam faciunt, omnes qui fauent piæ huic nostræ sententiæ, quod concepta sit absque omni prorsus originali peccato. Qua de re videre oportet Bellarminum, Suarez, Valentiam, & Vazquez locis supracitatis, vbi ad comprobandam eandem veritatem, loco prædicto vtuntur quam maxime, id quod & fecit etiam olim Alexander Alensis in libro illo suo aureo, quem morbo coactus de pura Virginis Conceptione scripsit, cum prius contrariæ sententiæ ad hæsisset, de quo infra dicemus. Et idem facit Dionysius Carruxianus de Virginis excellentijs, Gerson in vtroque sermone quem de Conceptione inscripsit: item & quidam alius dictus Pseudo Gerson serm. 2. de Conceptione: de quibus omnibus videatur Canisius de Maria Deipara lib. 4. cap. 6. Et certe crediderim omnes Sanctos Patres, tam antiquos quam modernos (vno excepto Diuo Thoma) qui prædictorum verborum explicationem sunt aggresi, & iuxta communem Ecclesiæ cōsensum, in sensu spirituali & mystico eadem tribuere sacræ Virgini, nec dum de pulchritudine & munditia ab actuali peccato, mortali siue veniali illa intellexisse & explicasse, verum etiam & ab originali: nam absolute in vniuersum de omnibus absque distinctione vlla sunt loquuti, vel originale peccatum expresse inclusum in eisdem esse voluerunt. Solus ergo Diuus Thomas in eo extitit singularis, vt crediderit quod si Virgo sacra actuale peccatum aliquod commisisset: mortale siue veniale: non esset digna Mater, in cuius vtero Filius Dei habitaret, nec de ea verba prædicta possent verificari. & in id ipsum non inconueniens esse reputauit, quod esset infecta originalis peccati labe. Dixi (vno excepto Diuo Thoma) nam quamvis id ipsum etiam Ricardo de Sancto-Victore ascribatur: id tamen ipse haudquaquam dixit, nec verba prædicta adeò vnquam perstrinxit siue coercuit, vt solummodo de peccato actuali essent intelligēda. Verba enim illius sunt quæ sequuntur post alia: *Tota ergo pulchra fuit Maria, quam totam gesse-*

Quod verba supradicta tota pulchra es amica mea, nō solū de actuali peccato, verum etiam & de originali sunt intelligenda.

possedit diuina gratia, & quia nullum in ea locum peccatum habuit. Et infra: *Tota ergo pulchra dicitur, quia fuit pulchra facie, & pulchra mente: & quia nemo tam Sanctus, qui maculam & defectum non habuerit præter ipsam.* Hæc Ricardus vbi supra. Et quamvis infra dicat ipsam fuisse mundatam, & sanctificatam in vtero, meo quidem videri id non ita accipiendum est, quasi crediderit aut senserit, eam ab aliqua fuisse labe purgatam; sed quod ab initio, sanctitate, munditia, & puritate fuerit insignita. Ad quod dicendum me mouet aliud ipsius testimonium lib. 2. de Emanuele cap. 28. vbi expressis verbis dicit: *illam ab omni culpa originali fuisse mundam.* Quod multum est notandum.

Alia prædictorum verborũ expositio satis notanda.

Sed vt expositioni loci supradicti vltimam imponamus manũ, haudquam silentio obuoluere volui, siue dissimulatione præterire, quod vbi nos secundum nostram æditionem vulgatam dicimus: *Tota pulchra es amica mea & macula non est in te.* Hæc vltima verba quæ Septuaginta Interpretes transferunt: *& reprehensio non est in te,* iuxta Græcam phrasim habentur alia quæ sonant: *Mommus non erit in te.* Quæ vt plenius intelligantur, præmittere seu potius in memoriam reuocare libuit, apud veteres celebrem illam olim fabulam de mommo: qui (vt dicitur) inter Deos alios in id adinuentus siue confictus fuit, vt aliorũ vitia carperet, cuius meminit Gregorius Nazianzenus, in Poemate de Virgine: *Vbi puellam quandam commonet domo vt hæreat, & senio confectos parentes subleuet, vt vel sic à mommo liberetur.* Quod fuit ac si expressius diceret. Domi si manseris, nec foras pedem extuleris: aberit à te omnis libor, nec erit mommus (id est rigidus aliquis cẽsor) qui crepidarum tuarum stridorem incusset. Ferunt enim mommum prædictum olim, in obiurgandis deorum vitijs tanta libertate vei solitũ fuisse, vt in veneris soleas & crepidas, etiam aliquãdo fuerit inuectus. Ex quo fluxit vetus illud prouerbium, non semel apud Clementem Alexandrinum vsitatum, lib. 7. Stromatum, longe ab initio: *Quidquid pulchrum est sequitur mommus.* Ad propositum ergo de Beata Virgine, quando de ea dicitur quod sponsi amica tota sit pulchra & macula in ea non sit, vel secundum Septuaginta, quod absque vlla reprehensione erit: secundum vero phrasim Græcam: quod mommus non erit in illa, sensus vtique est, quod quantumvis reperiatur aliquis rigidissimus vitiorum censor, qui mommi ad instar, vel dijs ipsis vitia imponere audeat, ac nemini sciat parcere: in ea tamen nihil omninò deprehendet: quod iure reprehẽdere possit: vel (vt ita dicã) vt de ea valeat mommeari, quod hispano sermone dicitur, *mofar, burlar, ò hazer escarnio,* quod perfectissime ad impletũ in sacra nostra Virgine reperitur. Sed dices, haudquaquam deesse illi etiam suos mommos, & qui eam originalis peccati vitio commaculare vellint. Sed nihil mirum, cum sit tota pulchra & immaculata, & mommi prædicti (vt dixi) quidquid pulchrum, atque immaculatum est semper insequantur. Sed nihil de eis

Explicatur fabula de antiquo Deorum mommo.

ea

est curandum, momni cum sint, parati in Deum ipsum maculam ponere. An non id ipsum facit, qui Dei ipsius Matrem originalis peccati macula curat conspergere? An non etiam ex mente Diui Thomæ, honor parentũ, siue vero ignominia, in prolem redundat? Aperte illud dicit sapiens, dum ait Prouerb. 17. *Gloria filiorum Patres eorum.* Videant ergo id qui faciũt, quam retributionem accipient. Quibus (meo quidem videri) quam maxime accommodari possunt, verba illa quæ in persona prædictæ Beatæ Virginis habentur Canticorum 1 vbi loquẽdo cum filiabus Hierusalem, sic inquit: *Nigra sum sed formosa filia Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Et infra: *Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decolorauit me Sol.* Quod fuit ac si expresśius diceret. Licet vos nigram & originalis peccati macula deturpatã me esse putetis: vestra vos fallit opinio, nõ enim ita est: quinverò pulchra sum & formosa, attamẽ mea pulchritudo est instar tabernaculorũ Cedar & pelluim Salomonis: quæ extrinsecus olim deformes esse videbantur, cum tamen intrinsecus miram in se absconditam haberẽt pulchritudinem. Nõ secus & ego, licet propter communem humani generis propagationem (cum per rationem seminalem fuerim genita) vestrum oculis originalem maculam contraxisse videar: non quidem id ita est: nam ex speciali Dei priuilegio, labes illa quæ omnes communiter inficere solet, me nec per temporis momentum tetigit: quinverò in conceptione mea, intrinsecus miris diuinæ gratiæ suin illustrata splendoribus. Vnde nolite (quæso) me considerare quod fusca sim, ac peccato originali obnoxia, sicuti cæteri homines: quia decolorauit me Sol (vtique iustitiæ) ex diuina cuius irradiatione ab omni prorsus peccato fui præseruata, & purpureo charitatis colore condecorata.

Tertius locus desumi potest, ex illis verbis quæ habentur Canticorum 6. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Quo quidem in loco, introducuntur filiæ Hierusalem sacræ nostræ Virginis pulchritudinẽ admirantes, & ipsius admiratione raptæ atque commotæ dicentes: *Quæ est ista quæ progreditur.* Quibus in verbis, primo occurrit notandum, Deiparam Virginem Auroræ surgenti (nec immerito) cõparari: ex quo etiam non incongrue eiusdem immunitatem, & ab omni prorsus originali peccati labe præseruationem licebit colligere. Sicut enim Aurora ex tenebris licet oriatur, ipsa tamen in se nunquam tenebrosa est, sed lucens incipit esse, & in luce crescit, quoad vsque fulgenti Soli coniungitur: sic & prædicta immaculata Virgo, in primo suæ Conceptionis instanti, diuinæ gratiæ splendore ac luce clarere cœpit, nunquam fuit tenebrosa, aut peccati originalis macula obscurata, sed semper fuit clara & lucida, & in ea claritate in dies creuit, quoadusque fulgentissimo iustitiæ Soli (Christo scilicet Domino) in cœ-

Tertius locus. Desumptus ex illo Cantic. 6. Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens.

Ratio ob quã Virgo sacra Auroræ sit cõparata.

in cœlesti gloria fuit coniuncta, miris gloriæ condecorata fulgoribus. Qua quidem ratione & de eadem congruentissime dicere possumus, quod Dauid Psalm. 45. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, sanctificauit tabernaculum suum altissimus: Deus in medio eius non commouebitur: adiuuabit eam Deus mane diluculo.* Quæ quidem verba (licet communiter & ad litteram intelligantur de nostra sancta Ecclesia) aptissime etiam in sensu spirituali & mystico, ab eadem Ecclesia accómodantur prædictæ sacræ Virgini: vt dicit Iacobus de Valentia super hunc Psalmũ, tanquam præcipuo eiusdem membro, ac ciui ciuitatis cœlestis Hierusalem, & in eis quatuor ipsius specialissima priuilegia designantur, ait ergo prædictus Regius Psaltes. Primo quod fluminis impetus lætificat (pro lætificauit) ciuitatem Dei. Quod nihil est omninò aliud, quam dicere, Deum altissimum copiosissimo atque abundantissimo suarum gratiarum, & donorum Spiritus Sancti impetuoso flumine, irrigasse, ornasse, atque lætificasse sacratissimam Virginis animam: cui aptissime & proprissime per anthonomasiam (vt dicitur) tribuitur & appropriatur, quod de ea specialiter dicatur, quod sit ciuitas ipsa Dei: *In qua* (vt inquit Diuus Augustinus sermone primo de Natiuitate eiusdem) *Deus ipse per amplius atque perfectius habitauit, quam in alia pura creatura, tam in ipsius anima quam in corpore: non solum in carne, verum etiã (& perfectiori modo) in mente.* Subdit secũdo Propheta Regius, & dicit. *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.* Quod etiam nihil est omnino aliud, quam dicere Deum Altissimum Optimum Maximum (nec dum irrigasse, ornasse atque lætificasse sacratissimę Virginis animam, supradicto copiosissimo atque abundantissimo suarum gratiarum, & donorum Spiritus Sancti impetuoso flumine, vt in ea habitaret per gratiam) verum etiam & sanctificasse totum eiusdem corpus, simul & animam, vt in ea habitaret per carnem, seu potius vt ex ipsa carnem assumeret. Dicitur autem Virgo Deipara congruentissime Dei tabernaculum (quod ipsius epitectũ frequentissime in Scripturis sacris reperitur) & vt dicit Diuus Augustinus lib. contra quinque Hæreses: *Prædicta sanctificationis nomine, haudquaquam qualiscunque Sanctificatio est intelligenda: sed singularis & specialis quædam: soli prædicta sacra Virgini concessa: quam habere decebat, expediebat & conueniebat, eam quæ ad hoc parabatur, vt dignum & congruum esset Filij Dei habitaculum, siue tabernaculum.* Super quo vel solo verbo (etiam si nullum aliud in Scriptura sacra reperiretur) congruentissime atque sufficientissime fundari posset Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis, & suæ ab omni prorsus originalis peccati labe præseruationis mysterium. Etenim si res plene intelligatur, ac penitus consideretur, haudquaquam capit intellectus qualiter Filij Dei congrua & digna Mater dici posset, quæ in primo suæ Conceptionis instanti illi fuit inuisa atque odio habita: Dei inimica, ac diabolo subiecta. Dicendum est igitur, quod in prædictum hunc

Virgo sacra altissimi tabernaculũ nũcupatur in Scriptura sancta.

finem

finem Deus altissimus eiusmodi suum habitaculum siue tabernaculum, non tam quidem post contractum originale peccatum sanctificauit, quam ab eodem illam præseruauit, vt cōgrua & digna esse posset filij sui Mater. Quod non incongrue etiam colligi potest, ex eo quod statim sequitur, & tertio loco subiungit prædictus Regius Psaltes, nempe: *Quod Deus in medio eius non commouebitur*. Quod est dicere: quod quando Altissimus Deus prædictum tabernaculum suum (sanctissimam suam Matrem intelligo) in finem prædictum sanctificauit: in eadem in primo suæ Conceptionis instanti per gratiam habitauit: & in illa ipsam confirmauit: & ab ea nullo vnquam tempore fuit commotus: nec ipsa recessit ab illo. Vt enim inquit Diuus Augustinus: *Virginis prædicta conceptus & partus ita illi tribuit prolis fœcunditatem, quod non abstulit Virginitatem: & sua anima Sanctissima fuit illa fortissima ciuitas, quæ nunquam fuit commota, nec vero commoueri potuit, nec per viam aliquam expugnari, aut vinci vllis fraudibus diaboli.* Vtque plenius perspici ac videri possit, qualiter prædicta sacra Virgo à peccato originali prædicto (non tam sanctificata, quam præseruata dicenda sit) concludendo quarto in loco, dicit Propheta Regius, id pro eo esse: *quia adiuuabit eam Deus mane diluculo.* Quasi dicat, primo mane: in primo sui esse: in primo suæ Conceptionis instanti: in instanti suæ creationis: & infusionis sanctissimæ suæ animæ sacratissimo suo corpori. Ita quod sanctissima sua anima simul fuit creata & sanctificata: & sanctissimo suo corpori infusa, & corpus ipsum simul cum anima sanctificatum. Cui dicendi modo fauet & alia littera Diui Hieronymi: nam vbi nos legimus: *Adiuuabit eam Deus mane diluculo*, ipse transfert, *id est in ortu matutino*. Quasi expresius diceret, sanctificationem prædictam factam quidem fuisse, non post contractum originale peccatum, sed in ortu matutino: in Aurora sacræ Virginis, & primo instanti sui esse, siue creationis: nam sicut Aurora lucens incepit esse: qua quidem ratione & ipsa totius Ecclesiæ Aurora atque diluculum merito nuncupatur. Pro cuius pleniori intelligentia adijcere libuit (id quod aliquali est consideratione dignum) nempe Deum Optimum Maximum totius iustitiæ Solem, atque fontanam lucem, à quo & eandem participāt sancti omnes, qui sunt fuerunt & erunt in mundo: non vno & eodem tempore semper omnibus suis illucescere: nam quibusdam lucē suam communicat mane (at non ita diluculo) vt Hieremiæ, & Beato Ioanni Baptistæ, quos in suarum matrum vtero, post conceptionem aliquantulum sanctificauit. Alijs vero hora tertia, vt sanctis Apostolis, de quibus dicit Apostolus Paulus ad Romanos 8. *Quod spiritus primitias acceperunt.* Alijs vero hora sexta, siue in meridie: vt Martyribus, qui in feruore suarum persecutionum fideles inuenti sunt. Nonnullis hora nona, vt sancto Matthæo, & Beatæ Mariæ Magdalenæ, alijsq; similibus peccatoribus siue peccatricibus: ac tandem alijs ad occasum solis siue tardius: vt

Qualiter sit intelligēdum, quod Deus altissimus B. Virginem adiuuauerit mane diluculo?

bono Latroni & similibus. Sic se habet seu habere solet diuina gratia, & Deus Altissimus (à quo profluit) in subleuanda hominum miseria, & sanctificandis illis. Sed quid dicit Scriptura de sacra nostra Virgine? Quo nam tempore Dei Optimi nostri Maximi superna lux eidem cœpit illucescere? Non solū mane, sed mane diluculo: in ortu matutino, in primo sui esse: seu cōceptionis suæ instanti. Nec dū sicut Hieremias, & Baptista fuit in vtero sanctificata: verum etiam in primo suæ conceptionis instanti, ab omni prorsus originali peccato præseruata: qua ratione & Auroræ abinitio & suo exordio semper lucenti, merito comparatur. Cuius rei nouitatem filia Hierusalem, seu potius Angeli admirantes, stupefacti & rapti, meritissime dicunt: *Quæ est ista quæ progreditur, quasi Aurora surgens? &c.* Neque id solum contenti dixisse addunt, *pulchra vt Luna.* Sub quo symbolo & metaphora, non minus B. Virginis puritas, & à peccato originali immunitas præsignatur. Nam sicuti Luna in primo suæ creationis instanti, fulgentissimis Solis radijs incipit irradiari, tenebras nescit: ita & prædicta sacratissima Virgo, in primo suæ conceptionis instanti, tenebras atque caliginem omninò ignorauit, & totius originalis peccati expers, solis iustitiæ diuino illustrata lumine, innocentiæ & sanctitatis clarissimis fulgoribus corruscare cœpit. Cum in tabula aliqua pulchra quædam imago depingitur purissimis tincta coloribus, si forte ipsa ab arbore, bonæ lunæ tempore (vt dicitur) non fuit præcissa, vt experientia ipsa cōstat, plurimas patitur scissuras (id quod *abrirse, hazer quiebra ò vicio*, hispanè nuncupatur) quod quidem haudquaquam contingit, si è contra bonæ lunæ tempore præciditur: tunc enim semper manet firma, solida, & absque omni prorsus læsione & scisura. Quod etiam de Virgine sacra & nos iure optimo dicere possumus: fuisse scilicet eam perfectissimam quandam imaginem, cœlestibus atq; diuinis coloribus à Deo supremò pictore depictam: cumque bonæ lunæ tempore fuerit præcisa (quia in primo purissimæ suæ Conceptionis instanti nullius prorsus originalis peccati tempore aduerso fuit polluta) hinc factum fuit, vt nullam vnquam nec leuis peccati venialis prorsus passa fuerit scissuram, sed semper mansit illæsa, & in gratia Dei firma: quod quidem minime fuisset, si infœlici sua sorte peccatum prædictum originale cōtraxisset. Vt enim inquit Diuus Augustinus lib. 5. contra Iulianum: *Quicunque in conceptione sua peccatum originale contraxerunt, tractu temporis & maiores ætatis effecti: actuale aliquod commiserunt, saltem veniale.* Quod adeò certum sibi persuasit D. Augustinus, vt Iuliano prædicto concesserit, quod si Christus Dominus dum in sacræ Virginis vtero fuit conceptus, peccatum originale contraxisset: maior effectus aliquod etiam actuale commisisset. Qua quidem ratione, à negatione consequentis, inferendo oppositum antecedentis, eiusmodi collectionem facit, ac dicit eam bonam esse: fundatam super illa verba Isaiæ 53. *Qui*

Ratio ob quā B. Virgo Luna comparatur.

Nota ex sententia D. August. quodqui cunque in vtero cōceptus peccatum contraxit originale, maior effectus aliquod com-

peccatum non fecit neque inuentus est dolus in ore eius. Argumentum formatur in hunc modum. Christus Dominus in omni vita sua peccatum actuale nullum commisit, ergo neque in sua conceptione originale contraxit. Simile ergo argumento, & nos vti possumus ad probandũ Virginem sacram (licet ex diuerso iure, & non ex naturæ debito, sed ex speciali priuilegio) prædictum non contraxisse peccatum originale: & præcisam eam fuisse tempore bonæ Lunæ, postquam in omni vita sua (vt tenendum est de fide, & tradit illud Concilium Tridentinum Sessione 6. can. 23.) omninò nullum peccatum actuale commisit. Si id igitur ita est, & filiæ Hierusalem seu potius Angeli (nec immerito) quinvero meritissime, ipsius nimiam pulchritudinem admirantur, ac Lunæ pulchritudini comparant, dicentes: *Quæ est ista quæ progreditur pulchra vt Luna*: quid est quod ipsius aduersarij contra eam oblatrare non cesant, dicentes in Conceptione sancta sua illam labe originalis peccati pollutam fuisse? Fabula quibusdam ea esse videtur, sed quæ non nihil probabilitatis habet: quam in suis emblematibus tradit Alciat. lib. 2 Emblem. 81. de canibus qui noctis tempore, quanto Luna clariorem atque lucidiorem magis mundo se ostendit, tanto ipsi altiori voce & maiori rumore, contra illam oculorum aciẽ intendentes, oblatrare non cesant. Cuius quidem rei rationem reddẽs Alciatus prædictus, inquit eam esse, quia canis dum videt Lunam ita claram & lucidam, in ea quasi in splendenti quoddam speculo propriam suam faciem imaginem, atque figuram videt, imaginaturque alium canem ibi adesse similem sibi: qua ratione oblatrat, vt contingit frequenter quando canes alios vident. Ipsa vero Luna intrepida, prædictorum canum omnino nihil oblatratione præpedita, vlterius progreditur, velocem suum motum semper peragens. Haud dissimiliter quidem dicere possumus & nos, de his qui aduersus sacræ Virginis pulchritudinem, nimiamque ipsius claritatem Lunæ comparatam, & Conceptionem ipsius Immaculatam, oblatrare non cesant, originale peccatum obijcere cupientes ei, quam suus cœlestis ac diuinus sponsus pulchram vt Lunam appellat. Quænam quæso eius rei ratio & causa est? Ea proculdubio, quia videntes illam similem esse sibi in natura, naturali modo & per rationem seminalem conceptam & propagatam: non altius intellectum eleuantes: non aliter quam in se ipsis, in ea imaginantur conspicere rabidum originalis peccati canem: at non ita se res habet: nam quod ibi vident, non tam ipsa est, quam ipsi sunt, qui peccatum contrahunt originale: non vero ipsa, quæ ex speciali priuilegio ab eo mirifice præseruata fuit. Sicque prædicta sacra Virgo pulchra & lucida vt Luna, nihili pendens falsam ipsorum calumniam, neque eorum oblatratione præpedita, læta atque intrepida, vlterius semper progreditur, velocissimumque suum motum peragit, in fidelium animis in dies supradictæ veritatis maiores radices mit-

misit actuale: Ex quo à contrario sensu elicitur immunitas Virginis à peccato originali.

Nota hoc valde, circa canes contra splendentem Lunam oblatrantes.

tendo. Quod certe est multum notandum, ac memoriæ commendandum.

Alia ratio ob quam sacra Virgo Lunæ comparatur.

Sed progrediamur vlterius, & videamus nouam quandam aliam rationem, ob quam prædicta sacra Virgo prædictis in verbis Lunæ comparetur? Quæ haud minimū quidem ministrabit lumen, ad inspiciendum & plenius intelligendum mysterium hoc Immaculatæ suæ Conceptionis. Et ratio est: nam (vt ferunt omnes communiter Astrologi dissentiente nemine) Luna omnium est astrorum velocissima, & in suo cursu celerrima: quæ breuiori tempore quam reliqua omnia illum peragit. Etenim Mercurius 355. diebus cursum suum perficit, ac totidem Venus, Sol vero 365. & reliqui Planetæ quanto altiores sunt, plus temporis in suo cursu consumunt. At Luna prædicta, inter astra omnia ita est velox, vt in 28. diebus plus minusve, totū suum cursum, atque spacium percurrat. Comparatur ergo meritissime in suo spirituali progressu, sacratissima Virgo Lunæ velocitati atque celeritati, in qua reliquos omnes sanctos adeò excesit & superauit, vt cū eorum quidam in matrum suarum vtero fuerint sanctificati (vt Hieremias, & B. Ioannes Baptista) alij vero Paulo post natiuitatem (vt Innocentes Martyres, & infantes Baptizati) ipsa tamen diuina præueniente gratia & speciali priuilegio, adeò celeriter cursum suum perfecit, vt in primo suæ Conceptionis instanti fuerit iustificata, mirisque ardentibus diuini amoris flammis cœperit clarescere. Sed quid mirum? Vt quid non sacratissimus ipsius Filius, Matris sanctificationem non accelerasset, festinassetque illam eripere à diaboli manibus, ab originali peccato præseruando: vt non in eam aliquod ius ipse prætéderet: cui pro sua celeritate nimia, dicente Isaia cap. 8. appositum fuit illud nomen, *accelera, festina prædare*? Si necdum natus, sed cum primū conceptus, Redemptionis opus adeò festinanter exercuit, vt supradictum Ioannem Baptistam, adhuc in suæ mentis existentem vtero sanctificauerit: quid mirū si sanctissimæ suę matri præseruatiuo remedio sucurrerit, opitulatusve fuerit, in imminentissimo existente periculo, incidendi per originale peccatum in manus diaboli, & duram atque tyrannicam eiusdem seruitutem? Nec in præsenti proposito dicere sufficit, satis illum festinasse, suæque sanctissimæ Matri succurrisse, illam sanctificando statim post contractum originale peccatum: nam non consonum rationi esse videbatur, non illam à principio præseruasse, facere cum id ipsum potuisset ita facile: & certe infamiæ nota quæ ex parentum peccatis in filios resultat, haud quaquam tollitur minuiturve, ex eo quod paruo tempore durauerit. Vt igitur nullo vnquam tempore dici posset Virginem sacram ancillam fuisse diaboli, & sub ipsius potestate iacuisse (quod in quam maximam redundaret infamiam, tam matris quam filij) melius multo est vt dicamus, ipsam à primo suæ Conceptionis instāti, ab originali peccato prædicto prę-

seruatam fuisse, & neque per minimum quidem tẽporis instans, eiusdem labe maculatam fuisse. Sed procedamus vlterius, & reddamus causam ob quam soli etiam fuerit comparata.

Non etiam contentæ prædictæ Hierusalem filiæ (seu potius contenti Angeli) Virginem sacram Auroræ & Lunæ pulchritudini comparasse, eandem in electione Soli omnium Planetarum lucidissimo, etiam comparare voluerunt, dicentes: *electa vt Sol*: quod non modico quidem vacat mysterio, cum vt dicit Diuus Isidorus lib. Æthymologiarum, Sol eiusmodi sortiatur nomen ex eo quod solus atque vnicus est. Sed (vt inquit Aristoteles) similitudo non identitatem dicit, sed comparationem, & habitudinem quandam. Sicque qua ratione in claritate Auroræ, in pulchritudine vero Lunæ comparata fuit: in electione etiam Soli merito potuit assimilari. Vt tamen nemo deciperetur, suspicarive vllo modo posset puram illam creaturam non fuisse: primo Auroræ (quæ minus lucida est) compararunt illam: deinde Lunæ quæ est lucidior & pulchrior: ac tandem Soli qui prædicta omnia claritate longe superat: vt per eiusmodi lucis incrementa aperte signaretur (non quidem aliquid increatum) sed vere eam fuisse creaturam, & mutabilitati subiectam. Nam certe tanta fuit prædictæ Beatæ Virginis sanctitatis excellentia, tanta ipsius dignitas & maiestas: vt si Soli dumtaxat (cuius lux suprema est & qui nullum habet augmentum siue decrementum compararetur) forsan eam Deam esse crederetur: cuius est proprium immutabilem esse, iuxta illud Malachiæ 3. *Ego Deus & non mutor*. Oportuit ergo, vt Spiritus Sanctus (qui in Scripturis sacris loquitur) prædicto dicendi artificio vteretur, vt ne hac in re mũdus totus deciperetur, putans sacram Virginem esse Deam siue Deũ: vt se facile deceptum iri fasus est olim Diuus Dionysius Areopagita, dum dixit eadem visa id ipsum se dicturum, nisi fides Catholica ei obstitisset. Congruentissime autẽ sacratissima Virgo Soli iustitiæ cõparata est: nam licet non id per essentiam habeat, per participationem tamen, atque ex diuina gratia & ex singulari priuilegio, in multis similitudinem habet cum eo. Qua quidem ratione (nec immerito) de illa dicitur Psalm. 88. *Et thronus eius sicut Sol in conspectu meo*. Vbi ad litteram fit sermo de prædicta sacratissima Virgine, & de ea dicitur quod sit Christi Domini thronus, ex quo vt etiam habetur Psal. 18. *Exijt tanquam sponsus procedens de talamo suo*. Dicitur autẽ quod sit eiusmodi thronus sicut Sol, quia sicut ipse nunquam repertus fuit sine luce: nullas vnquã siue vllo tempore secum admisit tenebras: ita & prędicta sanctissima Virgo, diuinæ gratiæ luce à primo suæ Conceptionis instanti, semper sicut Sol refulsit: ac omnino nullas originalis peccati tenebras admisit.

Virgo sacra etiam Soli in electione comparatur.

Comparatur præterea eadem sacra Virgo congruentissime Soli, in eo quod Sol medius est inter Planetas: ita vt tres supra se habeat, & toti-

Alia ratio ob quam Virgo sacra Soli cõparetur.

totidem alios infra: quod quam maxime sacræ Virgini congruit: nã in puritate & excellentia, ea mediũ quendam tenet locum inter Deũ & Angelos: & si de Deo respectu habito ad diuinas personas loquamur, eas solummodo supra se habet: quæ sunt præcipue per essentiam Planetæ, ex quibus tota spiritualis influentia in hunc mundum deriuatur. Infra se vero habet sacra Virgo, tres alios Planetas, seu potius triplicem Angelicam Hierarchiam: Angelos omnes in se comprehendentem. Si id igitur ita est, manifeste profecto sequitur, quod sacra Virgo prædicta, quamvis creatura revera sit, & quantum ad naturam Angelis etiam ipsis inferior, ex diuina tamen gratia, in puritate & excellentia, inter Deum & Angelos prædictos medium locum tenet: & quamvis eximiam Dei puritatem non adæquet, Angelicam tamen excedit. Ex quo etiam non incongrue possumus colligere, quod caruit omni prorsus peccati labe, nec dum actualis, verum etiam & originalis, cum & Angeli eiusmodi macula, & imperfectione caruerint: alias puriores fuissent aliquam ipsa, quod certe illi nunquam concedent: quinvero eandem, vt propriam Reginam agnoscũt, illique in omnibus diuinæ gratiæ charismatibus primatum semper deferunt.

Quare Virgo sacra terribilis dicatur vt Castrorum ordinata?

Sed fine huic nostro discursui faciendo, videamus cur filiæ Hierusalem supradictæ, seu potius Angeli, sacram Virginem esse dixerint: *Terribilem vt castrorum aciem ordinatam?* Valde enim hæc inter se dissimilia esse videntur, in nullo conuenientia, atque proinde minime coniungenda. Quid enim Castrorum acies ordinata, commune habet cum Aurora: cum Astro Lunari aut Solari, cum hæc commorentur in cœlo, illa vero in terra? Hæc sint inanimata & infatigabilia: illa vero animata: vincibilis, expugnabilis & fatigabilis? Sed eo nihilominus non obstante (mihi vt videtur) epithera prædicta haud multum inter se dessident: vt enim in die nihil pulchrius reperitur, quam Aurora & Sol: in nocte vero quam Luna: sic neque in bello pulchrius aliquid reperitur, quam Castrorum acies bene disposita & ordinata. Quod satis confirmat id quod Balaam Numer. 24. dixisse fertur cum Israel castra vidit: *Quam pulchra* (inquit) *tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel?* Ad ostendendam igitur sacræ Virginis pulchritudinem, Angeli non contenti illam Auroræ splendenti, Lunæ lucenti, Solique refulgenti comparasse, assimilare ipsam vlterius voluerunt aciei Castrorum ordinatæ: nec solum in pulchritudine, verum etiam in fortitudine & terribilitate: contra quam nec in Conceptione sua diabolus, aut in vita sua tenebrarum Principes præualere vnquam potuerunt: quinvero immunis semper fuit ab omni peccato, tam originali quam actuali. Quod & vlterius insinuatur, dum assimilatur non cum quacunque Castrorum acie, sed cum acie bene ordinata. Cuius quidem bona ordinatio in eo consistit, vt initium & finis exercitus (quod vulgari sermone dicitur: *La auanguardia, y retroguardia*) ita sit omnino clausa, vt

hos

hostis illuc minime posit introire, militesve irrumpere, alioquin omnis confunderetur ordo, & vincerentur ipsi. Quæ supradicta omnia quam maxime fuere adimpleta in nostra sacra Virgine, in qua *la Anaguardia* (quam dicere possumus fuisse suam Conceptionem sanctissimam, & initium suæ vitæ) *con la Retroguardia* (quæ eiusdem fuit finis) ita fuere semper coniuncta, bene rectéque ordinata atque disposita, vt nullus vnquam diabolo patuerit aditus: vt siue per originalem culpam, siue vero per actualem, in ipsius sanctissimam animam vllo vnquam tempore, nec per minimum quidem instans potuerit introire. Quod qui plene considerauerit atque perspexerit, melius multo quā Balaam olim, de Israelitico populo poterit dicere, illa notabillissima verba quæ habentur Numerorum 23. *Non est Idolum in Iacob nec simulachrum in Israel, Dominus Deus eius cum eo est: & clangor victoriæ Regis in illo.* Quod vt intelligatur plenius, historiam prædictam referre libet. Expostulauit ab eo Rex Balac vt malediceret exercitui populi Dei, credens id si faceret, facile ab eo fore deuincendum. At è contra Balaam Propheta à Deo compulsus maledictionis loco benedixit ei, dicens: Non est Idolum in Iacob, nec simulachrum in Israel. Ac si expressius dixisset. Nullam in eo prorsus maledictionis causam se reperisse. Quod ipsum proculdubio dicere compellentur, qui mysterium hoc præseruationis Beatæ Virginis, plene & attente considerauerint, atque perspexerint. Tot enim illis apparebunt rationes fortissimæ, vt ipsis conuicti dicere cogantur, reuera non est originalis peccati idolum in Virgine sacra, aut vllo vnquam tempore (nec per minimū quidem instans) repertum in ea fuit dæmonis simulacrum, vt nos falso existimabamus: Dominus enim Deus eius cum ea est fuitq; semper à primo suæ Conceptionis instāti, & clāgor victoriæ Regis in illa. Nā & ex hoc, honos magnus resultat Christo eiusdē sacratissimo Filio, & illustris atq; insignis victoria, quod animā sanctissimæ suæ Matris (eā ab originali peccato præseruando) veluti è dæmonis faucibus eripuerit, atque redemerit, in meritis sanctissimæ suæ Passionis præuisis.

Quartus locus ad id ipsum monstrandum & ostendendum, desumi potest ex illo quod habetur Canticorum primo, vbi Sponsus cœlestem suam Sponsam equitatui suo comparat, per sequentia verba: *Equitatui meo in curribus Pharaonis, assimilaui te amica mea.* A quo loco & sequentibus omnibus celeriter me expediam, ne dum Expositoris officium ago, Scholastici (quod magis est mei muneris atque propositi) obliuiscar: & plus nimio meus hic protrahatur discursus. Comparat ergo Sponsus sacram Virginem equitatui suo, cum aduersus eum pergebant olim Pharaonis currus. Quæ quidem Metaphora & similitudo (meo quidem videri) aptissima est ad explicandam immunitatem Virginis, ipsiusque præseruationem ab omni prorsus macula originalis peccati. Sicut enim olim in transitu maris Rubri, vt refertur

Quartus locus Desūptus ex illo Cantic. 1. equitatui meo in curribus Pharaonis, assimilaui te amica mea.

Exodi 14. Ægyptij omnes & Pharaonis currus, aquis vndique illos obruentibus submersi sunt, & Dei equitatus seu potius equestris exercitus, sicco pertransijt pede, Dei iussu aquis ipsis se diuidentibus in duos veluti christalinos muros, quò Israelitico populo liberū ab omni submersione transitum præberent. Sic nec dissimiliter, cum commune sit omnibus Adæ filijs ab eodem naturali propagatione per rationem seminalem descendentibus, in transitu de non esse ad esse, & primo suæ Conceptionis instanti originalis peccati aquis submergi: Beatissima prædicta sacra Virgo (instar Dei equitatus) hoc speciali & singulari priuilegio donata fuit, vt non solum in eo transitu non submergeretur, verum neque aquæ illæ eam vllo modo auderent contingere. Qua quidem ratione merito, cum Regio Psalte dicere potuit, illud quod habetur Psalm. 140. *Cadent in retiaculo eius peccatores, singulariter sum ego donec transeam.*

Quintus locus. Desumptus ex illo quod habetur Cantic. 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.

Quintus etiam locus desumi potest, ex eo quod habetur in eisdē Canticis cap. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Quem locum ad hoc propositum, & pro prædicta sententia confirmanda adducit Suarez secundo tomo ad tertiam partem, disp. 3. sect. 5. §. posiumus ergo primo argumentari. & Valentia quarta parte disp. 2. quæst. 1. puncto 2. littera B Bellarminus lib. 4. de amissione gratiæ & statu peccati cap. 15. littera A. multique alij Doctores. Prædixerat Sponsus (nempe Christus Dominus) *Ego flos campi, & lilium conuallium*: ad præsignandum se fuisse conceptum absque vllo prorsus virili semine, solummodo ex cœlesti rore, ac virtute Spiritus Sancti: iuxta illud quod habetur Lucæ 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Et de Sponsa sacra (scilicet Virgine Matre sua) statim subdit: sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Quo loco spinarum nomine peccatum intelligitur, vt dicit Diuus Bernardinus, serm. 84. & fuit ac si expressius diceret. Sicut lilium ortum ex eadem terra inter spinas, sine vlla prorsus spina nascitur, neque ab eisdem pungitur: ita & mater mea, & si ex eadem Adami massa, & à progenitoribus originalis peccati spinis confixis oriatur: ipsa tamen in Conceptione sua, velut cœleste quoddam lilium prodijt, absque vlla prorsus originalis peccati spina, & absque eo quod ab illo vllo modo sit infecta. Quam explicationem tradunt quamplurimi grauissimi Doct. sed præsertim Adamus de Sancto-Victore, qui cum prædicta sacra Virgine loquendo, sequentia verba dixit.

Salue verbi sacra parens,
Flos de spina, spina carens,
Flos, spineti gloria,
Nos spinetum, nos peccati,
Spina sumus cruentati,
Sed tu spina nescia.

Idem

Idem dixit Sedulius Presbyter lib. 2. suorum carminum, vbi per similia verba Virginem sacram à peccato originali liberam fuisse declarat.

Et velut in spinis, mollis rosa surgit acutis,
Nihil quod ladat habens, matremq; obscuret honore,
Sic Eua de stirpe sacra veniente Maria,
Virginis antiqua facinus noua Virgo piaret.

Quando igitur Sponsus dixit: *Ego flos campi & lilium conuallium*, & statim nullo mediante subdit: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*. Seu (vt tradunt Septuaginta Interpretes) *sicut lilium in medio spinarum, sic proxima mea in medio filiarum*: idem prorsus fuit ac si dixisset. Sponsa mea adeò mihi similis est, propinqua & proxima mea æstimari debet, vt quod ego per naturam meam sum (scilicet flos campi & lilium pulcherrimum conuallium, absque vllo squaloris vestigio) id ipsum & ea quoque sit per gratiam: orta licet sit inter spinas: nempe venustissimum ac nitidissimũ quoddã lilium, absque vllo etiã vestigio peccati. Vbi nec immerito peccatum spinis comparatur: eis enim fuit fructus quem terra protulit, postquam à Deo maledicta fuit, post Adami primi nostri parentis peccatum: iuxta illud quod habetur Genesis 3. *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi.*

Sextus locus desumi potest, ex eo etiã quod habetur Canticor. 6. *Vnica est columba mea, vna est perfecta mea, vna est matri genitrici suæ electa: viderunt eam filiæ, & Beatissimam prædicauerunt: Regina & concubinæ laudauerunt eam.* Quibus in verbis, primo occurrit notandum, sacram Virginẽ (& quidem meritissime) columbæ comparari. Vt enim inquit Diuus Augustinus: *Columba felle caret: fel autem pœnitentiam designat.* Quod etiã dicit Diuus Gregorius explicando illa verba Hieremiæ Threnor. 3. *Circundedit me felle & labore.* Et certe fellis ipsius natura, id ipsum facile suadet, cum non solum amarum & acerbum quid sit (atque adeò ad pœnitentię amaritudinem significandam idoneum) verum etiam iuxta vulgatum medicorum placitum, propterea fel à natura animalibus quammaxime inditum fuit, vt mordacitate sua, viuacitate atque austeritate, ad sordes expellendas facultatem expultricem excitet. Quod idem officium prorsus in anima pœnitentiæ virtus facit: ipsa enim hominem excitat atque commouet ad sua deploranda peccata, & peccatorum sordes ex eadem anima pellendas. Quando igitur Sponsus sacram Virginem columbæ comparat, siue columbam appellat, dicẽdo, vna es columba mea, vna es perfecta mea (seu vt alia littera dicit, immaculata mea) omni proculdubio insinuare voluit, in eo vel maxime Virginem sacram esse vnicam & singularissimam, vt instar colũbæ omninò felle caruerit, & propter innocentiam suam quammaximam, omnis culpæ & peccati, siue actualis, siue originalis expertem:

Sextus locus desumptus ex eo quod etiã habetur cant. 6. vnica est columba mea, &c.

Virgo sacra, columba comparatur in eo quod felle caret, & ipsa ob peccati defectum non vllã habuit necessitatem agendi pœnitentiã.

virtute pœnitentiæ opus minime sibi fuisse. Et quãvis (iuxta aliquos ad virtutis incrementum illam habuerit, haudquaquam tamen propter materiæ,seu peccati, tam actualis quam originalis defectum, necessariam præcise in ea fuisse minime. Quod etiam ingenue satis insinuauit D. Bernardus sermone secundo de Assumptione, rationem reddens ob quam in domo B.Marthæ vbi Hospitatus fuit olim Christus Dominus,solius eiusdẽ Marthæ & Mariæ mentio fiat: nulla vero prorsus Lazari. *Forte* (inquit Diuus Bernardus) *curiosius quispiam requiret,cur in præsenti lectione Euangelica,nulla prorsus Lazari mentio fiat?* Et subdit. *Arbitror sane,ne id quidem à proposita similitudine desidero. Virginalẽ etenim domum intelligi volens spiritus, non incongrue pœnitentiam siluit, quæ malum vtiq; committatur. Absit enim vt proprij inquinamenti quidquam, domus hæc aliquando habuisse dicatur, vt in ea proinde scopa Lazari quæratur.* Et infra: *Proprium Maria delictum non habuit, nihilominus ab innocentissimo corde; etiam pœnitentia longe fuit. Sit ergo Lazarus apud eos quorum necesse est ab operibus mortuis conscientias emundari. Secedat inter vulneratos dormientes in sepulchris: at in thalamo virginali Martha & Maria tantummodo inueniantur.* Ex quibus verbis superque satis colligitur, prædictam Deiparam Virginem, nullius peccati actualis fuisse ream, quia (vt inquit Diuus Bernardus) indecorum videbatur Dei Matrem pœnitentia indigere. At dicet quispiam prædicto in loco sermonem tantummodo fieri de peccato actuali: non verò de originali. Sit ita. Sed tamen ex eo volo ego etiam colligere, de originali id ipsum fore dicendum. Etenim si propterea Virginem sacram ab actuali (etiam veniali peccato) mundam esse oportuit, & vt ne in ea reperiretur pœnitentia, seu aliquid quod ipsam requireret (quam Diuus Bernardus vocat scopam Lazari) ergo & propter eandem rationem, decuit ipsam etiam ab omni peccato originali liberam atque immunem fuisse: cum & originale peccatum vera & propria esse posit pœnitentiæ atque contritionis materia, vt tenet Suarez 3. parte tomo 4. de pœnitentia, & Vazquez prima secundæ disput. 184. eius rei rationem reddentes: nam cum pœnitentia sit detestatio cuiuslibet propriæ culpæ, & peccatum originale (vt Concilium Tridentinum Sesione 5. cap. 3. tradit, in singulis sit proprium & peculiare) omninò nihil etiam illi deesse videtur, vt per pœnitentiam & contritionem à nobis posit detestari: & id quod voluntariũ fuit propria voluntate primi nostri parentis, refellere atque retractare. Si igitur satis fuit ex sententia Diui Bernardi ad hoc vt peccata (etiam venialia) à Virgine sacra arcerentur, vt ne in ipsa aliquid reperiretur quod Lazari scopa (id est pœnitentiæ virtute deberet mundari) eadem profectò (vt videtur) ratio currit, vt dicamus eam omnino fuisse immunem & liberam â peccato originali, postquam (vt præmissum est) hoc etiam peccatum Lazari scopam siue pœnitentiam admittit. Fauet & huic nostræ resolutioni ratio ipsa quam prædictus Diuus.

D. Bernardus pœnitẽtiã scopa comparat, pro eóquod sit ordinata ad verrendas peccatorum sordes.

Diuus Bernardus adducit, quando dicit quod spiritus in prædicto loco, non incongrue pœnitentiam siluit quæ malum vtiq; committitur. Si igitur quia mali comes est pœnitentia, eandem indecorā fuisse Virgini dicit Bernardus: quis non videat indecoram magis ac magis turpem esse illi pœnitentiam & detestationem originalis culpæ, quā venialis: si quidem illa maior est, & deterioris mali socia ac comes exi stit: nam pœnitentia de veniali aliquo peccato suscepta (vt de se patet) leui malo sociatur: ea vero quæ est de originali, non leue sed graue, atque lætale malum committatur. Dicendum est igitur, prædictam sacratissimam Virginem congruentissime & conuenientissime columbæ assimilari, & in eo esse vnicam & singularem, quia omninô felle caruit, & necessitate pœnitētiā agendi de peccato aliquo, nec actuali nec vero originali. Ad quod propositū facit etiā quam maxime, quod super prædicta Canticorū verba, dixit Rupertus. *Vna* (inquit) *est colūba mea, vna est perfecta mea (siue immaculata mea) quia neque inter Angelos, neq; inter homines, similē vel primam habet, vel sequentē est habitura. Vere columba, quia gratia plena: vere perfecta & electa, quia non solum vt salua existeret, verum etiam vt ex ipsa alijs salutem pareret.* In eo vero quod additur: vna est matri genetrici suæ electa, aperte etiam insinuatur sacram prædictā Virginem cœlesti suo Sponso vnicam esse atque singularem, & ab eo eximio amore dilectam. Cum enim ex eisdem Canticis, sed maxime ex capite 8. constet, Sponsum prædictum, non vnicam tātum habuisse sororem, sed plures: dum dicitur inter ipsas eam esse singularem & vnicam: ac præ alijs ab Sponso dilectam: satis profecto datur intelligi, eius dilectionis signum fuisse quam maxime, quod illam à peccato originali præseruauerit. Guillelmus etiam super hunc locum, explicando prædicta verba, vna est matri genitrici suæ electa, dicit: *Matrem Mariæ non fuisse aliam nisi gratiam.* Quem in hoc quamplurimi etiam sequuntur expositores. Et quidem non mysterio vacat quod prædicta sacra Virgo filia dicatur esse gratiæ, nam etiam Beatissima Anna (quæ eius quoad naturam mater fuit) iuxta nominis æthymologiam *gratia* interpretatur, vt inter alios dicit Damascenus lib. 4. orthodoxæ fidei, cap. 15. & Epiphanius sermone de laudibus Mariæ, vbi aiunt eandem sacram Deiparam, potius à gratia quam à natura fuisse genitam. Idem dicit prædictus Damascenus oratione prima de Natiuitate Virginis, cuius sunt quæ sequuntur verba: *Natura gratiam antevertere non est ausa, sed tantisper expectauit, donec gratia fructum suum produxisset.* Ecce qualiter Maria, potius gratiæ filia, quam naturæ cognominatur (genita licet fuerit naturali modo) meritoque proinde dicitur fuisse vnam Matri genitrici suæ electam, & à nobis ex verbis eisdem elicitur caruisse, fuisseque omninò immunem & liberam ab omni prorsus originalis peccati labe: nam quonam modo dici posset gratiæ filia, quæ in primo suæ Conceptionis instāti, Dei ipsius fuisset inimica? Illi inuisa,

B. Virgo peculiari ratione, quamuis naturali propagatione concepta sit, non tam dici debet naturæ filia quā gratiæ.

 &c.

uod sacra
ginis colũ
simplici-
e devicta
antiqui ser
tis astutia.

& ab eodem odio habita diabolo atque peccato subiecta? Quod vero sequitur statim in textu: *Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt, Reginæ & concubinæ laudauerunt eam*: satis quidem aperte demonstrat, quam sit rationi consentaneum & congruum, vt hæc sacra Virgo cuius columbina simplicitate, vt inquit Irenæus lib. 5. cap. 19. antiqui serpentis astutia & prudentia est deuicta, & quæ caput illius confregit (iuxta id quod prædictum erat Genes. 3. *ipsa conteret caput tuum*) ab omnibus vbique summis laudibus honorificetur: & insignum siue symbolum victoriæ quam à dæmone tulit (non solum peccatum originale euitans, verum etiam ipsius caput conterens, ac pede conculcans) præstetur illi appotissimum illud quod inter ruinas vrbis azoti fuit olim inuentum, & in quodam antiquo Nummismate repetitur impressum; nempe serpens cuius capiti columbæ insideret, cum hac inscriptione, *astutia deuicta*. Hoc quidem symbolo, aptissime significatur præsens mysterium præseruationis sacræ Virginis ab omni prorsus originali labe, & sub columbæ metaphora ad eiusdem innocentiã imitandam omnes, sed præcipue religiosas Virgines, Diuus Augustinus (seu potius Sofronius) exhortatur, homilia quadam de Assumptione, sequentibus verbis: *Diligentius* (inquit) *procurate* (ò *filiæ*) *si quomodo simplicitas columbæ quæ fuit in Maria, illæsa, inuiolataq; custodiatur. De qua Salomon in Canticis quasi in eius laudem: veni* (inquit) *columba mea, immaculata mea, & c. ac deinde dicit, veni de Libano coronaberis. Non immerito ergo venire de Libano iubetur, quia Libanus candidatio interpretatur, Erat enim candidata Beata Virgo multis meritorum virtutibus, ac dealbata niue candidior, multis Spiritus Sancti muneribus: simplicitatem columbæ in omnibus repræsentans: quia quidquid in ea gestum est, totum puritas & simplicitas, totum gratia & veritas fuit, & ideò immaculata, quia in nullo corrupta*. Quæ sunt verba satis notanda, & digna vt memoriæ commendentur,

eptimus lo-
s. Desump-
s ex illis ver
s Cantic. 7.
æ pulchri
t sunt gressus
i in calcea-
mentis filia
Principis.

Septimus locus desumi potest, ex illis verbis quæ habentur in eisdem Cant. in initio 7. cap. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis*. Quo in loco filiæ Hierusalem cœlestem Sponsam laudare incipiunt, & laudant eam (vt dicitur) a planta pedis vsque ad verticem capitis, eandem ornando atque condecorando multis diuinis epithetis. Et primo de ipsius gressibus & calceamentis: post modum vero de alijs vsque ad comam capitis. Sed ad verba proposita deueniendo, quam maxima est consideratione dignum, quod cœlestis Sponsæ commendentur gressus, seu vt alia littera dicit primi gressus. Quo procul dubio sacræ Virginis puritas, & à peccato originali immunitatis, mirifice præsignatur. Nam quidnam (quæso) sunt eiusdem primi gressus, nisi immaculata ipsius Conceptio: cum primum creata est, & sanctissima ipsius anima transijt de non esse ad esse? Cum primum in hûc mundum pedes posuit, & vitæ huius temporalis possessionem accepit: *possessio* enim vt dixit Paulus *in l. 1. ff. de adquirenda possessione*, nihil est

uidnam sit
ssessio, & ip
am imitare.

est omninò aliud, quam pedum positio. In quem etiam sensum intelligenda sunt illa verba, Deuteron. 11. *Omnis locus quem calcauerit pes vester, vester erit.* Item & illa quæ habentur Psalmo 107. *In Idumæam extendam calceamentum meum.* Quibus in locis pedem ponere, idem omninò est, ac terræ alicuius possessionem accipere. Quemadmodum & à contrario extrahere pedem: est ipsam amittere. Quando igitur cœlestis Sponsæ seu sacratæ Virginis primi gressus laudantur & commédantur: idem omninò fuit, atque laudare, commendare, mirisque encomijs extollere, immaculatam Conceptionem eiusdem: cum primũ in vtero sanctißimæ suę matris concepta est, & sanctißima sua anima transijt de non esse ad esse: corpori est infusa, & vitæ huius temporalis possessionem accepit. In cuius etiam rei confirmationem, vbi nos legimus, *quam pulchri sunt gressus tui filia Principis*, Symachus iuxta Hebraicã phrasim trãstulit: *quam deaurati sunt gressus tui filia Principis.* Vbi auri nomine, charitas omni proculdubio intelligitur: iuxta illud Apocalyp. 3. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum.* Si igitur id ita est: si primi gressus cœlestis Sponsæ & prædictæ nostræ sacræ Virginis, secundum vnam litteram sunt pulchri, secundum vero aliam deaurati: & auri nomine (vt præmissum est) charitas intelligitur: quis dicere audeat in Conceptione sua eam originali peccato infectam fuisse, & non potius ab eo ex speciali Dei gratia mirifice præseruatam: maxime cum in hunc mundum pedes haudquaquam posuerit excalceata: quinvero diuinæ gratiæ calceis ornata? Propter quod prædicto in loco, non solũ dicitur quod ipsius primi gressus fuerunt pulchri, aurei siue deaurati: quinvero additum est *in calceamentis.* Omnes nos ex Adamo primo nostro parente, naturali propagatione & per rationem seminalem descẽdentes, excalceati concipimur siue nascimur: vnde nec mirum est, quod à diabolo veterano atque antiquo serpente (de quo dicitur Genes. 3. *Quod omnium nostrum insidiatur calcaneo*, & Genes. 49. *Quod sicut cerastes manet in semita, vt mordeat equi vngulas*) mordeamur: at prædicta sacratißima Virgo (non quidem excalceata) quinvero cœlestis gratiæ calceamentis calceata, concepta est. Qua ratione diabolus, etiam si quam maxime id ipsum voluit, atque procurauerit, mordere illam minime potuit, aut originalis peccati labe & macula ipsam inficere. Quod aduertens Rupertus super prædicta verba, quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis: cum eadem sacra Virgine loquendo, inquit: *Idcirco ancilla (nempe Eua) calcaneum à serpente ad morsum est, quia discalceata erat. Tu vero (ò filia Principis) probe calceata cum exieris, serpentis caput contriuisti.* Quod notanter dicit alludendo ad prædictum tertium Genesis caput, quo de Virgine prædicta serpenti dictũ est: ipsi conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Quod autem per serpentis caput à Virgine calcatum, originale peccatum sit intelligendum, iam supra in explicatione prædicti capitis diximus.

Quòd B. Virgo concepta fuit, diuina gratia calceamentis calceata, ac propterea peccatum non contraxit originale.

Sed quod ex supradictis verbis, satis etiam colligatur prædictam sacram Virginem ab omni prorsus originalis peccati labe fuisse immunem: de nouo elici potest, ex eo quod non qualiscunque Sponsa nuncupetur, sed Principis seu potius Regis. Nam vbi nos legimus, quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis, huius loco littora alia dicit: *Principis sponsa sive vxor*. Consuetum enim olim fuit Principum Sponsas siue vxores, in maioris dilectionis ostensionem, blandiori quadam appellatione filias nuncupari, & quandoq; sorores. Ad propositum ergo. Quādo dicitur de Virgine sacra, quod pulchri fuerint primi gressus sui, cum primum ingressa siue pedes posuit in hunc mundum: haud quidem minus quam expediebat & oportebat, eam quæ filia, Sponsa, siue vxor erat Regis siue Principis: proculdubio insinuatū est, quod sacræ Virginis puritas, & à peccato originali immunitas (& si naturali propagatione fuerit genita) non vt aliorum hominum consideranda est, sed de immaculata ipsius Conceptione loquēdum, vt de cœlesti decet Regina, Dei ipsius speciali ratione filia, vxore siue sponsa (matrē etiam dicam) cuius priuilegia in omni iure stando, peculiaria atque singularia esse debent, nec mensuranda per aliorum generales leges, siue regulas. Vt enim supra diximus de mente Vlpiani Iurisconsulti, *in l. princeps, ff. de legibus* Augusta licet legibus subdita sit, leges tamen in ea non executioni mandantur, neque vero cum ea debent intelligi: quin potius Princeps eadem met priuilegia, quę ipse habet, illi concedit.

Octauus locus. Desumptus ex eisdem Cantic. cap. 7. in illis verbis. Coma capitis tui sicut purpura Regis.

Quod coma Virginis initia dicuntur suæ vitæ, quæ & congruentissime comparantur purpuræ Regis iunctæ canalibus.

Octauus locus desumi potest etiam ex eisdem Canticis cap. 7. vbi Sponsus Sponsæ suæ com[..]s purpuræ Regis comparat, per illa verba: *Coma capitis tui sicut purpura Regis iuncta canalibus.* Pro cuius metaphoræ intelligentia, aduertere oportet ex Aristotele, hominem arborem esse quandam inuersam, cuius radices sunt capitis capilli. Nam ad eum modum quo radices sunt principia arboris, ad eundem & principia vitæ appellantur capilli. Ait ergo cœlestis Sponsus, quod principia vitæ B. Virginis (hoc est, immaculata eiusdem Conceptio) fuit sicut comæ quædam purpureæ, & Regiæ iunctæ canalibus: hoc est, purpureo Christi Regis Regum, velut ostro tinctæ sanguine: pro eo quod ex eiusdem meritis præuisis, conceptio prædicta fuit immaculata, & ab infestatione antiqui serpentis omnino libera. Ob cuius beneficij largitatem ipsa Deo debitas gratias agens, vsurpare sibi potuit quammaxime, illa Dauidis verba Psalm. 40. *In hoc cognoui quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me. Me autem propter innocentiam suscepisti, & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.* Primum opus quo Deus Optimus Maximus, feruentem suum amorem quem erga sacratissimam Matrem suam gerebat manifestauit, fuit illam ab originali peccato præseruare, vt ne diabolus gloriaretur (etiam per minimum temporis instās) eam sub suo peccati tyranico habuisse imperio, prop-

sed innocentiam igitur suam quam maximam, ipsam in matrem suscepit, atque in gratia sua confirmauit: non quidem quasi mutuo, seu ad tempus: sed vsque in æternum.

Nonus locus desumi potest, ex illis verbis quæ habentur Psalmo 84, vbi Regius Psaltes in sensu spirituali de Virgine sacra verba faciens, inquit. *Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob. Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum.* Pro cuius loci intelligentia, præmitto ex communi resolutione (sed maxime Iacobi de Valentia super hunc Psalmum) quod hic terræ nomine, Virgo Deipara intelligitur, cuius typum gessit terra illa benedicta, ex qua ante Adami primi nostri parentis peccatum exortum olim fuit lignum vitæ, plantatum à principio in medio Paradisi. (quod etiam typum, atque figuram gessit Christi Domini:) & quidem meritissime. Nam sicuti lignum vitæ, germinatum siue ortum olim fuit ex terra illa benedicta, quam nullum aratrum, rastrumve violauerat: ita & Christus Dominus secundum carnem, exortus fuit ex virginali intemerato & inuiolato vtero, & terra illa benedicta (Virgine scilicet sacra) nullo maritali aut virili complexu rupta aut violata: sed sola operatione Spiritus Sancti, ex purissimis eiusdem sanguinibus. Ait igitur Propheta Regius, præuidens in spiritu prædictam sacram Virginem. *Benedixisti Domine terram tuam.* Ac si expressius diceret sanctissimam matrem suam: vtque insinuaret quonam modo illam benedixit, addit. *Auertisti* (pro auertendo) *captiuitatem Iacob*: hoc est eam ab originali labe præseruando, & benedictione diuinæ gratiæ animam ipsius sanctificantis replendo. Nam quod in prædicto loco per captiuitatem Iacob peccatum originale intelligatur, tradit Diuus Augustinus, Incognitus, necnon & Titelmanus, & nouissime Cardinalis Bellarminus, insuper & Hector Pintus Hieronimianus, super Ezechiel cap. 42. Cui expositioni fauet & illud quod habetur Psalm. 67. vbi loquendo de humano genere per huiusmodi peccatum originale captiuo, ac redacto sub potestate diaboli, dicitur: *Quod Christus Dominus in cælum ascendens, captiuā fecit duxit captiuitatē.* Quod etiā dixit Diuus Paulus in epistola ad Ephesios cap. 4. Et vt ne quispiam dicere audeat, locum prædictum fore intelligendum de benedictione gratiæ sanctificātis post contractum originale peccatum; non vero de benedictione gratiæ præseruatiuæ, qua Deus sanctissimam suam Matrem præseruauit, vt ne in dæmonis captiuitatem veniret: aduertere oportet quam maxime, haudquam dixisse Prophetam Regium, abstulisti seu remisisti captiuitatem Iacob, quasi iam in illam incurrisset: sed auertisti: liquidam vt fieret, Deum Optimum Maximum originalis peccati seruitutem à Matre sua propulsasse, impedisse atque prohibuisse: vt ne ipsa in illam incideret. Vt etiam perspicuum fieret prædicto in loco sermonem fieri de originali peccato, in sequenti versu non quidem de

Nonus locus. Desumptus ex illo Psalm. 84 Benedixisti Domine terram tuam, &c.

Virgo sacra terræ benedictæ comparatur, a qua auertit Dominus captiuitatem Iacob, id est peccatū originale.

Nota hoc valde quod quan

de David loquutur de Virgine inquit, quod auertit Dominus captiuitatem Iacob: quãdo vero loquitur de aliis non vtitur auersionis verbo, sed ait remisisti iniquitatem plebis tuæ.

originali peccato, sed de actuali, & communi aliorum hominum sanctificatione, vsus non est Propheta verbo, *auertisti*, sed *remisisti*: dicendo, remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum. Ex quo diuerso loquendi modo satis clare datur intelligi, hoc interesse inter sacræ Virginis & aliorum hominum sanctificationem, quod prima fuit omninò præferuatiua à originale peccatum (vt ne incurreretur) auertendo & propulsando: secunda vero aliorum sanatiua, illud remittendo & sanando: quod quam maxima est consideratione dignum, & multum memoriæ commendandum. Qua etiam ratione meritissime, supra prædictam sacram Virginem terræ olim in Ægypto sacerdotali comparauimus atque assimilauimus, quæ libera omninò semper fuit ab omni vectigali & tributo: pro eo quod cum vniuersus mũdus (per Ægyptum designatus) in initio in gressus vitæ huius, originalis peccati tributum diabolo soluat, ea sola (ad modum terræ Sacerdotalis) vero atque æterno Sacerdoti secundum ordinẽ Melchisedech (Christo scilicet Domino) adiudicata & præparata, ab eo tributo immunis fuerit & libera.

Decimus locus. Desumptus ex illo Ps. 44. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu de aurato.

Decimus locus in id ipsum desumi potest, ex illis verbis Psalmi 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu de aurato, circundata varietate.* Pro cuius loci intelligentia præmittendum duxi, Regium Psaltem in toto isto Psalmo (cuius est initium, *eructauit cor meum verbum bonum*) de Christo Domino & Saluatore nostro, ipsiusque Ecclesia verba facere, in persona Regis Salomonis, illum laudando à formæ dignitate præ omnibus filijs hominum: ab eloquentiæ gratia: à fortitudine, potẽtia, splendore & magnificentia, tum in se, tum etiam erga Ecclesiam sanctam Sponsam suam. & in beneuolentiæ signum, diuinum Spiritus Sancti in id ipsum quasi inuocando auxilium, inquit: *Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi.* Quod iuxta communẽ Sanctorũ Patrũ expositionẽ idem omninò fuit, ac si expressius dixisset. Desiderat & exoptat quam maxime cor meũ, in hoc Psalmo verbũ aliquod bonum eructare: & carmen amantissimum in Christi Domini gloriã proponere: cui ac meo Regi opera mea omnia dicatã esse volo. Et subdit: *Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.* Quod fuit ac si expressius diceret Oprarem quidem quod Spiritus Sanctus, ad modum quo scriba in scribendo velox, digitis suis velociter calamum mouet, ad hoc etiam linguam moueret meam, vt quæ de eo dicturus sum plenius atque copiosius enarrare possem. Post quæ ad Christum Dominum se conuertendo, inquit: *Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.* Quibus in verbis landat eum à pulchritudine, & ob eloquentiæ gratia, necnon & ab Spiritus Sancti donis, quibus Deus Pater illum condecorabit mirifice, ad hoc vt hominibus loqueretur omnia quæ ad ipsorum salutem illi, necessaria viderentur. Post quæ addit: *Accingere gladio tuo super femur*

mur

tuum potentissime. Specie tua & pulchritudine tua, intende prospere, procede & Regna: Propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua: sagittae tuae acutae, populi sub te cadent in corda inimicorum Regis. Quibus in verbis laudat eundem Christum etiam à fortitudine, & à potentia in deuincendo diabolo, & conquistando hoc mundo, conuertendis atque scindendis hominum (vt cunque rebellium) cordibus, patrandis prodigijs atque miraculis. Quibus in omnibus rebus, propter speciem & pulchritudinem suam nimiā, & propter veritatem, mansuetudinem & iustitiam quam seruaturus erat semper & vbique, prosperissimum habiturum successum illi prædicit: & verba sua futura quasi acutæ quædam saggitæ, efficacissimæ & potentissimæ, ad conuertenda quorumcunque inimicorum suorum corda. Post quæ subdit: *Sedes tua Deus in saeculū saeculi: virga directionis virga regni tui. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Quod quidem fuit, ac si expressius dixisset: æternum suum Patrem daturum fore illi sedem in futura omnia sæcula duraturam iudiciariamque potestatem super omnes homines: & ceptrum siue virgam rectam atque inflexibilem, qua ipsos regere & gubernare posset, diligendo iustitiam & odiendo iniquitatem: quod munus & officium, proinde dicit eundem facturum rectissime, quia in idipsum ab æterno suo Patre diuina gratia olim fuerit vnctus præ omnibus consortibus siue participibus suis. Post quæ supradicta omnia enarrare incipit; qualiter Christus ipse in conferendis eisdem donis, cum suis fidelibus se gesturus sit. Ad quod propositum, dicit: *Myrrha & gutta & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ Regis in honore tuo.* Difficilis quidem est locus iste: sed prædictorum verborum sensus est, futurum esse vt à vestimē tis Christi ipsius, stillarent vnguenta quædam aromatica, myrrhæ, guttæ & casiæ, quæ vt plurimum in vasis eburneis obseruari solent: (per quæ non incongrue) quinvero congruentissime Ecclesiæ diuina intelliguntur sacramenta: quibus filiæ Regum (id est Christi fidelibus) vtuntur ad suas animas vngendas, medendas siue abluendas, suorum peccatorum maculas & sordes: vt sanctæ & immaculatæ coram cœlesti suo Sponso comparere valeant, eundemque delectare, necnon & honore afficere. Hucusque Regius Psaltes egit de omnibus Christi fidelibus in cōmuni: sed videamus quid de Virgine sacra & Matre sanctissima prædicti cœlestis Sponsi, ac diuini Regis dicat? Sequitur in textu: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu de aurato, circundata varietate.* Omninò nulla prædictis in verbis reperitur syllaba, quæ non quā maxima sit consideratione digna. Dubiū nulli est aut esse potest, in primario & litterali sensu eiusmodi verba de sancta nostra Ecclesia fore intelligēda: vt pote quæ tanquā Regina à dextris cœlestis sui Sponsi semper assistit: nō quidē nuda, quinvero mirifice ornata, & vesti-

Nota quod, hæc verba quamvis primo & principaliter intelliguntur de Ecclesia in sensu tamē spiritua li & mystico, etiam intelliguntur de Virgine Deipara.

vestitu de aurato, circundata virtutum innumerabiliū varietate: quæ sunt pignora & odoramenta quæ effluunt, & spirant ex vestimentis prædicti cœlestis sui Sponsi, Circumdata etiam varietate diuersorum sacramentorum, Item varietate atque diuersitate diuersorum statuū, Virginum, Viduarum, Continentium, Coniugatorum, Heremitarū, Doctorum & Prædicatorum, Apostolorum & Euangelistarum. Varietate etiam atque diuersitate variarum Religionum, diuersarum linguarum: pro eo quod continentur in ea Græci, Latini, Scytæ, Indij, Æthyopes atque Chaldei: Varietate item & diuersitate diuersarum consuetudinum in Dei cultu: quamvis in omnibus sit vna Fides & vnum Baptisma. Sed tamen quamvis id ipsum ita sit, negari minime potest, quod in sensu spirituali & mystico, eadem prædicta verba de sacra Deipara Virgine etiam intelligi possunt & debent, cum frequētissime à Doctoribus sanctis (quin vero & ab eadem Ecclesia) illi tribuantur, & accommodentur) quod quidem haudquaquam recte fieret, si non speciali aliqua ratione quam maxime illi conuenirent. Dicit ergo Regius Psaltes: *Astitit Regina à dextris tuis, in vestitu de aurato, circumdata varietate*. Quid est quæso *Astitit*? idem prorsus ac si dixisset, *semper stetit*. Nō *venit*, siue *accessit*: quin verò semper à dextris stetit.

Quid significet Virginem sacram à dextris Regis siue Sponsi sui astare?

A dextris autem stare, idem prorsus significat, ac Deo à primo suæ Conceptionis instanti gratam semper fuisse, neque vllas vnquam maculas sordesve habuisse: quas prædictis aromaticis vnguentis, Myrrhæ, guttæ, & cassiæ mundari seu abluere opus fuisset. Fauet & huic resolutioni, id quod dicit Diuus Chrysostomus super prædictū locum, nempe verbum *astare*, descendere à Græco quodam nomine, quod columnā significat, per indeque accipiendum esse illud, *Astitit Regina à dextris tuis*, ac si dixisset, *offirmauit se*, seu (si fas est dicere) *columnauit se* (id est) *in columnæ modum immobilis, à dextris tuis semper stetit*. Quod quam maximam emphasim atque ponderationem habet. Nam cum Iob cap. 26. dixerit: *Quod ante Deum columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutum eius* (per cœli columnas Angelos intelligendo: ad designandam quammaximam eorundem constantiam) & de illis loquendo Diuus Illephonsus asseruerit: *Quod columnæ prædictæ ante firmitatem nutarunt, & vacillarunt*: haud modicum quidem ponderationis habet, quod de Virgine ipsa sacra dicatur, quod astitit seu semper stetit, vel potius colūnata est (id est in columnæ modum offirmata) à dextris cœlestis sui Sponsi, tanquam Angelorum, hominumque Regina. Hæc certe firmitas & constantia in iustitia, regnum atque imperium illi addixit super omnes puras creaturas. Cum qua firmitate & constantia non quidem bene cohæret dicere, quod in primo suæ Conceptionis instāti, eadem extra diuinam gratiam fuerit: atque per originale peccatū in diaboli manus & imperium incidisset, quæ semper vt immobilis columna, à dextris cœlestis sui Sponsi stetit: semper illi grata: nunquam

inuissa

fuisse, aut odio habita, nunquã inimica, sed semper Regina, Sponsa & amica.

Addit praeterea Regius Psaltes & dicit, praedictam Virginem sacram à dextris coelestis sui sponsi (vt dictum est) astitisse, haud quidem nudam, sed vestitam atque ornatam, in vestitu de aurato, circundatam virtutum omnium varietate. Quo nescio quid amplius de fide rari potuit, ad eiusdem immunitatem, & ab omni originalis peccati labe praeseruationem praesignandam. Quae supradicta verba. *In vestitu de aurato*, transfert D. Hieronymus *in diademate aureo*, Symachus vero *in auro primo*, & in Hebraeo est quaedam dictio, *Ophir*, quae significat aurum purum: non quod arte defecatur: seu ad purum excoquitur: sed illud quod à principio purum fuit, ex ipsis minerum fondinis selectum. Quid est ergo quod dicit praedictus Propheta Regius, iuxta praedictum traductionis modum: nisi quod gratia illa qua Virgo sacra ad dexteram coelestis sui Sponsi, tanquam diademate coronata astitit, seu stetit (needum hominibus, verum etiam Angelis praefecta & ante lata) aurea quidem fuit: neque ex auro quocunque conficta: sed ex auro quodam primo, solido & puro: nunquam cuiuscunque alterius metalli commixtione adulterato. Quo (meo videri) nihil expressius dici potuit, ad insinuandum eam nuquam alicuius labis siue culpae fecem admisisse: fuit enim gratia in qua condita fuit Virgo sacra, (non quae cunque) sed singularis quaedam: pura, solida atque omninò impermixta, & maior omnium quae alicui purae creaturae donari potuerunt. Id quod satis perspectum atque exploratum habuit D. Bernardus, quando de eadem sacra Virgine loquendo dixit: *Quod quantum sine personali vnione creatura conditio patitur, luci illi inaccessibili* (nempe Deo) *videbatur immersa.* A quo etiam non longe absuit Diuus Augustinus, serm. 2. de Assumptione, vbi illi colloquendo, dixit: *Si te coelum vocem, altior es. Si Matrem gentium dicam, praecedis. Si formam Dei te appellem, digna existis.* Diuus etiam Hieronymus explicando illa Angeli verba, Lucae 1. *Aue gratia plena Dominus tecum benedicta tu in mulieribus*: agendo de gratia, quae vt Christi Domini fuisset digna Mater sacrae Virgini fuit collata, inquit: *Quid talibus decebat Virginem oppignerari muneribus, vt esset gratia plena, qua dedit coelis gloriam, terris Dominum, pacemq; refudit, fidem gentibus, finem vitijs, vitae ordinem, moribus disciplinam. Et bene* (inquit) *plena, quia caeteris per partes praestatur Maria vero simul se tota infudit plenitudo gratiae. Vere plena, quia & si in Sanctis Patribus, & Prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena: in Mariam vero totius gratiae quae in Christo est plenitudo venit, quamquam aliter. Et ideo* (inquit) *dictum illi fuit, benedicta tu in mulieribus id est plus benedicta, quam omnes mulieres. Ac per hoc quidquid maledictionis infusum fuit per Euam, totum abstulit benedictio Mariae.* Quid quaeso amplius dici potuit ad hoc propositum?

Quod non nuda Virgo sacra à dextris coelestis sui sponsi stetit, quinvero vestita vestitu de aurato, & circundata virtutũ omnium varietate.

Vndecimus locus desumi potest: ex Psalmo 86. *Fundamenta eius* *Vndecimus locus in-*

virtute pœnitentiæ opus minime sibi fuisse. Et quãvis (iuxta aliquos) ad virtutis incrementum illam habuerit, haudquaquam tamen propter materiæ, seu peccati, tam actualis quam originalis defectum, necessariam præcise in ea fuisse minime. Quod etiam ingenue satis insinuauit D. Bernardus sermone secundo de Assumptione, rationem reddens ob quam in domo B. Marthæ vbi Hospitatus fuit olim Christus Dominus, solius eiusdẽ Marthæ & Mariæ mentio fiat: nulla vero prorsus Lazari. *Forte* (inquit Diuus Bernardus) *curiosius quispiam requiret, cur in præsenti lectione Euangelica, nulla prorsus Lazari mentio fiat?* Et subdit. *Arbitrer sane, ne id quidem à proposita similitudine desidere. Virginalẽ etenim domum intelligi volens Spiritus, non incongrue pœnitentiam siluit, quæ malum vtiq; commuttatur. Absit enim vt proprij inquinamenti quidquam, domus hæc aliquando habuisse dicatur, vt in ea proinde scopa Lazari quæratur.* Et infra: *Proprium Maria delictum non habuit, nihilominus ab innocentissimo corde, etiam pœnitentia longe fuit. Sit ergo Lazarus apud eos quorum necesse est ab operibus mortuis conscientias emundari. Secedat inter vulneratos dormientes in sepulchris: at in thalamo virginali Martha & Maria tantummodo inueniantur.* Ex quibus verbis superque satis colligitur, prædictam Deiparam Virginem, nullius peccati actualis fuisse ream, quia (vt inquit Diuus Bernardus) indecorum videbatur Dei Matrem pœnitentia indigere. At dicet quispiam prædicto in loco sermonem tantummodo fieri de peccato actuali: non verò de originali. Sit ita. Sed tamen ex eo volo ego etiam colligere, de originali id ipsum fore dicendum. Etenim si propterea Virginem sacram ab actuali (etiam veniali peccato) mundam esse oportuit, & vt ne in ea reperiretur pœnitentia, seu aliquid quod ipsam requireret (quam Diuus Bernardus vocat scopam Lazari) ergo, & propter eandem rationem, decuit ipsam etiam ab omni peccato originali liberam atque immunem fuisse: cum & originale peccatum, vera & propria esse possit pœnitentiæ atque contritionis materia, vt tenet Suarez 3. parte tomo 4. de pœnitentia, & Vazquez prima secundæ disput. 184. eius rei rationem reddentes: nam cum pœnitentia sit detestatio cuiuslibet propriæ culpæ, & peccatum originale (vt Concilium Tridentinum Sessione 5. cap. 3. tradit, in singulis sit proprium & peculiare) omninò nihil etiam illi deesse videtur, vt per pœnitentiam & contritionem à nobis possit detestari: & id quod voluntariũ fuit propria voluntate primi nostri parentis, refellere atque retractare. Si igitur satis fuit ex sententia Diui Bernardi ad hoc vt peccata (etiam venialia) à Virgine sacra arcerentur, vt ne in ipsa aliquid reperiretur quod Lazari scopa (id est pœnitentiæ virtute deberet mundari) eadem profectò (vt videtur) ratio currit, vt dicamus eam omnino fuisse immunem & liberam à peccato originali, postquam (vt præmissum est) hoc etiam peccatum Lazari scopam siue pœnitentiam admittit. Fauet & huic nostræ resolutioni ratio ipsa quam prædictus

D. Bernardus pœnitẽtiã scopa comparat, pro eo quod sit destinata ad verrendas peccatorum sordes.

Diuus

Diuus Bernardus adducit, quando dicit quod spiritus in prædicto loco, non incongrue pœnitentiam siluit quæ malum vtiq; committitur. Si igitur quia mali comes est pœnitentia, eandem indecorã fuisse Virgini dicit Bernardus: quis non videat indecoram magis ac magis turpem esse illi pœnitentiam & detestationem originalis culpæ, quã venialis: si quidem illa maior est, & deterioris mali socia ac comes existit: nam pœnitentia de veniali aliquo peccato suscepta (vt de se patet) leui malo sociatur: ea vero quæ est de originali, non leue sed graue, atque lætale malum committatur. Dicendum est igitur, prædictam sacratissimam Virginem congruentissime & conuenientissime columbæ assimilari, & in eo esse vnicam & singularem, quia omninò felle caruit, & necessitate pœnitẽtiã agendi de peccato aliquo, nec actuali nec vero originali. Ad quod propositũ facit etiã quam maxime, quod super prædicta Canticorũ verba, dixit Rupertus. *Vna* (inquit) *est colũba mea, vna est perfecta mea* (*sive immaculata mea*) *quia neque inter Angelos, neq; inter homines, similẽ vel primam habet, vel sequentẽ est habitura. Vere columba, quia gratia plena: vere perfecta & electa, quia non solum vt salua existeret, verum etiam vt ex ipsa alijs salutem pareret.* In eo vero quod additur: vna est matri genetrici suæ electa, aperte etiam insinuatur sacram prædictã Virginem cœlesti suo Sponso vnicam esse atque singularem, & ab eo eximio amore dilectam. Cum enim ex eisdem Canticis, sed maxime ex capite 8. constet, Sponsum prædictum, non vnicam tãtum habuisse sororem, sed plures: dum dicitur inter ipsas eam esse singularem & vnicam: ac præ alijs ab Sponso dilectam: satis profecto datur intelligi, eius dilectionis signum fuisse quam maxime, quod illam à peccato originali præseruauerit. Guillelmus etiam super hunc locum. explicando prædicta verba, vna est matri genitrici suæ electa, dicit: *Matrem Mariæ non fuisse aliam nisi gratiam.* Quem in hoc quamplurimi etiam sequuntur expositores. Et quidem non mysterio vacat quod prædicta sacra Virgo filia dicatur esse gratiæ, nam etiam Beatissima Anna (quæ eius quoad naturam mater fuit) iuxta nominis æthymologiam *gratia* interpretatur, vt inter alios dicit Damascenus lib. 4. orthodoxæ fidei, cap. 15. & Epiphanius sermone de laudibus Mariæ, vbi aiunt eandem sacram Deiparam, potius à gratia quam à natura fuisse genitam. Idem dicit prædictus Damascenus oratione prima de Natiuitate Virginis, cuius sunt quæ sequuntur verba: *Natura gratiam anteuertere non est ausa, sed tantisper expectauit, donec gratia fructum suum produxisset.* Ecce qualiter Mariæ, potius gratiæ filia, quam naturæ cognominatur (genita licet fuerit naturali modo) meritoque proinde dicitur fuisse vnam Matri genitrici suæ electam, & à nobis ex verbis eisdem elicitur caruisse, fuisseque omnino immunem & liberam ab omni prorsus originalis peccati labe: nam quonam modo dici posset gratiæ filia, quæ in primo suæ Conceptionis instãti, Dei ipsius fuisset inimica? Illi inuisa, &c.

B. Virgo peculiari ratione, quamuis naturali propagatione concepta sit, non tamen dici debet naturæ filia quã gratiæ.

& ab eodem odio habitas diabolo atque peccato subiecta? Quod vero sequitur statim in textu: *Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt, Reginæ & concubinæ laudauerunt eam*: satis quidem aperte demonstrat, quam sit rationi consentaneum & congruum, vt hæc sacra Virgo cuius columbina simplicitate, vt inquit Irenęus lib. 5. cap. 19. antiqui serpentis astutia & prudentia est deuicta, & quæ caput illius confregit (iuxta id quod prædictum erat Genes. 3. *ipsa conteret caput tuum*) ab omnibus vbique summis laudibus honorificetur: & insignum siue symbolum victoriæ quam â dæmone tulit (non solum peccatum originale euitans, verum etiam ipsius caput conterens, ac pede conculcans) præstetur illi appotissimum illud quod inter ruinas vrbis azoti fuit olim inuentum, & in quodam antiquo Nummismate reperitur impresum; nempe serpens cuius capiti columbæ insideret, cum hac inscriptione, *astutia deuicta*. Hoc quidem symbolo, aptissime significatur præsens mysterium præseruationis sacræ Virginis ab omni prorsus originali labe, & sub columbæ metaphora ad eiusdem innocentiā imitandam omnes, sed præcipue religiosas Virgines, Diuus Augustinus (seu potius Sofronius) exhortatur, homilia quadam de Assumptione, sequentibus verbis: *Diligentius* (inquit) *procurate (ò filiæ) si quomodo simplicitas columbæ quæ fuit in Maria, illæsa, inuiolataq; custodiatur. De qua Salomon in Canticis quasi in eius laudem: veni* (inquit) *columba mea, immaculata mea, &c. ac deinde dicit, veni de Libano coronaberis. Non immerito ergo venire de Libano iubetur, quia Libanus candidatio interpretatur, Erat enim candidata Beata Virgo multis meritorum virtutibus, ac dealbata niue candidior, multis Spiritus Sancti muneribus: simplicitatem columbæ in omnibus repræsentans: quia quidquid in ea gestum est, totum puritas & simplicitas, totum gratia & veritas fuit, & ideò immaculata, quia in nullo corrupta.* Quę sunt verba satis notanda, & digna vt memoriæ commendentur.

Quod sacræ Virginis colūbina simplicitate, deuicta est antiqui serpentis astutia.

Septimus locus desumi potest, ex illis verbis quæ habentur in eisdem Cant, in initio 7. cap. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis*. Quo in loco filiæ Hierusalem cœlestem Sponsam laudare incipiunt, & laudant eam (vt dicitur) a planta pedis vsque ad verticem capitis, eandem ornando atque condecorando multis diuinis epithetis. Et primo de ipsius gressibus & calceamentis: post modum vero de alijs vsque ad comam capitis. Sed ad verba proposita deueniendo, quam maxima est consideratione dignum, quod cœlestis Sponsæ cōmendentur gressus, seu vt alia littera dicit primi gressus. Quo proculdubio sacræ Virginis puritas, & â peccato originali immunitatis, mirifice præsignatur. Nam quidnam (quæso) sunt eiusdem primi gressus, nisi immaculata ipsius Conceptio: cum primum creata est, & sanctissima ipsius anima transijt de non esse ad esse? Cum primum in hūc mundum pedes posuit, & vitæ huius temporalis possessionem accepit? *possessio* enim vt dixit Paulus in l. 1. *ff. de adquirenda possessione*, nihil

Septimus locus. Desumptus ex illis verbis Cantic. 7. Quam pulchri sunt gressus tui, in calceamentis filia Principis.

Quidnam sit possessio? & ipsam imitare.

est omninò aliud, quam pedum positio. In quem etiam sensum intelligenda sunt illa verba, Deuteron. 11. *Omnis locus quem calcauerit pes vester, vester erit.* Item & illa quæ habentur Psalmo 107. *In Idumæam extendam calceamentum meum.* Quibus in locis pedem ponere, idem omninò est, ac terræ alicuius possessionem accipere. Quemadmodum & à contrario extrahere pedem: est ipsam amittere. Quando igitur cœlestis Sponsæ seu sacratæ Virginis primi gressus laudantur & commẽdantur: idem omninò fuit, atque laudare, commendare, mirifique encomijs extollere, immaculatam Conceptionem eiusdem: cum primũ in vtero sanctissimæ suę matris concepta est, & sanctissima sua anima transijt de non esse ad esse: corpori est infusa, & vitæ huius temporalis possessionem accepit. In cuius etiam rei confirmationem, vbi nos legimus, *quam pulchri sunt gressus tui filia Principis*, Symachus iuxta Hebraicã phrasim trãstulit: *quam deaurati sunt gressus tui filia Principis.* Vbi auri nomine, charitas omni proculdubio intelligitur: iuxta illud Apocalyp. 3. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum.* Si igitur id ita est: si primi gressus cœlestis Sponsæ & prædictæ nostræ sacræ Virginis, secundum vnam litteram sunt pulchri, secundum vero aliam deaurati: & auri nomine (vt præmissum est) charitas intelligitur: quis dicere audeat in Conceptione sua eam originali peccato infectam fuisse, & non potius ab eo ex speciali Dei gratia mirifice præseruatã: maxime cum in hunc mundum pedes haudquaquam posuerit excalceata: quinvero diuinæ gratiæ calceis ornata? Propter quod prædicto in loco, non solũ dicitur quod ipsius primi gressus fuerunt pulchri, aurei siue deaurati: quinvero additum est *in calceamentis*. Omnes nos ex Adamo primo nostro parente, naturali propagatione & per rationem seminalem descẽdentes, excalceati concipimur siue nascimur: vnde nec mirum est, quod à diabolo veterano atque antiquo serpente (de quo dicitur Genes. 3. *Quod omnium nostrum insidiatur calcaneo*, & Genes. 49. *Quod sicut cerastes manet in semita, vt mordeat equi vngulas*) mordeamur: at prædicta sacratissima Virgo (non quidem excalceata) quinvero cœlestis gratiæ calceamentis calceata, concepta est. Qua ratione diabolus, etiam si quam maxime id ipsum voluit, atque procurauerit, mordere illam minime potuit, aut originalis peccati labe & macula ipsam inficere. Quod aduertens Rupertus super prædicta verba, quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis: cum eadem sacra Virgine loquendo, inquit: *Idcirco ancilla (nempe Eua) calcaneum à serpente ad morsum est, quia discalceata erat. Tu vero (ò filia Principis) probe calceata cum exieris, serpentis caput contriuisti.* Quod notanter dicit alludendo ad prædictum tertium Genesis caput, quo de Virgine prædicta serpenti dictũ est: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Quod autem per serpentis caput à Virgine calcatum, originale peccatum sit intelligendum, iam supra in explicatione prædicti capitis diximus.

Quod B. Virgo concepta fuit, diuina gratia calceamentis calceata, ac propterea peccatum non contraxit originale.

Sed

Sed quod ex supradictis verbis, satis etiam colligatur prædictam sacram Virginem ab omni prorsus originalis peccati labe fuisse immunem: de nouo elici potest, ex eo quod non qualiscunque Sponsa nuncupetur, sed Principis seu potius Regis. Nam vbi nos legimus, quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis, huius loco littera alia dicit: *Principis Sponsa siue vxor*. Consuetum enim olim fuit Principum Sponsas siue vxores, in maioris dilectionis ostensionem, blandiori quadam appellatione filias nuncupari, & quandoq; sorores. Ad propositum ergo. Quādo dicitur de Virgine sacra, quod pulchri fuerint primi gressus sui, cum primum ingressa siue pedes posuit in hunc mundum: haud quidem minus quam expediebat & oportebat, eam quæ filia, Sponsa, siue vxor erat Regis siue Principis: proculdubio insinuatū est, quod sacræ Virginis puritas, & à peccato originali immunitas (& si naturali propagatione fuerit genita) non vt aliorum hominum consideranda est, sed de immaculata ipsius Conceptione loquēdum, vt de cœlesti decet Regina, Dei ipsius speciali ratione filia, vxore siue sponsa (matrē etiam dicam) cuius priuilegia in omni iure stando, peculiaria atque singularia esse debent, nec mensuranda per aliorum generales leges, siue regulas. Vt enim supra diximus de mente Vlpiani Iurisconsulti, *in l. princeps, ff. de legibus* Augusta licet legibus subdita sit, leges tamen in ea non executioni mandantur, neque vero cum ea debent intelligi: quin potius Princeps eadem met priuilegia, quę ipse habet, illi concedit.

Octauus locus. Desumptus ex eisdem Cantic. cap. 7. in illis verbis. Coma capitis tui sicut purpura Regis.

Quod coma Virginis initia dicuntur suæ vitæ, quæ & congruentissime comparantur purpuræ Regis iunctæ canalibus.

Octauus locus desumi potest etiam ex eisdem Canticis cap. 7. vbi Sponsus Sponsæ suæ comas purpuræ Regis comparat, per illa verba: *Coma capitis tui sicut purpura Regis iuncta canalibus*. Pro cuius metaphoræ intelligentia, aduertere oportet ex Aristotele, hominem arborem esse quandam inuersam, cuius radices sunt capitis capilli. Nam ad eum modum quo radices sunt principia arboris, ad eundem & principia vitæ appellantur capilli. Ait ergo cœlestis Sponsus, quod principia vitæ B. Virginis (hoc est, immaculata eiusdem Conceptio) fuit sicut comæ quædam purpureæ, & Regiæ iunctæ canalibus: hoc est, purpureo Christi Regis Regum, velut ostro tinctæ sanguine: pro eo quod ex eiusdem meritis præuisis, conceptio prædicta fuit immaculata, & ab infestatione antiqui serpentis omnino libera. Ob cuius beneficij largitatem ipsa Deo debitas gratias agens, vsurpare sibi potuit quammaxime, illa Dauidis verba Psalm. 40. *In hoc cognoui quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me. Me autem propter innocentiam suscepisti, & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.* Primum opus quo Deus Optimus Maximus, feruentem suum amorem quem erga sacratissimam Matrem suam gerebat manifestauit, fuit illam ab originali peccato præseruare, vt ne diabolus gloriaretur (etiam per minimum temporis instās) eam sub suo peccati tyranico habuisse imperio, prop-

tem innocentiam igitur suam quam maximam, ipsam in matrem suscepit, atque in gratia sua confirmauit: non quidem quasi mutuo, seu ad tempus: sed vsque in æternum.

Nonus locus desumi potest, ex illis verbis quæ habentur Psalmo 84. vbi Regius Psaltes in sensu spirituali de Virgine sacra verba faciens, inquit. *Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob. Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum*. Pro cuius loci intelligentia, præmitto ex communi resolutione (sed maxime Iacobi de Valentia super hunc Psalmum) quod hic terræ nomine, Virgo Deipara Intelligitur, cuius typum gessit terra illa benedicta, ex qua ante Adami primi nostri parentis peccatum exortum olim fuit lignum vitæ, plantatum à principio in medio Paradisi. (quod etiam typum, atque figuram gessit Christi Domini) & quidem meritissime. Nam sicuti lignum vitæ, germinatum siue ortum olim fuit ex terra illa benedicta, quam nullum aratrum, rastrumve violauerat: ita & Christus Dominus secundum carnem, exortus fuit ex virginali intemerato & inuiolato vtero, & terra illa benedicta (Virgine scilicet sacra) nullo maritali aut virili complexu rupta aut violata: sed sola operatione Spiritus Sancti, ex purissimis eiusdem sanguinibus. Ait igitur Propheta Regius, præuidens in spiritu prædictam sacram Virginem. *Benedixisti Domine terram tuam*. Ac si expressius diceret sanctissimam matrem suam: vtque insinuaret quonam modo illam benedixit, addit. *Auertisti* (pro auertendo) *captiuitatem Iacob*: hoc est eam ab originali labe præseruando, & benedictione diuinæ gratiæ animam ipsius sanctificantis replendo. Nam quod in prædicto loco per captiuitatem Iacob peccatum originale intelligatur, tradit Diuus Augustinus, Incognitus, necnon & Titelmanus, & nouissime Cardinalis Bellarminus, insuper & Hector Pintus Hieronimianus, super Ezechiel cap. 43. Cui expositioni fauet & illud quod habetur Psalm. 67. vbi loquendo de humano genere per huiusmodi peccatum originale captiuo, ac redacto sub potestate diaboli, dicitur: *Quod Christus Dominus in cælum ascendens, captiuā secū duxit captiuitatē*. Quod etiā dixit Diuus Paulus in epistola ad Ephesios cap. 4. Et vt ne quispiam dicere audeat, locum prædictum fore intelligendum de benedictione gratiæ sanctificātis post contractum originale peccatum; non vero de benedictione gratiæ præseruatiuæ, qua Deus sanctissimam suam Matrem præseruauit, vt ne in dæmonis captiuitatem veniret: aduertere oportet quam maxime, haudquam dixisse Prophetam Regiam, abstulisti seu remisisti captiuitatem Iacob, quasi iam in illam incurrisset: sed auertisti: liquidum vt fieret, Deum Optimum Maximum originalis peccati seruitutem à Matre sua propulsasse, impedisse atque prohibuisse: vt ne ipsa in illam incideret. Vt etiam perspicuum fieret prædicto in loco sermonem fieri de originali peccato, in sequenti versu non quidem de

Nonus locus. Desumptus ex illo Psalm. 84 Benedixisti Domine terram tuam, &c.

Virgo sacra terræ benedictæ comparatur, a qua auertit Dominus captiuitatem Iacob, id est peccatū originale.

Nota hoc valde quod quam

de David loquitur de Virgine, inquit, quod auertit Dominus captiuitatem Iacob: quādo vero loquitur de alijs non vtitur auersionis verbo, sed ait remisisti iniquitatem plebis tuæ.

originali peccato, sed de actuali, & communi aliorum hominum sanctificatione, vsus non est Propheta verbo, *auertisti*, sed *remisisti*: dicendo, remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum. Ex quo diuerso loquendi modo satis clare datur intelligi, hoc interesse inter sacræ Virginis & aliorum hominum sanctificationem, quod prima fuit omninò præseruatiua ab originale peccatum (vt ne incurreretur) auertendo & propulsando: secunda vero aliorum sanatiua: illud remittendo & sanando: quod quam maxima est consideratione dignum, & multum memoriæ commendandum. Qua etiam ratione meritissime, supra prædictam sacram Virginem terræ olim in Ægypto sacerdotali comparauimus atque assimilauimus, quæ libera omninò semper fuit ab omni vectigali & tributo: pro eo quod cum vniuersus mūdus (per Ægyptum designatus) in inicio ingressus vitæ huius, originalis peccati tributum diabolo soluat, ea sola (ad modum terræ Sacerdotalis) vero atque æterno Sacerdoti secundum ordinē Melchisedech (Christo scilicet Domino) adiudicata & præparata, ab eo tributo immunis fuerit & libera.

Decimus locus. Desumptus ex illo Ps. 44. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu de aurato.

Decimus locus in id ipsum desumi potest, ex illis verbis Psalmi 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu de aurato, circundata varietate.* Pro cuius loci intelligentia præmittendum duxi, Regium Psaltem in toto isto Psalmo (cuius est initium, *eructauit cor meum verbum bonum*) de Christo Domino & Saluatore nostro, ipsiusque Ecclesia verba facere, in persona Regis Salomonis, illum laudando à formæ dignitate præ omnibus filijs hominum: ab eloquentiæ gratia: à fortitudine, potētia, splendore & magnificentia, tum in se, tum etiam erga Ecclesiam sanctam Sponsam suam. & in beneuolentiæ signum, diuinum Spiritus Sancti in id ipsum quasi inuocando auxilium, inquit: *Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi.* Quod iuxta communē Sanctorū Patrū expositionē idem omninò fuit, ac si expressius dixisset. Desiderat & exoptat quam maxime cor meū, in hoc Psalmo verbū aliquod bonum eructare: & carmen amantissimum in Christi Domini gloriā proponere: cui ac meo Regi opera mea omnia dicata esse volo. Et subdit: *Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.* Quod fuit ac si expressius diceret Optarem quidem quod Spiritus Sanctus, ad modum quo scriba in scribendo velox, digitis suis velociter calamum mouet, ad hoc etiam linguam moueret meam, vt quæ de eo dicturus sum plenius atque copiosius enarrare possem. Post quæ ad Christum Dominum se conuertendo, inquit: *Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.* Quibus in verbis laudat eum à pulchritudine, & ob eloquentiæ gratiā, necnon & ab Spiritus Sancti donis, quibus Deus Pater illum condecorabit mirifice, ad hoc vt hominibus loqueretur omnia quæ ad ipsorum salutem illi, necessaria viderentur. Post quæ addit: *Accingere gladio tuo super femur.*

tuum potentissime. Specie tua & pulchritudine tua intende prospere, procede & Regna. Propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua: sagitta tua acutæ, populi sub te cadent in corda inimicorum Regis. Quibus in verbis laudat eundem Christum etiam à fortitudine, & à potentia in deuincendo diabolo, & conquistando hoc mundo, conuertendis atque scindendis hominum (vt cunque rebellium) cordibus, patrandis prodigijs atque miraculis. Quibus in omnibus rebus, propter speciem & pulchritudinem suam nimiã, & propter veritatem, mansuetudinem & iustitiam quam seruaturus erat semper & vbique, prosperissimum habiturum successum illi prædicit: & verba sua futura quasi acutæ quædam saggitæ, efficacissimæ & potentissimæ, ad conuertenda quorumcunque inimicorum suorum corda. Post quæ subdit: *Sedes tua Deus in sæculũ sæculi: virga directionis virga regni tui. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Quod quidem fuit, ac si expressius dixisset: æternum suum Patrem daturum fore illi sedem in futura omnia sæcula duraturam iudiciariamque potestatem super omnes homines: & sceptrum siue virgam rectam atque inflexibilem, qua ipsos regere & gubernare posset, diligendo iustitiam & odiendo iniquitatem: quod munus & officium, proinde dicit eundem factum rectissime, quia in id ipsum ab æterno suo Patre diuina gratia olim fuerit vnctus præ omnibus consortibus siue participibus suis. Post quæ supradicta omnia enarrare incipit, qualiter Christus ipse in conferendis eisdem donis, cum suis fidelibus se gesturus sit. Ad quod propositum, dicit: *Myrrha & gutta & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ Regis in honore tuo.* Difficilis quidem est locus iste: sed prædictorum verborum sensus est, futurum esse vt à vestimẽtis Christi ipsius, stillarent vnguenta quædam aromatica, myrrhæ, guttæ & casiæ, quæ vt plurimum in vasis eburneis obseruari solent: (per quæ non incongrue) quinvero congruentissime Ecclesiæ diuina intelliguntur sacramenta: quibus filiæ Regum (id est Christi fidelibus) vtuntur ad suas animas vngendas, medendas siue abluendas, suorum peccatorum maculas & sordes: vt sanctæ & immaculatæ coram cœlesti suo Sponso comparere valeant, eundemque delectare, necnon & honore afficere. Hucusque Regius Psaltes egit de omnibus Christi fidelibus in cõmuni: sed videamus quid de Virgine sacra & Matre sanctissima prædicti cœlestis Sponsi, ac diuini Regis dicat? Sequitur in textu: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu de aurato, circundata varietate.* Omninò nulla prædictis in verbis reperitur syllaba, quæ non quã maxima sit consideratione digna. Dubiũ nulli est aut esse potest, in primario & litterali sensu eiusmodi verba de sancta nostra Ecclesia fore intelligẽda: vt pote quæ tanquã Regina à dextris cœlestis sui Sponsi semper assistit: nõ quidẽ nuda, quinvero mirifice ornata, & vesti-

Nota quod, hæc verba quamvis primo & principaliter intelliguntur de Ecclesia in sensu tamẽ spirituali & mystico, etiam intelliguntur de Virgine Deipara.

vestitu de aurato, circundata virtutum innumerabiliũ varietate: quæ sunt pignora & odoramenta quæ effluunt, & spirant ex vestimentis prædicti cœlestis sui Sponsi, Circumdata etiam varietate diuersorum sacramentorum. Item varietate atque diuersitate diuersorum statuũ, Virginum, Viduarum, Continentium, Coniugatorum, Heremitarũ, Doctorum & Prædicatorum, Apostolorum & Euangelistarum. Varietate etiam atque diuersitate variarum Religionum, diuersarum linguarum: pro eo quod continentur in ea Græci, Latini, Scythæ, Indij, Æthyopes atque Chaldei. Varietate item & diuersitate diuersarum consuetudinum in Dei cultu: quamvis in omnibus sit vna Fides, & vnum Baptisma. Sed tamen quamvis id ipsum ita sit, negari minime potest, quod in sensu spirituali & mystico, eadem prædicta verba de sacra Deipara Virgine etiam intelligi possunt & debent, cum frequentissime à Doctoribus sanctis (qui in vero & ab eadem Ecclesia illi tribuantur, & accommodentur) quod quidem haudquaquam recte fieret, si non speciali aliqua ratione quam maxime illi conuenirent. Dicit ergo Regius Psaltes: *Astitit Regina à dextris tuis, in vestitu de aurato circumdata varietate*. Quid est quæso *Astitit*? idem prorsus ac si dixisset, *semper stetit*. Nõ *venit, siue accessit*: qui in vero semper à dextris stetit.

Quid significet Virginem sacram à dextris Regis siue Sponsi sui astare?

A dextris autem stare, idem prorsus significat, ac Deo à primo suæ Cõceptionis instanti gratam semper fuisse, neque vllas vnquam maculas sordes ve habuisse, quas prædictis aromaticis vnguẽtis, Myrrhæ, guttæ, & cassiæ mundari seu abluere opus fuisset. Fauet & huic resolutioni, id quod dicit Diuus Chrysostomus super prædictũ locum, nempe verbum *astare*, descendere à Græco quodam nomine, quod columnã significat, perindeque accipiendum esse illud, *Astitit Regina à dextris tuis*, ac si dixisset, *offirmauit se*, seu (si fas est dicere) *columnauit se* (id est) *in columnæ modum immobilis, à dextris tuis semper stetit*. Quod quam maximam emphasim atque ponderationem habet. Nam cum Iob cap. 26. dixerit: *Quod ante Deum columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutum eius* (per cœli columnas Angelos intelligendo: ad designandam quam maximam eorundem constantiam) & de illis loquendo Diuus Illephonsus asseruerit: *Quod columnæ prædictæ ante firmitatem nutarunt, & vacillarunt*: haud modicum quidem ponderationis habet, quod de Virgine ipsa sacra dicatur, quod astitit seu semper stetit, vel potius colũnata est (id est in columnæ modum offirmata) à dextris cœlestis sui Sponsi, tanquam Angelorum, hominumque Regina. Hæc certè firmitas & constantia in iustitia, regnum atque imperium illi addixit super omnes puras creaturas. Cum qua firmitate & constantia non quidem bene cohæret dicere, quod in primo suæ Conceptionis instanti, eadem extra diuinam gratiam fuerit: atque per originale peccatũ in diaboli manus & imperium incidisset, quæ semper vt immobilis columna, à dextris cœlestis sui Sponsi stetit: semper illi grata: nunquam:

inuisa

fuisse, aut odio habita, nunquã inimica, sed semper Regina, Sponsa & amica.

Addit præterea Regius Psaltes & dicit, prædictam Virginem sacram â dextris cœlestis sui sponsi (vt dictum est) astitisse, haud quidem nudam, sed vestitam atque ornatam, in vestitu de aurato, circundatam virtutum omnium varietate. Quo nescio quid amplius desiderari potuit, ad eiusdem immunitatem, & ab omni originalis peccati labe præseruationem præsignandam. Quæ supradicta verba. *In vestitu de aurato*, transfert D. Hieronymus *in diademate aureo*, Symachus vero *in auro primo*, & in Hebræo est quædam dictio, *Ophir*, quæ significat aurum purum; non quod arte defecatur: seû ad purum excoquitur: sed illud quod â principio purum fuit, ex ipsis minerum fondinis sectum. Quid est ergo quod dicit prædictus Propheta Regius, iuxta prædictum traductionis modum: nisi quod gratia illa qua Virgo sacra ad dexteram cœlestis sui Sponsi, tanquam diademate coronata astitit, seu stetit (necdum hominibus, verum etiam Angelis præfecta & ante lata) aurea quidem fuit: neque ex auro quocunque conficta: sed ex auro quodam primo, solido & puro: nunquam cuiuscunque alterius metalli commixtione adulterato. Quo (meo videri) nihil expressius dici potuit, ad insinuandum eam nuquam alicuius labis siue culpæ fecem admisisse: fuit enim gratia in qua condita fuit Virgo sacra, (non quæcunque) sed singularis quædam: pura, solida atque omninò impermixta, & maior omnium quæ alicui puræ creaturæ donari potuerunt. Id quod satis perspectum atque exploratum habuit D. Bernardus, quando de eadem sacra Virgine loquendo dixit: *Quod quantum sine personali vnione creatura conditio patitur, luci illi inaccessibili* (nempe Deo) *videbatur immersa*. A quo etiam non longe absfuit Diuus Augustinus, serm. 2. de Assumptione, vbi illi colloquendo, dixit: *Si te cælum vocem, altior es. Si Matrem gentium dicam, præcedis. Si formam Dei te appellem, digna existis*. Diuus etiam Hieronymus explicando illa Angeli verba, Lucæ 1. *Aue gratia plena Dominus tecum benedicta tu in mulieribus*: agendo de gratia, quæ vt Christi Domini fuisset digna Mater sacræ Virgini fuit collata, inquit: *Quod talibus decebat Virginem oppignerari muneribus, vt esset gratia plena, quæ dedit cælis gloriam, terris Dominum, pacemq; refudit, fidem gentibus, finem vitys, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Et bene* (inquit) *plena, quia cæteris per partes præstatur Mariæ vero simul se tota infudit plenitudo gratiæ. Vere plena, quia & si in Sanctis Patribus, & Prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena: in Mariam vero totius gratiæ quæ in Christo est plenitudo venit, quamquam aliter. Et ideo* (inquit) *dictum illi fuit, benedicta tu in mulieribus id est plus benedicta, quam omnes mulieres. Ac per hoc quidquid maledictionis infusum fuit per Euam, totum abstulit benedictio Mariæ.* Quid quæso amplius dici potuit ad hoc propositum?

Vndecimus locus desumi potest: ex Psalmo 86. *Fundamenta eius in-*

Quod non nuda Virgo sacra à dextris cælestis sui sponsi stetit, quinimo vero vestita vestitu de aurato, & circundata virtutũ omnium varietate.

Vndecimus locus

tus. Desumptus ex Psal. n. 86. Fundamenta eius in montibus Sanctis.

in montibus Sanctis. Qui quidem Psalmus (teste Diuo Augustino) breuis licet sit verborum numero, est tamen magnus sententiarum pondere. Et quamvis in eo ad literam Regius Psaltes, sub metaphora Ciuitatis cuiusdam in alto positæ, de sacra nostra loquatur Ecclesia: ex communi tamen Sanctorum Patrum consensu (quinvero & ex Ecclesiç eiusdem accommodatione) de sacra etiam intelligẽdus est Virgine, postquam integer in omnibus suis solẽnitatibus decantatur, & in vltimis prædicti Psalmi verbis quibus dicitur; *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Ecclesia ipsa adiungit, *Sancta Deigenitrix.* Nec resolutioni huic modicum fauet, Psalmi eiusdem titulus, qui sic habet: *Filijs Core Psalmus cantici*. Nec enim immerito Virgo Deipara, filia Core spiritualiter dicetur, postquam & in ea adimpletum fuit illud, quod Numerorum 26. habetur: *Factum est grande miraculum, vt Core pereunte, filij eius non perirent.* Non immorari libet in referenda hac historia, pro eo quod cunctis sit per via. Solummodo dico ad præsens nostrum propositum, grande etiam miraculum factum fuisse, vt Adamo & omnibus suis posteris per eiusdem peccatum pereuntibus, originalemque maculam incurrentibus (iuxta illud Pauli ad Romanos 5. *Omnes in Adam peccauerunt*) sola prædicta sacratissima Virgo, spiritualis Core filia, ex diuina gratia & singulari priuilegio non perierit, nec originale peccatum prædictũ in se cõtraxerit. Sed ad rem vt reuertamur ponderemus oportet singula prædicti Psalmi verba, & ex ipsis nostrum concludamus intentum, de sacræ Virginis immunitate, & eiusdem ab originalis peccati labe præseruatione.

De intentu huius Psalmi, & quod quãvis primario de sacra nostra intelligatur Ecclesia, secundario tamen, & in spirituali sensu etiam intelligitur de Virgine Deipara.

Qualia fuerint Virginis sacra fundamenta, & immaculata sua Conceptionis initia?

Ait Regius Psaltes: *Fundamenta eius in montibus Sanctis*. Quænam quæso sunt sacræ nostræ Virginis fundamenta: nisi eiusdem initia & primordia: cum primum concepta est in vtero sanctissimæ suæ matris? Id enim ipsum fundamenti nomen significat, etiam apud prophanos Auctores. In quo sensu dixit olim Cicero, *Cornif. Reipublicæ gesisse fundamenta, quando illi principium dedit.* Est igitur Prophetæ sensus, quod sacræ Virginis initia & primordia, fuerunt in montibus Sanctis, seu (vt alia littera dicit) in mõtibus sanctitatis. Quod quidem fuit ac si expressius diceret: supra omnem præcelsam quamcunque sanctitatem. Adeo enim sancta fuit, & diuinæ gratiæ donis eximijs, virtutibusque egregijs, in primo eius ad vitam introitu, ornata atque condecorata: vt ipsius sanctitas altissimos quosque sanctitatis montes, mirũ in modum præcelluerit. Hic est verborum prædictorum sensus legitimus: Cum quo certe haudquaquam bene cohçreret, illam asserere in primo suæ Conceptionis instanti (nec dum sanctam minime fuisse) quinvero originalis peccati labe infectam: Deo inimicam, ingratam, & inuissam: ac dæmoni & peccato subiectam. Prædictus Regius Psaltes de se ipso Psalm. 50. cum Deo verba faciens, aperte dixit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*, Non sic

Virgo

Virgo sacra: sed ab ipsis montibus sanctis, & quacūque sanctitate præcelsa, fœlicissima eiusdem Conceptio initium sumpsit. Quod etiam egregie confirmant subsequentia verba, quibus idem Propheta Regius dixit: *Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob.* Quænam (quæso) sunt portæ cœlestis huius Sion? Duas in Virgine sacra portas contemplari licet. Alteram cum in vtero sanctissimæ suæ Matris in totius mundi commune bonum fœlici sorte concepta fuit: alteram vero, quæ post nouem mensium decursum tempus, quasi noua quædam Aurora mundo apparuit. Has igitur cœlestis Sion portas, ait Propheta Regius, diligit Dominus super omnia tabernacula Iacob. Quod fuit ac si expressius diceret, Plus fuisse dilectam, pluris æstimatam, & apud Deum maiori præcio habitam, immaculatam sacræ Virginis Conceptionem, sanctissimamque ipsius Natiuitatem: quam sanctorum omnium tabernacula, vita & progressus, vt cumque ipsi fuerint sanctissimi & perfectissimi.

Subdit Propheta & dicit: *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Quod fuit ac si expressius diceret, quod nihil humile siue despectū, nihil abiectum, de Virgine sacra nostra suspicari licet: sed omnia eximia: quāmaxime gloriosa atque sublimia. Qualiter verba prædicta Virgini sacræ aptare possunt ij, qui aiunt in originali peccato eandem conceptam fuisse, & infamiæ Adami primi nostri parētis præuaricatione maculatam? Quid decorum illi tribuunt: dum ei maximum naturæ vitium impingunt? Quid insigne: quid gloriosum de ea prædicant: qui dicunt turpi originalis peccati crimine, fuisse illam maculatam & infectam? Ad hoc propositum faciunt quam maximè, quędam verba Petri Comestoris, nobilis & antiqui Auctoris, qui historiam fecit Scholasticam, in illo pererudito libro suo quem de Immaculata Virginis Conceptione edidit, vbi totum hunc Psalmum de sacra Virgine explicat, & ad purissimam ipsius Conceptionē adaptat. *Quid est* (inquit) *gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei? Si nostræ infirmitatis similia dicuntur de ea: & quæ magis pudenda quam gloriosa dici possunt?* De Romana ciuitate, quæ ad tantam postea gloriam euecta est (inquit Titus Libius) ab antiquis olim ex probrati ei solitum, quod ex sceleratorū hominum cœtu, sub Romulo primum fuerit coacta: & cum prima illius iacta fuerunt fundamenta, parricidio etiā deturpata fuit. Cui alludit illud Magni Leonis sermone primo in Natali Sāctorū Petri & Pauli, vbi id ipsum Romæ probro tribuit. Agendo enim de prædictis primis Ecclesiæ Principibus, cum eadem loquendo: *Hij sunt* (inquit) *Patres tui, veriq; pastores, qui te Regnis cœlestibus inserendam multo melius, multoq; fœlicius condiderunt, quam illi quorum studio tuorum mœnium fundamenta locata sunt, ex quibus is qui tibi nomen dedit fraterna te cæde fœdauit.* Cuius quidem notæ infamiā, extollens prædictus Titus Libius ait: quod hoc dedecus, nunquam actenus consequens posteritatis gloria deleuit. Simile quid de sancta nostra

Quod de Beata Virgine, nihil abiectū, siue despectum debet dici, sed omnia excelsa eximia atque gloriosa.

Nota hoc vale de Roma, & Romulo ipsius fundatore.

nostra ciuitate (Mariam sacratissimam intelligo) dicere videntur hij, qui aiunt, in originali peccato illam fuisse conceptam, & suę Conceptionis fundamenta, à crimine (nempe à parricidio Adami primi nostri parentis) initium cœpisse. Etenim si originale peccatum in Conceptione sua eam contraxisse dicamus; vere à parricidio cœpit: si quidem per huiusmodi peccatum, Adamus primus noster parens; omnibus suis filijs, crudelem ad modum attulit necem. Qua quidem ratione, si eiusmodi peccatum à Virgine sacra non auertimus, de ea etiã dicere licitum erit, quod Libius de Romanis olim: nempe, quod decus hoc, nunquam actenus consequens posteritatis gloria deleuit. Non (quæso) id nos dicamus: nihil humile aut despectum, turpe nihil de hac sacra ciuitate suspicemur: quinvero cum Propheta Regio omnes incunctanter canamus: gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. De Virgine sacra non nisi gloriosa, eximia, præclara atque decora dicenda & prædicanda sunt. Neque prædictis vllo modo contraire existimandum est, quod statim subsequitur in textu. *Memor ero Raab & Babylonis scientium me: ecce alienigenæ & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.* Quæ quidem verba sacræ Virgini (licet minime prima facie conuenire videantur) haudquaquam tamen id ita est: quinvero congruentissime eidem possunt etiam adaptari, & eiusdem quam maximam dignitatem præsagiunt, atque designant. Etenim sicut in prædictis verbis (iuxta ipsorum litteralem sensum) Ecclesiæ nostræ sacræ dignitas quam maxime commẽdatur: in hoc quod ad eam omnium gentium, atque nationum concursus, quasi cõglomeratus aduenerit: sic & nec minus in eisdem prædictæ sacræ Virginis dignitas mirum in modum extollitur, quod ad eandem ornandam atque condecorandam, virtutum omnium, donorum, gratiarum atque priuilegiorum cohors aduenata concurrerit, & omnia Spiritus Sancti charismata, in ea tanquam in sibi proportionata sede mirifice quieuerint, & Virgo Deipara his præ omnibus abũdauerit, adeò vt de ea (nec immerito) dici possit, quod plus gratiæ, quam naturæ habuerit. Verba sunt Petri Comestoris iam supra citati: *Scio (inquit) in Maria plus viguisse gratiam quam naturam. Audio ab Angelo gratia plenam, non memo natura plenam: & certe plus est gratia quam natura.* Et vt ne quis prædicta miretur, curiosiusque eorum caussam exquirat, quæstioni veluti tacite respondendo, addit vlterius Psalmista: *Numquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.* Quod fuit ac si expressius diceret. Quid mirũ est quod hęc & plura alia de ciuitate prædicta dicantur (sacram Virginem semper intelligo) in cuius sacratissimo vtero æterni Patris Verbum est caro factum? Quid mirum quod hæc diuinæ gratiæ priuilegia ei conuenire dicamus, quæ est vera Dei Mater? Nunquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus? Super quæ verba in dicto libro quem de pura Virginis Conceptione edidit, inquit

Haud quidem mirãdum est, quod de Virgine sacra tot mirabilia dicantur, cum vera ipsa sit Christi Filij Dei Mater, & de qua dicitur quod idem ipse eam sibi formauerit.

supra

supradictus Petrus Comestor: *Certe si hoc non esset recens, si non esset nouum atque insolitum, Propheta tanta nouitatis miraculum obstupescens, non exclamaret dicens: nunquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea.* Et verba quæ sequuntur, *& ipse fundauit eam Altissimus*, sic interpretatur: *ipse non alius: non vetus Adam, sed nouus, nouum iecit fundamentū, super quod tam præclarum & tam insigne surgeret ædificium: alioquin si veteris ruinæ mansere vestigia, si veteri super ædificatum est, vetus Adam & non ipse ædificauit eam altissimus.* Post quæ subdit: *Oportuit ipsam ab ipso fundamenti primordio, præ cæteris aliquod dignitatis sortiri priuilegium quæ secretorum Dei mysteriorumque cælestium in se susceptura erat arcanum.* Hæc prædictus Petrus Comestor vbi supra. Solent vrbes suos conditores iactare, ab eisdemque nomina sumere. Sic Alexandria ab Alexandro: Constantinopolis à Constantino: Pompeiopolis à Pompeio: Cæsar Augusta ab Augusto Cæsare, & aliæ alijs gloriantur. At vero sacra nostra ciuitas Virgo Deipara, non alium quam Deum habet sui conditorem, ipse fundauit eam altissimus. Quod si terreni Reges, ciuitatem Regiam quam in sui habitationem eligunt, quam maxime curant, eorum magnificentiæ vt correspondeat: quod sit muris optimis circundata: fontibus pluribus decorata: ianuis amplis & spaciosis plateis, illustribus callibus, vicis non flexuosis & obliquis, sed rectis & ornatis: magnarum atque illustrium ædium multitudine fulgida: omnium denique bonorum quæ vel animus appetere, necessitas exigere, delitiarum status requirere, vel appetitus potest desiderare abundantia referta: quid (quæso) putandum est fecisse Deum summum Regem gloriæ, qui inter omnes mundi creaturas hanc sacram Virginem, vt propriam suæ habitationis ciuitatem elegit, de qua dicitur quod ipse fundauit eā altissimus? Cur non bonorum omnium spiritualium benedictionibus eam repleuret: gratiarum abundantia impinguaret, & diuitiarum suarum copia ditissimam redderet? Cur ipsam originalis peccati labē, & mortalis criminis ignominioso fætore coinquinari permitteret? Haudquāquā id credendum est, neque quod primum lapidem super quem totius prædictæ ciuitatis maquina consurrexit (Virginis eiusdem sacram Conceptionem intelligo) infici maledictione originali passus fuerit. Hoc enim (si quod absit) euenisset, iam non ipse altissimus, sed terrenus Adam ciuitatem prædictam fundasse diceretur, & in ea primitus stigmata sua posuisse: quod minime est dicendum.

Et nec modicum quidem, in id ipsum energiæ atque ponderationis habet, verbum illud, *Fundauit* (quod fundamentum firmissimum sonat) cui totius ædificij moles innititur: in quo procul dubio qualis fuerit gratia quæ sanctissimæ Virgini collata est in primo suæ Conceptionis instanti præsignatum miratæ. Non id quidem de gratia Angelis, vel primis nostris parentibus in initio suæ conditionis donata, dici vllo modo potuit. Nulla prædictarum gratiarum, fundamenti no-

Nota valde, energiā, quā habet verbum fundauit, cum dicitur, quod B. Virginem fundauit altissimus.

... prouenerit. Nam teste Diuo Illephonso libro de Virginitate Ma... ...fuit gratia confirmata & immobilis, sed mobilis atque insta... ...que ante firmitatem nutauit & vacillauit. Sola iustitia & gra... ...sacrae Virgini in primo suae Conceptionis instanti concessa, fuit ...fundamenti gratia, firma, stabilis atque immobilis: qualis esse videba... ...tur necessaria ad praedicti supremi aedifitij molem sustentandã. Quod satis insinuauit translatio Caldaica. Nam vbi habet nostra ęditio vul... ...gata: *Ipse fundauit eam altissimus*: illa transfert, *ipse fundauit eam in altitu...dine*. Quod fuit ac si expressius dixisset. Taliter fundauit eam: tam fir...ma, solida & fortia in illa primę originalis gratię fundamenta posuit, ...qualia necessaria erant, vt pręcelsissima sanctitatis moles quam super eã imponere apud se statuerat, illis inniti atque incũbere optime pos...set. Cum igitur Deus Optimus Maximus apud se ab ęterno statuisset, Virginem sacram in eam sanctitatis celsitudinem extollere, vt con...grua & digna esset ęterni Filij sui Mater, & simul omnium Angelo...rum & hominum Regina: fortiora vtiq; atq; firmiora debuit illi sub...ijcere fundamenta, quam Angelis seu primis nostris parentibus in pri...ma sui conditione, quę predicta omnia, cum contractione originalis peccati, quam male cohereant, quis non videt?

Subdit preterea Propheta Regius & dicit: *Quod Dominus narrabit in scripturis populorum, & Principum horum qui fuerunt in ea*, quid narrabit? Ea scilicet quae dicta sunt de ciuitate praedicta. Quod fuit ac si expres...sius dixisset: quod praecelsae praedictae ciuitatis laudes, in omniũ scrip...torum continebuntur ore: Doctores omnes id ipsum suo pręconio ...sonabunt, & cunctorum sapientium tubae easdem extollent: omnes vbique sacratissimam Virginem Beatam dicent: iuxta id quod & ipsa post salutationem Angelicam, & Dei Filium suo iam conceptũ vte...ro, in suo praedixit Cantico, Lucae 2. *Quia respexit humilitatem Ancillae sua, ecce* (inquit) *ex hoc beatam me dicent omnes generationes*.

...In Virgine sacra haudquaquam existimandum est fuisse aliquod lugubre aut triste, sed omnia laeta, & quam maxime laetitia digna.

Concludendo ergo Propheta Regius, in vltimo praedicti Psalmi versu inquit: *Sicut laetantium omnium habitatio est in te*. Cui & Ecclesia san...cta nostra addit, *sancta Deigenetrix*. Quod omninò fuit ac si expressius dixisset, Deum Optimum Maximum, nihil vnquam triste, lugubre, nihil amarum siue aduersum passum fuisse inueniri prorsus (etiã pro minimo temporis instanti) in ea quam sibi in Matrem delegerat, & in habitationis suae ciuitatem extruxit. Quae quidem verba (vt satis con...stat) eidem adaptari minime possent, si in Virgine sacra originale pec...catum repertum fuisset, nulla tunc sibi fuisset causa laetitiae: quin vero tristitiae, luctus atq; doloris, cum peccatum omne ex natura sua exe...crabile adeò sit, vt imperfecto nostro philosophandi modo, quodam...modo dicere possimus, quod maiestatem Dei ipsam dolore afficiat: & diuinũ cor (quantũ est ex se) felle perfundat & amaritudine. Quod cum dicendum minime sit, aperte satis concluditur, quod in Virgine

sacra

sacra, nullo vnquam tempore aliqua Deo mestitię siue tristitiæ causa fuit, nec vero sibi: quin potius (vt dicit Propheta Regius) *sicut lætantium omnium habitatio fuit in ipsa*. Quas quidem exultationes atque lætitias adumbratas mirifice video, in eo, quod dixit olim idem Propheta Regius, Psalmo 47. dum dixit: *Fundatur exultatione vniuersæ terræ, mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas Regis magni*. Quæ quidem verba (licet in primario & litterali sensu) intelligēda sint de fundatione illius vrbis quæ à Dauide cepta atq; ædificata fuit, festiue nimis & cum magna populorum acclamatione & deuotione, ad modum quo fieri solet cum primus magni alicuius palatij siue Ecclesiæ lapis sufternitur: in sensu tamen spirituali, mystico & accommodatitio, congruentissime etiam adaptari possunt sacræ Virgini, & ipsius Immaculatæ Conceptioni: qui fuit dies in quo originalis gratiæ firmissimus lapis, in eius sanctissima anima fuit collocatus. Vnde & par est, vt in die istavtriusque creaturæ summa acclamatio & congratulatio fiat, & vt quot annis (quinvero & per singulos dies) instauretur, huiusque festiuitatis mentio fiat, plenis bucibus cunctis populis conclamantibus: Deiparæ nostræ Mariæ originalem gratiam primam, ad eum modum quo & Zachariæ 4. eiusmodi acclamationē factam fuisse legimus, tēpore Zorobabel, vbi dicit sacer textus: *Et educet lapidē primariū, & exequabit gratiam gratiæ eius*. Quorū verborū loco, alia littera dicit: *Et educet lapidem primariū, cum clamoribus, gratia, gratia*, quod quidē esttae si expressius dixisset, quod prædictus primarius lapis, appositus est vniuerso conclamante populo, & identidē repetente, *gratia, gratia*. Eiusmodi igitur clamores dignū est vt fiant, necdum ab hominibus, verū etiam & ab Angelis, in sacra atq; Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione: qua die placuit Altissimo in eius sanctissimam animā primū lapidē sternere. Congruum (inquam) est, vt omnes vnanimi corde dicant, *gratia, gratia*, hoc est, quod confiteantur copiosissimam atque specialissimā gratiam collatam eidem fuisse, nō qualemcunque. Quod quam mirifice designat illa gratiæ, gratiæ & repetitio & iteratio, iuxta sacræ Scripturæ phrasim, vt non etiā prætermittamus ęditionem nostram vulgatam, qua dicitur: *exequabit gratiam gratiæ eius*: & dicere etiam simul possumus, iterationem prædictam *gratia, gratia*, in hunc sensum fore interpretandam; quod exequabit Deus gratiam gratiæ, id est vnam gratiam, alteri gratiæ: eam nempe quam dedit illi in primo suæ Conceptionis instanti (cum primus prædicti ædificij siue ciuitatis iactus est lapis) cum illa quam Deus ab æterno præparauerat, quando elegit atque prædestinauit ipsam, vt digna esset & congrua æterni Filij sui Mater. In hoc sensu exequata est gratia, gratiæ eius, & aptata sunt Virginis sacræ initia, seu media, cum præcelso fine ad quem ab æterno fuit electa, & prædestinata. Quod notandum est valde.

Nota hoc valde, circa solemnitatem & iubilationē quā fieri oportet in Conceptione sacræ Virginis Mariæ.

Duodecimus locus ad idem propositū, desumi potest ex illis verbis

Duodecimus locus

men promeruit. Nam teste Diuo Illephonso libro de Virginitate Mariæ, non fuit gratia confirmata & immobilis, sed mobilis atque instabilis: sicque ante firmitatem mutauit & vacillauit. Sola iustitia & gratia sacræ Virgini in primo suæ Conceptionis instanti concessa, fuit fundamenti gratia, firma, stabilis atque immobilis: qualis esse videbatur necessaria ad prædicti supremi ædifitij molem sustentandã. Quod satis insinuauit translatio Caldaica. Nam vbi habet nostra ęditio vulgata: *Ipse fundauit eam altissimus*: illa transfert, *ipse fundauit eam in altitudine*. Quod fuit ac si expressius dixisset. Taliter fundauit eam: tam firma, solida & fortia in illa primę originalis gratię fundamenta posuit, qualia necessaria erant, vt pręcelsissima sanctitatis moles quam super eã imponere apud se statuerat, illis inniti atque incũbere optime posset. Cum igitur Deus Optimus Maximus apud se ab ęterno statuisset, Virginem sacram in eam sanctitatis celsitudinem extollere, vt congrua & digna esset ęterni Filij sui Mater, & simul omnium Angelorum & hominum Regina: fortiora vtiq; atq; firmiora debuit illi subijcere fundamenta, quam Angelis seu primis nostris parentibus in prima sui conditione, quę prędicta omnia, cum contractione originalis peccati, quam male cohereant, quis non videt?

Subdit preterea Propheta Regius & dicit: *Quod Dominus narrabit in scripturis populorum, & Principum horum qui fuerunt in ea*, quid narrabit? Ea scilicet quæ dicta sunt de ciuitate prædicta. Quod fuit ac si expressius dixisset: quod præcelsæ prædictæ ciuitatis laudes, in omnũ scriptorum continebuntur ore: Doctores omnes id ipsum suo pręconio sonabunt, & cunctorum sapientium tubæ easdem extollent: omnes vbique sacratissimam Virginem Beatam dicent: iuxta id quod & ipsa post salutationem Angelicam, & Dei Filium suo iam conceptũ vtero, in suo prædixit Cantico, Lucæ 2. *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ, ecce* (inquit) *ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

Concludendo ergo Propheta Regius, in vltimo prædicti Psalmi versu inquit: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te*. Cui & Ecclesia sancta nostra addit, *Sancta Dei genitrix*. Quod omninò fuit ac si expressius dixisset, Deum Optimum Maximum, nihil vnquam triste, lugubre, nihil amarum siue aduersum passum fuisse inueniri prorsus (etiã pro minimo temporis instanti) in ea quam sibi in Matrem delegerat. & inhabitationis suæ ciuitatem extruxit. Quæ quidem verba (vt satis constat) eidem adaptari minime possent, si in Virgine sacra originale peccatum repertum fuisset, nulla tunc sibi fuisset causa lætitiæ: quin vero tristitiæ, luctus atq; doloris, cum peccatum omne ex natura sua execrabile adeò sit, vt imperfecto nostro philosophandi modo, quodammodo dicere possimus, quod maiestatem Dei ipsam dolore afficiat: & diuinũ cor (quantũ est ex se) felle perfundat & amaritudine. Quod cum dicendum minime sit, aperte satis concluditur, quod in Virgine sacra

In Virgine sacra haudquaquam existimandam est fuisse aliquid lugubre aut triste, sed omnia læta, & quammaxime lætitia digna.

sacra, nullo vnquam tempore aliqua Deo mœstitię siue tristitiæ causa fuit, nec vero sibi: quin potius (vt dicit Propheta Regius) *sicut lætantium omnium habitatio fuit in ipsa*. Quas quidem exultationes atque lætitias adumbratas mirifice video, in eo quod dixit olim idem Propheta Regius, Psalmo 47. dum dixit: *Fundatur exultatione vniuersæ terræ, mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas Regis magni*. Quæ quidem verba (licet in primario & litterali sensu) intelligēda sint de fundatione illius vrbis quæ à Dauide cepta atq; ædificata fuit, festiue nimis & cum magna populorum acclamatione & deuotione, ad modum quo fieri solet cum primus magni alicuius palatij siue Ecclesiæ lapis sternitur: in sensu tamen spirituali, mystico & accommodatitio, congruentissime etiam adaptari possunt sacræ Virgini, & ipsius Immaculatæ Conceptioni: qui fuit dies in quo originalis gratiæ firmissimus lapis, in eius sanctissima anima fuit collocatus. Vnde & par est vt in die isto vtriusque creaturæ summa acclamatio & congratulatio fiat, & vt quot annis (quinvero & per singulos dies) instauretur, huiusque festiuitatis mentio fiat, plenis bucibus cunctis populis conclamantibus: Deiparæ nostræ Mariæ originalem gratiam primam, ad eum modum quo & Zachariæ 4. eiusmodi acclamationē factam fuisse legimus, tēpore Zorobabel, vbi dicit sacer textus: *Et educet lapidē primariū, & exequabit gratiam gratiæ eius*. Quorū verborū loco, alia littera dicit: *Et educet lapidem primariū, cum clamoribus, gratia, gratia*, quod quidē est ac si expressius dixisset, quod prædictus primarius lapis, appositus est vniuerso conclamante populo, & identidē repetente, *gratia, gratia*. Eiusmodi igitur clamores dignū est vt fiant, necdum ab hominibus, verū etiam & ab Angelis, in sacra atq; Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione: qua die placuit Altissimo in eius sanctissimam animā primū lapidē sternere. Congruum (inquam) est, vt omnes vnanimi corde dicant, *gratia, gratia*, hoc est, quod confiteantur copiosissimam atque specialissimā gratiam collatam ei dem fuisse, nō qualemcunque. Quod quam mirifice designat illa gratiæ, gratiæ & repetitio & iteratio, iuxta sacræ Scripturæ phrasim, vt non etiā prætermittamus ęditionem nostram vulgatam, qua dicitur: *exequabit gratiam gratiæ eius*: & dicere etiam simul possumus, iterationem prædictam *gratia, gratia*, in hunc sensum fore interpretandam: quod exequabit Deus gratiam gratiæ, id est vnam gratiam, alteri gratiæ: eam nempe quam dedit illi in primo suæ Conceptionis instanti (cum primus prædicti ædificij siue ciuitatis iactus est lapis) cum illa, quam Deus ab æterno præparauerat, quando elegit atque prædestinauit ipsam, vt digna esset & congrua æterni Filij sui Mater. In hoc sensu exequata est gratia, gratiæ eius, & aptata sunt Virginis sacræ initia, seu media, cum præcelso fine ad quem ab æterno fuit electa, & prædestinata. Quod notandum est valde.

Nota hoc valde, circa solemnitatem & iubilationē quā fieri oportet in Conceptione sacra Virginis Mariæ.

Duodecimus locus ad idem propositū, desumi potest ex illis verbis

Duodecimus

dæ sunt in conspectu eius. Fuit ergo dicere, Virginis sacræ splendorē adeò futurum maximum (vt necdum in conspectu hominum) quinvero & Angelorum reputari deberet: verum etiam & in conspectu ipsiusDei. Sancti certe omnes (quinvero & Angeli, quantacunque sanctitatis gratia præditi atque condecorati constiterint) vt cunq; plurimum splenduerint: in Dei conspectu quasi reputantur tenebræ, aut saltim parum vel nihil splendere: at Virgo sacra (Regio Psalte teste) etiam in conspectu Dei vt Sol splendet. Cum quo haudquaquam potest cohærere, quod ipsa in primo suæ Conceptionis instanti, obumbrata atque obscurata fuerit caligine originalis peccati. Sed procedamus ad alia.

Quod Virgo sacra fuit etiam vt Luna perfecta in conspectu Dei.

Dicit vlterius Regius Psaltes, quod Virgo sacra fuit etiam incōspectu Dei vt Luna perfecta in æternum. Sub quo epitheto quam maxime sacræ Virginis puritas designatur, nimiusq; eiusdem splendor: cum Luna (vt constat) præter Solem splendidissimum, inter reliqua omnia sidus siue astrum quoddam fulgentissimum sit, pulchritudine, decore atque venustate longe omnia alia excedens. Et nec mysterio vacat, quod necdum Virgo sacra, in claritate, pulchritudine & venustate, Lunæ vt cunque comparatur: verum & Lunæ perfectæ: inquit enim Regius Psaltes: *Quod erit sicut Luna perfecta in æternum.* Quo quidem dicendi modo (me nisi animus fallit) piave affectio decipit eiusdem puritas, immunitas atque ab omni originalis peccati labe præseruatio, efficacissime & quasi euidentissime præsignatur. Plutarchus triplicem positionem Lunæ tribuit, problem. 23. Primam cū Solis congressu penitus occultatur. Secundam cum Solis radios ac lumen elapsa ab occasu incipit apparere. Tertiam cum in orbem plenum se colligit, ac plenilunium efficit. Qua etiam ratione Ouidius Metamorphos. 15. inquit.

Luna perfecta quanam dicatur?

Nec par, aut eadem nocturnæ forma Dianæ
Esse potest vsquam, semperq; hodierna sequente,
Si crescit minor, maior si contrahit orbem.

Ac si plenius diceret, quod Lunæ status non semper in omnimoda sua perfectione versatur. Quandoque enim minuitur: quandoque crescit: quandoque in plenilunio & perfecta sua pulchritudine & claritate consistit. Vt igitur Regius Psaltes Deiparæ nostræ sacræ integritatem omnimodam, omnibusque suis numeris absolutam perfectionem innueret, absque vlla prorsus originalis peccati turpitudine siue obscuritate, eam Lunæ (nō vt cumque) sed perfectæ & plenæ similem esse dicit, ac si expressius diceret: illam non sicut materialem Lunam deliquia passam fuisse, aut iustificantis gratiæ lumine & splēdore (nec per minimum quidem instans) caruisse: sed à primo suæ Conceptionis instanti, gratia plenam semper atque perfectam fuisse. Quod ante mille annos expresse etiam dixit, antiquissimus & grauissimus

fimus ille Doctor Anasthasius Synaita, loquens de Deipara ipsa: *Luna* (inquit) *quadam plena fuit Maria, qua nunquam defecit, aut priuata fuit essentiali lumine* (id est gratia.) Quod & cōfirmauit Theodoretus explicans illa verba Canticorum 6. *Qua est ista qua pregreditur, quasi Aurora consurgens, pulchra vt Luna.* Quæ sunt verba filiarum Hierusalem comparationem facientium, inter Mariam cœlestem Sponsam, & cæteras alias creaturas: *Vt discrimen* (inquit Theodoretus) *inter illā & stellas indicarent, & vt ipsius Lunā perfectionem ostenderent, pulchram illam dicunt, & vt Luna plena nitens: non exilia ostentans cornua: non semiplena: non decrescens, sed perfecta, & toto orbe splendida: non quidquam in perfectionis retinens, sed totum globum laudum præseferens.* Quo ad præsens propositum, nescio quid amplius dici aut desiderari potuit?

Subsequitur Regius Psaltes & dicit, quod sacra Virgo Deipara in conspectu Dei futura erat testis in cœlo fidelis. Sub qua etiam metaphora haud obscure præsignauit, fidelitatem perpetuam quam obseruatura erat Deo, à primo suæ Conceptionis instanti. Nam cum cæteri omnes sancti, vt cunque magni, per contractionem originalis peccati, Deo aliquando extiterint infideles, & in sua Conceptione eiusdem fuerint infecti labe: iuxta illud Oseæ 6. *Omnes sicut Adam transgressi sunt pactū, ibi prævaricati sunt in me:* sola Virgo sacra ex speciali priuilegio ac diuina gratia, ab eo pacto & generali lege excepta fuit, & semper extitit testis in cœlo fidelis: quia nulla prorsus originalis peccati labe suā maculauit animā, seu à Deo debita fidelitate recessit. Sub qua metaphora, vsus fuit Psalmista communi dicendi modo. Etenim sicut cuiusque viri vxor fidelis dicitur, quæ nunquam contra ipsum aliquod vel leue peccatum commisit: è contra vero quæ alicuius delicti est sibi conscia, infidelis viro (neque immerito) vocatur: sic ad insinuandum prædictam cœlestem Sponsam (Mariam intelligo) cœlestis sui Spōsi nullius peccati (etiam originalis) crimine, nullove animæ suæ defectu thorum infecisse, merito de ea dicit Regius Psaltes, quod futura erat *testis in cœlo fidelis.*

Quam ob causam Virgo sacra, testis in cœlo fidelis dicatur?

Neque desunt qui per testem in cœlo fidelem, Iridem siue cœlestem arcum intelligāt. Quam expositionem sequitur Bellarminus super hunc locum In Iridis etiam appellatione, haud modicum quidem Deiparæ Virginis pulchritudo præsignatur: cum Iris inter omnes Metheorologicos effectus, pulcherrimus atque speciosissimus sit: iuxta illud Ecclesiastici 43. *Vide arcum & benedic Deum qui fecit illum: valde enim speciosus est in splendore suo.* Quid igitur est Virginem sacram Iridi comparare: quam ipsam pulcherrimam, formosissimam, gratiosissimam, atque speciosissimam dicere? Cum qua summa pulchritudine atque formositate, originalis quidem peccati deformitas, haudquaquam bene cohæreret. Absit ergo id vt dicamus: quinvero potius quod sicut Iris in cœlo, varijs coloribus induta apparet: sic & Maria sacra nostra

Per testem in cœlo fidelem, quidam etiam Iridem siue arcum cœlestem intelligunt.

tus. Desumptus ex Psal.n. 86. Fundamenta eius in mòtibus Sanctis.

in montibus Sanctis. Qui quidem Psalmus(teste Diuo Augustino) breuis licet sit verborum numero, est tamen magnus sententiarum pondere. Et quamvis in eo ad litteram Regius Psaltes, sub metaphora Ciuitatis cuiusdam in alto positæ, de sacra nostra loquatur Ecclesia: ex communi tamen Sanctorum Patrum consensu (quinvero & ex Ecclesię eiusdem accommodatione) de sacra etiam intelligēdus est Virgine, postquam integer in omnibus suis solēnitatibus decantatur, & in vltimis prædicti Psalmi verbis quibus dicitur; *Sicut lætantium omnium habitatio est in te*. Ecclesia ipsa adiungit, *Sancta Deigenitrix*. Nec resolutioni huic modicum fauet, Psalmi eiusdem titulus, qui sic habet: *Filijs Core Psalmus cantici*. Nec enim immerito Virgo Deipara, filia Core spiritualiter dicetur, postquam & in ea adimpletum fuit illud, quod Numerorum 26. habetur: *Factum est grande miraculum, vt Core pereunte, filij eius non perirent*. Non immorari libet in referenda hac historia, pro eo quod cunctis sit per via. Solummodo dico ad præsens nostrum propositum, grande etiam miraculum factum fuisse, vt Adamo & omnibus suis posteris per eiusdem peccatum pereuntibus, originalemque maculam incurrentibus(iuxta illud Pauli ad Romanos 5. *Omnes in Adam peccauerunt*) sola prædicta sacratissima Virgo, spiritualis Core filia, ex diuina gratia & singulari priuilegio non perierit, nec originale peccatum prædictū in se cōtraxerit. Sed ad rem vt reuertamur ponderemus oportet singula prædicti Psalmi verba, & ex ipsis nostrum concludamus intentum, de sacræ Virginis immunitate, & eiusdem ab originalis peccati labe præseruatione.

De intento huius Psalmi, & quod quāvis primario de sacra nostra intelligatur Ecclesia, secundario tamen, & in spiritualisensu etiam intelligitur de Virgine Deipara.

Qualia fuerint Virginis sacræ fundamenta, & immaculata sua Conceptionis initia?

Ait Regius Psaltes: *Fundamenta eius in montibus Sanctis*. Quænam quæso sunt sacræ nostræ Virginis fundamenta: nisi eiusdem initia & primordia, cum primum concepta est in vtero sanctissimæ suæ matris? Id enim ipsum fundamenti nomen significat, etiam apud prophanos Auctores. In quo sensu dixit olim Cicero, *Cornif. Reipublica gessisse fundamenta, quando illi principium dedit*. Est igitur Prophetæ sensus, quod sacræ Virginis initia & primordia, fuerunt in montibus Sanctis, seu (vt alia littera dicit) in mōtibus sanctitatis. Quod quidem fuit ac si expressius diceret: supra omnem præcelsam quamcunque sanctitatem. Adeò enim sancta fuit, & diuinæ gratiæ donis eximijs, virtutibusque egregijs, in primo eius ad vitam introitu, ornata atque condecorata: vt ipsius sanctitas altissimos quosque sanctitatis montes, mirū in modum præcelluerit. Hic est verborum prædictorum sensus legitimus. Cum quo certe haudquaquam bene cohęreret, illam asserere in primo suæ Conceptionis instanti (nec dum sanctam minime fuisse) quinvero originalis peccati labe infectam: Deo inimicam; ingratam, & inuissam: ac dæmoni & peccato subiectam. Prædictus Regius Psaltes de se ipso Psalm. 50. cum Deo verba faciens, aperte dixit; *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*. Non sic

Virgo

Virgo sacra: sed ab ipsis montibus sanctis, & quæcũque sanctitate præcelsa, fœlicissima eiusdem Conceptio initium sumpsit. Quod etiam egregie confirmant subsequentia verba, quibus idem Propheta Regius dixit: *Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob.* Quænam (quæso) sunt portæ cœlestis huius Sion? Duas in Virgine sacra portas contemplari licet. Alteram cum in vtero sanctissimæ suæ Matris in totius mundi commune bonum fœlici sorte concepta fuit: alteram vero, quæ post nouem mensium decursum tempus, quasi noua quædam Aurora mundo apparuit. Has igitur cœlestis Sion portas, ait Propheta Regius, diligit Dominus super omnia tabernacula Iacob. Quod fuit ac si expressius diceret, Plus fuisse dilectam, pluris æstimatam, & apud Deum maiori præcio habitam, immaculatam sacræ Virginis Conceptionem, sanctissimamque ipsius Natiuitatem: quam sanctorum omnium tabernacula, vita & progressus, vt cumque ipsi fuerint sanctissimi & perfectissimi.

Subdit Propheta & dicit: *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Quod fuit ac si expressius diceret, quod nihil humile siue despectũ, nihil abiectum, de Virgine sacra nostra suspicari licet: sed omnia eximia: quãmaxime gloriosa atque sublimia. Qualiter verba prædicta Virgini sacræ aptare possunt ij, qui aiunt in originali peccato eandem conceptam fuisse, & infamiæ Adami primi nostri parẽtis præuaricatione maculatam? Quid decorum illi tribuunt: dum ei maximum naturæ vitium impingunt? Quid insigne? quid gloriosum de ea prædicant: qui dicunt turpi originalis peccati crimine, fuisse illam maculatam & infectam? Ad hoc propositum faciunt quam maxime, quędam verba Petri Comestoris, nobilis & antiqui Auctoris, qui historiam fecit Scholasticam, in illo pereruditо libro suo quem de Immaculata Virginis Conceptione edidit, vbi totum hunc Psalmum de sacra Virgine explicat, & ad purissimam ipsius Conceptionẽ adaptat. *Quid est* (inquit) *gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei Si nostra infirmitatis similia dicuntur de ea: & quæ magis pudenda quam gloriosa dici possunt?* De Romana ciuitate, quæ ad tantam postea gloriam euecta est (inquit Titus Libius) ab antiquis olim ex probrari ei solitum, quod ex sceleratorũ hominum cœtu, sub Romulo primum fuerit coacta: & cum prima illius iacta fuerunt fundamenta, parricidio etiã deturpata fuit. Cui alludit illud Magni Leonis sermone primo in Natali Sãctorũ Petri & Pauli, vbi id ipsum Romæ probro tribuit. Agendo enim de prædictis primis Ecclesiæ Principibus, cum eadem loquendo: *Hi sunt* (inquit) *Patres tui, veriq; pastores, qui te Regnis cœlestibus inserendam multo melius, multoq; fœlicius condiderunt, quam illi quorum studio tuorum mœnium fundamenta locata sunt, ex quibus is qui tibi nomen dedit fraterna te cæde fœdauit.* Cuius quidem notæ infamiã, extollens prædictus Titus Libius ait: quod hoc dedecus, nunquam actenus consequens posteritatis gloria deleuit. Simile quid de sancta nostra

Quod de Beata Virgine, nihil abiectũ, siue despectum debet dici, sed omnia excelsa eximia atque gloriosa.

Nota hoc valde Roma, & Romulo ipsius fundatore.

nostra ciuitate (Mariam sacratissimam intelligo) dicere videntur hij, qui aiunt, in originali peccato illam fuisse conceptam, & suę Conceptionis fundamenta, á crimine (nempe á parricidio Adami primi nostri parentis) initium cœpisse, Etenim si originale peccatum in Conceptione sua eam contraxisse dicamus: vere á parricidio cœpit: si quidem per huiusmodi peccatum, Adamus primus noster parens, omnibus suis filijs, crudelem ad modum attulit necem. Qua quidem ratione, si eiusmodi peccatum á Virgine sacra non auertimus, de ea etiá dicere licitum erit quod Libius de Romanis olim: nempe quod decus hoc, nunquam actenus consequens posteritatis gloria deleuit. Non (quaso) id nos dicamus: nihil humile aut despectum, turpe nihil de hac sacra ciuitate suspicemur: quin vero cum Propheta Regio omnes incunctanter canamus: gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. De Virgine sacra non nisi gloriosa, eximia, praclara atque decora dicenda & prædicanda sunt. Neque prædictis vllo modo contraire existimandum est, quod statim subsequitur in textu. *Memor ero Raab & Babylonis scientium me: ecce alienigena & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.* Quæ quidem verba sacræ Virgini (licet minime prima facie conuenire videantur) haudquaquam tamen id ita est: quin vero congruentissime eidem possunt etiam adaptari, & eiusdem quam maximam dignitatem præsagiunt, atque designant. Etenim sicut in prædictis verbis (iuxta ipsorum litteralem sensum) Ecclesiæ nostræ sanctæ dignitas quam maxime commẽdatur: in hoc quod ad eam omnium gentium, atque nationum concursus, quasi cõglomeratus aduenerit: sic & nec minus in eisdem prædictæ sacræ Virginis dignitas mirum in modum extollitur, quod ad eandem ornandam atque condecorandam, virtutum omnium, donorum, gratiarum atque priuilegiorum cohors adunata concurrerit, & omnia Spiritus Sancti charismata, in ea tanquam in sibi proportionata sede mirifice quieuerint, & Virgo Deipara his præomnibus abũdauerit, adeò vt de ea (nec immerito) dici possit, quod plus gratiæ, quam naturæ habuerit. Verba sunt Petri Comestoris iam supra citati: *Scio* (inquit) *in Maria plus viguisse gratiam quam naturam. Audio ab Angelo gratia plenam, non inuenio natura plenam: & certe plus est gratia quam natura.* Et vt ne quis prædicta miretur, curiosiusque eorum causam exquirat, quæstioni veluti tacitæ respondendo, addit vlterius Psalmista: *Numquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.* Quod fuit ac si expressius diceret. Quid mirũ est quod hæc & plura alia de ciuitate prædicta dicantur (sacram Virginem semper intelligo) in cuius sacratissimo vtero æterni Patris Verbum est caro factum? Quid mirum quod hæc diuinæ gratiæ priuilegia ei conuenire dicamus, quæ est vera Dei Mater? Nunquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus? Super quæ verba in dicto libro quem de pura Virginis Conceptione edidit, inquit

Haud quidem mirãdum est, quod de Virgine sacra tot mirabilia dicantur, cum vera ipsa sit Christi Filij Dei Mater, & de qua dicitur quod idem ipse eam sibi formauerit.

supra

supradictus Petrus Comestor: *Certe si hoc non esset recens, si non esset nouum atque insolitum, Propheta tanta nouitatis miraculum obstupescens, non exclamaret dicens: nunquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea.* Et verba quæ sequuntur, *& ipse fundauit eam Altissimus*, sic interpretatur: *ipse non alius: non vetus Adam, sed nouus, nouum iecit fundamentũ, super quod tam præclarum, & tam insigne surgeret ædificium: alioquin si veteris ruina manseret vestigia, si veteri super ædificatum est, vetus Adam & non ipse ædificauit eam altissimus.* Post quæ subdit: *Oportuit ipsam ab ipso fundamenti primordio, præ cæteris aliquod dignitatis sortiri priuilegium quæ secretorum Dei, mysteriorumq; cælestium in se susceptura erat arcanum.* Hæc prædictus Petrus Comestor vbi supra. Solent vrbes suos conditores iactare, ab eisdemque nomina sumere. Sic Alexandria ab Alexandro: Constantinopolis à Constantino: Pompeiopolis à Pompeio: Cæsar Augusta ab Augusto Cæsare, & aliæ alijs gloriantur. At vero sacra nostra ciuitas Virgo Deipara, non alium quam Deum habet sui conditorem, ipse fundauit eam altissimus. Quod si terreni Reges, ciuitatem Regiam quam in sui habitationem eligunt, quam maxime curant, eorum magnificentiæ vt correspondeat; quod sit muris optimis circundata: fontibus pluribus decorata: ianuis amplis & spaciosis plateis, illustribus callibus, vicis non flexuosis & obliquis, sed rectis & ornatis; magnarum atque illustrium ædium multitudine fulgida: omnium denique bonorum quæ vel animus appetere, necessitas exigere, delitiarum status requirere, vel appetitus potest desiderare abundantia referta: quid (quæso) putandum est fecisse Deum summum Regem gloriæ, qui inter omnes mundi creaturas hanc sacram Virginem, vt propriam suæ habitationis ciuitatem elegit, de qua dicitur quod ipse fundauit eã altissimus? Cur non bonorum omnium spiritualium benedictionibus eam repleret: gratiarum abundantia impinguaret, & diuitiarum suarum copia ditissimam redderet? Cur ipsam originalis peccati labe, & mortalis criminis ignominioso fœtore coinquinari permitteret? Haudquaquã id credendum est, neque quod primum lapidem super quem totius prædictæ ciuitatis machina consurrexit (Virginis eiusdem sacram Cõceptionem intelligo) infici maledictione originali passus fuerit. Hoc enim (si quod absit) euenisset, iam non ipse altissimus, sed terrenus Adam ciuitatem prædictam fundasse diceretur, & in ea prioritus stigmata sua posuisse; quod minime est dicendum.

Et nec modicum quidem, in id ipsum energiæ atque ponderationis habet verbum illud, *Fundauit* (quod fundamentum firmissimum sonat) cui totius ædificij moles innititur: in quo procul dubio qualis fuerit gratia quæ sacratissimæ Virgini collata est in primo suæ Conceptionis instanti præsignatum mirifice. Non id quidem de gratia Angelis, vel primis nostris parentibus in initio suæ conditionis donata, dici vllo modo potuit. Nulla prædictarum gratiarum, fundamenti no-

Nota valde, energiã, quã habet verbum fundauit; cum dicitur, quod B. Virginem fundauit altissimus.

men promeruit. Nam teste Diuo Illephonso libro de Virginitate Mariæ, non fuit gratia confirmata & immobilis, sed mobilis atque instabilis: sicque ante firmitatem nutauit & vacillauit. Sola iustitia & gratia sacræ Virgini in primo suæ Conceptionis instanti concessa, fuit fundamenti gratia, firma, stabilis atque immobilis: qualis esse videbatur necessaria ad prædicti supremi ædificij molem sustentandā. Quod satis insinuauit translatio Caldaica. Nam vbi habet nostra editio vulgata: *ipse fundauit eam altissimus*: illā transfert, *ipse fundauit eam in altitudine*. Quod fuit ac si expressius dixisset. Taliter fundauit eam: tam firma, solida & fortia in illa primę originalis gratię fundamenta posuit, qualia necessaria erant, vt pręcelsissima sanctitatis moles quam super eā imponere apud se statuerat, illis inniti atque incūbere optime posset. Cum igitur Deus Optimus Maximus apud se ab ęterno statuisset, Virginem sacram in eam sanctitatis celsitudinem extollere, vt congrua & digna esset eterni Filij sui Mater, & simul omnium Angelorum & hominum Regina: fortiora vtiq; atq; firmiora debuit illi subijcere fundamenta, quam Angelis seu primis nostris parentibus in prima sui conditione, quę prędicta omnia, cum contractione originalis peccati, quam male cohereant, quis non videt?

Subdit preterea Propheta Regius & dicit: *Quod Dominus narrabit in scripturis populorum, & Principum horum qui fuerunt in ea*, quid narrabit? Ea scilicet quæ dicta sunt de ciuitate prædicta. Quod fuit ac si expressius dixisset: quod præcelsæ prædictæ ciuitatis laudes, in omniū scriptorum continebuntur ore: Doctores omnes id ipsum suo pręconio sonabunt, & cunctorum sapientium tubæ easdem extollent: omnes vbique sacratissimam Virginem Beatam dicent: iuxta id quod & ipsa post salutationem Angelicam, & Dei Filium suo iam conceptū vtero, in suo prædixit Cantico, Lucæ 2. *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ, ecce* (inquit) *ex hoc beatam me dicent omnes generationes*.

In Virgine sacra haudquaquam existimandum est fuisse aliquid lugubre aut triste, sed omnia læta, & quammaxime lætitia digna.

Concludendo ergo Propheta Regius, in vltimo prædicti Psalmi versu inquit: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te*. Cui & Ecclesia sancta nostra addit, *Sancta Dei genitrix*. Quod omninò fuit ac si expressius dixisset, Deum Optimum Maximum, nihil vnquam triste, lugubre, nihil amarum siue aduersum passum fuisse inueniri prorsus (etiā pro minimo temporis instanti) in ea quam sibi in Matrem delegerat: & in habitationis suæ ciuitatem extruxit. Quæ quidem verba (vt satis constat) eidem adaptari minime possent, si in Virgine sacra originale peccatum repertum fuisset, nulla tunc sibi fuisset causa lætitiæ: quin vero tristitiæ, luctus atq; doloris, cum peccatum omne ex natura sua execrabile adeò sit, vt imperfecto nostro philosophandi modo, quodammodo dicere possimus, quod maiestatem Dei ipsam dolore afficiat: & diuinū cor (quantū est ex se) felle perfundat & amaritudine. Quod cum dicendum minime sit, aperte satis concluditur, quod in Virgine

sacra

sacra, nullo vnquam tempore aliqua Deo mestitię siue tristitiæ causa fuit, nec vero sibi: quin potius (vt dicit Propheta Regius) *sicut lætantium omnium habitatio fuit in ipsa*. Quas quidem exultationes atque lætitias adumbratas mirifice video, in eo quod dixit olim idem Propheta Regius, Psalmo 47. dum dixit: *Fundatur exultatione vniuersæ terræ, mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas Regis magni*. Quæ quidem verba (licet in primario & litterali sensu) intelligēda sint de fundatione illius vrbis quæ à Dauide cepta atq; ædificata fuit, festiue nimis & cum magna populorum acclamatione & deuotione, ad modum quo fieri solet cum primus magni alicuius palatij siue Ecclesiæ lapis sternitur: in sensu tamen spirituali, mystico & accommodatitio, congruentissime etiam adaptari possunt sacræ Virgini, & ipsius Immaculatæ Conceptioni: qui fuit dies in quo originalis gratiæ firmissimus lapis, in eius sanctissima anima fuit collocatus. Vnde & par est vt in die istavtriusque creaturæ summa acclamatio & congratulatio fiat, & vt quot annis (quinvero & per singulos dies) instauretur, huiusque festiuitatis mentio fiat, plenis bucibus cunctis populis conclamantibus: Deiparæ nostræ Mariæ originalem gratiam primam, ad eum modum quo & Zachariæ 4. eiusmodi acclamationē factam fuisse legimus, tēpore Zorobabel, vbi dicit sacer textus: *Et educet lapidē primariū, & exequabit gratiam gratiæ eius*. Quorū verborū loco, alia littera dicit: *Et educet lapidem primariū, cum clamoribus, gratia, gratia*, quod quidē est ac si expressius dixisset, quod prædictus primarius lapis, appositus est vniuerso conclamante populo, & identidē repetente, *gratia, gratia*. Eiusmodi igitur clamores dignū est vt fiant, necdum ab hominibus, verū etiam & ab Angelis, in sacra atq; Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione: qua die placuit Altissimo in eius sanctissimam animā primū lapidē sternere. Congruum (inquam) est, vt omnes vnanimi corde dicant, *gratia, gratia*, hoc est, quod confiteantur copiosissimam atque specialissimā gratiam collatam eidem fuisse, nō qualemcunque. Quod quam mirifice designat illa gratiæ, gratiæ & repetitio & iteratio, iuxta sacræ Scripturæ phrasim, vt non etiā prætermittamus ęditionem nostram vulgatam, qua dicitur: *exequabit gratiam gratia eius*: & dicere etiam simul possumus, iterationem prædictam *gratia, gratia*, in hunc sensum fore interpretandam: quod exequabit Deus gratiam gratiæ, Id est vnam gratiam, alteri gratiæ: eam nempe quam dedit illi in primo suæ Conceptionis instanti (cum primus prædicti ædificij siue ciuitatis iactus est lapis) cum illa quam Deus ab æterno præparauerat, quando elegit atque prædestinauit ipsam, vt digna esset & congrua æterni Filij sui Mater. In hoc sensu exequata est gratia, gratiæ eius, & aptata sunt Virginis sacræ initia, seu media, cum præcelso fine ad quem ab æterno fuit electa, & prædestinata. Quod notandum est valde.

Nota hoc valde, circa solemnitatem & iubilationē quā fieri oportet in Conceptione sacra Virginis Mariæ.

Duodecimus locus ad idem propositū, desumi potest ex illis verbis

Duodecimus

locus. Desumptus ex illis verbis Psalm. 88. Et erit thronus eius, sicut Sol in conspectu meo.

bis Psalmo 88. *Et erit thronus eius, sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum: & testis in cælo fidelis.* Quo loco Regius Psaltes (vt ex contextu ipso satis constat) ad litteram egit de Christo Domino, vero Messia in antiqua lege repromisso: & quod ex ipsius semine carnem erat assumpturus. Præmittit enim Dei nomine dicta fuisse illa verba: *semel iuraui in sancto meo* (seu vt alia littera dicit) *per sanctitatem meam: si Dauid mentiar*, vel vt eadem littera dicit: *Haudquaquam Dauid fefellero: semen eius in æternum manebit.* Et subdit; *& thronus eius erit sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum: & testis in cælo fidelis.* Quorum verborum loco dicit alia littera (quæ est noua quædam translatio quam adducit Batablus) *Solium eius coram me, vt Sol per stabit, firmum vt Luna manebit: quæ est certus in æthere testis fella.* Quibus in verbis notandum est, quod tria dicit Regius Psaltes; quæ quidem (non incongrue) quin vero congruentissime accommodari etiam possunt sacræ Virgini, quæ verus fuit Christi Dominus thronus, quem refert relatiuum *eius*, quando dicitur, *& Thronus eius sicut Sol in conspectu meo.* Primo quod erit sicut Sol in conspectu Dei. Secundo quod erit sicut Luna perfecta in æternum. Ac tandem tertio, quod erit testis in cœlo fidelis. Quæ omnia per singula exponenda sunt, videri vt possit, quid sub his metaphoris de Virgine sacra significetur. Et quidem quod eadem sit Christi Domini thronus, haudquaquam negari potest, cum & id constet & ex re ipsa, & in numeris sacræ Scripturæ locis. Est præterea sententia expressa Diui Ioannis Damasceni lib. 4. cap. 15. & Petri Damiani sermone de Assumptione: quos fere omnes sequuntur Doctores, qui & in eundem sensum referunt illa Ezechielis verba cap. 1. *Quasi aspectus lapidis Saphiri similitudo throni*: quæ de Virgine sacra esse dicunt intelligenda. Quod specialiter tradit Viegas Iesuita, præclarus Apocalypsis expositor, comment. 1. sect. 4. super caput 12. vbi & sententiam Pauli Apostoli ad Hebræos 4. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno*: in eundem etiam sensum explicat. Et quidem vere atque proprijssime Virgo sacra, Christi thronus nuncupatur, siquidem Regiæ Maiestatis sedes vbi Rex sedere consueuit, semper dicitur thronus. Quæ sedes, qui thronus incarnati Verbi, Regis Regum & Principum omnium Principis, melius dici potest, quam Virgo Deifera, quæ eundem nouem mensium tempore in suo sacratissimo portauit vtero? Hoc itaque est certissimum atque constitutissimum.

Quod Virgo sacra congruentissime dicitur Christi Filij Dei Thronus, & quod fuerit sicut Sol in conspectu eius.

Nota hoc valde.

Sed videamus iam, quid de hoc sacerrimo Throno & Virgine sacra, Dei nomine dicat Regius Psaltes? *Erit* (inquit) *Thronus eius sicut Sol in conspectu meo.* Quibus verbis, nescio quid clarius, expressiusve vnquam dici potuit, ad præsignandam Virginis sacræ immunitatem, & ipsius ab originali peccato præseruationem: & significandum nunquam omnino (etiam per minimum instans) in ea fuisse peccati obscurita-

tem

tem: cum Sol sit (vt de se patet) inter omnia cœlestia sidera fulgentissimum astrum, adeò lucidum, radians atque præfulgens, vt non nisi cœcutiens de illo dicere audeat aliquam vel leuem in se habere tenebrarum partem. Quando (quæso) fuit Sol sine luce? Nunquam certe. Non ergo recte Deiparæ Virginis claritatem considerat (quæ Soli meritissime comparatur) qui originalis peccati labe, seu vero tenebra eam aliquamdiu (etiam per minimum instans) obscuratam fuisse dicit. Nam quod peccatum obscuritatem designet, & peccata in sacris litteris tenebræ frequentissime nuncupentur, nemo non videt. In idque superque satis est illud Diui Pauli testimonium, ad Romanos 13. *Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis sicut in die honeste ambulemus: Non in comessationibus, &c.* Quo loco tenebrarū nomine peccata, per lucis vero opera, virtutes intelliguntur. Eadem etiam ratione Iob 24. *Peccatores lumini rebelles dicuntur.* Si ergo tenebræ sunt peccata, nec ipsa vllo modo cohærere possunt cum lumine & claritate Solis: & Virgo sacra fuit cœlestis quidam Sol, omninò tenebræ cuiusque & obscuritatis expers: quis dicere audeat ipsam in primo suæ Conceptionis instanti, originalis peccati caligine obscuratam fuisse? procul id ab omni ratione erit. Quibus omnibus supradictis concinit, & in id ipsum vim quā maximam habet, id quod & de Sole dicit D. Dionysius Areopagita, cap. 4. de diuinis nominibus: *Nempe illum esse significatiuam, expressam atque euidentē diuinæ bonitatis imaginem.* Quod si hoc etiā tribuendum est Virgini nostræ sacræ Mariæ, risum profecto excitabit, Epitheta prædicta qui illi tribuat, & simul cū eo dicat originalis peccati labe, vllo vnquam tempore (etiam per minimum instans) eandem fuisse maculatam atque labefactatam. Diuus etiam Basilius Homil. 6. in Exameron, solem prædictum extollere volens, eundem dicit: *Naturæ esse splendidissimum oculum.* Quod etiam & Virgini sacræ nostræ (cum Sol sit) haud incongrue tribuere possumus, & de ea dicere quod naturæ nostræ humanæ sit splendidissimus oculus, necnon & Christi Domini, qui nostræ sanctæ Ecclesiæ vniuersale caput est. Quis ergo dicat, dicereve audeat, Christi ac totius naturæ humanę præcipuum oculum (quem esse oportebat pulchrum, perlucidum & absque vlla prorsus imperfectionis nota) originalis peccati labe, seu potius nube, fuisse obnubilatū & obscuratū? Fiat lōge hoc à sententia & opinione cuiuscūq; hominis, pie ac recte de Virginis sacræ dignitate sentiētis.

Peccatum in Scriptura sacra tenebris comparatur.

Nec modicum quidem prædicta omnia confirmantur, per id quod loco prædicto dicitur in eodem Psalmo, nempe sacram Virginem (verum Christi Domini Thronum) non vtcunque comparari Soli (astro fulgentissimo ac lucidissimo) verum etiam in conspectu Dei; *Erit* (inquit Regius Psaltes in persona Dei) *Thronus eius sicut Sol in conspectu meo.* In cuius conspectu? Dei. In illius conspectu, ante quem (vt habetur Iob cap. 25.) nec Luna splendet, nec etiam stellæ ipsæ mū- *Nota hoc valde.*

 dæ

dæ sunt in conspectu eius. Fuit ergo dicere, Virginis sacræ splendorē adeò futurum maximum (vt needum in conspectu hominum) quinvero & Angelorum reputari deberet: verum etiam & in conspectu ipsius Dei. Sancti certe omnes (quinvero & Angeli, quantacunque sanctitatis gratia præditi atque condecorati constiterint) vt cunq; plurimum splenduerint: in Dei conspectu quasi reputantur tenebræ, aut saltim parum vel nihil splendere: at Virgo sacra (Regio Psalte teste) etiam in conspectu Dei vt Sol splendet. Cum quo haudquaquam potest cohærere, quod ipsa in primo suæ Conceptionis instanti, obumbrata atque obscurata fuerit caligine originalis peccati. Sed procedamus ad alia.

Quod Virgo sacra fuit etiam vt Luna perfecta in conspectu Dei.

Dicit vlterius Regius Psaltes, quod Virgo sacra fuit etiam in cōspectu Dei vt Luna perfecta in æternum. Sub quo epitheto quam maxime sacræ Virginis puritas designatur, nimiusq; eiusdem splendor: cum Luna (vt constat) præter Solem splendidissimum, inter reliqua omnia sidus siue astrum quoddam fulgentissimum sit, pulchritudine, decore atque venustate longe omnia alia excedens. Et nec mysterio vacat, quod necdum Virgo sacra, in claritate, pulchritudine & venustate, Lunæ vt cunque comparatur: verum & Lunæ perfectæ: inquit enim Regius Psaltes: *Quod erit sicut Luna perfecta in æternum.* Quo quidem dicendi modo (me nisi animus fallit) piave affectio decipit eiusdem puritas, immunitas atque ab omni originali peccati labe præseruatio, efficacissime & quasi euidentissime præsignatur. Plutarchus triplicem positionem Lunæ tribuit. problem. 23. Primam cū Solis congressu penitus occultatur. Secundam cum Solis radios ac lumen elapsa ab occasu incipit apparere. Tertiam cum in orbem plenum se colligit, ac plenilunium efficit. Qua etiam ratione Ouidius Metamorphos. 15. inquit.

Luna perfecta quanam dicatur?

Nec par, aut eadem nocturnæ forma Dianæ
Esse potest vsquam, semperq; hodierna sequente,
Si crescit minor, maior si contrahit orbem.

Ac si plenius diceret, quod Lunæ status non semper in omnimoda sua perfectione versatur. Quandoque enim minuitur: quandoque crescit: quandoque in plenilunio & perfecta sua pulchritudine & claritate consistit. Vt igitur Regius Psaltes Deiparæ nostræ sacræ integritatem omnimodam, omnibusque suis numeris absolutam perfectionem innueret, absque vlla prorsus originalis peccati turpitudine siue obscuritate, eam Lunæ (nō vt cumque) sed perfectæ & plenæ similem esse dicit, ac si expressius diceret: illam non sicut materialem Lunam deliquia passam fuisse, aut iustificantis gratiæ lumine & splēdore (nec per minimum quidem instans) caruisse: sed à primo suæ Conceptionis instanti, gratia plenam semper atque perfectam fuisse. Quod ante mille annos expresse etiam dixit, antiquissimus & grauissimus

simus ille Doctor Anasthasius Synaita, loquens de Deipara ipsa: *Luna* (inquit) *quadam plena fuit Maria, quæ nunquam defecit, aut priuata fuit essentiali lumine* (id est gratia.) Quod & cõfirmauit Theodoretus explicans illa verba Canticorum 6. *Quæ est ista quæ progreditur, quasi Aurora consurgens, pulchra vt Luna.* Quæ sunt verba filiarum Hierusalem comparationem facientium, inter Mariam cœlestem Sponsam, & cæteras alias creaturas: *Vt discrimen* (inquit Theodoretus) *inter illã & stellas indicarent, & vt ipsius Lunæ perfectionem ostenderent, pulchram illam dicunt, & vt Luna plena nitens: non exilia ostentans cornua: non semiplena: non decrescens, sed perfecta, & toto orbe splendida: non quidpiam in perfectionis retinens, sed totam globum lucidum præseferens.* Quo ad præsens propositum, nescio quid amplius dici aut desiderari potuit?

Subsequitur Regius Psaltes & dicit, quod sacra Virgo Deipara in conspectu Dei futura erat testis in cœlo fidelis. Sub qua etiam metaphora haud obscure præsignauit, fidelitatem perpetuam quam obseruatura erat Deo, à primo suæ Conceptionis instanti. Nam cum cæteri omnes sancti, vt cunque magni, per contractionem originalis peccati, Deo aliquando extiterint infideles, & in sua Conceptione eiusdem fuerint infecti labe: iuxta illud Oseæ 6. *Omnes sicut Adam transgressi sunt pactũ, ibi præuaricati sunt in me:* sola Virgo sacra ex speciali priuilegio ac diuina gratia, ab eo pacto & generali lege excepta fuit, & semper extitit testis in cœlo fidelis: quia nulla prorsus originalis peccati labe suã maculauit animã, seu à Deo debita fidelitate recessit. Sub qua metaphora, vsus fuit Psalmista communi dicendi modo. Etenim sicut cuiusque viri vxor fidelis dicitur, quæ nunquam contra ipsum aliquod vel leue peccatum commisit: è contra vero quæ alicuius delicti est sibi conscia, in fidelis viro (neque immerito) vocatur: sic ad insinuandum prædictam cœlestem Sponsam (Mariam intelligo) cœlestis sui Spõsi nullius peccati (etiam originalis) crimine, nullo ve animæ suæ defectu thorum infecisse, merito de ea dicit Regius Psaltes, quod futura erat *testis in cœlo fidelis.*

Quam ob causam Virgo sacra, testis in cœlo fidelis dicatur?

Neque desunt qui per testem in cœlo fidelem, Iridem siue cœlestem arcum intelligãt. Quam expositionem sequitur Bellarminus super hunc locum. In Iridis etiam appellatione, haud modicum quidem Deiparæ Virginis pulchritudo præsignatur: cum Iris inter omnes Metheorologicos effectus, pulcherrimus atque speciosissimus sit: iuxta illud Ecclesiastici 43. *Vide arcum & benedic Deum qui fecit illum: valde enim speciosus est in splendore suo.* Quid igitur est Virginem sacram Iridi comparare: quam ipsam pulcherrimam, formosissimam, gratiosissimam, atque speciosissimam dicere? Cum qua summa pulchritudine atque formositate, originalis quidem peccati deformitas, haudquaquam bene cohæreret. Absit ergo id vt dicamus: quin vero potius quod sicut Iris in cœlo, varijs coloribus induta apparet: sic & Maria sacra nostra

Per testem in cœlo fidelem, quidam etiam Iridem siue arcum cœlestem intelligunt.

in

in primo suæ Conceptionis instanti, varijs donis, virtutibus atq; priuilegijs exornata fuit: & inter alia hoc singulare accepit, immunis vt esset prorsus ab omni peccati originalis labe. Aliud mysterium in Iridis appellatione ostenditur, quod non etiam à nostro abhorret proposito, Est enim Iris, pacis, reconciliationis atque benignitatis indicium: vt satis constitit ex cœlesti illo arcu, qui tempore Noe ac generalis diluuij in nubibus apparuit: de quo Genes. 9. fuit dictum: *Hoc est signum fœderis quod do inter me & vos: & ad omnem animam viuentem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas. Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram.* Hoc quammaxime in sacra Virgine ad impleatur, quis non videat: & quod ea sit cœlestis quidam arcus, qui sempiternæ pacis inter nos & Deum, auspicium euidentissimum præstat? Non ergo contraxit originale peccatum, pacis quod vincula rumpit, nec bene id cum Iridis nomine atque appellatione cohæret.

Decimus tertius locus. Desumptus ex illis verbis Ps. 92. Domum tuam Domine decet sanctitudo in longitudinem dierũ. Qualem sanctitatem habere decuerit Virginem sacram, vt congrua & digna esset Dei Mater?

Decimus tertius locus desumi potest, ex vltimis verbis Psalmi 92. vbi Regius Psaltes cum Deo verba faciens, inquit: *Domum tuam Domine decet sanctitudo, in longitudinem dierum.* Qui etiam locus (haudquidẽ in congrue) quinvero congruentissime de Virgine sacra intelligendus est, illique tribuendus: postquam constat ex re & ex veritate ipsa, & ex innumeris sacræ Scripturæ locis, quod eadem fuit domus & cœleste habitaculum, in quo vnigenitus Dei Filius, per assumptam humanitatem in hunc mundum veniens, nouem mensium tempore habitare dignatus est. Quo tanquam certo præmisso atque præsupposito, videamus oportet, qualem hæc domus Dei habere debuerit sanctitudinem, tam in corpore quam in anima: vt congruum & dignum ipsius habitaculum effici mereretur: postquam dicit Regius Psaltes, decuisse eandem sanctitudinem habere (no qualemcunque) sed in lõgitudinem dierum. Circa quod Diuus Thomas Angelicus Doctor, tertia parte quæst. 27. art. 2. in solutione ad secundum, supponendo (iuxtà suam sententiam & opinionem) quod Beata Virgo peccatum contraxit originale: dicit eandem ad hoc vt Filij Dei idonea esset Mater, oportuisse vt in vtero sanctissimæ suæ Matris fuisset sanctificata. Sed certe hoc non congrue atque sufficienter videtur esse dictum. Nam rationes omnes quas idem Diuus Thomas tradit in sequenti articulo quarto, in corpore, ad ostendendum oportuisse quam maxime prædictam sacram Virginem nullum vnquam commisisse peccatum actuale (quia alias si aliquando peccasset, non idonea esset Dei Mater) eædem profecto omnes concurrunt, ad dicendum & firmiter asserendum, quod nullum etiam contraxit peccatum originale: & quod alias non etiam idonea, congrua & digna, esset Dei Mater: nec haberet eam sanctitudinem, quam prædicto in loco Propheta Regius ait, decere domum Dei. & eam quæ futura erat ipsius habitaculũ:

Nota hoc valde quod dixit D. Thomas.

Et

Et omissis alijs rationibus de quibus iam aliquid diximus supra, tertia ratio in ordine ex quatuor quas ibidem adducit Diuus Thomas, est quia Filius Dei (qui est virtus & sapientia sui Patris) in ipsa habitauit, non solum in anima: verum etiam & in vtero, & quia dicitur Sapientiæ 1. *quod in maleuolam animam introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Ex quo loco colligit fatendum esse simpliciter, quod Beata Virgo nullum actuale peccatum commisit: nec mortale, nec veniale, vt vel sic adimpleatur in ea id quod dicitur Canticorum 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*. Ex qua Diui Thomæ ratione, ad nostrum propositum contra eundem sic argumentum retorqueri potest. Nam tota ipsius vis in eo posita est, quod decebat quam maxime vt Dei Filius (qui virtus est & sapientia sui Patris) domum haberet congruam, & mundam ad habitandum, non solum in corpore, verum etiam in anima, & quod Virgo sacra (vt congrua & digna esset ipsius Mater) tam in corpore quàm in anima prædita esset mirabili quadam sanctitate & munditia, ita vt nullius etiam peccati venialis turpitudo vnquam in ea fuisset: nam licet peccatorum maculæ animam primo & per se inficiant, exinde etiam deriuantur ad corpus, illudque suis sordibus contaminant. Hæc est ratio Diui Thomæ. Sed modo insurgit argumentum. Originale peccatum, non minus (quinverò multo magis) inficit atque contaminat corpus & animam, quam quodcunque actuale veniale: ergo si non oportuit ipsam vllo vnquam tempore peccatum commisisse veniale, quia alias (vt dicit Diuus Thomas) non esset congrua & digna Dei Mater: multo minus originale, cum maius sit, magisque inficiat atque contaminet corpus & animam. Quod sic probo. Nam peccatum actuale veniale, quamvis macula quædam sit, leuissima tamen, vtpotè quæ animæ pulchritudinem (scilicet gratiam) licet extenuet, non tamen illam corrumpit: & charitatis feruor per ipsum, licet tepescat seu minuatur, nō tamen extinguitur. At verò è contra originale peccatum, animæ pulchritudinem (nempe gratiam) corrumpit, charitatem omnino extinguit, mortem affert, & Dei Optimi Maximi odium excitat: dicendum ergo est, quod si iuxta mentem atque sententiam Diui Thomæ, non oportuit sacram Virginem vllo vnquam tempore peccatum commisisse actuale (etiam veniale) vt congrua & digna esset Filij Dei Mater. Neque etiam oportuit eâdem peccatum contraxisse originale, cum (sicut prædictum est) ipsum sit maius, magis inficiat atque contaminet, tam corpus quàm animam.

Ex ratione D. Thom. hic adducta, superque satis colligitur sacræ Virginis puritas atque immunitas.

Supradicta omnia confirmantur, ex eo quod Deum Optimum Maximū fecisse videmus, in mundi huius creatione, qui symbolum quondam fuit atque figura appositissima ad præsignandam, & significandam sacræ Virginis Conceptionem, & ipsius ab omni prorsus originalis peccati labe præseruationem, vt congrua & digna esse Filij

Mūdus sic est appellatus propter quam maximam ipsius munditiam.

Dei Mater, & domus tanto hospite digna. Etenim si Deus olim ad inconlendã totius orbis vniuersitatem mundum creauit (qui fuit veluti quædam ipsius domus) eo insignitum nomine propter quam maximam ipsius munditiam (mundus enim mundiciem designat) cui & Græce correspondet vocabulum, quod ornatum, compositum atque purum significat: quid existimandum est de hac posteriori domo (sacram Virginem intellogo) quã Deus ab æterno vnigenito filio suo ad habitandum præparauit? Certe dicendum est priorem illam longissime superasse, & multo mundiorem atque ornatiorẽ fuisse, & magis puram: ita vt neque leuissimi alicuius peccati macula (necdũ mortalis verum etiam venialis, aut originalis) in ea vllo vnquam tempore fuerit inuenta. Quod satis confirmatur ex his quæ dicit Diuus Bernardus sermone quodam de Virgine Deipara, quæ nec modicum faciunt ad nostrum propositum. *Prius* (inquit) *Altißimus sibi eam quasi mũdum specialißimum creauit, quam in iustitia & sanctitate coram ipso fundaret: & fluentis sapientia irrigaret, & cœlestibus desiderijs instar sulnes aeris sublimaret: & igne dilectionis accendendo illustraret. Hinc in eius mente tanquam in quodam firmamento solem posuit rationis, & lunam scientia, & virtutes tanquã stellas speciei omnimoda, &c.* Ex quibus verbis superque satis constat, quod de mente & sententia Diui Bernardi, Virgo Deipara in prima sui cõditione siue creatione, fuit omninò munda, & mundo ipso mundior, ac multo magis ornata, vt congrua & digna esset æterni Filij Dei domus, ac proinde ab omni prorsus originalis peccati labe immunis & libera. Cui resolutioni quam maxime etiam fauent, alia Diui Anselmi verba, lib. de excellentia Virginis, quæ sic habent. *Nulli* (inquit) *dubiũ, castißimum eius corpus, & sanctißimam animam fuisse ab omni peccati macula protectã vtpotè aulam quã suus & omnium creator Deus corporaliter erat inhabitaturus. & ex qua hominem in sua persona vnitate ineffabili fuerat operatione suscepturus.* Post quæ addit. *Et quid mirum. Nam inter homines vsus obtinuit (si tamen è cœlestibus ad terrena potest esse comparatio vlla) cum prapotens aliquis & persona diues, aliquo vadit hospitaturus, vt clientes percurrant & locum muniant, mundent, ornent & custodiant, quò venienti Domino suo aptus ad inhabitandum & congruus fiat. Quod si talis apparatus fit pro aduentu terreni hominis & momentanea potestatis: qualis apparatus omnis boni putamus, fieri debebat pro aduentu cœlestis Regis & aterni, in corde sacratißima Virginis, qua illum non solum erat in semetipsa transitiue hospitatura, sed etiam ex substantia sua factum hominem paritura.* Quid amplius ad prædictum propositum potuit desiderari aut dici? De Vnicornio refert Beda super Psalmum 77. quod ab spelea siue caua in qua degit omne venenatum animal procul abigit: nam ipsius vel etiam præstantissimus odor, adeò ex se vtilis atque proficuus est, quod omnia animalia virulenta, cum primũ ad eã venit, statim fugat aut necat. Quo symbolo vtitur Seraphicus noster parens Diuus Bonauentura super prædictum Psalmum, explicans

Nota hoc valde

Nota hoc valde.

cans illa verba: *Et ædificauit sicut Vnicornium sanctificium suum in terra, quam fundauit in sæcula* Inquit enim quod quãdo Deus Altissimus ædificauit sanctificium, sanctuarium, siue templum suum in terra (id est in Virgine sacra) eandemque formauit, ad incolendum & habitandũ in ea, sicut Vnicornium mundissimum peccata omnia ab illa fugauit, vt virulentum nihil omninò reperiretur in ea. Quod fecit prædictum diuinum Vnicornium (non solum eo tempore quæ ad eandem accessit) sed multo antequã ad sacræ Virginis vterum se se dimitteret: odore aduentus sui, suoque afflatu, quasi à longe tam actuale quam originale peccatum expellens, omninò nihil in ea consentire volens, seu sacro suo habitaculo, domui, speleæ, siue caueæ, quod non esset tanto hospite dignum, & oculos suæ maiestatis vllo modo posset offendere.

Decimus quartus locus desumi potest, ex illis verbis quæ habentur Sapientiæ 7. vbi sapiens de Beata Virgine in spirituali sensu loquẽdo, inquit: *Quod est candor lucis æternæ, speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Ante quæ verba præmisit alia, quæ nec modicum faciunt ad idem propositum: dum de ea in eodem sensu loquendo, dixit: *Quod est vapor virtutis Dei, & emanatio quædam sincera eius; & ideò nihil inquinatum in eam incurrit.* Pro cuius loci intelligentia præmittere libuit (id quod iam supra ex parte remanet dictum) nempe quod ex sacræ Scripturæ testimonijs in sensu mystico siue spirituali, aut accommodatitio adductis (quamvis non efficax desumi possit argumentũ ad res fidei confirmandas, quando non constat illud intentum esse ab Spiritu Sancto) vt cum Diuo Hieronymo super Matthæum, cap. 13. & Diuo Augustino epist. 48. contra Vincentium, vnanimi consensu tradunt Doctores Theologi, in prima parte Diui Thomæ quæst. 1. art. 10. & quodlibeto 7. art. 4. in solutione ad quartum: attamen supposita approbatione Ecclesiæ, & communi Sanctorum Patrum consensu, supradicta mystica, spiritualis siue accommodatitia intelligentia, quam maximum ponderis ac momenti habet, ad veritatem quamcunque confirmandam & comprobandam, cum (vt experiẽtia constat) ex eiusmodi testimonijs sancta nostra Romana Ecclesia, quæ matrix est omnium Ecclesiarum, mota fuerit ad acceptanda quam plura sacræ nostræ Virginis priuilegia, absq; aliquo expræsso sacræ Scripturæ loco illa edocente: vtpotè quod nunquam peccauerit (etiam venialiter) quod eius sanctissimum corpus, putredinem omninò nescierit: quod post ipsius mortem, statim in corpore & anima in cœlum fuerit assumpta. Quo præmisso atque præsupposito, cum præsens locus & omnia alia superius adducta modo prædicto, communi totius Ecclesiæ vsu & multorum Sanctorum Patrum auctoritate, Deiparę Virgini tribuantur & accommodentur, & vix possint illi adaptari & accommodari, absque eo quod eiusdem puritas atque immunitas &

Decimus quartus locus. Desumptus ex illo Sapient. 7. Candor est lucis æternæ, speculum sine macula, & imago maiestatis illius.

Quantumvim habeant sacræ Scripturæ testimonia in sensu mystico, spirituale siue accommodatitio adducta.

 ab

ab omni prorsus originalis peccati macula præseruatio eidem concedatur: haud quidem inefficax (quin vero efficacissimum) validissimũ atque robustissimum argumentum in id ipsum desumi potest. Alias enim hac veritate denegata, haudquaquam capit intellectus qualiter verba prædicta eidem Virgini sacræ tribui, accommodari & adaptari commode possint: absque expressa contradictione & repugnantia: quod sæpissime accidit omnibus contrariam opinionem defendentibus, & omnino contrarium sentientibus. Et licet hac de re plura atq; innumera adducere possem exẽpla (alijs prætermissis) vnum vel alterum referre libet ex Diuo Antonino de Florentia, tomo quarto titulo 15. cap. 4 §. secundo, vbi de Virgine sacra loquendo, inquit in sensu prædicto de ea esse intelligenda illa Genesis 1. verba: *Fiat lux & facta est lux* Et addit: *Quod successiue narrantur omnia opera sex dierum in principio facta, designantia sex opera mirabilia Dei, facta successiue in Virgine Maria, quorum primum opus fuit Conceptio: vt vbi dicitur figurate, fiat lux: in hoc præfigurans & præordinans conceptum Virginis, cuius vita gloriosa lucem dedit sæculo.* Hucusque Diuus Antoninus. Et quidem optime, ac satis apposite. Sed videamus qualiter eiusmodi similitudinem Virgini eidem sacræ adaptat statim cũ contractione originalis peccati dũ addit: *Quod sic concepta & animata Beata Maria, inuenta est cum aliqua tenebra originalis peccati contracti post infusionem animæ in corpus.* Quis non videat loci huius explicationem, & accommodationem, omnino esse extortam atq; violentam: in sua sententia & opinione persistens Diuus Antoninus? Satius quidem diceret, meliusque illi accommodaret alia eiusdem loci verba: *In principio creauit Deus cœlum & terram, terra autem erat inanis & vacua.* Seu vt alia littera dicit, *turpis & incomposita*: ita vt in illa terræ turpis & incompositæ, confusa & obscura mole, terra atque impura Virginis Mariæ Conceptio præsignificaretur. Nõ tamen id fecit pro eo quod plane nouit, Virginem Deiparam (non cum prædicta terræ confusa & obscura mole) sed cum superius dicta luce candidissima, quam in prima rerum conditione ante Solis formationem Deus produxit, communiter à Sanctis Patribus comparari: quæ nimirum lux omnes prorsus tenebras terræ fugauit, & ante Solem præuia, veluti Solem ipsum peperit. Quæ quidem prædicta Diui Antonini verba, si immaculatæ, nitida ac pura Conceptio Virginis concedatur: aptissime atque proprijssime eidem quadrant: sin vero (quod absit) denegetur, dissimilia sunt valde & dissẽtanea, nec vllo modo ei recte possunt conuenire, sunt enim quammaxime extorta atque violenta. Namque quis vnquam vidit lucem simul cum tenebra, pro vno eodemque tẽporis instanti? Volo dicere lucem gratiæ, cum tenebra & obscuritate originalis peccati? Multa alia eiusdem exempla possem adducere: sed vnum prædictum pro mille sufficiat. Ad propositum ergo reuertentes, quando Sapientiæ 7. de Virgine Deipara, in sensu mystico, spirituali

tuali siue accommodatitio dicitur, totius Ecclesiæ vsu, ac solemni Sãctorum Patrum approbatione: *Quod ipsa sit vapor quidam virtutis Dei, & emanatio quædam sincera claritatis eius, & ideò nihil inquinatum in eam incurrit.* Item, *quod candor sit lucis æternæ, speculum sine macula, & imago bonitatis illius*: satis aperte colligitur & præsignatur, eiusdẽ puritas atq; ab omni originalis peccati labe immunitas: & quã longe fuerit ab eo quod ipsam vllo modo posset deturpare siue dehonestare. Alias enim non apparet qua via, quave ratione verba prædicta in sensu iam dicto Virgini eidem tribui possent, siue accommodari. Et vt breuitatis gratia reliqua prætermeam ac missa faciam, de quolibet speculo loquendo Plinius lib. 7. cap. 15. inquit: *Quod eiusdem fulgor vel ipso menstruorum aspectu hebetatur.* *Et alius quidam dixit. Quod ex menstruorum obiecto, crassior quædam nebula speculum inficit.* Diuus etiam Bonauentura explicando illa Isaiæ verba cap. 64. *Facti sumus vt immundi omnes, & tanquam pannus menstruatæ vniuersa iustitia nostra*: *inquit, per hanc menstruatam, quæ omnes nostram iustitiam infecit, intelligendam esse Euam antiquam Matrem nostram, quæ sordibus originalis peccati nostram naturam maculauit, & æternæ damnationi subiecit. Ex illa enim quasi occasionaliter, per Adami primi nostri parẽtis consensum, eiusmodi sordes & fæces in nos omnes redundarunt.* Si id igitur ita est, & sacra Virgo, totius Ecclesiæ Sanctorum Patrum auctoritate, speculum dicitur absque vlla prorsus macula: purissimum atque nitidissimum: quis dicere audeat eiusmodi speculum Euæ menstruatæ, immundissimis sordibus fuisse vnquam maculatũ & deturpatum: & quæ adeò pura & munda fuit, & talis ab Ecclesia pronuntiatur, quod maculata fuerit maculis originalis peccati? Non id vllo modo est dicendum: quinvero speculum eãdem fuisse mundissimum atque nitidissimum, quod diuini Solis radios in se excipiens, ex magna eiusdem abundantia & repercussione, veluti materiale quoddam speculum in alia corpora (nempe in nos) diuinæ gratiæ lucem reuerberat. Id quod mirifice insinuauit Andræas Hierosolymitanus, sermone de salutatione Angelica, dum dixit: *Salue contemplatiuæ cognitionis, purum intellectuale speculum, per quod celebres spiritus Prophetæ, incredibilem Dei ad nos descensionem mystice adumbrarunt.* Quibus in verbis significauit, per Virginem sacram, quasi per speculum quoddam nitidissimum atque lucidissimum, diuino repercusso lumine Dei, cognitionem ad Prophetas ipsos redundasse: seu potius Prophetas ipsos, eandem nobis proposuisse, tanquam radium ex Virgine, seu ex speculo quodam candidissimo, ex repercusione promicantem: quod certe quammaximũ sacræ Virginis splendorem, eximiam puritatem, & ab omni prorsus originalis peccati labe immunitatem (haud quidem obscure) quinverò satis clare & aperte designat.

Quod Virgo sacra fuit speculum absque vlla prorsus macula, purissimum, mundissimum & lucidissimum.

Decimus quintus locus ad idem desumi potest, ex varijs epithetis, quæ de sacra Virgine habentur Ecclesiastici 24. vbi in ipsum

Decimus quintus locus, De-

sumptus ex illis verbis Ecclesiastici 24. Quasi Cedrus exaltata sum in Libano.

ipsius persona dicitur. *Quasi Cedrus exalata sum in Libano, & quasi Cipresus in monte Sion. Quasi Palma exaltata sum in Cades. & quasi plantatio rosa in Ierico. Quasi Oliua speciosa in Cãpis: & quasi Platanus exaltata sum iuxta aquas in plateis. Sicut Cinamomum & Balsamum aromatizans odorem dedi. Quasi Myrrha electa dedi suauitatem odoris.* Quod verba prædicta, de sacratissima Virgine in sensu spirituali, mystico siue accommodatitio intelligantur, atque intelligi debeant, negabit nullus: cum in cunctis eiusdem festiuitatibus ab Ecclesia de eadem proferantur, ac illi accommodẽtur, idque communi Sanctorum Patrum calculo approbetur. Cui fauet & ratio ipsa, cum omnia quæ in prædicto loco dicuntur, si penitus inspiciãtur, quammaxime ipsi conueniant; quod fiet planum si singula debita ponderatione percurramus.

Quare Virgo sacra Cedro assimiletur?

Ait ergo in primis Virgo sacra: *Quasi Cedrus exaltata sum in Libano.* De Cedro referunt omnes rerum naturalium historici, esse arborem quandam omnium altissimam, & quæ cunctas celsitudine, rectitudine, bono odore atq; incorruptibilitate longe superat, & excedit. Quo quidem symbolo, quis non videat sacram Virginem Cedri nomine cõgruentissime præsignari? & nomen hoc quã illi multis titulis conueniat: vtpote quæ altitudine, celsitudine, rectitudine, bono odore, & in corruptibilitate, puras omnes creaturas (etiã Angelos) lõge superet & excedat. Quibus accedit & nominis ipsius æthymologia (*Cedrus* etenim *candidatio* interpretatur) & quod arbor prædicta innatam quandam virtutem habere dicitur, ad pulsandos & procul fugandos, atq; à se abijciendos turpissimos serpentes, necnon & expurcissimos vermes. Ex quibus omnibus, haud obscure colligere possumus, sacræ prædictæ Virginis puritatem, & ab omni originali peccato immunitatẽ, vtpotè quæ in prima sui Conceptione & formatione, prædita fuerit (ex singulari Dei priuilegio) diuinæ gratiæ virtute quadam supernaturali, ad propulsandum, & longe à se abijciendum, dæmonem serpentem turpissimum, & quemlibet expurcissimum vermen originalis peccati. Dum vero Virgo sacra addit, *Et quasi Cipresus in monte Sion*: non etiam incongrue, aut minus apte id ipsum colligitur: cum vt constat experientia Cipresus à radice vsque ad sumitatem recto semper stirpite procedat, & nunquam in obliquam aliquam progrediatur viam. Quo etiam mirificè præsignatur Virginem sacram (instar Cipresi in monte Sion plantatam) à radice (id est à prima sui Cõceptione & formatione) vsque ad summitatem (nempe vsque ad sanctissimam eius Assumptionem) semper recta via processisse: nullo originali neque actuali peccato, eiusdem animam deuiante, quo minus ad cœlum recta concederet. Diuus etiam Isidorus lib. 17. Æthymologiarum dicit, esse Cedrũ odoriferam arborem, & quod ipsius suauitatem serpentes ferre non valentes longe fugiant: adeoque solidam, vt neque putrefieri, aut flecti, neque suę rectitudinis iacturam aliquam possit sustinere.

Cur Virgo sacra Cipreso assimiletur?

Quod

Quod non minus mirificè, Virginis nobis Immaculatam Conceptionem depingit: quæ in conceptione sua odorifera adeò prodijt, vt serpens antiquus eius odoris suauitatem ferre haudquaquam valens, longe fugerit: adeò etiam solida semper fuit, vt nullius peccati pondere incuruari aut flecti potuerit: neque cœlitus sibi datam rectitudinem vnquam amiserit. De Cipresu prędicta inquit etiam Diuus Ambrosius sermone 4. in Psalm. 118. *Quod hanc solam arborem ventus nunquã suo honore despoliat: & ea sola nunquam veteri exuitur amictu*. Quod etiam quammaxime in sacra prædicta adimpletum est Virgine: quæ in hac vita degens, cœlestis semper vitæ consortia habuit: nunquam eam Aquilonaris peccati ventus (originalis siue actualis) honore suo dispoliauit: sed semper in gratia & amicitia Dei perstitit: peregregia dotata viriditate, integra in æternum permansit: neque in Conceptione sua sancta, diabolus aliquod super eam dominium habuit, etiam pro minimo instanti temporis.

Addit prædicta Virgo & dicit: *Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Ierico*. Palma diuinæ fœlicitatis est symbolum. Qua ratione Iob cap. 19. ad suam fœlicitatem commendandam, eidẽ se comparauit, dum dixit: *In nidulo meo moriar, & sicut Palma multiplicabo dies*. Item & Palma omnimodæ victoriæ effigiem repræsentat: quæ duo epitheta meritissime etiam adaptari possunt sacræ Virgini: tùm propter diuturnam illius fœlicitatem, nullius vnquam peccati (nec originalis nec actualis) incursu deturbatam: tùm etiam propter insignem victoriam, quam de diabolo in immaculata sua Conceptione reportauit: dum diuina gratia illam præseruante, ex singulari priuilegio miro quoddam modo ab illius tyrannico imperio liberata fuit, ac victrix euasit, & superior illi extitit. De Phœnice (inter aues omnes vnica) dicit Plinius lib. 17. suæ naturalis historiæ capit. 4. quod Græce idem sonat atque Latine *Palma*. Qua quidem ratione dum Palmæ comparatur Virgo sacra, & Phenici aui haud incongrue etiam potest assimilari, in eo quod instar cuiusdam cœlestis Phænicis, inter omnes Adæ filios naturali propagatione conceptos, qui & â diabolo infestissimo hoste, ob originale peccatum tyrannico suo vicituntur & subijciuntur imperio: ipsa sola ab eo ex speciali priuilegio & diuina gratia (vt prædictum est) illam præueniente, liberata semper exririt, victrixque prodijt. In signum cuius illustris victoriæ, triumphalem Palmam veluti manu sua gestans (cuius folia in forma & figura ensem quendã, siue gladium repræsentant) etiam dicere possumus, quod & eodem diabolus ipse fuit occisus atque peremptus.

Cur Virgo sacra Palma cõparetur?

De Palma prædicta Diuus etiam dicit Ambrosius, super Cantic. cap. 7. explicando illa verba: *Statura sua assimilata est Palmæ*: quod semper manet virens conseruatione atque diuturnitate, & Virginis sacrę in amissam seu potius in amissibilem gratiam, & quammaximam sancti-

cita-

&titatem repræsentat. In qua cum in dies singulos magis ac magis ex creuerit, non immerito in statura eidem quæ procerissima est, assimilatur & comparatur. Est præterea palma, vt dicit Plinius lib. 17. cap. 44. solis amicissima. Per quod etiam apte satis indicatur & significatur, Virgo sacra quam semper Deo fuerit amabilis super omnes creaturas: cuius quidem dilectionis signum in nulla re alia amplius potuit monstrari, quam in ipsius preseruatione à peccato originali. Magna est etiam consideratione dignum, quod Virgo sacra necdum rosæ odoriferæ, visui iucundæ, olfatuique suaui assimiletur: verum etiam & eiusdem plãtationi: dum dicitur: *Et quasi plantatio rosa in Ierico*, quod fuit ac si dictum fuisset expressius: quod similis sit rosę, cum primum oriri atque pullulare incipit. Ad insinuandum proculdubio eandem non solum odoriferam, visui iudicandam, olfatui suauem fuisse semper vt cumque, verum & ad modum quo rosa prædicta redolere solet, visum delectare, atque olfatui suauem se reddere, cum primum exoriri atque pullulare incipit, in quo Immaculata eiusdem Conceptio presignatur. Rosa etenim fragrantissimum & si ex se odorem semper effundat, multo tamen magis dum recens est: dum exoriri atque pullulare incipit, quæ eiusdem plantatio dicitur. Sic ergo & sacræ etiam Virginis plantatio, eiusdem immaculata Conceptio fuit: quæ certe festiuitas præomnibus eiusdem solemnitatibus, suis præsertim amatoribus, odorifera, iucundissima atque suauissima semper extitit. Nec præterire aut silentio obvoluere libet, id quod dixit Diuus Basilius homil. 5. in Exameron, nempe rosam prædictam, seu potius arborem ex qua ipsa producitur, in prima sua olim cõditione siue creatione spinis omninò caruisse, neque illas habuisse quovsque peccauit Adam. Quod quidem (si revera ita fuit) haud minimum quidem: quinvero quammaximum & appotissimum prædictæ sacræ Virginis, & purissimę Immaculatæ suæ Conceptionis erit etiam symbolum. Ex quo elicere possumus, eandem in prima sui conditione siue Conceptione, originalis peccati spinis omninò caruisse. Si vero id non placet alicui, dicamus de eadem, quod ad modum quo rosa ab spinosa arbore, absque vllis prorsus spinis producitur: sic & Virgo sacra ab spinosis parentibus & originalis peccati spinis affectis: ex singulari Dei gratia & speciali priuilegio, absque vlla prorsus originalis peccati spina, concepta atque procreata fuit: vt vel sic locus iste correspondeat ei quod habetur Cantic. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.*

Cur etiam Virgo sacra assimiletur plantationi Rosa in Ierico.

Addit vlterius, & pro sequitur Virgo sacra, de se ipsa dicens, quod fuit: *Quasi Oliua speciosa in campis, & quasi Platanus exaltata iuxta aquas in plateis.* Quibus duobus epithetis (haud modicum quidem) etiam eiusdem sanctitas, puritas, & à peccato originali immunitas præfiguratur & designatur. Et in primis (vt de Oliua aliquid dicamus) quis nõ videat viridem eandem manere semper, & folium eius nũquam deffi-

Sacra Virgo olea siue Oliua comparatur.

ficere? Vt probe adnotauit Theodoretus super illud Psal. 127. *Filij tui sicut nouella Oliuarum, in circuitu mensæ suæ.* Præterea olea siue oliua (vt dicitur) nullius alterius arboris incisionem patitur, pacis est symbolum: iuxta id quod insinuatum fuit Genesis 8. quando columba à Noe arca emissa, pacem vt terræ præsageret, oliuæ ramum rediens ore gestauit: Oleū præterea (quod est eiusdem fructus) necdum nitet, verū etiā & omnia alia quibus adiungitur, nitere, lucere atque splendescere facit. Quæ prædicta omnia (si penitus considerentur, atque bene introspiciantur) Virgini Deiparæ quammaxime conuenire videbimus. Ea enim à primo suæ Conceptionis instanti, per gratiam iustificantem semper viruit, neque vllo vnquam tempore gratia prædicta ab ea decedit: & tota gratiosa cum sit, haud quidem existimādum est, quod etiam per minimum instans, quidpiam habuerit quod gratiæ eidem contrarietur. Ipsa etiam æternæ nostræ pacis appositissimum symbolum est, & Christus Dominus eiusdem benedictus fructus (cuius sanctissimum nomen effuso oleo aptissime comparatur) per infinita sua merita (necdum semper nituit) verum etiam & omnes qui eadē per gratiam participant, nitescere, lucere atque splendescere facit. Hæc de olea siue oliua prædicta sint dicta.

In eo vero quod eadem Virgo sacra, Platano iuxta aquas in plateis exaltato comparatur; haud modicum etiam eiusdem protectio, defensio, immensusque fauor quo suos semper amatores afficit ad vmbratur. Est enim (vt dicitur) platanus arbor quædam nobilissima, nimis extensa, pro itinerantibus quammaxime proficia, & cum multā vmbram faciat; pro æstiuo tempore celeberrimum est tegumentum: & sic soli obuiam se opponit, vt eiusdem radios per sua folia transire minime permittat. Quod ipsum facit & tempore hiemis ad impediēdum frigius: nam sic impedit Aquilonarem rigidum ventum, vt ad terram ipsum pertingere haudquaquam sinat. Quæ prædicta omnia (si plene inspiciātur) quis non videat Virgini sacræ quam apte accommodari posse: & quod eadem sit protectionis nostræ cœleste quodā nobilissimum tegumentum: in id ipsum nimium extensa (seu vt verius & propriusloquar propensa) quę in cunctis nostris necessitatibus & aduersitatibus vmbram semper nobis facit, fauore atque patrocinio suo protegit: solis iustitiæ temperando & mitigando rigorem, & ab Aquilonari rigido vento, nos vbique tuendo & defendendo. Qua quidem ratione (nec immerito) Ecclesia nostra sancta praeces ad eandem fundendo, in Hymno quodam inter alia eidem dicit.

Sacra Virgo cōparatur Platano.

Aue Maris Stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Fœlix cœli porta.

Sumens illud Aue,
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Euæ nomen.

Solue vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse Matrem,
Sumat pro te praces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.
Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos,
Mites fac & castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum.
Vt videntes Iesum,
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo Decus,
Spiritu Sancto,
Tribus honor vnus. Amen.

Ex cuius tuendi, protegendi atque defendẽdi officio, & ad Deum pro peccatorum causis præces fundendi: haudquaquam quidem inefficaciter, quinvero efficacissime nimis colligere etiam licebit, eiusdem sanctitatem & puritatem quammaximam, & ab omni originali peccato immunitatem: cum ad eiusmodi intercedendi & sufragandi munus, aptus minime esse videatur eiusmodi qualitatibus qui non fuerit insignitus. Id quod (haud obscure) quinvero apertefatis insinuauit olim Diuus Paulus ad Hebræos septimo. Vt enim monstraret propitiatoris nomen Christo Domino mirifice congruere: de eximia eiusdem sanctitate postquam multa atque præclara dixit: statim subdit: *Talis enim decebat vt nobis esset Pontifex, Sanctus, Innocens, Impollutus segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus.* Quod fuit ac si expressius dixisset. Cuius est officium pro peccatoribus exorare, ac illis patrocinium ferre: sanctum, innocentem, impollutum, à peccatoribus segregatum, & excelsiorem cœlis factum oportet esse: & in se nullum omnino peccatum habere. Quod cum ita sit, & Apostoli verba haudquaquam possint aut debeant denegari, ex supradicto sacræ Virginis officio, peccatores tuendi, protegendi & defendendi, ac pro ipsis ad Deum præces fundendi: sanctitatem & puritatem ipsius quammaximam, & eiusdem ab omni prorsus originalis peccati labe immunitatem, haud inefficaciter (vt dixi) possumus colligere. Nam alias in id ipsum non satis congrua & conueniens esse videretur, & quæ nostra esse posset protectrix, adiutrix & aduocata apud Deum.

Comparatur Virgo sacra Cinnamomo & Balsamo, myrrhaq; electa.

Sed procedamus vlterius, expẽdẽmusq; causam ob quã Virgo sacra Cinnamomo & Balsamo aromatizanti odorem, ac myrrhæ electæ se voluerit assimilare & comparare. Ait enim concludendo: *Sicut Cinnamomum & Balsamũ aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris.* De Cinnamomo, mira ac pulchra, & quammaxima consideratione digna, tradit Plinius lib. 12 suæ naturalis historiæ cap. 19. *Illud præcipue quod in ea arbore Phœnix (quæ auis singularissima est, ac toto orbe celeberrima) ponit nidum suum, nec vllo modo illic auem aliam fœtum commorari sinit.* Quo etiam symbolo ad sacræ Virginis puritatem, & à peccato originali immunitatem præsignandam, nescio quid amplius quæri

posit

posit aut desiderari? Etenim si ea (vt præmissum est) fuit quodam cœleste Cinnamomum in quo æterni Patris Filius, quasi quædam auis Phœnix, vnica atque diuina nidificauit, & nouem mensium numero, vt in ipsius sacratissimo vtero moraretur, nidum suum posuit: quis dicere audeat, vllove modo sibi persuadere posit, quod ipse vnigenitus Dei Filius (etiam per minimum temporis instans) diabolum in Virginis huius sacratissimam animam, nidificare permiserit, ibidemque habitare? Talia dicenti & asserenti, iure optimo cum Diuo Paulo dicere possumus, verba illa quæ habentur 2. Corinth. 6. *Quæ participatio Christi ad Belial? Aut quæ conuentio lucis ad tenebras?* Non quidem id intellectus capit, nec vero nos id dicere debemus: quinvero potius quod semper solius Christi Domini purissimum atque splendidissimum habitaculum fuit, non vero diaboli vllo vnquam tempore, etiam per minimum instans. Etenim si (vt dicit Diuus Gregorius Nisenus) & de mente ipsius tradit illud Delrius, è Societate Iesu nobilis Expositor cap. 4. in Cantica sectione prima, Cinnamomum eiusmodi habet naturam, vt quæcunque noxa & ex corruptione aliqua genita, statim perimat: multo ergo magis dicendum est Virginem sacram (cœleste quodam Cinnamomum cum fuerit) totius peccati originalis & actualis corruptionem in se perimisse, & talibus noxijs omninò caruisse.

Sed veniamus iam ad Balsamum aromatizantem, quoniam nimium redolet, & suaui suo odore piorum fidelium nares mirifice afficit: nosque ipsos ducit ad hoc vt in Virgine sacra nunquam aliquid quod non odoriferum, aromaticum, atque olfatui nimis suaue fuerit, fuisse putemus. Quis quæso vnquam Balsamum fœtidum vidit? Fœtoreve aut malo odore affectum? Quod si ita est: si Balsamum nunquam fœter, quinvero ex se suauissimum odorem semper emittit. cur de Virgine sacra minus sentiemus, cùm Balsamo aromatizanti, suauique odore afflati atque redolenti (sacro dictante spiritu) aptissime cõparetur? An cum hoc rectè se compatitur originalis peccati fœtor, etiam pro minimo temporis instanti? minime gentium. Non igitur id dicamus. Omnes nos ab Adamo per rationem seminalem descendentes, tam viri quàm mulieres, cum in originali peccato concipimur: iuxta illud Psalm. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* (Seu vt alia littera dicit) *in peccato*, quod de originali omnes vbique Sancti Patres dicunt fore intelligendum: in conceptione nostra dum adhuc in nostrarum matrum vteribus sumus, siue concipimur (nõ quidem bonum & suauem Deo odorẽ emittimus) quinvero malum atque execrandum fœtorem: at Virgo sacra Deipara cũ (vt ipsa de se dicit) & de ea canit Ecclesia, & illud ipsi tribuunt omnes vbique Sancti Patres in Conceptione sancta sua, sicut Cinnamomum & Balsamum aromatizans odorem dederit: haudquaquam est cur

De natura Balsami.

dicamus ipsam originalis peccati fœtore infec...
Deo ex se suauissimum semper odorem præstiti...
Larip iuilegio) adeo vt melius multo de ea quã c...
cto quod Noe super altari Domino obtulit (de quo...
habetur) dicere possimus: *quod odoratus est Dominus od...*
quæ addit sacer textus, & dicit dixisse Deum, ...
cum terre. Quo loco vice illius verbi, *odorem suauitat...*
bræorum originale, *odorem quietis*; & quidem apte ni...
dum quis aliquid desiderat, neque illud inuenit, inqu...
sius; si vero postea voti compos euadat, illius animus...
cere dicitur: haud dissimiliter quidem dicere possumus...
Optimus Maximus alicuius Conceptionem mundam...
amadinuenire summopere desideraret, neque illud op...
nes enim vt dixi immundi atque originali peccato infe...
seu potius concipimur) & quadam veluti ratione dicer...
eiusdem Dei cor in quietum olim fuisse: cum ad præ...
ginis Conceptionem ventum est, ipsaque diuina gratia p...
ex speciali Dei priuilegio, absque omni prorsus originalis...
be concepta fuit: suauissimum adeo Deo de se odorem pr...
merito ac iure optimo de ea dicatur veluti qui rem quandam...
desideratam optinuisset, odorem quietis eundem odoratum...
in Virgine sacra prædicta, melius multo, quam in prædicto...
sacrifitio, eiusdem animum & cor hilariter quieuisse.

Quibus omnibus haud minimum quidem fauet: quinvero...
id quod & eadem Virgo sacra statim de se dicit in fine *quod qu...*
rha electa dedit suauitatem odoris. Vbi dum Mirrhæ electæ se com...
haudquidem obscure, quinvero satis clare & aperte, immuni...
suam & ab omni prorsus originalis peccati labe præseruationem...
sinuauit, cum Mirrha inter aromaticas species omnes, id præ ali...
beat singulare, quod à putredine & corruptione sit præseruatiua...
ratione dicere possumus, eo symbolo adumbratum fuisse, primum...
num sacræ prædictæ Virgini in Conceptione sancta sua collatu...
fuisse gratiam præseruatiuam ab omni prorsus originalis peccati c...
ruptione atque contagione: ob id enim Mirrhæ electæ se assimila...
& cor parauit. Cuius rei nouitate & singularitate perterritæ atqu...
admiratæ filiæ Hierusalem, dixisse feruntur olim Canticorum 3. *Quæ e...*
ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus Mirrhæ & thu...
ris & vniuersi pulueris pimentarij. Non immerito quidem mirantur, quod...
ex impuro atque fœtoso mundi huius deserto sacra Virgo ascendat, &...
in suæ sanctissimæ matris vtero fuerit concepta (non quidem fœtida...
originalis peccati fœtore) quinvero Deo, Angelis atque hominibus...
odorifera, virtutum omnium odoramento flagrans; sed maxime hæc...
insignita speciali gratia, quod ex singulari Dei priuilegio, omnino...

De natura Mirrhæ.

ab

ab omni, tam originali quam actuali, peccato fuerit præseruata. Hæc de prædictis Epitectis Virginis sacratissimæ dicta sufficiant.

Decimus sextus locus desumi potest, ex illis verbis quæ habentur Lucæ primo, vbi Gabriel Angelus Virginem sacram salutando dixit illi: *Aue Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Qui quidem locus (multis vt videtur) omnium est præstantissimus, quæ adduci possunt ad Virginis eiusdem immaculatam Conceptionem tuendam, insinuandam atque probandam: adeò vt quidam Scholastici Doctores, vel ex eo solo dixerint ipsius immunitatem optime posse defendi. Quinvero & de facto id ipsum (vt dicitur) fecerint diebus elapsis in Vniuersitate Complutensi, magno cum Doctorum omnium applausu, & solemni totius illius scholæ aclamatione. Qua quidem ratione nimium oportet prædicta omnia verba, singulatim à nobis vt explicentur & expendantur, cũ nullum ibidem prorsus sit, non quammaxima consideratione dignum.

Decimus sextus locus, desumptus ex illis verbis Luca 1. Aue Maria gratia plena, &c.

Sed in primis occurrit nouus ille atque inusitatus salutandi modus, quo Angelus sacram Virginem salutauit, dicens, *Aue Maria gratia plena.* Neque enim legimus (quod sciam) ante prædictam Beatam Virginem, aliquem ex magnis olim Principibus simili vnquam salutatione, salutatum atque condecoratum fuisse. De Rege Artaxerxe legitur Numer. 2. cum ab Asdra olim fuisset salutatus, sic cum compellatum fuisse: *Rex in æternum viue.* De Absalone vero dicitur 2. Regum 16. sequentibus etiam verbis à quodam Chusai fuisse salutatum: *Salue Rex, salue Rex.* Ruth quoque cap. 3. per sequentia verba: *Benedicat tibi Dominus.* Thobias autem cap. 5. per ista: *Gaudium tibi sit o senex.* Non sic autẽ Maria nostra sacra: sed salutationis loco ab Angelo hoc decoratur modo: *Aue Maria gratia plena.* Quod quidem neque modico mysterio vacat: quinvero quam magnum illud in se continet: vt Origines & Ambrosius annotarunt super hunc locum dicentes: *Nouam atque inusitatam esse prædictam salutationis atque benedictionis formam.* Circa quod primo notandum se se offert, per verbum illud *Aue* (quod litteris transpositis seu potius inversis atque transmutatis, idem valet ac si diceretur, *Eua*) dum Virgo sacra Eua appellatur (quod nomen vitam significat) præsignatum & præfiguratum fuisse ab Angelo per Dominicæ Incarnationem mysterium (quod habito Virginis consensu iam iam fieri parabatur) diuina gratia illud operante: eandem sacram Virginẽ Euæ terrestris antiquæ loco, in cœlestem quandam nouam esse transmutandam, atque per ipsam explendum, quod antiqua illa nobis præstare minime potuit. Eua etenim antiqua illa prima nostra mater, vitam nobis conferre deberet, cum iuxta sui nominis æthymologiam id ipsum præsignaret: haudquaquam tamen id ipsum fecit: quinvero è contrario vitæ loco nobis omnibus mortem attulit, saltim occasio-

Quam nouus atque inusitatus fuerit hic salutationis modus.

Quod verbum Aue, litteris trãspositis idẽ valet ac si dicatur Eua.

naliter & per suggestioné, suadendo Adamo primo nostro paréti vt de ligno vetito gustaret: iuxta id quod habetur Genesis 3. Succedat ergo loco antiquæ terrestris Euæ, cœlestis alia noua (Virgo scilicet Maria) Regina ac domina nostra: vitam quæ perennem nobis conferat, ac prioris antiquæ reparet damna: luctumq; ac lachrymas eiusdem, in gaudium & exultationem conuertat; pœnam in gloriam. Hæc esse potest prima ratio & causa, ob quam cœlestis ille Paranimphus Virginé sacram salutando, litteris transpositis siue transmutatis, Aue illi dicendo, eandem Euam nuncupauit. A qua pia satis cósideratione hau quaquam abhorret illud quod dixit olim Diuus Augustinus sermone 18. de Sanctis, qui secundus est de Dominica Annunciatione, vbi de prædicta sacra nostra Virgine loquendo, post alia in sequentia verba prorumpit. *Hæc est (inquit) flos campi de quo ortum est pretiosum Lilium conuallium: per cuius partum mutatur natura protoplastorum, deletur & culpa. Pretiosum est in ea illud Euæ infœlicitatis elogium, quo dicitur in dolore paries filios tuos: quia ista in lætitia Dominum peperit. Eua enim luxit: Ista exultauit. Eua lachrymas, Maria gaudium in ventre portauit: quia illa peccatorem, ista edidit innocentem. Mater generis nostri pœnam intulit mundo: Genetrix Domini nostri, salutem intulit mundo. Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit. Illa percussit, ista sanauit: pro in obedientia enim obedientia commutatur, fides pro perfidia compensatur.* Hæc D. Augustinus loco vbi supra. Ex quibus plane verbis satis nostrum prædictum confirmatur intentum. Quod etiam mysterium de prædicta (necdum nominis) verum etiam & rei ipsius mutatione, *Aue in Euam* terrestris antiquæ, in Mariam cœlestem (vt apparet) satis aperte insinuare visa est sacra nostra Mater Ecclesia, dum in quodam Hymno eandem Virginem sacram salutando, post alia sic inquit.

Sumens illud Aue,
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Euæ nomen.

Quod est ac si expressius diceret. Tu cui Gabrielis ab ore, dictú est illud Aue: Euæ nomen in Aue (hoc est tristitiam & merorem, in lætitiam & fœlicitatem commutando) funda nos in pace: seu præbe nobis pacem, animæ & corporis. Sed piæ huic considerationi quispiam obijcere potest id quod & aduertit Rupertus, & quàm plures alij é Sanctis Patribus (constatque satis ex ipso sacro textu, Genes 3.) antiquæ Euæ non eiusmodi inditum fuisse nomen (quod vitam significat) nisi post peccatum & transgressionem, & postquam audiuit mortis sententiam, quia erumnis, laboribus atque doloribus tradita fuit. Tunc subditur in textu sacro: *& vocauit Adam nomen vxoris suæ Eua, eo quod mater esset cunctorum viuentium.* Si igitur id ita est, quo modo hæc Virgini sacræ conuenire possunt, quam profitemur ab omni prorsus origi-

Difficultas notatu digna.

originalis peccati labe fuisse immunem? Haud contemnenda quidem difficultas. Sed huic obiectioni facilis est solutio, cum supradicto Ruperto, Epiphanio, Athanasio & alijs Sanctis Patribus dicendo, antiquæ Euæ eiusmodi nomen (quod vitam significat) post peccatum sibi impositum fuisse: vacuum tamé ac prorsus inane in ea extitisse: & & ipsius effectum reseruatum vt Maria sacra nostra omnes illius mésuras expleret: ita vt vna rem, altera vero tantum habuerit nomen, & Euæ impositum fuerit nomen, in quantum Mariæ nostræ sacræ typus & figura fuit. *Solutio difficultatis.*

Est etiam valde notandum, id quod ad hoc propositum dixit D. Epiphanius lib. 3. contra Hæreses, nempe hoc nomen *Eua*, cum aspiratione (quod etiam aduertunt Hebræi) serpentem, seu potius superbiam significare: cum vero idem nomen sacræ Virgini tribuitur, scribendum esse sine ipsa, designareque humilitatem. Et hac ratione cum dicimus antiquam Euam, in nouam (Mariam scilicet sacram nostrá) fuisse commutatam, & transmutatam: omninò idem esse, ac si diceretur, Euæ antiquæ superbiam (quæ à vetere serpente afflata, tantam sibi spiritus assumpsit, vt similis Deo esse voluerit & per quod veluti in serpenté fuit cómutata) id inquam nominis, & res ipsa, in Mariæ humilitatem mutatum, & antiquam Euam factam sine aspiratione, Euá (hoc est Mariam) quæ omne fastum & superbum spiritum per suam humilitatem, animique deiectionem plenissime à se abiecit, & serpentis antiquæ afflatu nunquam est violata. Quod satis etiam indicant illa Origenis verba quibus de prædicta Virgine sacra loquendo, dixit: *Hæc est quæ neque serpentis persuasione decepta, neque eius venenosis afflatibus infecta est.* Qua etiam ratione, & iure optimo eadem Virgo sacra dicere de se potuit, id quod habetur in suo Cantico, cui titulus *Magnificat: quia respexit humilitatem Ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Omnia ista bene sunt dicta. *Quid significet Eua cú aspiratione quid vero sine ipsa.*

Sed reuertamur iterú ad verba prædicta & quibus Angelus eandem Virginem salutando dixit, *Aue Maria.* Et quidem haudquaquam desunt qui verbum *Aue*, ita dissoluant atque interpretentur, vt *A* sit præpositio quædam & particula negans, quæ idem pollet ac si diceretur *sine Væ*: autem cum diphtongo: sit interiectio, quæ dolorem siue molestiam designat. Ex quo inferunt, quod dum Angelus Virgini sacræ dixit *Aue Maria*: idem prorsus fuit ac si expressius dixisset *Aue, sine va.* Hoc est Aue sine dolore: sine tristitia, sine mærore, & molestiis (seu vt verius dicamus) absque vlla prorsus occasione habendi ipsa. Poterit etiam fieri sensus prædictorum verborum, *Aue*. Id est sine omni omnino vitiatam culpa quam pœnæ, quæ ortum siue originem trahat á culpa. Qui dicédi modus haudquaquam est spernendus aut contemnendus, quin vero potius summa reuerentia ac veneratione habédus: cum pro se quamplurimos, eosque grauissimos habeat patronos, *Quod Aue idem pollet, ac si diceretur sine va.* *Alia explicatio, qua Virgo sacra immunis ab omni peccato designetur.*

nempe

nempe Diuum Thomam, in expositione Salutationis Angelicæ, Diuum etiam Bonauenturam, in speculo lectione 2. Albertum Magnum in libro de Laudibus Virginis & Salutatione Angelica, vbi meliora sapiens ac veritati vicinior a, quam in tertio sent. dist. 3. vbi Virginem sacram peccatum originale contraxisse existimauit, de eadem loquêdo ac se corrigendo, prædictum verbum *Aue* explicans, vel ex eo solo (inquit) dici posse eandem ab omni originalis peccati labe immunem fuisse. Verba ipsius libet refferre, & sunt quæ sequuntur: *Ex peccato sequutum est triplex væ. Væ culpæ, væ pœnæ, & væ ignorantiæ, & væ culpæ triplex, nempe originalis, actualis mortalis & venialis: & sine omni isto triplici væ, fuit Beatissima Virgo Maria, sine væ culpæ actualiter, sine væ culpæ causaliter, sine væ ignorantiæ habitualiter.* Verba sunt expressa prædicti Alberti Magni. Vbi sub nomine væ culpę actualiter, quamcunque culpam intelligit, siue originalem, siue actualem, quæ actu fuerit in anima sacræ Virginis. Nomine vero væ causaliter, intelligit pœnam ex culpa resultantem. Nomine autem vę ignorátię habitualiter, intelligit id ipsum quod sonat: quod satis insinuauit post modum, dum paulo interius concludendo, dixit: *Et sic concedimus vniuersaliter, quod Beatissima Virgo fuit sine omni væ.* Vbi facta exclusione prædicta, absque omni aliqua restrictione apposita, peccatum omne plane intelligit, & à sacra Virgine excluditttam originale, quàm actuale, mortale atque veniale: quæ tria enumerauerat prius. Quæ quidem omnia bene (licet non literaliter sunt dicta) sed in intellectus oblectationem quandam, & ad voluntatem vt cumque afficiendam, in deuotionem sacræ Virginis.

Notentur valde hæc verba Alberti Magni pro immunitate Virginis.

Sed reuertamur iterum ad explicandum & ponderandum verbum prædictum *Aue*. Et magis ad litteram expendamus, quid sibi voluerit Angelus, dum Virginem sacram salutando dixit illi: *Aue Maria.* Iuxta communem Sanctorum Patrum sententiam, litteralemque sensum idem prorsus fuit, ac si expressius dixisset: *Gaude & lætare Virgo sacra* (nam & Græca vox quæ verbo *Aue* correspondet, gaudere & lætari significat.) Qua quidem ratione Gregorius Nisenus, oratione de Natiuitate Domini prædicta verba *Aue Maria*, explicãdo, inquit: *Contraria est hæc oratio vocibus illis, quas prima mulier audiuit. Tũc enim illa doloribus propter peccatum damnata est, nunc autem in hac per gaudium dolor expellitur. In illa molestiæ partum præcesserunt: hic partus lætitiam pronuntiauit.* Quibus verbis concinit, & id quod dixit Andræas Hierosolymitanus, qui verbum prædictum *Aue* perinde valere dicit, ac si ad Mariam expressius dictum fuisset. *Salue lætitiæ organum, per quod delicti nostri condemnatio expita, ac veri gaudij plena facta est compensatio.* Euthymius etiam ad idẽ propositum dixit: *Gaudium hoc, Eua soluit maledictionem: illa siquidẽ habere iussa est mærorem (nam id proprie significat vocabulum Græcum, Genesis tertio, quod in ærumnas & dolorem vertitur.) Hæc autem gaudium, quod mærori est contrarium.* Hac etiam de re videndus est Hesichius Hierosolymitanus, serm-

ſerm. 1. de Virgine Deipara, *vbi eandem non ſolum triſtitiam, verum etiam & ipſum triſtitiæ fontem obturaſſe dicit*. Ex quibus omnibus verbis ſuperque ſatis colligitur, iuxta Patres prædictos, non quidem abſque myſterio ſpecialique ſtudio ab Angelo dictum fuiſſe ſacræ Virgini (necdum vt gauderet & lætaretur) verum & ſalutatione prædicta inditũ fuiſſe illi gaudium quoddam, quod Euæ mæſtitiam atque triſtitiam prorſus auerteret: cum & denuntiatum fuerit eidem parituram fore filium, qui & ſimul fuiſſet Filius Dei & ſuus: idque ſine omni dolore, mæſtitia & triſtitia, & omnibus his quæ antiqua Dei ſententia contra primam mulierem lata continebat. Congruum ſiquidem ac iuſtitiæ conſonum fuit, vt ab omni pœna immunis prorſus fuiſſet & libera, quæ nullius culpæ, neque originalis, nec actualis fuerit rea. Quo circa iuxta Euthymij ſententiam, verbum illud *Aue*, congratulatorium fuit, nec ſolum benedicentis, aut bene præcantis: cum maior (vt inquit D. Paulus ad Hebræos ſeptimo) à minori non benedicatur. Sed Angelus verbo illo Virginem ſacram gratulatorie, lætari atque gaudere iubet, de tot acceptis benefitijs, necnon & lætandi & gaudendi cauſis, quibus Deus illam inſignierat: ſic enim (non vero aliter) ſubditum Reginam ſacram ſalutari decebat, vt dicit Andræas Hieroſolymitanus. Itaque Angelus Salutatione prædicta, dum Virgini ſacræ gaudium indixit, non ipſam à lege & mæroris pœna in primam mulierem lata auctoritate aliqua exſoluere ſiue liberare intendit: quinvero oſtendere alioquin iam ipſam liberam atque ſolutam fuiſſe, & de libertate prædicta hac, gaudere & lætari debere. Cui dicendi modo fauet quammaxime, id quod ſupradicta verba iterum explicando dixit prædictus Gregorius Niſſenus, homilia 13. in Cãtica per ſequentia verba: *Cum illa quæ mortem in naturam per peccatum introduxit, eadem nata ſit vt in laboribus doloribuſq; pariat, oportebat omninò matrem vitæ, tam conceptionem à lætitia inchoare, quam partum in lætitia perficere: ſicq; Princeps ille Angelus ad eam ait: gaude per gratiam dilecta: qua voce mæſtitiam illam abigit, quæ rerum initio propter peccatum partui impoſita fuit*. Quibus proculdubio verbis Niſſenus prædictus, quaſi in medium protulit ius per quod Virgo ſacra illis angoribus carere debuit, nẽpe quia futura erat mater vitæ (ſcilicet Chriſti Dominũ) & in id ipſum gratia plena. Ex quo etiam non incongrue proinde ſequitur ad noſtrum propoſitum, quod omni peccato (necdũ actuali) verum etiam & originali, prorſus ipſa carere debuit.

Alia explicatio ad idem.

Circa eadem verba, *Aue Maria*, dicunt aliqui ſancti Patres, propterea Angelum ſalutationem prædictam ſuam â gaudio fuiſſe auſpicatum, quia ita alloqui decebat, eam quæ gaudij & lætitiæ pelagus erat in exhauſtum. Ad quod propoſitum quam maxime facit, id quod dixit Chriſipus. *Aue* (inquit) *iuũ eſt enim reuera auere & gaudere*. Quod fuit ac ſi expreſsius dixiſſet. Tu ſola plenam atque perfectam gaudij rationem habes: alij quotquot gaudemus, quaſi falſa & adulterina læ-

titia lætamur: tibi soli vera atque germana gaudij subest causa. Cui & concinit illud quod ad idem propositum dixit Gregorius Taumaturgus sermone de Annunciatione. *Aue* (inquit) *tu enim es quæ reuera sunt gaudio digna agis, quoniam immaculatam induta es vestem.* Quod fuit ac si expresius dixisset. Tu sola quidem gaudere debes, quia tu sola omni culpa cares: & omni eo quod tibi esse posset causa tristitiæ. Postquę subdit. *Aue gratia plena. quæ supercælestis lætitia vas es & receptaculũ. Aue gratia plena, nam per te gaudiũ omni dispensatur creatura.* Quasi expresius etiam dixisset: quod decebat vt quę gaudium in omnes alios effusura erat, omnis mæroris expertem in se letitiam contineret. Quod coincidit cum illo quod de mente Andreæ Hierosolymitani supra diximus, nempe Virginem sacram, lætitiæ organum fuisse merito nuncupatã. Fuit reuera Virgo Deipara lætitiæ organum, quia flebiles modulos nunquã ipsa sonauit (quod certe hominum cõtigit nulli) omnes enim nos ex quo Adam & Eua primi nostri parentes per peccatum, dolorem, mærorem, lachrymas atque tristitiam nobis attulerunt, cum sancto Iob cap. 30. iure optimo dicere possumus, *quod versa est in luctum cythara nostra, & organum nostrum in vocem flentium.* Soli ergo Virgini sacræ reuera datum est auere & gaudere, vtpotè quæ soli flendi & mærẽdi causam omnino nullã in se habuit, cũ peccatũ nullũ habuerit, nec originale, nec actuale, de quo posset lugere ac mærere: vt enim pluries dictũ est, solũmodo peccatũ est vera atque germana luctus, tristitiæ atque mæroris causa. Quod & quam optime de eadem Virgine Deipara dixit Rupertus lib. 3. in Cantica cap. 6. & lib. 7. de gloria Trinitatis cap. 13. vbi rationem reddens ob quam Canticorum Cantica à sanctis Patribus sacræ Virgini accommodantur, & quæ de tota Ecclesia inibi dicuntur specialiter illi tribuantur, dicit: eadem in Virginem sacram aptius quam in alios quadrare, per sequentia verba. *De ista dumtaxat scriptura dicimus, quod tota sit cantabilis: nam in cæteris scripturis multa sonant lamentabilia pœnitentis Ecclesiæ, quæ in plerisque peccauit, pro quorum parte profluctibus pœnitentia lamentatur & gemit: & hæc infra dignitatem sunt Beatæ Virginis, cuius vita integerrima non habuit cur gemeret, nisi vulnus charitatis, propter dilationem plenæ atque perfectæ beatitudinis.* Hęc Rupertus vbi supra. Ex quibus plane verbis satis constat, quod si Virgo sacra omninò nihil habuit quod gemeret, nisi solam dilationem plenæ atque perfectæ beatitudinis: quod in ipsa nullum omninò fuit peccatum (nec originale nec actuale) sed omnia in ea gaudio atque lætitia fuerunt digna: alias enim haudquaquam sibi defuisset luctus, mæroris, atque tristitiæ causa, quinvero & pœnitentiæ materia.

Peccatum solũ est vera & germana luctus, tristitia & mæroris causa.

Sed procedamus vlterius, & videamus quid nam significent verba illa ab Angelo etiam dicta, quæ statim sequuntur, *gratia plena:* quod splendidissimum atque capacissimum Hymnum Diuus Athanasius appellat, & multas interpretationes ac Virginis laudes eo elogio complecti

plecti dicit. Et vt paulatim aliquid dicamus, notandum primo occurrit, ex verbis prædictis plures olim ex antiquis Patribus, Virginis sacræ puritatem, immunitatem, & ab omni prorsus originalis peccati labe præseruationem deduxisse & collegisse. Et ex iunioribus non desunt nunc qui dixerint, ex ipsis solummodo (quamvis aliud non esset in id ipsum) ab Ecclesia sufficientissime fieri posse mysterij & articuli prædicti definitionem & determinationem. Inter Patres antiquos prædicta qui dixerit, occurrit primus Sanctus ille Thesiphon, Iacobi maioris discipulus, qui in laminis nuper in monte sancto Granatensi repertis, subsequentia verba fertur dixisse: *Illa Virgo, illa Maria, illa Sancta, præseruata fuit à peccato originali in primo suæ Conceptionis instanti, & libera ab omni culpa*. Cuius quidem rei quasi rationem reddens, subdit: *quia nunquam Angelus Virgini diceret Aue gratia plena, si in originali peccato fuisset concepta*. De veritate & fide prædicti testimonij, & multorum aliorum similium, multa infra in sequenti quæstione sumus dicturi.

Nota hoc valde.

Succedat Thesiphoni prædicto, Beatus Fulgentius sermone de Laudibus Virginis, cuius etiam sunt quæ sequuntur verba. *Sic eam Angelus salutasse legitur, Aue gratia plena. Cum dixit Aue salutationem illi cælestem exhibuit. Cum vero dixit, gratia plena, ex integro ostendit eam exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam*. Circa quæ prædicta verba, notandum quammaxime est, verbum *ex integro*, quod magnam energiam atque ponderationem habet.

Succedat tertio loco Diuus Illefonsus Virgini sacræ deditissimus libro illo suo aureo de parturitione & virginitate Mariæ, vbi ad idem propositum ait: *Cum dixit ei Angelus, Aue: cælestæ venerationis obsequium exhibet. Cum autem dixit gratia plena: ex integro Mariam ostendit exclusam & restitutam gratiam declarat*. Pauloque inferius, ad monstrandum sacram prædictam Virginem absque dolore & gemitu, Christum Dominum Filium suum, Redemptorem & Saluatorem nostrum peperisse, & absque illis angoribus quos matres in partibus substinere solent: subdit agendo cum Helbidio & suis sequacibus. *Interrogamus istos Helbidij sequaces, qui & si Virginem eam non denegant permansisse, pudicitiam tamen contaminatam & grauidam quæ plena prædicatur, quando communi lege naturæ vitiatam dicunt eam peperisse? Quia si ita peperit, Virgo adhuc et sub massa primæ damnationis contra Angeli vocem Verbum Patris de carne (quod absit) vt caro fieret, carnem assumpsit: sed quia contra Fidem Catholicam est sic sapere, Beata Virgo plena gratia, nec dolorem sensit, nec corruptionem, quia quantum aliena fuit à culpa (Spiritu Sancto in ea cooperante) in tantum extranea à maledicto primæ damnationis*. Post quæ iterum subdit: *Quapropter quod isti essent isti dicere, sic eam esse natam vt cæteri nascuntur, quia non genuit eum Virgo Dei genitrix ex origine primæ præuaricationis vt renasceretur, sed de Spiritu Sancto, vt Deus crederetur, sine dolore, sine gemitu, sine molestia, & ærumna, sine tristitia & afflictione*.

Notentur valde hæc D. Illefonsi verba.

Quæ quidem verba quia ad hoc propositum notabilissima sunt, oportet à nobis amplius vt expendantur. Præmiserat Ildephonsus præsul sanctissimus, ac sacræ Virginis deditissimus, Christum Dominum (nō quidem ex adoptione & gratia solummodo) sed ex natura sua per diuinitatis sanctitatem Filium esse Dei naturalem, & talem ab omnibus nuncupandum, & appellandum: atque exinde colligit sanctissimam ipsius matrem in eiusdem partu omni doloris sensu carere debuisse. *Quia* (inquit) *in aliorum partu quos puerpera ita generant peccatores, vt ipsis iterum renasci opus sit: æquum & iustum est vt matres doleant & excrucientur, at vero Christus qui ita natura sua ex matre iustus & Sanctus natus est, vt regeneratione nulla indiguerit: nulla omnino subsit causa ob quam ipsius mater, in partu dolores & angores sustineret.* Notetur valde eiusmodi discursus, est enim quammaxima animaduersione dignus. Nam ex his quæ D. Ildephonsus præmisit, ac postea subtexit, satis aperte insinuare videtur, dolores & angores quos matres in Filiorum suorum partu experiuntur, ideò illis à Deo inflictos, vt non ipsæ sine dolore pareret, eos ad quos per partum culpam transmittebant, quæ ipsis doloris ac luctus perpetui causa futura erat, & quæ per dolores etiam & gemitus deleri deberet. Ac si expressius diceret: matribus prædictis propterea dolores & gemitus in partibus immittit: vt eædem vel sic suis filijs dolorem & luctum denuntient: quo maculas ex partu contractas detergere ipsis necessum sit vt iterum renascantur: at Virgini sacræ non id ipsum contigit: quia peperit filiū natura sua iustū & sanctum, regeneratione minime indigentē: vnde in partu suo non angi aut dolere debuit, quia in filium suum nullam angoris aut doloris causam transmisit. Pulchra quidem ratio. Sed quorsum hæc quæ dicta sunt? Quave ratione ex eadem colligitur, prædictæ virginis sacræ puritas, & à peccato originali immunitas? Dicam libenter. Quamvis non id omninò necessario, satis tamen apte & congruenter. Æquum etenim ac iustū fuit, vt sacræ Virginis filius, quem concepit ac peperit nullam in ipsum doloris aut molestiæ causam ex suo partu transfundendo, postquam id optime facere potuit: omnem etiam à sua matre doloris atque mæroris causam prohiberet, quę illi ex aliquo suo delicto poterat euenire: eo vel maxime quia eiusmodi delictum, non ipsam tantum matrem, verum etiam & filium dolore atque tristitia poterat efficere. An ne ex hoc non recte elicitur Virginis sacræ puritas, & à peccato originali immunitas? Alias enim quo modo Diui Ildephonsi ratio posset subsistere? Debuit quidem eiusdem filius, postquam (vt supponitur) potuit id ipsum efficere, facere vt sua mater omni prorsus originali peccato careret. Etenim si eo obstricta aliquando fuisset, dolores etiam & angores in partu sustinere debuisset, & satis magnam causam dolendi ad filium ipsum transferret (si non ex aliquo proprio suo delicto) saltim ex delicto suæ matris, de quo omni proculdubio

Nota hoc valde.

cons

contristaretur grauissime. Cum igitur id dicendum non sit, recte certe concluditur intentum. Super quæ prædicta verba notandum est, quod duo simul argumenta continentur in prædictis Diui Ildephonsi verbis. Primum quod Virgo sacra in partu dolere non debuit propter rationem superius dictam. Secundum quod ex eo quod absque dolore peperit, ab omni prorsus originali peccato immunis fuit, vt non iustam aliquam causam haberet dolendi & mœrendi. Quæ omnia optime fundantur super prædictis Angeli verbis, *Gratia plena*: inde enim elicuit Diuus Ildephonsus quod nec dolorem sensit, neque corruptionem animæ aut corporis, quia quantum fuit aliena à culpa (Spiritu Sancto in ea cooperante) tantum fuit in totum extranea à maledicto primæ damnationis.

Illustrissimo atque deuotissimo Ildephonso, succedat sapientissimus ille Idiota, qui omnium clarissime atque luculentissime, ex prædicta Salutatione Angelica, sacræ Virginis puritatem, & ab omni prorsus originali culpa immunitatem, subsequentibus verbis elicuit. *Aue* (inquit) *Virgo sacra, inuenisti gratiam apud Deum (ò dulcissima Virgo) gratiã cælestem: quia fuerunt in te ab originalis peccati labe præseruatio, Angelica Salutatio & Spiritus Sancti supernentio.* Quod fuit ac si expressius dixisset, quod prædicta tria quàmaxime sibi cohærent, vimque habent vnius gratiæ, & alterum ex altero conficitur.

Haud modicum quidem omnia superius dicta illustrantur, atque confirmantur, per id quod de prædicta sacra Virgine, explicando eadem verba dixit Seraphicus noster Pater D. Bonauentura, sermone 2. qui habetur de Sanctis in communi tom. 3. *Dico primo, quod Domina nostra fuit plena gratia præueniente in sua sanctificatione, gratia scilicet præseruatiua contra fœditatem originalis culpæ, quam contraxisset ex corruptione naturæ, nisi speciali gratia præuenta, præseruataque fuisset.* Et in hoc se ipsum amplius explicando, subdit: *Solus itaque filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, & ipsa mater ipsius Virgo: de qua credendum est quod nouo sanctificationis genere in eius Conceptionis primordio, Spiritus Sanctus eam à peccato originali, (nõ quod infuit) sed quod infuisset redemit, atque singulariter gratia præseruauit.* Quid quæso amplius ad hoc propositum vnquam dici potuit? De Sanctorum Patrum sententijs prædicta sufficiant: nunc veniamus ad rationem quæ in id ipsum ex verbis prædictis se offert appositissima, atque efficacissima.

Notentur etiã valde hæc D. Bonauenturæ verba.

Et ea est, nam salutatio prædicta, omni proculdubio fuit singularis & sacræ Virginis propria: ergo aliquam etiam ipsius propriam, & nemini communem laudem debuit continere: sed nulla alia esse videtur quàm prædicta à peccato originali immunitas: ergo intentum. Cõsequentia legitima est: sed vlterius probatur & explicatur. Nam licet in Scriptura Sacra Sanctus Ioannes Baptista, & ipsius Pater & Mater Zacharias & Elisabeth: Sanctus etiam Stephanus & Apostoli, Spiritu Sancto

Sancto pleni, seu etiam repleti esse dicantur: eorum tamen plenitudo longe alio diuerso modo significatur ibidem atque cum Angelus sacræ Virgini dixit, *Gratia plena*. Etenim (& si res penitus inspiciatur, ut plene cōsideretur) omnes prædicti Spiritu Sācto ita repleti esse dicūtur, vt modus ipse loquendi satis significet, eos gratia ipsa prius vacuos fuisse: vt patebit discurrendo per singula. De Ioanne enim dicitur Lucæ primo, *Replebitur Spiritu Sancto adhuc ex vtero matris suæ*. Et de matre sua habetur etiam ibidem: *Et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth*: quod idem dicitur de Patre suo Zacharia. De Apostolis autem habetur etiā Actuum 2. *Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto*, quo tempore in linguis igneis super ipsos descendit. De Diuo etiam Petro specialiter dicitur, in eisdem Actibus cap. 4. *Tunc Petrus repletus est Spiritu Sancto*. Vbi particula illa *tunc*, tempus significat quo plenitudo prædicta cœpit. Idem dicitur de Paulo & Barnaba, Actuum 9. & 11. Ac demum re plene inspecta & bene considerata, prædicti omnes non prius repleti fuerunt Spiritu Sancto, quam cum id ipsum necessarium visum fuit expedire, ad recte gerendum munus & officium ad quod fuerunt destinati. Et si prædictis in locis textus ipse Græcus consideretur, semper facta fuit locutio per verbum significans futurum. At cum sacræ Virgini Angelus dixit, *Gratia plena*, in eodem textu Græco habetur quoddam verbum, quod præteritum tempus designat, & idem pollet ac si dixisset: *Aue tota gratiosa: Aue gratia plena: siue nullo tempore non plena*. Si igitur Virgo sacra, semper fuit gratiosa, si semper Deo chara & grata, si semper gratia plena, & nullo tempore non plena: quo modo nos non etiam plenis bucibus cantantes & lætantes, dicemus, eam à primo suæ Conceptionis instanti, ab omni prorsus originalis peccati labe fuisse præseruatam?

Rationi prædictæ succedit & alia (haud contemnenda quidem) & ea est. Quia gratia ibidem (nec dum gratiam gratum facientem, sanctificantem siue iustificantem designat) verū etiam & singulare quoddam priuilegium, siue dispensationem super lege aliqua factā. Quod gratiæ nomen prædictum, priuilegium siue dispensationem super aliqua re facta importet multoties, adeò planum est vt in cōtrouersiam adduci non possit. Et eius quidem rei, tam ex humanis literis, quàm ipso ex iure Cęsareo siue Pontificio exempla quamplurima facile esset adducere, quæ breuitati consulendo facio missa. Quando igitur Angelus ad Virginem, eandem salutando dixit: *Aue gratia plena*: iuxta hanc cōsiderationem, omninò idem fuit, ac si expressius dixisset, *Aue Virgo sacra*, cui omnes gratiæ simul atque priuilegia collata sunt, quæ donari aut conferri vnquam potuerunt puræ alicui creaturæ. Id si ita fuit, haudquaquam credendum est, quod illi defuerit præseruationis gratia, & ab omni prorsus originalis peccati labe immunitas. Hoc argumento ad probandam prædictæ sacræ Virginis sanctificationem,

in vtero suæ matris, vtitur, Diuus Thomas 3. parte quæst. 27. art. 1. in corpore, cuius sunt quæ sequuntur expressa verba. *Quamuis de Beata Virginis sanctificatione, quod scilicet in vtero suæ matris fuerit sanctificata, expressum nihil habeatur in Sacra Scriptura, vtpote quæ nec etiam de eiusdem natiuitate facit mentionem tamen Diuus Augustinus Sermone de ipsius Assumptione rationabiliter argumentetur, quod in Cœlum fuerit assumpta simul cũ corpore (quod etiam sacra Scriptura non tradit) ita etiam & rationabiliter argumentari possumus, ad probandum quod fuerit in vtero sanctificata.* Cuius rei sequentem subiungit rationem. *Rationabiliter enim* (inquit) *creditur, quod illa quæ genuit vnigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus alijs maiora priuilegia gratiæ acceperit, cum & Angelus Lucæ primo. eidem dixerit, Aue Maria gratia plena.* Verba sunt expressa Diui Thomæ. Ex quibus subinde colligit, quod cum sacro referente eloquio, Hieremię ac sancto Ioanni Baptistæ fuerit priuilegialiter concessum, vt in vtero suarum matrum sanctificarentur: quod eiusmodi priuilegium non est etiam sacræ Virgini denegandum: & quod sanctificata fuerit ante quã ex vtero nasceretur. His præmissis verbis, liceat nunc nobis ex eisdem principijs argumentari, ad probandam sacræ Virginis immunitaté & à peccato originali prædicto præseruationem: & necdum eam in vtero fuisse sanctificatam, verum & omninò à peccato præseruatam. Si Virgo sacra ab Angelo gratia plena pronuntiatur, & (vt prædictum est) gratiæ nomen non solum gratiam gratum facientem, sanctificantem, siue iustificantem designat: verum etiam & singulare aliquod priuilegium, & dispensationem super aliqua lege factam: satis aperte (vt videtur) cõcluditur, quod necdum fuerit in suæ matris vtero sanctificata: verum etiam & ab omni originali peccato præseruata: & donatum sibi eiusmodi præseruationis priuilegium, & factam cum ipsa dispensationem, super communi lege Adamo & omnibus suis posteris imposita, de contrahendo peccato originali prædicto. Alias enim quo modo posset dici gratia plena, sumpta gratia pro priuilegio atq; dispensatione super aliqua lege facta, si eiusmodi speciale priuilegium sibi defuisset: & cum ea dispensatum non fuisset in hoc vt originale peccatum prædictum non contraheret? Sed dicet aliquis. Optime. At dispensatio (maxime in legibus communibus & generalibus, & ad cõmune bonum spectantibus) fieri non potest aut debet (etiam à Principe vt quibusdam placet) absque iusta, legitima & rationabili causa, nisi quæ vrgenti: & necdum causa prædicta debet subesse, quin vero & ea esse vniuersalis & publica (quod quidam extendere volunt etiam ad Deum) sed hæc causa communis non fuit, vt cum Virgine sacra in lege prædicta dispensaretur, ergo eiusmodi dispensatio fieri non deberet. Huic replicæ siue obiectioni respõdetur. Quod his nihilominus non obstantibus, fieri optime potuit dispensatio prædicta: quin verò Deus Optimus Maximus debuit illam facere: & in id ipsum ad fuit causa

Obiectio notanda.

Obiectionis solutio, haud minus notatu digna.

causa (necdum iusta, legitima & rationabilis, nimiumque vrgens) verum & vniuersalis & publica: ad hoc vt Deus suæ sanctissimæ Matri speciale prædictum præseruationis priuilegium concessisset: & cum ipsa super prædicta communi lege dispensaret, in eo quod peccatum originale prædictum non incurrisset. Et quamvis cum Matre sancta sua, non ex pietate (vt decebat Filium) sed ex iure ageret: non solum potuit, verum etiam & quodammodo debuit: non quidem ex aliqua necessitate ipsum arctante, & in id ipsum eundem obligante (hanc enim Deo superimponere minime licet) sed ex decentia & congruentia, sacram Virginem à peccato originali prædicto præseruare: pro eo quod id ipsum exigebat (necdum sua bonitas) verum etiam & suarum creaturarum administratio recta: & quia ex eiusmodi dispensatione, & præseruatione resultabat non solum priuata sacrę Virginis vtilitas, verum etiam & potius vniuersi commune bonum, si quidem pendebat ex eo quod Deus ipse congruam atque condignam haberet Matrem, talem qualem decebat sacram suã & immensam maiestatem. Quod quidem haud obscuris verbis dixit olim Diuus Anselmus, celeberrimo illo suo elogio quod habetur in libro *cur Deus homo*, vbi hac de re agens inquit: *decuit Virginem ea puritate nitere, quã maior sub Deo nequit intelligi.* Ex quibus verbis sic colligo argumentum. Si id decuit Virginem, vt congrua & digna esset Dei mater: ergo & similiter decuit eiusdem Filium, eandem ab omni prorsus originali peccato pręseruare, vt plane haberet eam puritatem qua maior sub Deo nequiret intelligi: illam nempe, quam in prima sui conditione habuerunt Angeli. Cui etiam considerationi (haud modicum quidem fauet) quædã alia notabilia Diui Athanasij verba, sermone quodam de Virgine Deipara tomo 3. explicando superius dicta verba: *Gratia plena*, quibus sic inquit. *Decet te Matrem regeneratricem, Dominam atque heram cognominari, eo quod ex te prodijt Rex, Dominus & Deus noster, assistentem illi, nobis quidem terribili, tibi autem dulci, immensam gratiam largientis: qua de causa factum est, vt gratia plena appellata sis, vtpote quia omni gratia abundares.* Notentur omnia prædicta verba, nam certe nullum prorsus hic est, quod non quámaxima sit consideratione dignum. Sed prius expendantur illa: *Decet te Matrem regeneratricem, Dominam atque heram cognominari: eo quod ex te prodijt Rex, Dominus & Deus noster.* Quibus proculdubio verbis insinuare omninò voluit, nullam excogitari posse gratiam, quam non congrueret atquę deceret habere, illam quæ ab æterno electa fuit, vt congrua & digna esset nostri Dei, Regis & Domini Mater. Post quæ notentur verba quæ sequuntur statim. *Assistentem illi, nobis quidem terribili, tibi autem dulci.* Quæ verba (si bene inspiciãtur) multum etiam põderis atque energiæ habent. Nam cur (quæso) Deus nobis terribilis, illi autem dulcis? Nisi quia nos in originali peccato concepti, actualia multa atque innumera eidem in dies super addentes, nostris peccatis

Dei iram in nos concitamus: quibus omnibus cum Virgo sacra caruerit & adeò plena Dei gratia fuerit donata: nihil omninò in ea fuit, ob quod Deus non illi semper se ostenderet dulcem atque suauem. Cum vero in vltimis verbis addidit Diuus Athanasius verba subsequentia: *Omnem gratiam sibi fuisse largitam, & ea de causa factum esse, vt gratia plena sit appellata, & quod omni gratia abundaret*: satis aperte insinuare voluit, quod gratiæ omnes quæ excogitari possunt in prædictam sacram Virginem confluxerunt, adeò vt nulla omninò illi defuerit. Etenim qui totum dicit nihil excludit: & tunc aliquid re aliqua plenum esse dicitur, cum omninò nihil illi deficit: quin verò tota ipsius capacitas expletur. Quod si ita est, quis dicet aut persuadere sibi vllo modo poteſt, caruisse prædictam sacram Virginem, supradicto præseruationis priuilegio, & non prorsus eam ab originali peccato fuisse immunem?

Prosequitur Angelus, & dicit: *Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*. Duo etiam hic simul dicuntur, ex quibus haud quidē incongrue: quin vero congruentissime & aptè nimis, sacræ Virginis puritas & ab omni prorsus originali peccato immunitas elici poteſt. Horum primum continetur in illis primis Angeli verbis *Dominus tecum*, secundum vero in sequentibus. *Benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus ventris tui*. Quorum priora explicando Diuus Augustinus, sermone 1. de Annunciatione, sic inquit. *Aue gratia plena, Dominus tecum. Tecum Dominus in corde, tecum in ventre, tecum in vtero, tecum in auxilio*. Et sermone de Natiuitate eadem de re agendo dicit. *Dominus tecum magis quam mecum: ipse enim in corde tuo est, in vtero tuo: adimplens mentem, adimplens ventrem*. Quid (quæso) amplius dici aut desiderari potuit, ad præsinandam & significandam Dei Optimi nostri Maximi præsentiam (necdum in sacræ Virginis vtero) verum etiam & amplius atque perfectius, in sanctissima anima, mente, siue in ipsius corde: idque semper per gratiam à primo suæ Conceptionis instanti, ita quod ipsa nullo vnquam tempore caruit, etiam per minimum instans. Certe verba prædicta, *Dominus tecum* (mihi vt videtur) nihil aliud sonant, quam si diceretur. Dominus fuit semper in te per gratiam, nūquam Dominus à te discessit, tecum quando concepta, tecum quando nata, tecum viuens, tecum mortua: nullo vnquam tempore sine ipso fuisti. Quod satis confirmant illa Diui Cipriani verba, quæ dixit sermone de Natiuitate eiusdem Virginis. *Fuit* (inquit) *in ea speciale priuilegium, quod nulla mulierum neque ante, neque deinceps meruit optinere, quia erat mater simul & Virgo, singulis titulis insignita. Vnde & matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantior gloria, qua carnis & mentis integritate insignis, spirituali & corporali, intus & extra Christi præsentia frueretur*. Quid (quæso) amplius potuit dici vnquam, ad designandum sua præsentia Deum, non solum sacræ Virginis mentem occupasse, verum etiam & amplius atque perfectiori modo, ipsius mentem & animam

Notentur hæc D. Augustini verba.

Notetur hoc valde.

animam. Ex quo non incongrue colligitur, eandem omninò in mente integritatem fuisse illi, qua corpus sanctissimum ipsius præditum fuit: & quod sicuti corpus per virginitatem ab omni libidinis corruptione semper fuit alienum: ita & eiusdem mens per gratię plenitudinem, ab omni prorsus culpa originali & actuali omninò immunis fuit.

Obiectio notanda. Sed dicet aliquis, eiusmodi specialissimam Dei præsentiam in sacræ Virginis mente per gratiam, non vsque adeò illi fuisse diuturnam vt ad vnius instantis moram ab ea nõ potuerit abesse: & quod in eiusmodi instanti in peccato prædicto originali concipi potuit.

Obiectioni respondetur, & est doctrina satis notabilis. Sed huic obiectioni occurrit Seraphicus Pater noster Diuus Bonauentura dicendo, quod Angeli verba prædicta ad omnes temporis differẽtias sunt extendenda, nempe ad præteritum, ad præsens, & ad futurum: ante partum, in partu, & post partum. Verba illius sunt quæ sequuntur. *Dominus tecum (ò Maria) tecum certe fuit, tecum est, & tecum erit.* *Nota hoc valde.* Quibus verbis haud ab errauerit qui addiderit particulam *semper*: quæ nequaquam incongrue profertur à multis pijs & deuotis viris prædictæ sacræ Virginis, dum recitant Salutationem Angelicã: dicunt enim, *Aue Maria gratia plena, Dominus tecum semper.* Quod etiam neque abhorret a mente & sententia Diui Augustini, sermone 9. de Natiuitate, vbi explicando illa verba Psalmi 67. *Mater Sion dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus.* His verbis præsignari dicit, Deum esse sacræ Virginis conditorem, filium & incolam: & addendum esse illis prædictam particulam, *semper*: ita vt non vllo modo intelligendum sit eiusmodi habitationem fuisse temporaneam: quinvero semper perpetuam, & omnis temporis differentias in se complectentem. Videantur quæ ad hoc propositum diximus supra, explicando illa verba, Prouerb. 8. *Dominus possedit me initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio*

Sed deueniendo ad posteriora prædicta Angelicæ Salutationis verba, quammaxima consideratione digna. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Duo simul in illis præsignantur mysteria, ex quibus etiam nec incongrue sacræ Virginis puritatem atque immunitatem licebit colligere. Primum est, per prædictam Virginis benedictionem, primam illam Euæ maledictionem in Virgine sacra omninò fuisse abstersam. Secundum verò, per eiusdem meritum repulsam fuisse etiam ab alijs, tam hominibus quàm mulieribus. Quorum vtrunque multis comprobari potest Sanctorum Patrum auctoritatibus. Et quidem quantum ad primum, quod per prædictam Virginis benedictionem, antiqua illa Euæ maledictio in eadem prorsus fuerit abstersa, abolita atque omnino extincta: dicit illud Diuus Ildephonsus libro de Parturitione & Virginitate Mariæ. Nam cum præmisisset hæreticorum assertionem asserentium Deiparam Virginem communi naturæ lege filium suum peperisse, sic addit, *Quod si ita est vt ad-*

ferunt

ſtruunt & affirmant, ergo illa quæ benedicta ab Angelo prædicatur, in maledictione adhuc permanens, ſub maledicto peperit? Alioquin quid eſt quod legem naturæ requirunt in Maria, vbi totum quidquid in ea fuit poſſedit Spiritus Sanctus? Et infra. *Sicut ab æſtu libidinis fuit libera, ita & ab omni preſſura maledictionis non ex ſeſe, ſed ex virtute Altiſsimi immunis & aliena fuit*. Et item infra ait. *Quod in totum Virgo ſacra extranea fuit à maledicto Euæ, nec ſub maledicto in doloribus & anguſtijs enixa Dominum peperit*. Quid (quæſo) amplius ad hoc propoſitum potuit deſiderari? Quantum vero ad ſecundum, quod etiam per benedictionem prædictam Mariæ, omnium etiã hominum maledictio fuerit ſublata, dicit illud expreſſe Diuus Augustinus ſermone 1. de Annunciatione, vbi ait: *Quod Euæ maledictio in Mariæ benedictionem mutata fuit*. Diuus etiam Hieronymus, ſermone de Aſſumptione, explicando ſupradicta verba. *Benedicta tu in mulieribus*, dicit ſic eſſe intelligenda, id eſt: *Plus benedicta quam omnes mulieres*. Et ſubdit: *Ac per hoc quidquid maledictionis infuſum eſt per Euam, totum abſtulit benedictio Mariæ*. Id ipſum etiam dixit Diuus Fulgentius. *Maledicta* (inquit) *Eua fuerat, quam nunc credimus per Mariam ad benedictionis gloriam remeaſſe*. Idem etiam dixit Diuus Ildephonſus, ſermone 1. de Aſſumptione de Virgine ſacra loquendo *Hæc eſt* (inquit) *illa, per quam omnis maledictio ſoluta eſt primorum parentum, & cæleſtis benedictio in totum venit mundum*. Ad idem etiam facit quod dixit Petrus Damianus ſermone de Natiuitate eiuſdem Virginis. *Maria* (inquit) *benedictionis noua fluentum, totum deterſit maledictionis antiqua contagium*. Quæ ſupradicta omnia etiam confirmantur, per id quod dixit Guerricus Abbas de Virgine ſacra loquendo. *Hæc eſt* (ait) *quæ primæ matris maledictionem diſſoluit, vt per iſtam benedictionem, hæreditatem poſsideant, qui per illam ſub præiudicio maledicti æterno fuerant nati*. Sed vt huic rei vltimam iam imponamus manum, expendamus oportet, in quo ſtetit prædictæ Beatæ Virginis benedictio, ob quam præ omnibus alijs mulieribus ab Angelo benedicta pronunciatur. Circa quod Diuus Bernardus ſermone 3. de Annunciatione, eiuſmodi difficultati reſpondendo ait, Referendum hoc eſſe ad ſacræ Virginis fœcunditatem (non quidem ad illam qua antiqui olim Patres cũ filios generabant Dei benedictionem adepti dicebantur) ſed ad generandi quandam peculiarem rationem, quæ omnem naturæ exuperauit fœcunditatem. Verba ipſius ſunt quæ ſequũtur. *Benedicta* (inquit) *tu es in mulieribus, quæ illam generalem maledictionem euaſiſti, qua dictum eſt in triſtitia paries filios tuos: & nihilominus illam, maledicta ſterilis in Iſrael: ac ſingularem conſequuta es benedictionem, vt nec ſterilis maneas, nec cum dolore parturias*. Multa alia ad hoc propoſitum dicit prædictus Diuus Bernardus, quæ videri poterunt ibidem. Sed Petrus Chryſologus ſermone 23. & Heſichius ſermone 2. de Virgine Deipara, prædictam excellentiam in eo ponunt, atque conſtitiſſe dicunt, quod genuerit Deum ſimul & hominem, & incolumi ſua Virginitate parturijt. Iuxta quem

 ſenſum

sensum, verba illa quæ subsequuntur: *& benedictus fructus ventris tui*, cum præcedentibus veniunt construenda, ita vt fiat sensus: *Benedicta tu in mulieribus, quia benedictus fructus ventris tui.* Multa ad hoc propositum forent dicenda, quæ breuitatis gratia facio missa.

Notetur hoc valde. Solummodo superest, ex verbis prædictis, vt sacræ etiam Virginis puritatem, & ab omni prorsus peccati originalis labe immunitaté eliciamus & colligamus: quod facere haudquidem multum erit difficile. Etenim si sacra Virgo præ omnibus mulieribus benedicta ab Angelo pronunciatur, in eiusmodi generalitate planum est, quod & comprehendi debuit nostra mater Eua, etiam pro eo tempore quo in gratia atque iustitia originali â Deo condita fuit. Et si ita est, haudquaquam erit dicendum, quod Virgo sacra in peccato originali fuerit concepta: quinvero etiam in gratia & iustitia originali sicut Eua, vt non necessum sit dicere, pro eo temporis instanti quo concepta fuit, in fœliciorem ipsam fuisse, & Euam beatiorem, quam Maria. Haud cótemnenda quidem ratio ista est. Sed afferamus aliam non inferiorem illa: & ea sit. Nam si iuxta Diui Bernardi sententiam superius dictam, sacræ Virginis benedictio in eo posita fuit, quod maledictionem illam generalem euasit, qua dictum fuit in tristitia paries filios tuos: similiter & illam, maledicta sterilis in Israel: & singularem illam benedictionem fuit consequuta, qua neque sterilis permansit, neque cum dolore parturijt. Si iuxta Diui Petri Chrysologi, & Hesichij etiam sententiam, benedictio supra dicta in eo posita fuit, quod Deum simul atque hominem genuit, idque absque læsione sacratissimæ suæ integritatis, & incolumi seruata ipsius Virginitate: si in in prædictis omnibus Virgo sacra mulieres omnes superauit ac vicit: & vt Filij Dei congrua & digna esset mater, idem ipse Dei Filius cum ea omnes naturæ leges violauit: cur non & eadem ratione dicemus, violasse supradictam communem & generalem legem, de contractione originalis peccati, cum id ipsum decuerit quammaxime, & Dei ipsius maiestatem & dignitatem, & sanctissimæ suæ Matris puritatem? Ad hoc propositum facit multum id quod retulimus supra de mente Diui Ildephonsi, libro de Parturitione & Virginitate Virginis, loquendo cum hæreticis Heluidianis. *Quid est quod legem naturæ requirunt in Maria: vbi totum quidquid in ea fuit possedit Spiritus Sanctus?* Si Virgo genuit contra omnem prorsus naturæ legem, & Virgo ac sine dolere & cómunibus aliarum mulierum sordibus filium suum gestauit in vtero, ac tandem sine læsione suæ integritatis, & virginitatis illum peperit: si in his omnibus non requiruntur naturæ leges, vt quid spectantur, ac rigide adeò exiguntur, ad præseruandam ipsam ab originalis peccati contagio? Si vt inquit supradictus Petrus Chrysologus, sermone 2. de Annunciatione, reddens rationem ob quam Deus ex fæmina Virgine nasci voluit iura naturæ transgressus, id ipsum factum fuit vt

Notentur valde hæc D. Petri Chrysologi verba.

natu-

naturæ ipsius se ostenderet auctorem & conditorem: sicque introducit Angelum loquentem & dicentem ad Beatam Virginem: *Prætermitte naturæ ordinem, ac recognosce ordinem creatoris*: cur non & similem ob causam (nempe vt naturæ prædictæ se ostenderet auctorem & conditorem) non etiam violauerit, seu potius dispensauerit cum sacra Virgine Matre sua in prædicta generali lege, vt non ipsa sicut & cæteri peccatum contraheret originale: postquam & hoc Deo ipsi magis fuit gloriosum, & sanctissimæ suæ Matris puritatem magis condecens? Omnes istæ rationes appositissimæ sunt, & cuiuslibet hominis intellectum bene ad Virginem sacram affectum, certe quammaxime cō uincunt. Sed procedamus ad alia, afferamusque alium locum.

Decimus septimus locus desumi potest etiam ad idem, ex illis verbis quæ habentur Lucæ 11. *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti*. Qui quidem locus conuenientissimus esse videtur, postquam & legendum eundem nobis proponit sacra nostra Mater Ecclesia, iuxta officium approbatum à Sixto Quarto in festo Immaculatæ Conceptionis. Fueruntque prædicta verba prolata (vt dicit Diuus Lucas) à muliere quadam de turba, quæ viso quodam Christi Domini miraculo, necnon & vrgentissimis atque efficacissimis rationibus ab eodem adductis, contra Pharisæorum truculentam rauiem, in confirmationē & defensionem ipsius, extollens vocē exclamauit ac dixit, *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti*. Duas simul res mulier prædicta his verbis complexa est, quæ Virginem sacram quammaxime laudant, prædicant, & in cœlum vsque euehunt, ipsiusque mirandam fœlicitatem extollunt. Harum prima fuit, gestatio & partus Christi Domini. Secunda vero eiusdem lactatio & educatio: ex quibus (haudquidem incongrue) quinverò aptissime atque congruentissime, ipsius puritatem, & ab originalis peccati labe immunitatem (vt statim videbitur) facile erit colligere.

Decimus septimus locus. Desumptus ex illis verbis, quæ habentur Luca 11. Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.

Ad primum igitur deueniendo, tempus quidem haudquaquam sufficeret, ad enarrandum & dicendum Doctores sancti, necnon & Scholastici à fœmina prædicta edocti, quantis laudibus atque encomijs Virginis sacræ vterū fuerint prosequuti: comendantes nimiam ipsius capacitatē & amplitudinē, extollentes simul & eiusdē puritatē. Incipiat in primis D. Epiphanius, sermone de Laudibus Deiparæ, cuius sunt quæ sequūtur verba. *O vterū impollutū habentem circulum cœlorū, qui Deum in cōprehensibilē, in te verò comprehensum portasti! O vterum cœlo ampliorē qui Deū in te non coarctasti! O vterū qui cœlū es septē circulis cōstās, & capacior illis existis! O vterū septē cœlis sublimiorē atque latiorē! O vterū qui es octauū cœlū, septē firmamētis celsiorē*. Haud minus quidem vteri prædicti celsitudo extollitur, per id quod dixit Chrysippus Hierosolymitanus, serm. etiam de Virgine Deipara. *Aue semper gratia plena. Aue quæ vuluam adeptus præter naturam, vel ipsis cœlis latiorem: quando quidem per hanc comprehē*

Notentur valde hæc D. Epiphan. verba de Virginis vtero.

 disti

disti eum, quem nec cæli quidem capiunt. Andræas etiam Hierosolymitanus; sermone de Annunciatione ad idem propositum dixit. *Salue Dei ager amplissime, quem nullus alius locus nisi tu sola comprehendere potest.* Et quid opus est hac in re multiplices Sanctorum Patrum auctoritates referre, cum ipsa sacra nostra Mater Ecclesia Spiritu Sancti magisterio edocta, cum eadem sacra Virgine loquendo, ipsamque salutando, plenis quasi bucis dicat: *Sancta & Immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam nescio, quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.* Quid plura? Potest ne amplius quidquam desiderari ad hoc propositum?

Sed videamus oportet vnde nam Virgini sacræ tanta amplitudo obuenerit, vt incomprehensibilem Deum, & quem cœli capere haud quaquam poterant, sacro suo concluserit gremio? Et (ad propositum de quo agimus) videamus an eiusmodi capacitas aliqua ratione ortũ habuerit ex absentia originalis peccati, an vero solummodo ex plenitudine gratiæ, qua à Deo Optimo Maximo in cũ finem imbuta fuisse dicitur? Et quidem (sub aliorum censura) vtroq; ex fonte id ij sum crediderim ortum atque originem duxisse. Quod absentia originalis peccati prædicti sacræ Virginis vterum terra cœloque latiorem effecerit, satis (vt videtur) colligitur ex prædictis Diui Epiphanij verbis quando vterum eundem salutando dixit. *O vterum impollutum, habentem circulum cælorum, qui Deum incomprehensibilem, in te vero comprehensum portasti. O vterum cælo ampliorem, qui Deum in te non coarctasti.* Quibus in verbis singulari est consideratione dignum, verbum *impollutum*, & verbum *non coarctasti.* Fuit etenim ac si expressius dixisset: vterum prædictum in tantam amplitudinem fuisse dilatatum, quia impollutus; quia nulla peccati originalis labe infectus: eamque ob causam factum fuisse cœlo ampliorem, ac Deum concipiendo illum in se minime coarctasse. Haud enim alienum est à Sacræ Scripturæ phrasi, dicere originale peccatum mulierum visceribus angustias attulisse. Sic enim Genes. 3. vbi nos legimus Deum ad mulierem olim dixisse: *multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos:* in Hebræo habetur (quod etiam legunt Septuaginta Interpretes, quinvero & Diuus Chrysostomus) ærumnarum nomine aliud verbum, quod angustiam significat. Quod fuit ac si diceretur, *Multiplicabo angustias tuas, nempe propter peccatum.* Id si ita est, non erit à Sacræ Scripturæ phrasi alienum, dicere & sacræ Virginis amplitudinem prædictam, qua ipsius vterus cœlorum habet arculum, cœloque ipso amplior fuit, & incõprehensibilẽ Deũ capere atque comprehendere potuit, inde etiam ortum & originem habuisse, quia sublata ab ea fuit prima ærumnarum, seu potius angustiarum omnium radix (nempe peccatum originale prædictum) seu potius ex diuino priuilegio factum, vt ne ipsa illud contraheret. Sed his non obstantibus, cui præcipue eiusmodi effectus tribuẽdus est, fuit plenitudo gratiæ, qua eiusmodi vterus mirifice fuit dilatatus. Ad quod alludere

visus

visus est, Chrisippus supra citatus, quando Virginem eandem salutando dixit. *Aue gratia plena, Aue qua vuluam adepta es prater naturam, vel ipsis caelis latiorem: quando quidem per hanc comprehendisti eum quem nec ipsi quidem cali capere aut comprehendere possunt.* Quibus in verbis sacrae Virginis vteri latitudinem, praedictae gratiae plenitudini videtur tribuere, id quod & fecit Seraphicus noster Pater D. Bonauentura in speculo lectione quinta, vbi ex vasis immensitate, gratiae etiam immensitatem deprehendit. Et ostendere volens, vnde nam obuenerit, vt vasi secundum naturalem suam capacitatem adeo exiguo & angusto, tanta immensitas venire potuerit: immensitati gratiae id ipsum tribuit. Verba ipsius expressa libuit referre. *Consideremus fratres charissimi gratiae Mariae immensitatem propter quam ab Angelo dicta est gratia plena. Immensa certe fuit gratia qua ipsa fuit plena. Nam immensum vas non potest esse plenum, nisi etiam immensum sit illud quo est plenum. Maria autem vas immensissimum fuit, ex quo illum qui caelo maior est, continere potuit.* Haec quantum ad primum. Quantum vero ad secundum etiam subdit. *Quis* (inquit) *Mariae immensitatem dimensus est, nisi is qui illam non solum in gratia, verum etiam in misericordia, tam altissimam, tam latissimam, tam profundissimam, operatus est?* Quibus etiam verbis immensam sacrae Virginis latitudinem, gratiae immensitati ac plenitudini videtur tribuere.

Notentur verba D. Bonauenturae.

Notandum tamen est, quod needum praedicta mulier Virginem sacram beatam praedicauit, ex eo quod venter siue vterus ipsius sacratus Christum Dominum portauit, verum etiam & quia ipsius vbera lactauerunt eundem: in illis verbis: *& vbera quae suxisti,* & quidem meritissime. Etenim (si vt dixit Clemens Alexandrinus, in Pedagogo lib. 1. cap. 3.) aluisse atque lactasse amoris incitamenta quam plurima habet: facile cuiuis erit colligere, quo amore, quave dilectione Christus Dominus sacram Virginem dilexerit atque adamauerit, postquam in id ipsum tot ac tanta incitamenta habuit: vtpote quae (needum eundem sacro suo gestauit vtero, quem Spiritu Sancto id operante genuit) verum & suis vberibus de caelo plenis, lactauit atque educauit. Quod quanti meriti ac valoris extiterit, eleganter satis expressit Hailgrinus, super Cantic. cap. 7. explicando illa verba: *Et vbera tua botris. Vbera* (inquit) *sponsae botris assimilata sunt, in quo mirabilis praerogatiua merendi monstratur in Virgine, quae non minus meruit fundendo lac de vberibus suis ad filii nutrimentum, quam Martyres (qui per botros figurantur) meruerunt fundendo sanguinem suum in martyrio: omnium enim operum merces secundum radicem charitatis rependitur.* Qui [illegible] amplius ad hoc propositum [illegible] potuit dici [illegible] hac etiam [illegible] ratione [illegible] Ildephonsus, sermone de Natiuitate Virginis, inquit. *Quanta fuit haec dignatio, vt creator ex te quem creauit [illegible] manibus quasi formauit: sugeret vbera quae ipse impleuit.* Et [illegible] sermo de Assumptione subdit. *Lacta ergo [illegible] panem caelestem. lacta cibum Angelorum:*

Notentur valde haec D. Ildephonsi verba.

lacta

grandem atque præcelsam dignitatem esse videbatur necessaria. Qua quidem ratione, quamvis in tota scriptura sacra nullum omnino aliud reperiatur testimonium, ad eximiam eiusdem puritatem, & á peccato originali immunitatem comprobandam: hoc vel solum sufficientissimum & efficacissimum esse videtur. Vnde & quam plures ex sanctis Patribus, Scholasticisque Doctoribus, rationem reddentes obquam Euangelistæ Sancti alijs de rebus ita late fuerint loquuti, de Virgine vero sacra adeò strictè: eam nimirum esse aiunt causam, quia sufficientissimum, superque satis illis visum fuit, dixisse eandem Matrem Christi fuisse: seu vt ipsorum Verbis vtar: *de qua natus est Iesus qui vocatur Christus*: vt vel ex hoc solo principio liberum esset cuilibet, tanquam super solido ac firmo fundamento, in eius laudem quamlibet rem vtcumque præexcelsam fabricare, ac de ea dicere quæ dicenda viderentur necessaria, ad hoc vt congrua & digna esset Christi Mater. Etenim sicuti in scientijs omnibus, quædam reperiuntur vniuersalia principia quæ á Doctoribus Scholasticis dicuntur dignitates, ex quibus inferuntur & eliciendæ sunt conclusiones, & omnia ad scientias easdem pertinentia, vt v. g. in Dialectica. *Quæcumque sunt eadem vnitertio, sunt eadem inter se.* In Philosophia vero, *quod natura est principiū motus, & quietis.* In Metaphysica quidem, quod *quodlibet est vel non est.* Et in Matematicis, *si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia.* In iure ciuili, *quod iustitia est constās, & perpetua voluntas, ius suum vnicuique tribuens.* In nostra autem Theologia eiusmodi principia sunt ipsi articuli fidei, ex quibus deducuntur omnes conclusiones, & Theologicæ veritates: sic in proposito cum agendum est de laudibus Virginis, & de hijs quæ conueniunt aut non conueniunt sacræ suæ dignitati: haud quidem alio opus est principio, quam considerare & inspicere fuisse eandem congruam & dignam Matrem Christi. Ex hoc mulier prædicta fœlicem atque beatam eandem nuncupandi occasionem desumpsit: & ex eo etiam nos quæ de ipsa sunt dicenda, & quæ sibi conueniāt vel non conueniant, debemus elicere. Quod facientes haudquaquam discedemus à modo procedendi D. Thomæ, quinvero quam maxime eundem imitabimur. Ipse etenim 3. parte quæst. 27. art. 1. in corpore, volens probare prædictam Sacram Virginem, ante natiuitatem in vtero Sanctissimæ suæ Matris sanctificatam fuisse, ex prædicto generali principio quod ipsa congrua, ac digna debuerit esse Filij Dei Mater, illud collegit: quamuis in Scriptura Sacra expressum non habeatur id ipsum. Cuius formalia verba libet refferre, pro eo quod maxime sint notatu digna. *Rationabiliter (inquit) creditur, quod illa quæ genuit vnigenitum à Patre plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus alijs maiora priuilegia gratiæ acceperit, postquam & hac ratione ab Angelo fuit dicta gratia plena.* Ex hoc principio colligit D. Thomas, quod si Hieremiæ ac Sancto Ioanni Baptistæ priuilegialiter concessum fuit, vt in suarum Matrum vte-

Notentur val de hac D. Tho. verba.

ro fuerint Sanctificati, quod eiusmodi priuilegium haudquaquam debet Sacræ Virgini denegari. Ex eodem ergo principio (haud quidem incongrue, quin vero congruentissime) possumus & nos colligere, eãdem ab originali peccato ex singulari Dei priuilegio fuisse præseruatam, postquam id ipsum decebat, illam quæ futura erat Filij Dei Mater: & quia maiori dignitati, maiora atque altiora priuilegia debent cõcedi. Vnde si Hieremiæ, ac Diuo Ioanni Baptistæ, propter futura sua officia & munera, concessum fuit vt in vtero suarum Matrum à peccato originali contracto sanctificarentur: multo melius atque potiori iure, à maioritate rationis, dignitatis & officij, Sacræ Virgini debemus concedere, quod ab eodem fuerit præseruata, cum haudquaquã decuerit futuram Dei Matrem, vnquam sub diaboli potestate, dominio aut seruitute fuisse. Alias enim non recte videretur illi ab Angelo dictum fuisse, quod erat gratia plena, illi si defuisset illa gratia, & illud priuilegium, quod adeò expediebat ad tãtæ Virginis dignitatem. Cui nostræ considerationi (haud modicum quidẽ fauet) id quod dixit D. Anselmus lib. quem inscripsit de cõceptione Virginis. *Decens (inquit) fuit, vt ea puritate qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genuit, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus, idemque communis Dei Patris & Virginis Filius.* Quibus verbis (haud modicam quidem vim tribuũt) alia satis notabilia Diui Ambrosij lib. quem inscripsit de institutione Virginis, cap. 17. vbi ad idem etiam propositum dixit. *Vnigenitus Dei Filius venturus in terram suscipere quod amissum est: puriorem carnis suæ generationẽ reperire non potuit, quam vt habitatione cœlesti aulam Virginis dedicaret: in qua esset & Immaculatæ Virginitatis Sacrarium, & Dei Templum.* Quibus in verbis, quam maxime notanda veniunt illa. Puriorem carnis suæ generationem reperire nõ potuit. Quid (quæso) amplius dici potuit, ad extollendam Sacræ Virginis puritatem eximiam, & monstrandum in eum finem vt congrua & digna esset Filij Dei Mater, præseruatam eãdem fuisse ab omni prorsus labe originalis peccati, postquam prædictus Diuus Ambrosius dixit, quod vnigenitus Dei Filius venturus in terram, suscipere quod amissum est, puriorem carnis suæ generationẽ reperire non potuit: quam vt habitatione cœlesti aulam Virginis dedicaret, in qua esset & immaculatæ Virginitatis Sacrarium, & Dei Tẽplum. Non igitur Sacræ Virginis laudes, communibus aliorum Sanctorum regulis dimetiendæ sunt, sed specialibus & particularibus quibusdam, & præsertim ex prædicto generali principio, nempe quod fuit congrua & digna Filij Dei Mater. Super quo in eiusdem laudem, concipere atque fabricare possumus, omnia (quæ citra Diuinitatis iniuriam ac sub Deo) intellectus humanus vel etiam Angelicus excogitare potest. Ad quod etiam propositum facit etiam quam maxime, id quod dixit D. Thomas 1. p. quæst. 25. art. 6. ad vltimum, vbi agens de prædicta

Nota hoc valde.

Nota hunc etiã.

prædicta maternitatis Christi dignitate, eandē dicit rationem quandam habere infinitatis. Formalia eiusdem verba libet referre, quia multum sunt notatu digna. *Beata (inquit) Virgo ex hoc quod est Mater Dei, dignitatem quandam habet infinitam, ex bono infinito quod est Deus, & ex hac parte nihil fieri potest melius ipsa sicut non potest aliquis esse melius Deo.* Facit ad hoc, id quod dixit Diuus Augustinus, sermone 20. ad Fratres in Heremo, loquendo de prædicta Conceptione sacræ Virginis. *Decebat (inquit) vt talis esset suo modo mater, qualis & ipse filius.* Qua quidem ratione, sicut filius natura sua expers omnino fuit ab omni labe originalis peccati, sic etiam & expediens fuit vt Virgo sacra (non quidem à natura sua) sed vt inquit August. *suo modo*, hoc est ex diuina gratia & ex speciali priuilegio. talis esset qualis & filius, libera nēpe & preseruata à prædicto originali peccato. Quæ supradicta omnia confirmantur, per id quod dixit D. Hieronym. agendo etiam de laudibus prædictæ Virginis. *Qualis (inquit) & quanta fuerit beata & gloriosa, semperq́; Virgo Maria, ab Angelo diuinitus declaratur, cū dicitur Aue gratia plena, Dominus tecum. benedicta tu in mulieribus. Talibus namq́; decebat Virginē oppignorari muneribus vt esset gratia plena, quæ dedit cœlis gloriam, terris dominū, pacēq́; refudit, fidē gētibus, finē vitijs, vitæ ordinē, moribus disciplinā. Et benè plena, quia cæteris per partes præstatur. Mariæ vero simul se tota infudit plenitudo gratiæ. Vere plena, quia & si in Sanctis Patribus & Prohpetis gratia fuisse creditur, non tamē eatenus plena (in Mariā vero totius gratiæ quæ in Christo est, plenitudo venit (quanāquā aliter) & ideò inquit benedicta tu in mulieribus, id est plus benedicta quam omnes mulieres. Ac per hoc quidquid maledictionis infusum est per Euam, totum abstulit benedictio Mariæ.* Quid (quæso) amplius aut melius, ad præsens hoc propositum dici aut desiderari potuit? Quibus in verbis quammaxime considerandum venit illud, *quam quam aliter*. Quod fuit ac si expressius dixisset, plenitudinem gratiæ & quod peccatum originale non habuerit, ex natura sua obuenisse Christo, pro eo quod non ex aliquo virili semine, sed de Spiritu Sancto fuit conceptus: at vero sacræ Virgini (non quidem ex natura sua) sed ex singulari gratia & priuilegio. Cum quo etiam stat, quod ipsius priuilegia, non communibus regulis, sed specialibus sunt demetienda: habito semper respectu ad hoc vt congrua & digna fuerit Christi Mater. Et sicut olim (vt constat ex Leuitico cap. 27) alia erat vulgaris mensura, alia vero mensura sanctuarij: sic cum omnes mensurentur homines Dauidica illa mensura Psalm. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea:* seu per id quod olim dixit Iob cap. 25. *Nemo mundus à sorde, nec infans cuius est vnius diei vita, super terram:* sacra prædicta Virgo (non quidem hac mensura) sed alia sanctuarij demetienda est, semper respectu habito ad hoc quod fuerit congrua & digna Filij Dei Mater. Ex hoc pensari habent omnia ipsius priuilegia: sicque fœlicem atque beatam illam prædicauit superius dicta mulier, dum cum

valde hæc verba D. Thomæ, pro infinitate quā habet maternitas Christi.

Nota hoc valde.

Chri-

Christo Domino loquendo dixit: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.*

Virgo sacra beatior fuit cõcipiendo Deum mente, quam ventre.

Sed ad vlteriora procedentes, expendamus etiã oportet, quid sibi voluerint verba illa prolata à Christo Domino, *quinimo beati qui audiũt Verbum Dei, & custodiunt illud.* Circa quod primo dicendum occurrit, ad verbum, *quinimo*, ex communi Patrum consensu atque interpretatione, non esse aduersatiuum aut negatiuum: ita vt Christus Dominus prædictam Matris suæ laudem à dicta muliere prolatam, refellere aut repudiare voluerit: sed comparatiuum seu potius adductum superaddendo: quasi expressius dixisset: fœlicissimum quidem est, ac beatissimum, me genuisse & aluisse: at multo fœlicius atque beatius Dei monitis & præceptis acquieuisse & optemperasse. Sic verba prædicta exponit Seraphicus noster Pater Diuus Bonauentura super hunc locũ, *Non* (inquit) *hoc dixit aduersando, sed potius superaddendo; quasi diceret, non solum beatus venter qui portauit me Verbum caro factum, verum etiam beatior qui suscipit Verbum à me prolatum. Vnde & Maria non tantum beata fuit, quia Christum gestauit in carne, verum etiam beatior, quia ipsum perfectissime gestauit in mente, secundum quod dicit Augustinus, beatior fuit Maria concipiendo fidem Christi, quam carnem Christi*: quod dicit Augustinus lib. de Beata Maria cap. 3. vbi per fidem gratiam intelligit. Quo circa infra cap. 5. id ipsum explicando, inquit. *Hinc & Maria laudabilius atque beatius est Mater Christi quia fecit voluntatem Patris eius qui in cælis est, quam quia ipsum genuit ac peperit.* Quod etiam eleganter explicauit ac declarauit Guerricus Abbas super prædictum locum. Lucæ. 11. cuius sunt quæ sequuntur verba. *Mariã quæ secundum carnem Mater erat, alia quoque ratione Matrẽ sibi Iesus probat, quando quidem & ipsa voluntatem Patris in tantum faciebat; vt de ipsa prædiceret Pater, vocaberis voluntas mea. Igitur vbi eam filius negligere videtur, ibi amplius honorasse inuenitur: dum ei scilicet materni nominis honor duplicatur, pro eo quod eundem filium, quem in aluo gestauerat incarnatum, etiam animo gestauit inspiratum.* Quod idem explicando dixit Iustinus Martyr, quæst. 136. vbi ait. *Non Matrem debito honore fraudat Dominus, sed docet qua (vt ita dicam) maternitate Virgo sit beatissima: si enim is qui Verbum Dei audit & seruat, Dei est & frater & soror, & Mater (quorum vtrumque in eius Matre inerat) perspicuum est Matrem ipsius ex hac maternitatis ratione beatam dici oportuisse. Nam Dei sermonem audire & exequi virtutis est, animæque puræ quæ tota ad Deum spectet: & quia non quamlibet fœminam elegit Deus quæ Christi Mater fieret, sed omnium fœminarum virtutibus excellentissimam: propterea Christus volebat ob hanc virtutem prædicare Matrem suam, per quam virtutem illa iã assequuta fuisset, vt Virgo Mater fieret.* Hæc vbi supra. Ex quibus verbis plane constat, Diuum Iustinum duas simul Virgini sacræ maternitates tribuisse, & ob vtranque dixisse merito eandem beatam fore prædicandam: vnam quidem carnalem, alteram spiritualem: quas ita inter se confert, vt dicat carnalem propter spiritualem sibi fuisse

con-

concessam, & quod haec spiritualis, carnali ipsi dignitatem praebuit, antiquioremque fuisse in Virgine, atque potiorem spiritualem maternitatem, qua Christum Dominum corde concepit & animo, quam illam qua eundem gestauit in ventre. Quod etiam mirifice dixit Diuus Leo Papa, sermone 1. de Natiuitate Domini, cuius sunt quae sequuntur verba. *Nihil* (inquit) *in istam singularem Natiuitatem de carnis concupiscentia transiuit: nihil de peccati lege manauit: virgo Regia Dauidica stirpis eligitur, quae sacro grauidanda fetu, diuinam humanamq; prolem, prius conciperet mente quam corpore.* Quod haud minus expresse dixit Venerabilis Beda super Lucam cap. 11. supradicta explicando verba: *Quinimo beati qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud. Eadem* (inquit) *Deigenitrix & inde quidem beata, quia Verbi incarnati ministra facta est temporalis: sed inde multo beatior, quia eiusdem semper amandi custos manebat aeterna.* Quibus in verbis, quammaxime venit notandum nomen, *aeterna*, quod perpetuitatem designat: meoque videri hic sit sensus, quod Virgo sacra à primo suo Conceptionis instanti ex quo accepit esse, anticipato sibi rationis vsu Christum Dominum semper adamauit, & ipsius amorem nunquam interpollauit, sed semper sine vlla intermissione seruauit: eundemque per charitatem eximiam strictissime complexa est. Id enim sibi volunt verba illa, eiusdem semper amandi custos manebat aeterna. Ex quibus omnibus superque satis constat, quam anterior in sacra fuerit Virgine spiritualis maternitas, quam carnalis: & quod quamvis ob vtramque foelix & beata praedicari debeat, non tamen tantum ob istam quam propter illam; & quod haec ab illa ortum atque originem duxit: consequenterque proinde ad nostrum propositum de sacrae Virginis puritate, & eiusdem ab omni prorsus originalis peccati labe immunitate & praeseruatione (haud quidem incongrue) quinvero congruentissime, efficacissimum exinde desumi posse argumentum. Etenim si propter maternitatem carnalem, Deo Optimo Maximo adeò praecise necessarium fuit visum sanctissimam suam Matrem perpetuo Virginem fuisse, & nullo vnquam tempore corruptam (id enim in quammaximam eius vergeret iniuriam & opprobrium) quid quaeso dicẽdum est de supradicta spirituali maternitate: quanto magis decentiae atque rationi consentaneum extitit, vt illa quae Dei Filium, prius ac potiori ratione conceptura erat mente quam ventre, à primo suae Cõceptionis instanti integra & incorrupta semper fuisset, nulloque modo vitiata per contractionem alicuius originalis culpae siue peccati? Fuit ne minoris aestimationis, spiritualis integritas & virginitas, quã corporalis? Minime. Non igitur dicendum est, Virginem sacram vllo vnquam tempore (etiam per minimum instans) originale peccatum contraxisse, & in iniuriam caelestis & aeterni sui filij & sponsi, daemonis suggestioni consensum vnquam praestitisse: quinvero duplici integritate & virginitate fuisse donatam: altera quidẽ corporali, quãtũ ad

ad carnem, altera vero spirituali quantum ad mentem & animam, per collatam sibi plenitudinem gratiæ, in primo suæ Conceptionis instanti.

Decimus octauus locus. Desumptus ex illis verbis Apocal'y. 12. Signum magnum apparuit in cælo, &c.

Decimus octauus locus desumi potest, ex illis verbis quæ habentur Apocalyp. 12. *Signum magnum apparuit in Cælo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona Stellarum duodecim*. Qui quidẽ locus (quamvis sicuti & reliqui qui in precedentibus à nobis sunt adducti) de Ecclesia sancta nostra primario veniat intelligendus, & mulier de qua in præsentiarum est sermo, idque pluribus de causis eandẽ significet, in sensu tamen spirituali & mystico, necnon & accommodatitio, haudquaquam negari potest, quin etiam sacræ Virgini possit tribui, cum eidem à quampluribus Sanctis Patribus frequentissime accommodentur: & de illa ipsum interpretentur. Quod facit præsertim Diuus Epiphanius, Augustinus & Bernardus, multique alij, qui vnanimi consensu dicunt sacram prædictam Virginem fuisse hoc signum magnũ quod in cœlo apparuit, & mulierem quam Sanctus Ioannes Euangelista visam esse dicit amictam Sole, & Lunam sub pedibus eius, & in capite eius coronam Stellarum duodecim. Quo quidem in loco, nomen, *signum*, miraculum siue prodigium designat (vt volunt prædicti Sancti Patres) satisque colligitur ex quampluribus alijs Sacræ Scripturæ locis, sed maxime ex illo Psal. 134. *Et emisit signa & prodigia in medio tui Ægypte, in Pharaonem & in omnes seruos eius*: vbi signi nomen per prodigium explicatur & declaratur. Et ad idem propositum Actuum etiam quinto dicitur. *Quod per manus Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe*. Et certe haudquaquam tempus sufficeret, ad enumerandos Sanctos Patres, qui Virginem sacram signum magnum, miraculum, prodigium, atque miracolorum & prodigiorũ officinam appellant. Sed in primis cœleste prodigium eam vocauit Beatus Ignatius Martyr, in quadam epistola quam ad Sanctum Ioannem Euangelistã suum magistrũ scripsit: vbi post multa alia stupenda & grãdia quæ de illa dixit: sed maxime quod in humana natura naturæ sanctitatis Angelicæ erat copulata. Subdit. *Hæc excitauerunt viscera nostra & cogũt valde desiderare aspectũ huius (si fas est fari) cælestis prodigij, & sacratissimi spectaculi*. Diuus etiam Epiphanius, sermone de laudibus eiusdem Virginis, necdum miraculum atque prodigium eam appellat, verum & miraculorum atque prodigiorum cumulum, & de illa dicit, quod Angelorum exercitus in stuporem deduxit. O (inquit) *Virgo Sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem deduxisti. Stupendum fuit in cælis miraculum, mulier gestans lucem in vlnis. Stupendum miraculum in Cælis, alter Thronus Cherubicus. Stupendum miraculum in Cælis, mulieris filius, qui & ipsius & sæculorum est pater, Stupendum miraculum in Cælis, talamus Virginis habens filium Dei, Deum sponsum Christum. Stupendum miraculum in Cælis, Dominus Angelorum infans Virginis affectus*. Notanda certe verba.

Signũ in præsenti loco miraculum siue prodigium designat.

Suc-

Succedat Epiphanio & Ioannes Damascenus, oratione 1. de Natiuitate Virginis. Vbi postquam plura satisque notanda de ea etiam dixit, subdit: *quod tota fuit Spiritus Sancti Thalamus, & gratiarum pelagus: tota pulchra: tota Deo propinqua.* Postque & exclamans ait. *O miraculum miraculorum, omnium maxime nouum!* Diuus etiam Chrysostomus sacrā Virginem miraculum appellauit, sermone quodam de eiusdem Natiuitate. *Magnum reuera miraculum (fratres dilectissimi) fuit Beata semper Virgo Maria.* Quod etiam fecit Diuus Basilius, Oratione de Annunciatione eiusdem, vbi etiam vocat eam: *Miraculum admirabile atque inusitatum.* Sed præ omnibus notanda magis sunt verba Diui Augustini, sermone 5. de Assumptione, vbi ad idem propositum dixit. *Circunda omnem creaturam cogitatione, & vide si est similis Dei genetrix Maria. Circumi terram, aspice mare, suscitare aerem, cœlum mente scrutare, inuisibiles virtutes cogita, & vide si est tale miraculum in omni creatura.* Et postquā prosequitur asserens dissimilitudinem quammaximam, quæ est inter prædictam sacrā Virginem, & omnem puram creaturam: in eo potissime illam constituit, quod Angeli & omnis alia pura creatura, coram Deo stat tremebunda: Virgo autem sacra omni timore carens. Quo circa prędictam dissimilitudinem concludendo inquit. *Et tamen inter tot innumerabilia, magis magisq; mira Virginis victoria attollenda est: quoniam quem tota creatura timore ac tremore laudauit, ista sola ineffabiliter thalamizabit.* Quod fuit ac si expressius dixisset: quod Virgo sacra haudquidem habuit quid timeret, cum Deus Optimus Maximus ab æterno illam elegisset, vt modo quodam ineffabili æterni esset Filij sui, quasi sacratus quidam thalamus (hoc enim est Dei Filium thalamizari.) Quid amplius aut melius vnquam dici potuit? Ex quibus omnibus superque satis constat, quam apte ac proprie Virgo prædicta sacra, in præsenti loco & sæpe alibi signum appelletur magnum, prodigium atq; miraculum: quinvero prodigiorum & miraculorum officina quædam. Qua quidem ratione ad propositum de sua immunitate, cum miraculum (teste Diuo Thoma prima parte quæst. 110. artic. 4.) sit illud quod fit præter ordinem, legemque communē totius creatæ naturæ, haudquaquam mirandum est quod nos de Virgine sacra prædicta dicamus (etiam præter ordinem communemque legem totius creatæ naturæ) ab omni labe originalis peccati præseruatam omnino fuisse. Qui hoc non se capere aut intelligere dicunt: desinant (quæso) id ipsum mirari, in ea quæ communi Sanctorum Patrum iudicio, prodigiorum atque miraculorum fuit officina. In ea (inquam) quæ præterquam quod in suis omnibus rebus magnum fuit atque stupēdum quoddam miraculum, Diuus Ioannes Euangelista Sole amictam eam se vidisse dicit. Quis (quæso) vnquam in Cœlo Solem vidit obnubilatum? Prædicta explicando verba Diuus Bernardus, ad nostrum propositum eleganter dicit. *Iure ergo Maria Sole perhibetur amicta, cuius omnia tam excellenter irradiata nascuntur, vt*

nihil in ea (non dico tenebrosum) sed obscurum saltim, vel minus lucidũ, imo neque tepidum suspicari liceat. Ex quibus certe verbis (saltim probabiliter) concluditur de mente Diui Bernardi, omni prorsus originalis peccati labe siue caligine, sacram Virginem caruisse, & à primo suæ Conceptionis instanti, ex singulari priuilegio & plenitudine gratiæ sibi concessa, semper puram ac candidam extitisse.

Virgo sacra Lunam sub pedibus habuisse dicitur.

Quod etiam haud modicum confirmatur per subsequentia verba, dum prædictus Ioannes Euangelista dicit de Virgine prædicta. *Nec dum amictam Sole eam vidisse, verum etiam & Lunam sub pedibus eius*. Quo quidem symbolo satis aperte insinuatur, constantia gratiæ quam sacra Virgo ab initio & primo suæ Conceptionis instanti semper habuit. *Est enim* (inquit Gregorius lib. 34. Moralium cap. 7.) *Luna omnis inconstantia atque mutationis manifestissimum symbolum, quæ mestruis suis supplectionibus iam crescit iam vero deficit*. Dum ergo dicitur Virginem Deiparam Lunam eandem sub pedibus suis habuisse, & veluti cõculcasse ipsam, aperte (vt videtur) datur intelligi, procul à sacra Virgine semper fuisse, omnem inconstantiam atque mutabilitatem, & gratiam quam ab initio suæ Conceptionis excepit, constantem atque immutabilem in ea semper permansisse, fuisseque in illa confirmatam. Nihil igitur inconstantiæ, siue mutabilitatis in Virgine sacra considerare licet: sed eandem esse veluti medium quoddam inter Solem & Lunam, hoc est inter Deum & omnes puras creaturas, quæ ratione suæ mutabilitatis & inconstantiæ Lunæ iure optimo comparatur: ita quod licet ad ea quæ Dei solius ac suæ diuinitatis sunt non pertingat: puras tamen omnes creaturas (etiam Angelicas) & ea quæ sub Deo sunt, longo interuallo superat & excedit. Ex quibus facile erit colligere, quam fuerit rationi consonum, ac diuinam bonitatem condecens, Deum Optimũ Maximum ab omni prorsus originalis peccati labe illam præseruasse, quæ futura erat æterni Filij sui Mater, adeòque sibi propinqua, vt dixerit Diuus Ioannes Euangelista, eam se vidisse mediam inter Solem & Lunam, seu (vt rectius loquar) inter Deum ipsum, & omnes puras creaturas constitutam. Diuus Bernardus eadem supradicta explicando verba, id ipsum aliter insinuare voluit. Dicens per Lunam prædicto in loco diabolum præsignari, & dum dicitur Virginem sacrã Lunam habere sub pedibus suis, hunc plane sensum efficere: quod ipsa diaboli caput calcauerit: adimpletumque in ea fuisse illud Genes. 3. *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius*. Verba ipsius libet refferre. *Ille vnicus stultus & totius stultitia Princeps, qui vere mutatus vt Luna sapientiam perdidit: in decore suo sub Maria pedibus conculcatus & contritus miseram patitur seruitutem. Nimirum ipsa est quondam à Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput pede virtutis sua contritura, cuius plane calcaneo multis versutijs insidiatus est, sed sine causa*. Ex quibus verbis iuxta mentem & sententiam Diui Bernardi, facile erit colligere Virginem sacram diabolũ

Virgo sacra, fuit veluti mediũ inter Deũ & creaturas.

nun-

nunquam habuisse supra se, ita vt per aliquod peccatum, neque originale neque actuale, vllo vnquam tempore (etiam per minimum instans) illi fuerit subiecta: quinvero infra semper ipsum habuisse, illum conculcando pedibus suis, & caput ipsius conterendo, iuxta id quod de ea fuerat prædictum.

Per illud autem quod statim sequitur, quod *in Virginis capite erat corona Stellarum duodecim*: intelligit prædictus Diuus Bernardus, in Stellis duodecim, totidem Deiparæ Virginis priuilegia, & speciales gratias quas habuit: quæ videri poterunt ibidem: neque enim vacat per tempus tot ac tanta in tam breui compendio dicere. Ac tandem concludendo ait: *Dignum plane Stellis coronari caput, quod & ipsis clarius micans ornat eas potius, quam ornetur ab eis.* Et subdit: *Quid ni coronent sidera, quam Sol vestit?* Hæc dicta sufficiant ad ostendendum qualiter sacræ Virginis puritas, & a peccato originali immunitas consona sit Sacræ Scripturæ auctoritatibus: qualiter etiam id ipsum melius multo ex ipsa Sacra Scriptura, quam oppositum colligatur. Et neque contemnenda sunt (vt dixi in huius quæstionis initio) eiusmodi testimonia, quamvis non in sensu litterali, sed in spirituali, mystico atque accommodatitio ad ducantur: nam cum talis accommodatio vim & robur habeat ex communi vsu Ecclesiæ, & solemni Sanctorum Patrum auctoritate: certè ex his validissimum atque robustissimum ad hoc propositum præseruationis Virginis, & eximiæ suæ puritatis atque immunitatis desumendum est argumentum. Aliàs enim vt quid ab Ecclesia Sanctisque Patribus, in eiusdem laudem prædictæ adducerentur auctoritates, si non de ea possunt intelligi, neque eidem accommodari? Et certe ex prædictis superque satis constat, quod vix aut nullatenus sibi accommodari possint, negata sacræ Virginis puritate, & ab omni originalis peccati labe immunitate.

Virgo sacra fuit coronata corona Stellarum duodecim

Solummodo superest modo respondere, ac satisfacere rationibus & argumentis, adductis pro alia in contrarium parte, ad probandum, (vt contendere volunt Doctores contrariæ opinionis) Virginem sacram originale peccatum contraxisse, & hoc sacris litteris magis esse consonum, quam oppositum.

Respondetur argumẽtis adductis pro alia in contrariam parte.

Ad primum continens multiplices Sacræ Scripturæ auctoritates, & propositiones vniuersales, quibus communiter & generaliter, absque cuiuspiam exceptione dicitur, omnes ex Adam per rationem seminalem descendentes peccatum contrahere originale, iam superque satis constat solutio, ex dictis in quæst. 13. in solutione ad primum argumentum Diui Thomæ, & quæst. 14. dubitatione 4. in resolutione tertiæ opinionis. Ibi enim diximus omnes eiusmodi Sacræ Scripturæ auctoritates, & propositiones vniuersales, intelligendas esse de vniuersalitate legali, & admittere dispensationem, & specialem gratiam quæ ex singulari priuilegio facta est à Deo Beatæ Virgini, eandem à

Ad primũ argumentum.

peccato originali præseruando: sicque explicandæ sunt de lege ordinaria, & non excludendo absolutam Dei potentiam, quæ ex sua bonitate, necnon ex decentia & congruentia, contrarium omnino ordinare potuit, sicut & reuera ordinauit & fecit de facto. Neque hoc dicere, existimari vllo modo potest sacris esse litteris contrarium: cum Ecclesia nostra sancta, cœlesti Spiritus Sancti magisterio edocta, in Concilio Tridentino legitime congregata, Sessione 5. decreto de originali peccato, cap. vltimo, adeò expresse dixerit non suæ fuisse intentionis, Virginem sacram in prædicto decreto, & sacræ Scripturæ auctoritatibus ibidem adductis velle comprehendere. Neque vllo modo dici potest magis esse sacris litteris consonum, illud cuius contrarium prædictum Concilium in eiusmodi verbis ita approbat atque confirmat.

Ad secundum argumentum. Ad secundum, quo dicitur in sacræ etiam Scripturæ auctoritatibus expresse dici, aut saltim clare insinuari, solummodo Christum Dominum & Saluatorem nostrum natura sua esse sanctum, & in sua Cõceptione ab omni prorsus peccato liberum: similiter patet solutio ex dictis in supra dicta quæst. 13. in solutione ad tertium argumentũ Diui Thomę, vbi satis remanet dictum, qualiter eiusmodi Sacræ Scripturæ testimonia sint intelligenda & explicanda, nempe de iure naturæ, atque ex vi suæ Conceptionis & generationis, vtpotè quia fuit ex Spiritu Sancto conceptus, & non ex aliquo virili semine, aut per naturalem propagationem. In hoc quidem sensu loquendo, planum est quod solus Christus Dominus fuit natura sua sanctus, & ab omni prorsus peccato, tam originali quam actuali liber, & iuxta hunc sensum explicandæ atque interpretandæ sunt omnes Sanctorum Patrũ auctoritates quæ id ipsum dicunt: at nos in præsentiarum non loquimur de sanctitate, munditia & puritate, & ab originali peccato præseruatione, quæ sacræ Virgini cõuenerit ex natura sua, & naturali modo suæ Conceptionis atque propagationis (certum cum sit eandem naturali via & per rationem seminalem fuisse conceptam) sed de sanctitate, munditia & puritate, & à peccato originali prædicto præseruatione, quæ sibi conuenit ex Dei Opti. nostri Maximi benignitate, & singulari gratia atque priuilegio: sicque argumentum non est ad propositum.

Ad tertiũ argumentum. Ad tertium quo Doctores contrariæ sententiæ probare contendunt id ipsum, ex alijs etiam Sacræ Scripturæ locis, ex eo quod omnes Adami posteri (etiam sacra Virgo) ad Christi Domini Redemptionem pertinent, ad quam certum est non pertinere nisi peccatores, & qui saltem originali peccato fuere infecti: dico similiter, quod patet solutio in supradicta quæstione 13. in solutione ad secundum argumentum Diui Thomæ, & specialius atque expresius in quæstione 15 per totam: vbi multis rationibus & argumentis ostendimus, prædictam

ctam sacram Virginem, proprijssime atque perfectissime Christi Domini sanguine fuisse redemptam: neque huic vllo modo obstare, quod ex speciali priuilegio ab originali peccato prædicto fuerit præseruata: quinvero eiusmodi redemptionis modus ex eo quammaxime augetur, mirumque in modum extollit eius dignitatem atque excellentiam. Ad id vero quod dicitur ibidem, nempe quod Christi Redemptio, duntaxat pertinet ad eos qui actu fuerunt peccatores, aut saltim originalis peccati labe infecti: respondetur negando id ipsum; nam ad hoc vt Virgo sacra redempta dicatur, sufficit quod ex vi suę generationis originaliter peccandi habuerit debitum, ad sensum supradictum in quæstione 12.

Ad quartum argumentum. Ad quartum quo ex doctrina Diui Thomæ probare contenditur, Virginem sacram non ab originali peccato fuisse pręseruatam, sed postmodum sanctificatam: exemplo adducto ex illoquod de antiquo olim Dei tabernaculo legitur Exodi vltimo: facili negotio respondetur, dicendo eiusmodi argumentum haudquaquam esse ad propositum, neque quidquam conuincere. Sed eo vsus est Diuus Thomas in prædicto loco, quia esse aptum diiudicauit in ordine ad suum finem, & ad probandam suam sententiam & opinionem.

Ad quintum argumentum. Ad quintum autem argumentum, adductum ex Bandello sacræ Virginis accerrimo oppugnatore, dico quod locus ille desumptus ex Ecclesiaste cap. 7. multo minus est ad propositum. Vt enim ex antecedentibus & subsequentibus satis constat, ibi Salomon loquitur de in hoc mundo viuentibus, viris siue mulieribus: non autem de ijs qui in suarum matrum vtero concipiuntur. Præterquam quod verba illa per hiperbolem sunt dicta, & fit sensus, quod inter mille viros, vix vnum reperit virtutem quise ctaretur, respectu eorum qui à virtute eadem deficiunt vt plurimum: ex mulieribus autem nullam se inuenisse dicit, pro eo quod longe sibi vissæ fuerint pauciores, quam viri: quæ expositio est Lyræ. Quomodo autem exinde sequatur, quod Virgo sacra non ab originali peccato fuerit præseruata, videat Bandellus eiusdem argumenti auctor, & Doct. qui eundem adeò sine ratione sequuntur.

Ad sextũ argumentum. Ad sextum argumentum quod est etiam eiusdem Bandelli, deductum ex illo Prouerb. 25. *Auffer rubiginem de argento, & egredietur purissimum vas*: dico similiter esse voluntarium, & confictum ad libitum hominis erga Virginem sacram praue affecti: nec pro mereri vt inter argumenta nuncupetur. Vnde enim colligit Bandellus, ibi per argentum intelligendam esse sacram Virginem, per rubiginem autē originale peccatum: vt dicere audeat sacras litteras suæ fauere sententiæ & opinioni? Nam quod ibi dicit de Glossa falsum est, & quamvis Glossa illud diceret, haudquaquam esset illi credendum. Ex quibus

 omni-

omnibus satis clare patebit, quam nullius ponderis ac momenti sint argumenta quæ adducit: & hæc pro hac quæstione dicta sufficiant.

QVÆST. XVII.

Vtrum dicere sacram Virginem ab originali peccato fuisse præseruatam, satis sit consonum sacrorum Conciliorum diffinitionibus, ac Summorum Pontificum decretis?

Quid circa hāc quæstionem dicant Doct. contraria sentententia & opinionis?

PRO huius quæstionis intelligētia oportet præmittere, quod Doctores qui in ea sunt sententia & opinione, vt dicant Virginem sacræ peccatum originale contraxisse, id ipsum vt astruant, constantissime conantur defendere quod contrarium asserere, necdum aduersatur Sacræ Scripturæ auctoritatibus, quibus dicitur, & tanquam certa & generalis regula fidei traditur, omnes ex Adamo per rationem seminalem descendentes cum eo pariter peccasse, & originale peccatum contraxisse, indigereque proinde Christi Domini Redemptione, qui est vnicus, solus atque vniuersalis omniū hominum Redemptor: verum etiam & multorum Conciliorum diffinitionibus, Summorumque Pontificum decretis: quibus (vt volunt) id ipsum est diffinitum, & tanquam certum & indubitatum expresse determinatum vt tenendum de fide, prout satis constat ex his quæ diximus in quæstione 13. agendo de præseruatione prædictę Beatæ Virginis, ab omni prorsus originalis peccati labe, vbi apposuimus opinionem Beati Thomæ, suorumque sequtium id ipsum sentientium, cum omnibus suis fundamentis. Quia tamen hæc res tanti erat ponderis atque momenti, & argumenta pro prædicta opinione ibidem adducta, varia atque diuersa, quæ speciales exposcebant difficultates, ampliorique indigebant tractatione & disputatione: eorundem solutionem ad proprias & peculiares quæstiones tractandas distulimus; quod cū iam ex parte in quæstionibus præcedentibus 14. 15. & 16. fuerit factum: nunc suo ordine discutiendum occurrit, an dicere sacram Virginem à peccato originali prædicto fuisse præseruatam, satis sit consonum sacrorum Conciliorum diffinitionibus, ac Summorum Pontificum decretis?

Circa quod Doctores supradicti dicunt duo. Primo quod dicere prædictam Beatam Virginem ab actuali contractione originalis peccati fuisse præseruatam, expresse aduersatur aliquorum sacrorum Cōcilio-

ciliorum diffinitionibus. Secundo quod contrariatur etiam multorũ Summorum Pontificum decretis.

Circa primum dicunt eiusmodi opinionem esse expresse contra id quod determinatum habetur in Concilijs, Arausicano, Mileuitano atque Florentino, in diuersis ipsorum decretis (quæ quia peruia sunt breuitatis gratia prætermittuntur) quibus dicitur omnes homines ab Adam per rationem seminalem descendentes, originale peccatũ prædictum contraxisse, vno solo excepto Christo Domino ac Saluatore nostro, pro eo quod ipse ab Adam non per rationem seminalem descenderit, sed de Spiritu Sancto fuerit conceptus. Cum igitur id ita sit, & vt habetur in iure, exceptio semper firmet regulam in contrarium, satisque constet sacram Virginem ex Adam per rationem seminalem descendisse: manifeste (inquiunt) sequitur, quod eandem ab actuali contractione originalis peccati prædicti velle praseruare, aperte sit prædictorum Conciliorum diffinitionibus contraire: quod cum non sit faciendum, optinuisse reputant suum intentum, assertionemque & sententiam suam esse veram, nostram vero aperte falsam. *Primum arg.*

Circa secundum dicunt etiam, id ipsum contraire multorum Summorum Pontificium decretis. Ad quod probandus Bandellus (de quo mentionem fecimus supra, ac de eo diximus accerrimum fuisse immunitatis & præseruationis Beatæ Virginis oppunatorem) in perniciosissimo libello illo quem de hac re scripsit, quam plura congerit Summorum Pontificum testimonia, asserentium sacram Virginem (sibi vt videtur) in originali peccato fuisse conceptã. Quæ & in præsentiarum refferre etiam libuit, vt non vllo modo videri possit hac in re nos difficultatem aliquam subterfugisse, seu aliqua ratione contrarijs terga vertisse: & vt etiam prædictorum suorum Pontificum dictis seu decretis, congruas adhibeamus solutiones & explicationes. *Secundũ arg.*

Adducit in primis Bandellus, Beatum Innocentium Primum, qui in Concilio Numidiæ celebrato, condemnauit Pelagium & Celestinum, negantes originale peccatum, & in quadam sua epistola, ita ait. *Omnes homines ab Adam carnaliter generati, peccatum contrahunt originale, à quo nisi per Christi gratiam, purgentur & liberentur, damnationem consequuntur aeternam. Non enim imago Dei in paruulis tam graui supplicio puniretur, vt vita priuarentur, nisi a parentibus peccatum contraherent originale.* Post quæ addit infra. *Ab hoc nemo excipitur, nisi ille quem sine lege peccati Virgo concepit* Hæc Innocentius vbi supra. *Innocentius Primus.*

2. Adducit Bandellus Zozimum etiam Papam, qui Innocentio prædicto successit, qui damnauit etiam Pelagium prædictum, & in quadam sua Decretali epistola, directa ad quoddam Africanum Concilium (prout refert Diuus Augustinus in epistola ad Optatum de origine animæ) vbi etiam ait. *Omnes sumus Christi sanguine liberati: nullus enim nisi qui peccati seruus est liber efficitur, nec redemptus dici potest, nisi qui verè* *Zozimus.*

per peccatum fuit ante captiuus. Et post pauca. *Nec vllus omninò natorum est qui ante quam per Christi gratiam liberetur, peccato non teneatur obnoxius.* Hęc Zozimus Papa. Quæ supra dicta verba confirmando prædictus Diuus Augustinus subdit. *Quod in his verbis Apostolicæ Sedis tam antiqua atque fundata, certa & clara est Catholica Fides, vt nefas sit de illa Christiano dubitare.* Et subdit. *Sola igitur Christi morte, non vnius aut aliquorum, sed vniuersa animæ illud propagine contractum mortis Cyrographum rumpendum est. Mediatoris tamen animam nullum ex Adam traxisse peccatum dubitare fas non est.* Hæc Augustinus.

Bonifatius Primus. 3. Adducit idem Bandellus Bonifatium etiam Papam, in Concilio Mileuitano eius auctoritate celebrato, cui inter fuit prædictus Diuus Augustinus, & quidam Anselmus Ecclesiæ legatus. *Qui vt habetur in cap. placuit de consecrat. dist. 4.* post alia verba in sequentia prorrupit. *Placuit omnibus Episcopis qui fuerunt in hac Sancta Synodo, constituere ea quæ in præcedenti Concilio diffinita sunt. Primum est, vt quicunque dixerit primum hominem Adam ita mortalem creatum, vt siue peccaret, siue nõ peccaret moreretur, hoc est de corpore exiretnon merito peccati, sed necessitate naturæ, anathema sit. Mortem enim dicimus pœnam fuisse peccati. Placuit etiam vt quicumque dixerit paruulos nihil ab Adam trahere originalis peccati, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus, per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt in quo omnes peccauerũt: nisi quemadmodũ Ecclesia vbiq; diffusa semper intellexit. Per hanc enim regulam fidei etiam paruuli qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideò in remissionem peccatorum baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod carnali generatione traxerunt. Quisquis enim ex concupiscentia generatur, regenerari spiritualiter habet opus, vt non solum ad Regnum Dei perducatur, sed vt etiam à peccati damnatione mundetur & liberetur.* Hæc vbi supra.

Innocentius Secundus. 4. Adducit Bandellus prædictum Innocentium Papam Secundũ, qui fuit tempore Diui Bernardi, in sermone de Assumptione Beatæ Virginis, vbi ad idem propositum loquendo de sacra Virgine in speciali, inquit. *Eua si quidem fuit sine culpa producta, sed filios produxit in culpa, Virgo autem gloriosa, fuit quidem in culpa producta, sed filium produxit sine culpa.*

Innocentius Tertius. 5. Adducit idẽ Bandellus Innocentiũ etiam 3. in serm. Purificationis, vbi exponens illud Psalmi 45. *Sanctificauit tabernaculum suum altissimus,* sic ait. *Hoc tabernaculum, idest Beatam Virginem, altissimus sanctificauit: quia eam in vtero Matris ab originali peccato mundauit. Hanc enim habuit Beata Virgo prærogatiuam, quod non solum fuit à peccato mundata; sed etiam fuit post modum in conceptione filij à fomite peccati liberata, ita quod postea peccare non potuit, & propter hoc subiungitur Deus in medio eius non commouebitur. In sola enim Beata Virgine, post conceptionem filij habuit Deus hospitium quietis, quia ex tunc nullum in ea peccatum inuenit, nec fomitem peccati. In alijs*

vero

vero sanctis invenit hospitium commotionis, quia in eis saltem invenit fomitem peccati, à quo in hac vita non fuerunt totaliter liberati. Hæc vbi supra. Et idem in sermone Assumptionis etiam ait. A macula peccati originalis, quod anima con trahit, in vnione ad carnem seminaliter propagatam, quidam ex speciali priuilegio in vteris matrum fuerunt mundati ante Natiuitatem, vt Hieremias, & Sanctus Ioannes Baptista, & Beata Virgo, licet de ipsa non habeatur expressum. Hęc ille. Et idem dicit in sermone Sancti Ioannis Baptistæ, & Dominicæ de Passione.

7. Adducit Clementem Quintum in Concilio Vienensi, & habetur. In Clementina de Summa Trinitate & fide Catholica. c fidei. vbi ait. Quod Dei verbum pro omnium operanda salute in humanitate assumpta, non solum cruci affigi, sed etiam mori voluit. Ex quibus verbis constat, quod etiam mori voluit pro salute B. Virginis, & per consequens quod ipsa habuit originale peccatum. *Clemens Quintus.*

8. Adducit Innocentium etiam P.P.V. in tertio sententiarum dist. 3. quæst. 1. art. 1. vbi ad idem propositum, sic ait. Beata Virgo fuit in vtero Matris sanctificata, non ante animationem, quia tunc gratia capax non erat, nec etiam in ipsa animatione, quia tunc originale peccatum, non contraxisset: & sic non eguisset vniuersali Christi Domini Redemptione, quod non est dicendum. Sed pie credendum est, quod cito post animationem, vel ipsa die, vel hora, non tamẽ ipso momento, à peccato fuerit per gratiam mundata, & sanctificata. Hæc ille. Et idem etiam in solutione ad secundum argumentum. Puritas Beatæ Virginis fuit sub Christo, si autem peccatum originale non contraxisset, fuisset æqualis puritatis cum Christo, quod non est dicendum. Hęc vbi supra. Et idem vbi supra quæst. 2. art. 1. inquit. Cum Beata Virgo sit media inter Sanctum Sanctorum, & omnes alios Sanctos, decuit vt haberet medium gradum sanctificationis. Cum ergo Christus fuerit semper liber ab omni peccato, & reperiantur aliqui sancti qui semper fuerunt liberi à peccato mortali, non autem à peccato veniali, & originali: decuit vt Virgo habuit quidem originale peccatum, sed nunquam peccatum actuale commisserit. *Innocentius Quintus.*

9. Adducit Bandellus Clementem Sextum in sermone de Aduentu, super illa verba Lucæ 21. Erunt signa in Sole & Luna, &c. Vbi dicit. Videtur mihi quod de Conceptione Beatæ Virginis non debeat fieri festum. Primo authoritate Bernardi, qui in Epistola ad Lugdunenses grauiter reprehendit eos, qui hoc Festum celebrant. Secundo quia Festi celebratio non est nisi in reuerentia sanctitatis, eius de quo celebratur, conceptio autem Virginis non fuit sancta, quia fuit in originali peccato concepta, vt patet per multas authoritates Sanctorum: & ideò non est sub Festiuitate celebranda. Dico enim hoc vnum verum esse & clarum, quod Beata Virgo contraxit in sua Conceptione peccatum originale. Causa autem & ratio est, quia fuit ex libidine per concubitum viri & mulieris cõcepta, & ideò peccatum originale in sua Conceptione contraxit. Quod non habuit Filius, qui non ex virili semine, sed mystice spiramine conceptus est: & ideò non habere peccatum est solus Christi singulare priuilegium. Beata igitur Virgo fuit, sub peccato originali *Clemens Sextus.*

ginali per modicam moralam, & statim postea fuit sanctificata. Hæc vbi supra.

Bonifatius Tertius.

10. Adducit Bonifatium Tertium in priuilegio Visitationis Beatæ Virginis, vbi sic ait. *Benignitas conditoris, humanam naturam collapsam fore primi parentis lapsu considerans, vt eam à mortis nexibus liberaret, voluit verbum suum carnem nostræ mortalitatis assumere: vt tandem mortem nostram moriendo destrueret. & damnationis sententiam simul & maculam, quam per reatum primi hominis vniuersa generis humani posteritas incurrisse noscebatur, clementi bonitate aboleret. Qua propter de stirpe Dauid elegit Virginem, in cuius vtero mystico spiramine, Verbum ipsum carnem susciperet, locumq; ad sui Conceptionem elegit in Nazareth: in quo sumpsimus nostræ redemptionis exordia, ibiq; primus dies nostræ sanctificationis illuxit, qui nobis de salute spem intulit.*

Eugen, Quartus.

11. Adducit Eugenium Quartum in Concilio Florentino, vbi inter alia decreta quæ ibidem tradita sunt, ita ait. *Firmiter credit, profitetur & docet sancta Romana Ecclesia, neminem vnquam ex viro fœminaq; conceptum, à diaboli dominatu fuisse liberatum, nisi per fidem mediatoris Dei & hominum Iesu Christi Domini nostri, qui sine peccato conceptus, natus & mortuus, humani generis peccata delendo, solus sua morte prostrauit, & Regni Cælestis introitum quod primus homo peccato proprio cum omni sua successione perdiderat, reserauit.* Hæc vbi supra.

Hæc sunt argumenta, & Summorum Pontificum auctoritates quæ adducuntur à Bandello prædicto in loco superius citato, ad probandum sententiam & opinionem quæ Virginem sacram à contractione originalis peccato liberat, contrariam esse prædictorum Summorum Pontificum decretis. Sed quamvis specie tenus id ipsum appareat, prędicta tamen omnia per facilem quidem habent solutionem: si qua decet reuerentia ipsorum mens: & intentio explicetur, ac simul quæ ab eisdem dicuntur verba: quod Deo dante fiet infra in fine huius quæstionis. Interim tamen prędictis non obstantibus, in contrariũ sequens statuitur Conclusio.

Conclusio.

Dicere sacram Virginem ab originali peccato fuisse præseruatam, nullo modo repugnat sacrorum Conciliorũ diffinitionibus, neque Summo

DICERE sacram Virginem ab originali peccato fuisse præseruatam, nullo modo repugnat sacrorum Conciliorum diffinitionibus, Summorumve Pontificum decretis: quinvero quammaxime est ipsis consonum atque conforme. Pro huius conclusionis intelligentia, antequã ad vlteriora procedamus, præmittere atque aduertere libuit, per ea quæ in subsequentibus sunt dicenda, & dum conclusioné prædictam aliquorum Conciliorum diffinitionibus, Summorumque Pontificum decretis probare, confirmare atque corroborare contendimus, eandemque ipsis minime esse contrariam: quinvero quammaxime consonam, atque conformẽ: haudquaquam nobis cordi & mẽti

esse

esse sententiam & opinionem oppositam, vt hæreticam, erroneam, aliave simili vel leui censura vllo modo velle damnare, id ipsum cum facere nullo modo liceat, iuxta Summorum Pontificum decreta, & speciales constitutiones hac de re editas, de quibus supra quæst. 14. per totam longissimum fecimus sermonem, vbi & latissime diximus, qua pœna censeantur digni id ipsum qui faciunt, & prædictarum opinionum alterutram, vt hæreticam, erroneam, aliave simili censura dãnantes, cum hucusque earum nulla tenenda sit de fide. Solummodo ergo in præsenti hac quæstione curabimus, quammaxime fieri poterit, sententiam & opinionem nostram prædictam tueri probare atque corroborare, & præ omnium oculis ostendere eam esse veram, probabilem & defensabilem: quinvero & multo veriorem, probabiliorē, magisque defensatu dignam quam contrariam, vtpotè quæ iam olim, sed maxime nunc à Doctoribus omnibus summa veneratione habetur: cui etiam & Ecclesia nostra sancta à multis retro annis semper fauit & fauet, & quod quammaxime consona est sacrorum Conciliorum diffinitionibus, ac Summorum Pontificum decretis, prout amplius ex statim dicendis constabit.

rum Pontificū decretis: quin vero quammaxime est ipsis consonum atque conforme.

Atque in primis pro prædictæ nostræ sententię probatione & cōfirmatione, facit quammaxime decretum quoddam Apostolorum, quod factum dicitur fuisse in quodam Hierosolymitano Concilio, dum adhuc Virgo sacra erat superstes: cuius quidem decreti formalia sunt quæ sequuntur verba. *Illa Virgo, illa Maria, illa Sancta, in instanti sua Conceptionis fuit ab originali peccato præseruata, & ab omni culpa immunis, & qui non ita senserit, salutem non consequetur æternam.* Supradicta verba (vt dicitur) extracta sunt ex quodam libello nunc nouiter reperto, cum aliquorum Sanctorum reliquijs, apud Ciuitatem Granatensem, in monte quodam sacro siue sancto nuncupato (cui nomen de Valparayso anno Domini 1595.) Qui etiã liber conscriptus olim fuisse dicitur à sanctis viris Cecilio & Thesiphone, Diui Iacobi Zebedei discipulis, repertusque fuit in Arabicis caracteribus, sed postea in cōmune idioma translatus. De huius libri auctoritate & reliquiarũ prædictarum veritate, multa traduntur à Doctoribus quæ per tempus refferre non licet, neque id facere expediens nobis est visum, cum præsentis non sit speculationis, nec etiam nostri muneris, vtpotè qui in præsentiarum tantum intendimus referre ea quæ ad nostrum propositum satis probabiliter à Doct. afferuntur. Qui hac de re plura videre voluerit, consulat egregium virum Doctorum Gregorium Lupum Madera, lib. quem edidit Hispano sermone conscriptum de propria prędictarum reliquiarum historia. Consulat etiam doctissimumGundisaluum Luzero Granatensem Canonicum, & Primarium ibidem sacræ Theologiæ professorem, libro quem etiam edidit pro Immaculata Virginis Cōceptione. Consulat & sapientissimũ magistrũ Ægidiũ

Nota valde decretum Sanctorũ Apostolorũ, circa immunitatem sacræ Virginis.

de præsentatione Augustinianum, etiam in Conimbricensi Academia sacræ Theologiæ Primarium professorem emeritum, libro quem scripsit pro Immaculatæ Virginis Conceptiones defensione ab omni prorsus originali peccato lib. 3. artic. vnico, per plures sectiones & parraphos, vbi latissime hac de re agit, & tractat de fide quæ verbis prædictis ab omnibus exhiberi debet, & multa crudite satis dicit. Cõsulat tandem Fratrem Ioannẽ Baptistã de Lezana, Carmelitarum Ordinis, apud Complutenses sacræ etiam Theologiæ Lectorem, libro suo Apologetico, quem scripsit pro Immaculata Deiparæ Virginis Mariæ Conceptione: quibus omnibus in locis multa, satisque notatu dignissima ad prædictum propositum licebit reperire.

Nota valde aliadecreta qui b' Deipara virgo immaculata, pura atque irreprehensibilis dicitur.

Tertia generalis Synodus.

Post prædictum Apostolorum decretum ad vlteriora progrediẽdo: facit etiam pro confirmatione nostræ prædictæ conclusionis, id quod determinatum refertur in tertia generali Synodo, vbi Virgo Deipara sanctissima & Immaculata pluries ab omnibus fuit nuncupata, quod quidem verbũ ibidem quamvis proprijs oculis non viderim. Photius tamen Constantinopolitanus Patriarcha, in epistola de septem Synodis, Missa ad Bulgariæ Principẽ, dum acta prędicta Synodi quæ fuit Ephesina sub Cyrilo Alexandrino celebrata refert, inter alia sequentia verba dicit. *Declaratum est Immaculatam eius semperq; Virginẽ Matrem Deigenitricem appellandam esse.* Quo etiam Immaculatæ titulo insignita fuisse dicitur, in sexta generali Synodo Constantinopolitana, sub Agathone celebrata, actione decimaoctaua, vbi Sophronius in Catholica sua cõfessione exprefle dixit: *Virginẽ sacrã ab omni contagione sive peccati labe liberam fuisse.* Idem habetur actione octaua, & quod ibi factus fuerit sermo de præseruatione ab originali peccato, tradit marginator ipse dicens ibi: *Nota de puritate Conceptionis Virginis Mariæ.* Quæ prædicta omnia habentur in tertio tomo Conciliorum, in sexta Synodo Constantinopolitana, actione vndecima, sub Agathone in epistola Sophronij Patriarchæ.

Sexta generalis Synodus.

Alia decreta ad ipsum decentia.

Septima generalis Synodus

Succedat etiam in prædictæ nostræ conclusionis confirmationem, id quod habetur in septima etiam generali Synodo, quæ fuit secunda Nicœna, actione tertia, vbi sequentia habentur verba. *Veneramur etiam & adoramus imaginem Deiparæ Domina nostra, irreprehensibilis atque Immaculata.* Et infra actione sexta. *Si quis non confitetur sanctam semperq; Virginem Mariam vere Deiparam, quaius visibili & inuisibili creatura superiorem, & cum sincera fide eius intercessionem tanquam quæ libertatem apud eum qui ex se genitus est Deum habeat, anathema sit.* Quibus in verbis, dum Virgo sacra omni creatura visibili atque inuisibili superior dicitur & astruitur, eandemque apud Deum qui de ipsa genitus est omnimodam libertatem habuisse: profecto nescio quid amplius ex præfatæ Synodi definitione ad propositum nostrum restat desiderandum.

Concil. Franco Fordiense.

De quodam etiam Franco-Fordiensi Concilio, celebrato anno 780.

in

in epistola ad Episcopos Hispaniæ missa, dicitur: *Deiparã Virginem Immaculatam prorsusq; puram appellasse, & Christum Dominum factum fuisse hominem de meliori terra, etiam animata & immaculata, quam Adam.* Quibus omnibus in locis, dum Virgo sacra in tantis Concilij, â tot Sanctis Patribus ita frequenter atque ore pleno, sancta, immaculata, pura atque irreprehensibilis nuncupatur, clare certe datur intelligi, quod omnes in hac fuerunt sententia, quod ab omni originalis peccati labe libera prorsus ea fuit.

Prædictis omnibus adijcere libuit, id quod reffert Ioannes Bacchon Carmelitanus, lib. 3. quodliberorum quæst. 13. de quodam Concilio Cantuariensi, vbi sacræ Virginis Conceptio adeò dicitur fuisse prædestinata & ordinata, per sequentia verba. *Quæ inter omnes Sanctos memoria Beatissimæ Virginis & Matris Domini, eo frequentius agitur atque festiuius, quo maiorem gratiam apud Deum qui eius Conceptionem prædestinatam ad vnigeniti sui temporalem originem veraciter ordinauit.* Quibus in verbis, dum sacrum Concilium sacræ Virginis Conceptionem, dixit â Deo fuisse ordinatam & prædestinatam, aperte (vt videtur) colligitur, præsupposuisse eandem in Conceptione sua extitisse sanctam & immaculatam: quod & sentire etiam visum est Oxoniense Concilium, celebratum anno 1200. vbi inter alia festa celebranda, Festum Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ reponitur: quod quidem haud facerent est credendum, nisi (vt prædictum est) eandem fuisse purã, atque immaculatam, & ab omni prorsus originalis peccati immunem, intellexissent.

Conci. Cantuariense.

Concil. Oxoniense.

Sed accedamus iam ad alia Concilia nostris temporibus magis vicina, & veniamus ad Basiliense Concilium ex omnibus fere Christiani orbis partibus congregatum, anno 1434. vbi post varios hac super re de Immaculata Virginis Conceptione, inter quamplurimos Scholasticos Doctores habitos discursus atque congressus, intime omnibus pensatis atque consideratis, & visis vtriusque partis rationibus, ac fortissimis argumentis, tandem totus ille doctissimorum & grauissimorum hominum cætus, in Sessione 36. eiusdem Synodi, post alia in sequentia verba prorumpit. *Cum autem difficilis quæstio in diuersis mundi partibus, & coram hac sancta Synodo, super Conceptione ipsius gloriosæ Virginis Matris Dei, & exordio sanctificationis eius facta est, quibusdam dicentibus, à principio creationis suæ Deum ipsam diligendo, gratiam eidem contulisse, per quam ab originali macula illam beatissimam personam liberans, & præseruans, sublimiori sanctificationis genere redemit, cum fundaret eam ipse altissimus, & ipsam fabricaret Filius Dei Patris, vt esset eius Mater in terris. Nos autem diligenter aspectis auctoritatibus & rationibus, quæ iam à pluribus annis in publicis relationibus, ex parte vtriusque doctrinæ, coram sancta Synodo allegata sunt, alijsque plurimis in hac parte visis, & matura consideratione pensatis, doctrinam illam asserentem gloriosam Virginem Mariam, præueniente & operante diuini numinis*

Concil. Basiliense.

Ccc 2 *gratia*

gratia singulari, nunquam actualiter subiacuisse originali peccato, sed immunem semper ab omni originali & actuali ruga. Sanctamq; & Immaculatam semper fuisse, tanquam piam, cōsonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæq; rationi, & sanctæ Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam, fore tenendam & amplectandam diffinimus, & declaramus, & nulli de cætero licitum esse in contrarium prædicare vel docere. Renouantes præterea institutionem de celebranda eius Conceptione quæ tam per Romanam, quam per alias Ecclesias vi. Idus Decembris antiqua & laudabili consuetudine celebratur. Statuimus & ordinamus eandem celebritatem præfata die, in omnibus Ecclesiis, Monasteriis & Conuentibus Christianæ Religionis, sub nomine Conceptionis festiuis laudibus collendam esse. Cunctisq; fidelibus vere pœnitentibus & confessis, ea die Missarum solemniis interessentibus, centum dies primis, ac secundis vesperis totidem. sermoni vero verbi Domini de ea festiuitate, quadraginta dies de iniunctis sibi pœnitentiis concessione, perpetuis temporibus duratura, hæc sancta Synodus elargitur. Datum Basileæ in nostra Sessione publica in Ecclesia Maiori Basiliensi solemniter celebrata xv. kalendas Octobris, anno à Natiuitate Domini, millesimo quadringentesimo trigesimo nono. Hæc vbi supra. Quæ certe vel sola prædicta verba sufficerēt, ad hanc nostram sententiam tenendam & amplectendam, si Doctorū omnium mens à contentione, pertinacia, cæcaque affectione esset libera. Etsi enim fidei assensum ea minime promereantur, cum Concilium prædictum quantum ad eiusmodi decretum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ calculo non fuerit approbatum: quia ibidem assistentes in Sessione 34 Eugenium verum Papam deposuerant, aliumque de nouo sibi elegerant: vnde quantùm ad Sessionem prædictam 36. in qua est eiusmodi decretum, à vero Christi Vicario non est approbatum: magnum tamen apud omnes sapientes auctoritatis robur habere debet, cum constet ipsum à pluribus, iisdemq; grauissimis Doctoribus, variarum nationum, Episcopis atque Prælatis Theologis, qui prædicto Concilio interfuerunt, fuisse profectum, qui & decreto eidem vnanimi consensu subscripserunt. Quo fit vt quamvis fidei auctoritatem non habeat, apud omnes tamen quammaximam reuerentiā promeretur.

Concil. Trid. Accedentes vero ad viciniora nostra tempora, succedat illustrissima Oecumena Tridentina Synodus, celebrari cœpta anno Domini 1546. vbi Sessione quinta, decreto de peccato originali cap. vltimo, eadem de re agendo, sequentia verba habentur. *Declarat hæc ipsa Sancta Synodus non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto vbi de peccato originali agitur, Beatam & Immaculatam Virginem Mariam Deigenitricem, sed obseruandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ Quarti, sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innouat.* Quibus certe verbis (si bene inspiciatur) sententiæ quam tuemur mirifice prædictum patrocinatur Concilium: non solam sacrosanctam Deigenitricem Immaculatam vocando (in quo antiqua multa emulatur Concilia vt supradiximus

diximus) verum etiam & dicendo, non suæ fuisse intentionis eandem vllo modo velle comprehendere, in eo decreto vbi de originali peccato prædicto agitur. Licet enim clare atque expresse non diffiniat, Virginem eandem in generalibus Scripturæ locutionibus, quibus omnes homines peccati originalis vinculo astringuntur, non includi: sat profecto est, quod hac in re facultatem nobis tribuerit arbitrandi & affirmandi id quod magis visum fuerit, pietati & deuotioni, atque rationi consonum. Etenim si existimaret sacrum Concilium, Virginē sacram sub prædictis generalibus regulis comprehendi: quonam pacto ipsam ab eisdem iure vllo modo posset excipere, & asserere non suæ intentionis fuisse in decreto vbi de peccato originali agitur velle illam comprehendere? Si igitur id ita est, quod in sacris prædictis generalibus regulis Virgo sacra non continetur, satis vel ex hoc approbata & confirmata remanet nostra sententia, qua dicimus eam ab omni prorsus originalis peccati labe fuisse præseruatam: cum in generalibus regulis non comprehendatur: & in particulari contra hoc in sacris litteris, nihil omnino expressum habeatur.

Quod vt plenius notum fiat, sequens adducere libuit exemplum. Si Rex aut Princeps aliquis legem aliquam generalem ederet, qua edicto publico statueret omnes sibi subditos, cuiuscunque status & cōditionis extiterint, oneri alicui esse astrictos & obligatos: & cum hoc simul expresse diceret suæ intentionis non fuisse disponsatam sibi Reginam sub edicto illo publico comprehendere: quisnam (quæso) sanæ mentis diceret, Reginam ad eiusmodi onus esse astrictam & obligatam? Certe nullus. Cum igitur Spiritus Sanctus qui per Patres Tridentinæ Synodi fuit locutus (non enim humana voluntate, sed Spiritu Sancto spirante locuti sunt sancti Dei homines, vt inquit Diuus Petrus 2. cap. 1.) post appositas generales regulas siue leges, de contractione prædicti originalis peccati, ab omnibus ex Adam per rationem seminalem descendentibus, adeò expresse atque manifeste dixerit, nō fuisse quidem suæ intentionis Virginem sacram in illis velle comprehendere: certe nescio quo modo quidam dicere non verentur, illam prædicto graui iugo & oneri, astrictam & obligatam fuisse?

Sed veniamus iam ad Summorum Pontificum decreta (seu vero, potius placita) & videamus quid ipsi vnus post alterum de Virginis sacræ immunitate suo tempore senserint ac dixerint. Exeatque omnium primus Innocentius Septimus, qui (vt refert Doctor Luzerus, iam supracitatus) in tractatu primo ex his quos fecit pro defensione Immaculatæ Virginis Conceptionis, discursu primo cap. 5. adeò prædictæ nostræ sentētiæ & opinioni propensus fuit, vt anno 1404. (qui suæ electionis & promotionis fuit primus) Doctorem quendā Theologum, qui in publicis suis concionibus illam nitebatur euertere, & sacræ Deiparæ Virginis Conceptioni aduersabatur: & rigide puniuit

Probatur conclusio prædicta ex varijs Summorū Pontificum in decretis.

Innocentius Septimus.

 &

& instanti Parisiensi Gymnasio omnium quæ dixerat pallinodiam fecit recantare, id quod & factum fuisse testatur etiam Gaguinus, sanctissimæ Trinitatis Religionis Generalis olim, lib. 9. fol. 185. Ex quo facile satis colligitur, quantum prædictus Pontifex sententiæ nostræ piæ fuerit affectus, & quam Immaculatæ Conceptionis se gesserit protectorem, & defensorem accerrimum: id enim nisi ita fuisset, haudquaquam erga eam, amoris sui talia signa dedisset. Sed procedamus vlterius.

Alexand. V. Post Innocentium Septimum, mediante solummodo Gregorio Duodecimo, qui tantum per duos annos cum dimidio Ecclesiæ Pontificatum gesit, in eiusdem gubernationem anno 1409. succesit Alexander Quintus Cretensis, nostri sacri Ordinis professus, ante Pontificatum Petrus de Candia nuncupatus: qui quidem cum in minori dignitate constitutus prædictæ nostræ sententiæ præclarus fuisset sectator, seu potius defensor (vt satis cõstat ex suis scriptis in 3. sent. dist. 3.) dignitate Pontificia sublimatus, haudquaquam (vt dicitur) suimet fuit oblitus: quinvero sententiam eandem approbauit, ac illi mirum in modum fauorabilem se præbuit: vt refert Magister Ioannes Barro super prædictum locum, per sequentia verba. *Sanctissimus Dominus Papa Alexander Quintus, approbauit opinionem Minorum, quoad Immaculatam Virginis Conceptionem.* Per hoc autem quod à Pontifice prædicto approbatam prædictam sententiam esse dicimus, haudquaquam diffinitam, determinatamve, esse eandem intẽdimus siue asseueramus: cum ex multorum posteriorum Pontificum decretis, plane constet prædictarum opinionum nullam, vt de fide ab Ecclesia hucusque fuisse diffinitam, approbatam, siue determinatam. Per id autem non tollitur quin dictus Pontifex, nostram saltim vt in fide tutam, piam atque probabilẽ, seu potius probabiliorem susceperit, & approbauerit: ac talem esse declarauerit. Post prædictos Ecclesiæ Patres, multi alij Pontifices successerunt, qui hac de re omninò nihil dixerũt, saltim quod habeatur expressum & typis mandatum, vsque ad annum 1447. quo in Summum est Pontificatum præfectus Nicolaus Quintus Sergianensis.

Nicolaus V. Hic Nicolaus Quintus (vt dicitur) prædictam nostram sententiam etiam approbauit, atque conformauit ad sensum supradictum: saltim vt in fide tutam, securam, piam atque probabilem (seu potius probabiliorem) per copiosissimam confirmationem quam fecit eorũ omnium quæ acta atque ordinata fuerunt in Concilio Basiliensi, de quo supra diximus. Cuius confirmationis Bulla, incipit *vt pacis*, data Spoleti annò Incarnationis Dominicæ 1449. Kalendis Iulij Pontificatus sui anno 3. & habetur in Monumentis sacri nostri Ordinis secũdæ impræssionis fol. 44. conces. 49. & refertur in priuilegiorum compendio, verbo *Conceptio Virginis*, §. 4.

Sixtus IIII. Sed inter omnes Pontifices Summos qui prædictam Deiparæ Vir-

ginis

ginis Conceptionem sunt amplexati, nostræque sententiæ fauere quammaxime, absque alterius cuiuspiam iniuria primatum obtinuit, Sixtus Quartus Saonensis, nostri etiam sacri Ordinis, qui circa annum 1471. sancti Petri sacram sedem ascendit. Is enim deuotioni prædictæ sanctissimæ Virginis, sed præsertim purissimæ suæ Conceptionis fere se totum dedit. Et in primis edidit celebrem illam Extrauagantem, quæ incipit, *cum præcelsa*, positam inter communes, sub titulo de Reliquijs & veneratione Sanctorum: qua fideles omnes ad celebrationem prædictæ Conceptionis festi exhortauit, ac magnis indulgentiarũ largitionibus inuitauit: approbans & promulgare faciens officiũ ea de re æditum per Magistrum Leonardum de Nogarolis Clericũ Veronensem, cuius precipuus scopus fuit, toti mundo patefacere Dei param sacram Virginem præseruatione originalis peccati à Deo Optimo Maximo fuisse insignitam, vt satis constat ex oratione siue collecta eiusdem officij, quæ sic habet. *Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, dignum Filio tuo habitaculum praeparasti, quæsumus, vt sicut ex morte eiusdem Filij sui præuisa, eam ab omni labe præseruasti, ita nos quoque mũdos eius intercessione ad te peruenire concedas.* Nec (quæso) in mentẽ cuipiã veniat, propter qualemcunque festi prædicti celebrationem eiusmodi officium à Sixto Quarto fuisse approbatum, aut propter sanctificationem (vt quidam dicere contendũt) cum ex verbis predictis constet satis, approbatum non fuisse, nisi propter celebrationem Immaculatæ Virginis Conceptionis, qua Deus Optimus Maximus ex morte Filij sui præuisa, eam ab omni labe præseruauit. Quod ita fixum ac firmum credidit prædictus Pontifex, obnixe vt ex poscat ibidem, quod sicut eam ab omni labe Deus præseruauit, ita nos quoq; mundos eius intercessione, ad se peruenire concedat. Quid quæso amplius dici potuit? In cuius etiam rei confirmationem, Romæ in Vatricano in honorem prædictæ Immaculatæ Virginis Conceptionis, sumptuosissimũ quoddam ipse proprijs sumptibus sacellum cõstruxit, in quo singulis annis in præsentia Summi Pontificis, toto adstante purpureo Cardinalium cætu, Immaculatæ Conceptionis Virginis Missa solemniter celebratur & decantatur.

De Extrauag. Sixti 4. quæ incipit cũ præcelsa.

Oratio recitanda in Conceptionis Festo, à Sixto 4. approbata.

Neque eo solummodo contentus supradictus Pontifex, non minori pietatis affectu; sententiæ quam tuemur patronum tutelarem se exhibere volens: cum occasione Extrauagantis supradictæ, quidam Clerici atque Religiosi temere ausi fuissent dicere, affirmantes Beatã Virginem à peccato originali fuisse immunem hæreticos esse, aut sacrum eius Festum celebrantes, vel contionibus quæ in ipsis fiunt assistentes mortaliter peccare: & super hac re libros & tractatus quosdã composuissent: prædictis omnibus obuiare intendens, de nouo aliam edidit Extrauagantem, quæ incipit *graue nimis,* quæ habetur etiam vbi supra, inter alias communes, sub titulo etiam de Reliquijs & veneratione

De alia Extra

tione

uagantis eiusdem Sixti 4. quæ incipit, graue nimis. tione Sanctorum, & habetur etiam in Monumentis nostri Ordinis primæ impræssionis fol. 74. & secundæ fol. 158. concess. 376. & refertur in Compendio, verbo *Conceptio Virginis* §. 8. vbi post alia in eisdẽ inuehitur grauissimis subsequentibus verbis. *Statuimus & ordinamus, quod Prædicatores verbi Dei, & quicunque alij cuiuscumque status, gradus aut ordinis & conditionis fuerint, qui de cætero ausu temerario præsumpserint in eorum sermonibus ad populum siue alias quomodolibet affirmare, huiusmodi sic per nos improbatas & reprobatas assertiones, veras esse, aut dictos libros prænotatis legere, tenere aut habere, postquam de præsentibus scientiam habuerint: excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, à qua ab alio quam à Romano Pontifice nisi in mortis articulo nequeant absolutionis beneficium obtinere.* Ex quibus sane verbis clare satis elucet, prædictus Pontifex nostræ sententiæ quã fuerit fautor egregius, postquam eandem damnantes, tam in prædicationibus quàm in suis libris & scriptis, aut quomodolibet, excommunicationis sententia illos inuisit, à qua ab alio quam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, non voluit vt à quoquam possint absolui.

Innocent. 8. Post Sixtum Quartum in Pontificatum statim succesit Innocẽtius Octauus Genuensis, anno Domini 1484. qui etiam Conceptionis Deiparæ Virginis affectissimus atque deuotissimus fuit; cuius etiã tempore Toleti deuotissima quædam insignis fœmina, post sibi è cœlo reuelationem factam, eiusdem auctoritate Religioni cuidam Monialium in honorem ac sub nomine & titulo Immaculatæ Virginis Conceptionis initium dedit: quam religionem primitus ipse approbauit, & constitutiones quasdam quas fecit, sub quibus Moniales illæ eo tempore vixerunt sub obseruatione (vt dicitur) regulæ sancti Benedicti, siue Ordinis Cisterciensis.

Alexand. 6. Post Innocentium prædictum, Alexander Sextus Valentinus Ecclesiæ sanctæ Clauem recepit, anno Domini 1492. qui & superius dictam Conceptionis regulam approbauit & cõfirmauit: necnon & supradictam Bullam seu potius Extrauagantem incipientem *graue nimis*, quam Sixtus Quartus dederat, inserendo illam de verbo ad verbum, ac dando desuper iudices cum magnis clausulis, & non obstantijs, vt satis constat ex Monumentis sacri nostri Ordinis, primæ impræssionis fol. 74. & secundæ fol. 158. concess. 376. & refertur in priuilegiorũ compendio, verbo *Conceptio Virginis*, §. 9.

Iulius 2. Post Alexandrum Sextum succesit in Pontificatum Pius Secundus, qui (vt dicitur) per 16. tantum dies illud gessit, in cuius locum anno 1503. suffectus est Iulius Secundus Saonensis, qui quidem deuotissimus etiam fuit Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis. In cuius honorem & fauorem quam plures indulgentias concessit, vt constat ex supplemento priuilegiorum Ordinis, fol. 89. concess. 254. & refertur in Compendio eorundem priuilegiorum, verbo *Conceptio Virginis*

ginis, §. 10 & verbo *indulgentia quoad sæculares* 7. §. 3. Qui quidem Iulius Secundus nouam quandam addidit regulam Monialium Conceptionis Beatæ Virginis, quæ habetur in dicto priuilegiorum Compendio, in qua plura ac mira dicuntur de prædicta Immaculata Conceptione Beatæ Virginis: & verbum prædictum *Immaculata*, sæpe ac sæpissime expressum reperitur ibidem, & nec immodicum quidem sacræ nostræ Religionis honorem, in eiusdem capite quarto (quod est de protectore Ordinis) post alia in sequentia verba prorumpit. *Volumus etiam quia ex quo fratres Minores tam indefesso studio & vigilantia puritatis & innocentiæ Deigenitricis defensores existunt, quod Vicarij Generales in suis Vicarijs, & Prouinciales & Custodes in suis Prouincijs & Custodijs, sint visitatores huius sanctæ Religionis, quibus firmiter teneantur obedire, in omnibus quæ promiserunt Domino obseruare, & quæ non sunt contraria animæ & huic regulæ.* Verba sunt expressa.

Notentur verba, quæ Iulius 2 dixit in nostræ sacræ Religionis honorem, circa gubernationem Monialium Conceptionis.

Post Iulium Secundum successit in Pôtificatu Leo Decimus, natione Florentinus, anno Domini 1513. qui etiam Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis fuit deuotissimus, vt constat ex priuilegijs in eiusdem honorem & fauorem concessis. Sed maxime ex illo quod habetur in supra dicto supplemento priuilegiorum Ordinis fol. 24. concess. 67. & refertur in Compendio, verbo *Conceptio Virginis*, §. 12, vbi dicitur, quod prædictus Leo X. concessit: *Quod tempore interdicti quamuis auctoritate, & ex quibusuis causis pro tempore appositi, in quibusuis Hispaniæ Ecclesijs ac locis, à primis vesperis dicti Festi Conceptionis, vsque ad illius totalem octauam inclusiue, Missas & alia diuina officia apertis ianuis, & pulsatis campanis, atque alta voce (excommunicatis dumtaxat, & nominatim interdictis expulsis) Minores Fratres celebrare possint, & quod singuli Christi fideles nô excommunicati, nec nominatim interdicti, ad Missas & alia diuina officia audienda, præfato tempore admitti libere & licite possint.* Multas præterea ac magnas Leo prædictus concessit indulgentias, intuitu prædictæ Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ, tam nostris Fratribus quàm etiam sæcularibus, quas reperire licebit in supradicto compendio priuilegiorum Ordinis, verbo *Indulgentia plenaria quoad Fratres*, § 18. & 19 & verbo *Indulgentia quoad Sæculares*, 7. §. 5. Item concessit Leo prædictus: *Quod viri deferentes Imaginem Conceptionis Beatæ Virginis, & mulieres scapularium eiusdem Ordinis cum prædicta imagine, easdem gratias obtineant & consequantur, quas consequuntur & consequi possunt deferentes chordam Fratrum Minorum, & corrigiam Sancti Augustini.* Habetur in supplemento priuilegiorum Ordinis fol. 61. concess. 188 & refertur & in supra dicto compendio, verbo *Indulgentia quoad Sæculares* 7. §. 4.

Leo X.

Nota hanc concessionem Leonis X.

Nota hoc valde.

Post prædictum Leonem X. successit in Pontificatu Adrianus Sextus Traiectensis, anno 1522. qui haud minus quidem quam reliqui sui prædecessores, Immaculatæ prædictæ Virginis sacræ Conceptioni deditissimus fuit, eiusdemque fautorem atque protectorem se

Adrianus 6.

 exhi-

exhibuit:nam præterquam quod supradicta omnia priuilegia approbauit & cõfirmauit, de nouo copiosissimam quandam dedit Bullam, in confirmationem confraternitatis cuiusdam, instituta in honorem purissimæ Conceptionis, ab illustrissimo quondam Cardinali F.Francisco Ximenez Archiepiscopo Toletano, qui sacræ nostræ Religionis magnum quidem fuit decus & ornamentum. Qua quidem in Bulla, inter approbandum confraternitatis prædictæ constitutiones, sæpe ac sæpissime. *Sacram prædictam Virginem Immaculatam fuisse dicit, ac in meritis Christi Filij sui præuisis ab omni prorsus originali peccato præseruatam: addendo sanctissimam ipsius animam in primo suæ Conceptionis instanti gratia fuisse plenam, & magis plenam quam Adam & Eua, & quam omnes Angeli atque Archangeli, Cherubim atque Seraphim, qui conditi atque creati fuisse dicuntur in gratia: cum ad maiorem finem eadem fuerit ordinata, ad hoc nempe vt congrua & digna esset Dei Mater.* Hæc & alia his similia continentur in dicta Bulla, quæ magnæ suæ deuotionis satis sufficiens fuerunt argumentum.

Notentur verba Adriani 6. in honorẽ Beatissimæ Virginis Mariæ Conceptionis.

Clemens VII.

Post Adrianum Sextum prædictum, succesit in eius locum Clemens Septimus Florentinus, anno 1523. qui etiam haud minus quidẽ quam cæteri sui præcesores Immaculatæ Beatæ Virginis Conceptioni deuotissimum etiam se exhibuit. Nam præterquam quod supradictorum omnium Pontificum priuilegia & concessiones eidem factas approbauit, de nouo confirmauit ac etiam promulgari fecit deuotissimum quoddam Immaculatę Conceptionis officium, compositum ab illustrissimo Cardinali Hispano, Quiñones nuncupato, cuius Inuitatorium ad Matutinum sic incipit, *Immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ celebremus, Christum eius præseruatorẽ adoremus Dominum.* Quid (quæso) clarius vnquam ad nostrũ propositum dici potuit: postquam totius Ecclesiæ auctoritate Christus Dominus Virginis sacræ præseruator dicitur? Oratio autem eiusdem officij, est omninò eadem cum oratione quam adduximus supra, ex officio composito à Leonardo de Nogarolis, in qua eadem sacra Virgo etiam Immaculata atque præseruata fuisse dicitur.

Post supradictos Pontifices summos, alij etiam Virginis eiusdem deuotissimi successerunt (quos breuitati studendo in præsentiarũ enumerare non libet) qui quamuis speciale nihil sacro Immaculatæ Virginis Conceptionis festo concesserint (quod viderim) habeaturque in scriptis expressum, omnes tamen dempto nemine, omnia Religionis nostræ priuilegia à suis prædecessoribus concessa libentissime confirmarunt & approbarunt. Quod quidem (haud minus) quinvero magis quam alij, gratissimo animo fecit sanctissimus Dominus noster Paulus Quintus, qui dum hæc scribuntur adhuc viuit, & viuit (vt dicitur) in Nestoreos annos: qui & prætertito anno 1609. necdũ supradicta Immaculatæ Conceptionis officia approbauit & conformauit, verum

Nota concessionem Sanctissimi D.N.Pauli V. Pp. M. pro Immaculata B. Virg. Conceptione.

verum & religioni nostræ sacræ concessit, vt singulis quibusque Sabbathi diebus, festo duplici vel semiduplici non impeditis, de eadem recitare possemus. Et nunc nouissime anno 1615. decimo tertio Iulij, huic etiam nostræ sententiæ annuendo & fauendo, in sacræ Conceptionis honorem centum dierum indulgentiam concessit, recitantibus sequentem Antiphonam. *Hac est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpa fuit*, cum versu. *In Conceptione tua Virgo immaculata fuisti.* Resp. *Ora pro nobis Patrem, cuius Filium peperisti*. Et oratio illa quæ adducta est supra, ex officio supradicti Leonardi de Nogarolis.

Ex quibus omnibus superque satis clare colligitur, prædictum Immaculatæ Conceptionis mysterium, quam magnam approbationem habeat, semperque habuerit, à tot tantisque summis Romanæ Ecclesiæ Pontificibus, de quo nullus relinquitur dubitandi locus. Vnde & male dicunt Doct. contrariæ sententię, hanc nostram aduersari & contrariare omnium Summorum Pontificum decretis. Solummodo ergo superest respondeamus, ad ea quæ in initio huius quęstionis pro alia in contrarium parte sunt adducta.

Respondetur ad argumenta adducta in initio quæstionis.

Ad primum igitur argumentum quo dicitur conclusionem & sententiam nostram prædictam, contrariam esse Concilio Arausicano, Mileuitano atque Florentino, quibus in diuersis decretis dicitur, omnes ex Adam per rationem seminalem descendentes, peccatũ contrahere originale, vno excepto Christo Domino & Saluatore nostro, (vt mihi videtur) iam superque satis ex dictis patet solutio: nam supra dicta Concilia, vt & omnia Sacræ Scripturæ testimonia, intelligenda sunt, & loquuntur communiter & generaliter, de eo quod verum est & simpliciter tenendum tanquam de fide, de iure communi loquẽdo, & secundum legem ordinariam: haudquaquam tamen excludendo absolutam Dei potentiam, & speciale præseruationis priuilegium Beatæ Virgini concessum.

Ad primũ argumentum.

Circa exceptionem qua dicitur, quod solus Christus Dominus sine peccato fuit cõceptus.

Neque vero nostræ huic resolutioni obstat, quod de Christo Domino expressa ibidem facta fuerit exceptio, nõ vero de prædicta Virgine sacra: nam exceptio facta de Christo, fieri quidem debuit necessario atque præcise (vt sic loquamur) de lege ordinaria, & stando in iure communi, & non ex aliquo priuilegio multis de causis: sed inter alias pro eo quod ipse non ex Adam per rationem seminalem descendit, sed de Spiritu Sancto fuit conceptus. At vero ad idem de Virgine sacra dicendum, non eadem inerat ratio, cum ex Adamo naturali propagatione, & per rationem seminalem descenderit: quod si à nobis asseritur quod originali peccato caruit: non est de lege ordinaria ac de iure communi loquendo, sed ex speciali priuilegio: quod prædictorũ Conciliorum Patres eo tempore noluerunt illi expresse concedere, aut veritatem hanc vt de fide tenendam determinare atque diffinire, cum id ipsum in Scriptura Sacra non habeatur expressum; & prop-

ter quam plurimas rationes & causas, iam ex parte superius dictas, & amplius inferius dicendas. At non per hoc quod illud non diffinierũt siue determinarunt, existimandi vllo modo sunt quod diffinire siue determinare voluerunt contrarium: quinvero ab hoc prorsus abstinuerunt, fidelium deuotioni illud relinquẽtes. Et quod æstimandum magis est, qualiter Concilia prædicta sint intelligẽda, aperte satis explicauit & declarauit Concilium Tridentinum supra citatum, quando Sessione 5. d: peccato originali cap. vltimo, ide expresse dixit, *Non sue fuisse intentionis Virginem sacram in decreto illo vbi de peccato originali agitur velle comprehendere*: nam cum Conciliorum omnium idem sit Spiritus, qui Sanctis Patribus quæ tenenda atque dicenda sunt dictat, quique minime mutatur, mutarive potest: possibile non est vnum alteri contraire: quinvero per hoc quod in vno Conciliorum dicitur, reliqua omnia explicari atque interpretari habent, vt ne Spiritus Sanctus ipse contrarius videatur sibi ipsi.

Quod Concil. Trident aliorum Conciliorum mentem atque intentionem explicauit & declarauit circa hoc Immaculatæ Conceptionis mysterium.

Ad secundum argumentum.

Ad secundum argumentum, quo multiplices Summorum Pontificum auctoritates continentur, respondere oportet per singula, ad eorundẽ quemlibet in particulari, dicendo quomodo sint intelligendi, & sic dico.

Ad Innocent. Primum.

Ad illud quod adducitur de Innocentio I. & Concilio Numidiæ celebrato, quod nihil facit contra nos, aut contra sententiam nostram: nam nihil aliud facit quam statuere contra Pelagium & Celestinum, generalem regulam de contractione originalis peccati, ab omnibus ab Adamo per rationem seminalem descendentibus, à qua generali regula quamvis neminem excipiat, nisi illum quem sine lege peccati Virgo sacra concepit (nempe Christum) quæ verba ibidem sunt expressa: non per hoc prædictæ nostræ sententiæ & resolutioni contradicit. Nam ibi (vt supra diximus) Concilium loquitur de lege ordinaria, & de iure communi, dicendo quod tenendum est de fide: sed nõ excludendo absolutam Dei potentiam, siue singulare priuilegium, si ex diuina gratia fuisset sacræ Virgini concessum. Hoc enim ibidem Concilium prædictum non definiuit, aut determinauit, neque vero contrarium (vt supradictum est) per quod sit satis Innocentio Primo, & Concilio prædicto.

Ad Zozimũ.

Ad illud vero quod adducitur etiam ex Zozimo Papa, & Africano Concilio, resp. ondeo similiter, verissimum quidem esse quod omnes sumus à peccato Christi sanguine liberati, & quod peccati eiusdẽ nemo liber efficitur, aut sanguine prædicto redemptus dici potest, nisi peccati eiusdem fuerit seruus, & per ipsum actu ante captiuus: sed ad hoc non requiritur actualis captiuitas, quinvero sufficit ac satis est vt fuerit id ipsum secundum debitum: nam vt superque satis diximus in quæstione 13. etiam respectu illius qui nõ fuit actu seruus siue captiuus, dari potest vera & propria redemptio, quod ibidem multis rationi-

tionibus monstrauimus, & nonnullis sacræ Scripturæ testimonijs id ipsum confirmauimus. Quo circa Zozimi Papæ, & Africani Concilij auctoritas, contra nos nihil omninò facit.

Ad Bonifatiū Primum. Ad auctoritatem Bonifatij Primi in Concilio Mileuitano, respondetur similiter, quod ibi statuitur generale decretum de contractione originalis peccati (ad sensum supradictum) non tamen excludendo absolutam Dei potentiam, siue singulare priuilegium sacræ Virgini concessum, nec vero includendo ipsum: at per id quod non includitur, haudquaquam excluditur. Et vt sæpe ac sæpissime est dictum omnes eiusmodi generales locutiones, tam sacræ Scripturę, quam sacrorū Conciliorum, intelligendæ, explicandæ atque interpretandæ sunt de vniuersitate legali, non excludendo priuilegium, siue dispensationem, & specialem gratiam quæ facta est sacræ Virgini, vt satis clare Concilium Tridentinum insinuauit, quando dixit non suę fuisse intentionis, in eiusmodi decretis & generalibus regulis, Virginem prædictam sacram velle comprehendere.

Ad Innocent. Secundum. Ad dictum Innocentij Secundi, qui expresse dixit Virginem sacram fuisse quidem in culpa productam, peperisse tamen Filium sine culpa: dico hoc vltimum esse tenendum de fide præcise, esseque id de iure communi loquendo, propter rationem superius dictam, vtpotè quia non ex Adam naturali propagatione, & per rationem seminalem descendit: sed de Spiritu Sancto fuit conceptus. Illud autem quod statim de Virgine sacra dicit, adhuc sub opinione est, & in eo locutus est vt Doctor, non vero vt Pontifex, id ipsum diffiniendo, siue determinando. Quod si prædictus Pontifex in ea fuit sententia & opinione, multi alij contrariam nostram sunt amplexati, vt latissime constat ex superius dictis.

Ad Innocent. Tertium. Et idem dico ad Innocentium Tertium, neque aliquid de nouo dicendum occurrit, aut id facere esse videtur necessariū: cum in prædictæ nostræ sententiæ confirmationem, tot ac tanta superius fuerint dicta, & tantæ Summorum Pontificum auctoritates adductæ.

Ad Honoriū Tertium. Ad Honorium Tertium respondetur etiam id ipsum: nec vero maiorem aliquam difficultatem habent quæ ab illo dicuntur: omnes enim prædicti Pontifices locuti sunt & Doctores, & vt personæ quædam particulares: non aliquid diffiniendo aut determinando, sed dicendo id quod probabile esse sibi videbatur. Et fuerunt in ea sententia & opinione, quia eo tempore mysterium prædictum Immaculatæ Conceptionis, non ita erat ab omnibus cognitum, nec nostra sententia, talem ac tantam apud omnes habebat acclamationem, quam modo habet: sicque protulerunt atque dixerunt, id quod in Scriptura sacra continebatur exprese, non in contrarium quidquam diffinientes, seu determinantes, sed loquendo eorum quisque iuxta id quod probabile sibi videbatur. Et quod ita sit constat expresse, nam quod in

contrarium nihil hucusque tanquam de fide extet determinatum, pa tet clarissime vt supradicta Sixti Quarti Extrauaganti, quæ incipit *graue nimis*, & ex multis alijs postmodum emanatis Summorum Pontificum constitutionibus atque decretis, quibus id ipsum expresse dicitur.

Ad Clementē Quintum. Ad Clementem Quintum dico etiam, quod ipsius verba nihil faciunt contra sententiam nostram, qui libentissime concedimus, ac firmiter profitemur, Christum Dominum & Saluatorem nostrū, cruci fuisse affixum, ac mortuum pro omnium salute (etiam pro Beata Virgine) & eam ab illo vere & proprie fuisse redemptā, dum à peccato originali prædicto ipsam præseruauit: vt satissuperque cōstat ex dictis in quæstione 13.

Ad Innocent. Quintum. Ad Innocentium Quintum dico similiter, in illis verbis loquutū fuisse vt Doctorem, dicendo & asserendo id quod magis sibi probabile esse videbatur: & sequendo in hoc doctrinam Diui Thomæ, cui superque satis satis factum à nobis est supra q. 10. & 15. vbi latissime ostendimus, quod quamvis Virgo sacra originale peccatum minime contraxerit, non propterea dici debet, eandem non indiguisse vniuersali Christi Domini redemptione: nec ex eo quod originale peccatum prædictum non contraxerit, dici potest aut debet, quod æqualis fuerit puritatis cum Christo. Nam Christus Dominus propter rationem multoties dictam, nec peccatum originale contraxit, nec vero eiusdem habuit debitum, aut illius fuit capax: Virgo autem sacra (quā vis ex singulari Dei gratia & priuilegio originale peccatum non contraxerit) fuit tamen illius capax, necnon & habuit debitum contrahendi illud: magis vel minus propinquum, aut remotum, ad sensum explicatum in quæstione 12.

Ad Clementē Sextum. Ad Clementem Sextum, & illud quod dicit quod de Immaculata Virginis Conceptione non debeat fieri festum, propter rationes ibidem dictas: dico quod difficultas hæc inferius proprium habebit locum, & (vt iam satis patet) Ecclesia omnino contrariū diiudicauit: & in hoc est standum. Ad illud vero quod dicitur, quod Virgo sacra in sui Conceptione peccatum contraxit originale, propter rationes etiam ab eo adductas ibidem: dico etiam (vt dictum est supra) quod prædictus Clemens loquutus est vt Doctor, & vt persona quædā particularis, non vero vt Pontifex aliquid diffiniendo aut determinādo: sed asserendo id quod sibi magis probabile videbatur, & magis conforme ad sententiam Diui Thomę, quam fuit sectatus ibidem.

Ad Bonifatiū Tertium. Ad Bonifatium etiam Tertium respondetur similiter, neque id quod dicit ibidem maiorem aliquam expostulat difficultatem, quam supradictam.

Ad Eugeniū Quartum. Ad Eugenium vero Quartum, & id quod decretum fuisse dicitur in Concilio Florentino, iam etiam patet solutio ex dictis, & de

nouo

quo dico, esse verum ac firmiter tenendum eiusmodi decretum, de actuali contractione originalis peccati, & liberatione illius per fidem mediatoris Dei & hominum Iesu Christi Domini nostri: à quo prædicto originali peccato, etiam certum est quod de iure, & ex vi suæ conceptionis, nullus vnquam omninò excipitur, nisi solus ipse Christus, propter rationem multoties dictam) vtpotè quia nõ naturali propagatione, & per rationem seminalem, sed de Spiritu Sancto fuit conceptus. Per id autem non tollitur, quin prædicta Beata Virgo (non de iure, sed ex speciali Dei gratia & priuilegio, præseruari potuerit à peccato originali prædicto, propter rationes quàplurimas quæ superquè satis dictæ remanent in omnibus præcedentibus quæstionibus.

QVÆST. XVIII.

An dicere Virginem sacram ab originali peccato fuisse præseruatam, satis sit consonum sententijs & communi modo loquendi Sanctorum Patrũ, & magis consonum quam oppositum?

DOCTORES contrariæ sententiæ & opinionis, qui Virginem sacram dicunt originale peccatum contraxisse: adeò tenaciter adhærent illi, eandemque conantur defendere, vt absque trepidatione vlla asserere audeant, omnes olim antiquos Patres (nemine discrepante) illam tenuisse & approbasse: nobisq; improperant quod ex antiquis Patribus illustrem neminem habeamus, qui sententiam nostram teneat, tueatur atq; defendat: sed solum modo ignobiles quosdam modernos: qua etiam ratione dicunt illam esse opinionem nouam: quod tanquam verisimum atque certisimũ apponunt, Caietanus, Cano, Bandellus, Medina, multique alij Thomistæ, quorum solius Caietani in præsentiarum verba referre libet, vt plane constet qua dicendi libertate hac in re vtatur. Prædictus igitur Caietanus, in opusculo de Conceptione Virginis, post alia in sequentia verba prorumpit. *Ac propterea non est mirum, si nullus sanctus, nullus illustris Doctor antiquus, pro hac parte afferatur, nisi forte à falsarijs.* Miror certè virum aliàs doctissimum atque religiosissimum, eiusmodi verba ausum fuisse proferre: nam verba illa *nisi forte à falsarijs*, indigna profectò sunt tanto viro. Sed iam iam mirari desino, dũ menti occurrit quosdam eiusdem etiam factionis Doctores, haudquidem veritos olim fuisse, dicere eandem sententiam & opinionem nostram (necdum falsam atque improbabilem esse) verum etiam hæreticam, aut saltim in fide

Nota quid dixerint Caietanus, Cano & Bandellus, de sententia quæ B. Virginem à peccato originale liberat.

fide erroneam, vt satis constat ex his quæ latissime in quæstione 14. à nobis sunt dicta. Sed his omissis (ne insistamus verbis) vt sententiæ nostræ veritas plenius elucescat, planumque omnibus atque perspicuum fiat, qualiter prædicta nostra doctrina, non (vt ipsi dicunt) sit noua: quinvero antiquissima, iam inde ab Ecclesiæ nascentis exordio â quampluribus Sanctis Patribus tradita, & approbata: negotium prædictum altius expendere volentes, seorsum in hac quæstione in controuersiam visum est adducere: an dicere prædictam sacram Virginē ab originali peccato fuisse præseruatam, satis sit consonum sententijs ac communi modo dicendi Sanctorum Patrum, & magis quam oppositum?

In qua quidem difficultate & quæstione adeò celeberrima, congruo ordine procedere volentes: vt omninò nihil intactum remaneat quod tractari in particulari conueniat: & vt argumentis in contrariū adductis congruas adhibeamus solutiones: proponam primo illas Sāctorum Patrum sententias & auctoritates, quæ communiter atque generaliter loquendo dicunt, omnes simul cum Adam primo nostro parente peccasse, & ex eodem originale peccatum contraxisse: neminē omninò excipiendo, nisi solummodo Christum Dominum. Secundo vero loco, proponam illas quæ in particulari de Virgine sacra loquuntur, dicendo in Adam illam peccasse, seu peccati carnem fuisse: quidpiamve simile, ex quo id ipsum colligi vllo modo possit. Tertio adducemus quæ asserunt sacram prædictam Virginem fuisse mundatam siue purgatam (quod culpam supponere videtur, ac peccatū originale prædictum contractum fuisse.) Ac tandem vltimo adducemus Patres qui nostræ sententiæ contrariā expresse tenere videtur: & vt non rem aliquam quæ difficultatem habeat subterfugere, aduersariorumve telis terga vertisse vllo modo videri possimus, formaliter & expresse afferemus auctoritates omnes quas prædicti Caietan. Cano & Bandellus, & omnes communiter Thomistæ ad prædictum suum propositum probandum adducunt: ordine licet diuerso, ac demptis quibusdam superfluis, inutilibus & impertinentibus verbis quæ ab eisdem dicuntur: indigna quidem quæ â religiosis viris vllo modo dicerentur, & vt typis mandarentur.

Auctoritates primi ordinis, cōmuniter & generaliter loquentes de actuali contractione originalis peccati ab omnibus, solo Christo Dño. excepto.

A primi igitur ordinis auctoritatibus exordiendo, loquendo cōmuniter & generaliter de actuali contractione originalis peccati, ab omnibus ex Adam per rationem seminalē descendentibus (solo Christo Domino excepto) pro eo quod ipse non ex Adamo naturali propagatione, & per rationem seminalem descendit, sed de Spiritu Sancto fuit conceptus: vt antiquitati locus detur & in centuriarum modum procedamus.

S. Irineus Lugdunensis Episcopus.

Primus omnium in ordine occurrit sanctus Irineus Lugdunensis Episcopus, relatus per supradictum Bandellū lib. supracitato cap. 13. qui

quidem Irineus non longe fuit á temporibus Apostolorum. Hic enim anno á Christo nato 177. temporibus Antonij Commodi. author libro quem contra hæreses scripsit hæc de re inquiendo, sic ait. *Peccato protoplasti astrictum est vinculum mortis et humanum genus ... serpentis omnes homines sunt vulnerati: sed per Crucem Christi qui Solus fuit ... in similitudine carnis peccati ... omnia traxit ad se ... ab antiqua plaga serpentis sanamur ... in carne peccati.* Hæc ibi sui. Quam etiam Irinei authoritatē citat Diuus Augustinus lib. 1. contra Julianum cap.

Adducitur Origenes relatus per supradictum Bandellum loco supra cap. 14. qui floruit temporibus Aurelij Alexādri, anno 226. vixit tempore Galli & Vollusiani, anno Domini 254. Qui quidem in commentario super Joannem cap. 8. explicans illa Christi Domini verba, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Sic inquit. *Habebat namque Christus in humano genere magnam fiduciam, cum nullus hominum veraciter dicere posset: quis ex vobis arguet me de peccato, nisi Dominus noster qui peccatum non habuit.* Idem in Homil. 7. super Leuiticum dicit. *Quacunque autem carne nascitur, iniquitatis & peccati sorde polluitur.* Et infra. *Magnus ... Sacerdos Iesus, qui solus peccatum non fecit, & ad quem venit Princeps mūdi, & non inuenit in eo quidquam.* Et infra. *Solus Dominus Iesus meritas natas habet manus, quia ipse solus peccatum non habuit.* Et modicum infra: *omnis* (inquit) *qui ingreditur hunc mundum, ex hoc ipso quod in vulua Matris situs, materiam corporis ab origine paterni seminis sumit, in patre & matre contaminatus dici potest: quia nemo mundus à sorde, nec si vnius diei fuerit vita ... Omnis ergo homo in Patre & Matre pollutus est, solus autem Dominus Iesus Christus, in hanc generationem mundum ingressus est, quia ipse solus ... non est ...* Hæc ibi supra. Et modicum infra etiam ait. *Solus Dominus ... quia nunquam peccauit, nunquam exiuit de Sanctis ...* Item & super lib. Numerorum Homil. 5. & ponitur in Glossa Origenis Numerorum 11. *In cæteris* (inquit) *sanctis requieuit Spiritus Sanctus, sed non sicut in Saluatore nostro: in quo non solum quieuit, sed tanquam præcipuum & singulare dicitur in eo semper mansisse, quod de nullo alio dictum est: de nullo enim alio dictum est, quia peccatum non fecit. Quia ergo ipse solus peccatum non habuit, ideò in solo ipso mansit, & permansit Spiritus Sanctus. Si autem ipse est de quo tanquam quid singulare & eximium hoc dicitur, peccatum non fecit: constat reliquos omnes aliquando fuisse sub peccato ... autem peccatis in eis Spiritum Sanctum mansisse, conuenienter dici non potest.*

In id ipsum obijciunt nobis Cyprianum Episcopum Carthaginensem (de quo etiam Bandellus loco vbi supra.) Qui floruit anno Domini 250. tempore Valeriani & Galieni, qui in epistola de Paruulis baptizandis, sic inquit. *Omnis paruulus ab Adam carnaliter propagatus, contagium mortis antiqua prima natiuitate contraxit.* Et lib. 3. ad Cirinum (te-

Origines.

Cyprianus Episcopus Carthaginensis.

ste Diuino Hieronymo lib. 1. & 3. contra Pelagium) etiam dixit: *neminem nisi solum Christum esse sine peccato.*

B. Cesarius Arelatensis Episcopus. 4. Ad idem adducitur Beatus Cesarius Arelatensis Episcopus, relatus per supradictum Bandellum loco vbi supra cap. 16. Qui floruit anno Domini 224. qui etiam in quodam sermone sic inquit. *Illud scire & intelligere debemus, quod ante aduentum Saluatoris nostri, diabolus regnabat in mundum, & omnes populi peccatores & iusti exeuntes de corpore in infernum descendebant, propter originale peccatum quod omnes ex Adam trahimus; sed quia vidit Deus quod totus mundus perierat, misertus est generi humano, & misit filium suum natum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, & immaculato sanguine suo nos à peccato liberaret.* Hæc vbi supra.

S. Theophilus Episcopus Alexandrinus. 5. Ad idem adducitur Sanctus Theophilus Episcopus Alexandrinus, quem etiam refert Bandellus prædictus loco vbi supra, cap. 14. Qui floruit anno Domini 280. vt dicit Ægidius Augustinianus in suo libro de Immaculata Virginis Conceptione, lib. 3. quæst. 4. art. 2. §. 1. num. 8. quamvis à Bandello citetur sub anno 385. tempore Valentiniani & Theodosij Imperatorum. Sed quidquid de hoc sit, Theophilus prædictus, super Lucam cap. 2. explicando illa verba *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui* Sic inquit. *Multa quidem fuerũt sancta mulieres, sed nulla prolem genuit sine peccato: ideò vt Beata Virgo ab alijs discerneretur, dictum est: & benedictus fructus ventris tui, quia ipsa sola Filium benedictum id est sine peccato concepit.* Hæc vbi supra.

B. Rectitius Augustudunensis Episcopus. 6. Ad idem adducitur Rectitius Augustudunensis Episcopus, relatus per Bandellum loco vbi supra, cap. 13. fuit autem anno 310. sub Imperatore Constantino, & in libro contra Nouatianos (& refert ipsum Diuus Augustinus lib. 1. & 2. contra Iulianum) dixit: *quod omnes homines (excepto Christo) antiquitèr criminis tenentur obnoxij.*

S. Athanasius Episcopus Alexandrinus. 7. Adducitur ad idem Sanctus Athanasius Episcopus Alexandrinus, relatus per eundem Bandellum loco vbi supra, cap. etiam 14. Qui floruit sub Constantio, anno Domini 340. & scribens super Lucam Christi Domini prærogatiuam super alios omnes homines, protestatur dicens: *quod ipse singulariter fuit sanctus, & in hoc ab alijs sanctis in sanctitate distinctus, quia sanctitatem simul cum natura suscepit.* Quod eius dictũ exponens Diuus Gregorius lib. 2. Moralium inquit. *In cunctis fidelibus Spiritus venit, sed in solo Christo singulariter mansit, quia eius humanitatem nunquam deseruit.*

B. Seuerus. 8. Adducitur ad idem Beatus Seuerus, relatus per Bandellum loco vbi supra. Qui floruit anno 344. & scribens super Matthæum loquendo de Christo Domino dicit. *Christus quem genuit Maria, hic est qui saluos facit omnes electos suos à peccatis eorum.* Item & scribens super Lucam inquit. *Beata Maria fuit eiusdem natura cum secundo Adam, qui solus sine peccato fuit, & peccatum mundi abstulit.*

9. Addu-

9. Adducitur ad idem Sanctus Hilarius Episcopus Pictauiensis, latus per Bandellum loco vbisupra, cap. 13. Qui floruit anno Domi 345. sub Constantio, tempore Iulij & Liberij Papæ, quieuit autē nporibus Valentiniani & Valentis, circa annum Domini 380 & in ro de Trinitate, vt refert Diuus Augustinus lib. 1. contra Iulianum ad Claudium cap. 4. dixit. *Quod omnis caro excepta illa quæ sine peccato sit in similitudinem carnis peccati, sub peccato originali; & sub peccati lege a estituitur vox hæc est: ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Item & scribens super Matthæum dixit. *Quod omnibus Christus venit, sed nemo iustus erat quando venit, quia omnibus ad item misericordia erat necessaria.* *Sanctus Hilarius Episcopus Pictauiensis.*

10. Adducuntur in idipsum Abraham Syrus, qui floruit anno Domini 340. & Theodorus Episcopus, qui floruit anno Domini 347. m & Sanctus Ephren Doctor Syrus, qui floruit anno 365. relati per prædictum Bandellum loco vbisupra, cap. 14. qui omnes sub eodem borum contextu dixerunt: *quod solus Christus Dominus fuit sine pecca-* Quod & similiter dixerunt Græcus Episcopus, & Titus etiā Episcopus, relati per Bandellum loco vbisupra. Quos omnes sic, non vero er referre libuit, quia omnes (vt prædictum est) idem omnino dixerunt, & sub eadem verborum forma, nec maiorem aliquam dictum qs quam alterius difficultatem expostulat. Quod similiter facere, vi est de auctoritatibus Olimpij, Diui Basilij, & Gregorij Niseni, iti per prædictum Bandellum loco vbisupra: quia omnes idem om ò dicunt, nec opus est vt dictis superfluis membranas adimpleas, quod & meo quidem iudicio consulto fecisse visus est Bandel- prædictus ad innanē quandam ostentationē, quasi Sanctorū aucto tum multitudine nos obruere atque opprimere voluerit; sed his nibus plenissime Deo dante fiet satis, vt infra suo loco patebit. *Abraham Syrus.*

11. Loco adducitur in idipsum Beatus Ambrosius Mediolanensis Episcopus, qui floruit tēporibus Valentiniani & Valentis, & Theo ij Imperatorum, ac Damasi Papæ, anno Domini 374. quieuit autē Archadio Principe, & Innocentio Papa. Qui quidem Ambrosius efert supradictus Bandellus loco vbisupra, cap. 10. in multis suæ ctrinæ locis constanter affirmat, Beatam Virginem aliquando sub cato fuisse: & solummodo Christum Dominum illo caruisse. Et ctis auctoritatibus quæ de Virgine sacra in particulari loquuntur suo loco adducantur) de Christo Domino specialiter verba fa- is Ambrosius prædictus, super Lucam cap. 2. vt illum etiam refert ius Augustinus lib. 1. contra Iullanum explicando illa verba: *quia masculinum ad aperiens vuluam sanctum Domino vocabitur:* sic inquit. *per omnia ex natis de fœmina, Sanctus in Conceptione fuit Dominus Iesus, terrena contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non sensit, & cœlesti maiestate depulit.* Idem dixit super Isaiam, vt allegatur à Beato Au- *D. Ambrosius Mediolanensis Episcopus.*

 gusti-

gustino, lib. 1. contra Iulianum, & lib. 1. de nuptijs & concupiscentia. Cuius sunt quæ sequuntur verba. *Omnis homo mendax, & nemo sine peccato, nisi unus solus Deus. Seruatum est igitur ut ex viro & muliere per illam corporum mixtionem, nemo conceptus expers sit delicti, qui autem expers est, debet expers esse & huiusmodi conceptionis.* Idem dixit in libro de Arca Noe, ut etiam allegatur ab eodem Augustino lib. 2. contra Iulianum, ubi inquit. *Per unum hominem Iesum salus nationibus ventura declaratur; qui solus potuit iustus in conceptione esse, cum omnis generatio hominum erraret, nisi natus ex Virgine generationis obnoxiæ vincula minime teneretur.* Item idem in eodem. *Solus Christus in conceptu Dei iustus apparuit, de quo non iam cum exceptione dictum est non peccauit in labijs, sed peccatum non fecit. Omnes enim sub peccato nascimur, & ille qui præ cæteris iustus putabatur, dicat. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, &c.* Quæ supradicta verba explicans Diuus Augustinus loco ubi supra, inquit. *Beatus Ambrosius solum Christum eo quod natus sit ex Virgine, à vinculis obnoxiæ generationis excepit. Cæteris omnibus ex Adam sub peccati obligatione nascentibus.* Item & prædictus Diuus Ambrosius, libro contra Nouatianos, ut ipsum recitat Augustinus lib. 2. contra Iulianum, & lib. 2. de gratia & peccato originali: *Omnes (inquit) homines sub peccato nascimur, & ipse noster ortus in vitio est, dicente David: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea: Christi autem caro damnauit peccatum, quod nascendo in se non sensit, quod moriendo crucifixit, vt in carne nostra esset iustificatio per gratiam, ubi erat antea colluuio per culpam.* Multas alias Diui Ambrosij auctoritates affert [illegible] prædictus ubi supra, quæ cum omnes idem omnino dicant, [illegible] libuit illas huc inde transcribere, cum facile videri [illegible] ibidem: [illegible] vero quamuis non videantur parum referre. Nam [illegible] similem difficultatem contineant, & simili etiam contentæ [illegible] solutione.

D. Hieronymus. [illegible] adducitur ad idem Diuus Hieronymus, citatus per supradictum Bandellum loco ubi supra, qui & floruit anno Domini 380. temporibus [illegible] & Valentini[ani], & Theodosij Imperatorum, & Liberij & Damasi Papæ, qui obijt autem sub Archadio, annos 91. habens. Cuius quidem quinque refert auctoritates ad probandum [illegible] esse [illegible] singularem [illegible] Domini, fuisse post [illegible] originali peccato. [illegible] in primis super [illegible] illa verba [illegible] Vbi sic ait: *[illegible] est anima Christi, quia sola [illegible] fuit.* Et in epistola ad Theophilum de [illegible]: *[illegible] Christus (inquit) [illegible] peccatum [illegible]* Item & super epistolam ad Galatas, explicans illa verba: *Conclusit omnia sub peccato. Nullus (inquit) homo est sine peccato: sed conclusit Deus omnes homines sub peccato, vt omnibus misereatur, excepto eo solo qui peccatum non fecit.* Item & libro secundo contra Pelagium Hæreti-

reti-

ticum: *Iustos* (inquit) *homines posse esse concedo, sine autem omni peccato neminem posse esse affirmo. Etenim absque omni peccato esse, soli Christo competit: vniuersa humana creatura peccato subiacet, & indiget Dei misericordia.* Item & epistola ad Laurentium Episcopum. *Christus* (inquit) *torcular calcauit* [illegible] *quia ipse solus est qui peccatum non habuit: & per suam misericordiam peccatum mundi abstulit.* Idem dicit scribendo ad Helbidium. *Pecca(u)imus* (inquit) *homines, & nemo mundus à peccato nisi Christus, qui peccatum nullum* [illegible]*buit.* Idem tenet in epistola ad Algasiam., & super Cantica, vbi ait: [illegible] *solus Dominus Iesus peccatum nullum habuit, qui & solus fuit inter mortuos liber.*

13. Adducitur à Bandello prædicto, Diuus Augustinus lib. de na[tu]ra & gratia, vbi post alia sic ait. *Quamuis caro illa Christi, cuius excel*[len]*tia singularis verbis explicari non potest, antequam esset verbo vnita obnoxia* [fu]*it peccato in Maria, & etiam in alijs, à quibus propagatione traducta est,* [qu]*a tamen sine vlla libidine concepta est: ideò caro Verbi non fuit in Christo obli*[ga]*ta peccato.* Et infra. *Assumpsit enim non carnem peccati, sed similitudinem car*[nis] *peccati. Accepit enim Verbum carnem peccatricis similem in pœna, & nõ in cul*[pa]. *Cætera enim hominum caro, peccati caro est. Sola illius non est caro peccati: quia* [no]*n eam mater concupiscentia, sed gratia concepit.* Et infra. *Licet ergo eadem sit* [car]*o Christi, quæ & nostra: non tamen ita facta est in vtero, sicut nostra. Est enim* [sa]*nctificata, & nata in vtero sine peccato, nec ipse in illa vnquam peccauit. In pœ*[na] *ergo est similis carni nostræ, non autem in qualitate peccati, quia pollutionem* [illegible] *ex concupiscentia motu est omninò non habuit: nec ex carnali delectatione* [con]*cepta fuit.* Hæc vbi supra. Floruit autem Diuus Augustinus tempo[rib]us Archadij & Honorij, & Innocentij Primi: & quieuit tempore [Th]eodosij Iunioris, anno Domini 440. habens ætatis annos 76. cum [se]disset in Episcopatu 42. vt refert Bandellus loco vbisupra, cap. 14. [It]em Diuus Augustinus libro, quando, cur & quomodo Deus homo, [ca]p. 10. ad idem propositum sic inquit. *Sciebant sancti Patres quod post* [illegible] *nemo ex eius stirpe more naturali propagandus erat, qui* [v]*el alios erigere valeret, nisi ille de sursum veniret, qui virtute diuinitatis de* [illegible] *humanitatem sine peccato acciperet, cum qua homines peccato po*[si]*tos erigeret.* Item in eodem cap. 61. *Si forte aliquis per hominem* [illegible] [illegible] *quod de stirpe* [illegible] *nullus naturaliter propagari poterat, qui illius delicto non teneretur* [illegible] *& ideò quilibet tanto minus vniuersale chirographum delere posset quã* [v]*niuersale vel propria culpa* [illegible]. Idem libro quinto contra Iu[lia]num. *Quod est* (inquit) [illegible] *Christi caro de Maria nata est;* [illegible] *Christi* [illegible] *& credis sine vlla distinctione dixisse Apostolum, Christum fuisse missum in* [simi]*litudinem carnis peccati. Imo potius instas, quod nulla sit caro peccati. Sed dic* [illegible] *quid sit similitudo carnis peccati, si nulla est caro peccati? Sed haue*

D. August.

Apostolicam sententiam me non intellexisse dixisti, nec tamen eam exposuisti, vt te docent, disceremus: quomodo aliqua res potest esse similis ei quod nullo modo est? Quod si dementis est hoc dicere, & sine dubio caro Christi non est caro peccati, sed similitudo carnis peccati: quid restat nisi vt intelligamus (ea excepta) omnem reliquam carnem humanam esse carnem peccati? Et hinc apparet illam carnis concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse in humano genere propagationem peccati, quia Mariæ corpus quamuis ex tali concupiscientia venerit, non tamen eam traiecit in corpus, quod non inde concepit. Cæterum corpus Christi inde dictum est venisse in similitudinem carnis peccati, quia omnis alia hominum caro, est caro peccati. Quisquis hoc negat, & carnem Christi comparat carni cæterorum hominum nascentium, vt vtranque asserat esse æqualis puritatis: detestandus hæreticus inuenitur. Peccatum enim originale in omnes homines per concupiscentiam transijt: in illam autem solam carnem transire non potuit, quam non ex illa Virgo concepit. Adam enim occulta tabe carnalis concupiscentiæ, tabificauit in se omnes de sua stirpe venturos; carnem autem Christi non tabificauit, quia in eius conceptu concupiscentia non fuit. Caro itaque Christi mortalitatẽ de mortalitate materni corporis traxit, contagium autem originalis peccati ab ipsa non accepit, quia etiam coeuntis concupiscientiam non inuenit. Natura enim hominis Christi, naturæ nostræ similis fuit: sed in vitio nostræ dissimilis extitit: ipse enim sine vitio natus est homo: a quo vitio immunis hominum inuenitur nemo. Hęc vbi supra. Super quæ verba annotat Bandellus prædictus, per carnem peccati intelligere Diuum Augustinum hominem vel naturam hominis habẽtem peccatum, pro parte denominans totum. Postquæ addit ex eodẽ Augustino lib. 1. de baptizandis paruulis: *quod similitudo carnis peccati, est illa in qua fuit pœna sine culpa: caro vero peccati est in qua fuit culpa & pœna.* Multas alias ex eodem Diuo Augustino affert Bandellus prædictus auctoritates ad idem, aduertendo quod in illis omnibus, haudquaquã excipienda est Beata Virgo, & inferendo ex eo eandem dicẽdum esse carnem peccati. Sed cum omnes idem omninò contineant, atque eandem difficultatem exposcant, ex illis haudquaquam libet plures adducere, & membranas implere, prædictæ sufficiant.

D. Chrysosto. Constantinop. Episcopus.

14. Loco adducitur ad idem. Diuus Chrysostomus Episcopus Constantinopolitanus, citatus per Bandellum prædictum loco vbi supra, cap. 13. qui floruit anno Domini 396. & factus fuit Episcopus, anno 397. sub Arcbadio Imperatore, sub quo & quieuit. Prædictus igitur Chrysostomus in Homil. ad Olimp. prout refert D. Augustin. lib. 1. contra Iulianum, sic inquit. *Quoniam Adam peccauit, illud graue peccatum omne genus humanum ab ipso seminaliter propagatum in commune damnauit: propter quod & eos qui immortales esse poterant, esse fecit mortales.* Super quæ verba subiungit Diuus Augustinus loco vbi supra. *Vnde ergo paruuli moriuntur, si peccato primi hominis obnoxij non sunt?* Item idem Chrysostomus super Ioannem. *Admiranda est* (inquit) *certe Christi singularis excellentia, quia nullus homo veraciter dicere potuit, quis ex vobis arguet me de*

peccato?

peccato? Nisi solus ipse qui peccatum non fecit.

15. Adducitur ad idem Diuus Gregorius Nazianzenus Episcopus, qui floruit anno Domini 346. relatus per Bandellum prædictum loco vbi supra, capit. 14. Qui quidem Gregorius agendo de Christo Domino sic ait. *Solus Christus singulariter sanctus esse dicitur, quia in eo solo de feminea state culpa, nihil inuenitur.* Ex quo loco infert Bandellus prædictus, singularem prærogatiuam esse ipsius, solùmodo fuisse sine peccato. *D. Gregorius Nazianzenus Episcopus.*

16. Adducuntur in id ipsum, Sanctus Seuerianus Episcopus, Cassianus, Sedulius, & Cyrillus Episcopus Alexandrinus, qui floruerunt circa annum 420. plus minusve, relati etiam per Bandellum loco vbi supra, cap. 14. & 15. Qui omnes vno ore dixerunt: *solummodo Christum Dominum esse Immaculatum, & sine peccato, & præter ipsum Adamum primum nostrum parentem, totum humanum genus ab eo seminaliter descendens, suo peccato infecisse.* Quorum omnium auctoritates sic in vnum libuit recolligere, quia idem omninò dicunt, & non aliquam maiorem expostulant difficultatem, similique contentæ erunt solutione. *S. Seuerianus Episcopus.*

17. Adducitur Sanctus Leo Papa, qui floruit anno Domini 440. & refertur à Bandello loco vbi supra, cap. 15. qui prædictus Leo sermone de Natiuitate Domini, sic inquit. *Sine virili semine editus est Christus de Virgine, quam non humanus coitus, sed Spiritus Sanctus Angelo testante fœcundauit: & cum in omnibus matribus non fiat sine peccati sorde conceptio: hæc sola inde purgationem traxit, vnde concepit.* Et infrà. *Quo enim Patrum seminis transfusio non peruenit: peccati se illic origo non miscuit.* Et infrà. *Assumpta est de Matre Domini natura, non culpa.* Idem in sermone quarto Natiuitatis. *Terra* (inquit) *carnis humana quæ in primo fuerat præuaricatore maledicta, in hoc solo Virginis partu, fructum edidit benedictum, & à vitio suæ stirpis alienũ.* Idem in sermone octauo Natiuitatis inquit. *In totius humani generis strage communi, vnum solum fuit remedium, quod posset subuenire prostratis: si aliquis filiorum Adam originalis præuaricationis alienus atque innocẽs nasceretur, qui cæteris exemplo prodesset, & merito. Sed quia hoc naturalis generatio non sinebat, nec poterat vitiata radicis sine semine propago esse: Dominus factus est filius Dauid, & de promissi generis fructu proles est orta sine vitio.* Idem omninò dicit in quàm pluribus alijs suæ doctrinæ locis, & solùmodo Christum Dominum fuisse sine peccato. *S. Leo Papa.*

18. Adducuntur ad idem, Beatus Fulgentius Africanæ Prouinciæ Episcopus, & Beatus Prosper etiam Episcopus Regiensis, & Beatus Maximus Episcopus, & Beatus Petrus Tripolitanus, qui floruerunt circa annum Domini 460. plus minusve: & referuntur à Bandello loco vbi suprà, cap. 15. qui omnes etiam vnanimiter dicunt: *Solum Christum fuisse sine peccato, & quod vt nos à peccato liberaret, mortẽ sustinuit.* Quorum etiam auctoritates sic vnũ libuit recolligere, quia nihil amplius dicunt, nec maiorem aliquam expostulant difficultatem. *S. Fulgentius Episcopus Africanus, & alij.*

19 Addu-

Boetius, & Cassiodorus.

19. Adducuntur ad idem Boetius & Cassiodorus, qui floruerunt circa annum 520. plus minusve, & referuntur etiam à Bandello loco vbi supra, cap. 15. Quorum etiam auctoritates (vt videri poterit ibidem) nihil aliud omninò continent quam superius dictæ, nempe. *solum Christum fuisse sine peccato.* Et cum non peculiarem aliam difficultatem expostulent, haudquaquam libuit huc inde illas transcribere, videantur ibidem.

D. Greg. Pp.

20. Adducitur ad idem Diuus Gregorius Papa, qui floruit anno 589. tempore Mauritij Imperatoris, & quieuit anno secundo Fochæ, cum 14. annis sedisset, & refertur à Bandello loco vbi supra, capit. 12. Qui quidem Gregorius lib. 11. Moralium circa finem, sic inquit. *Solus Christus in carne sua mundus à peccato extitit, quia huc per carnalem delectationem non venit.* Et lib. 9. explicando illa verba Iob. *Non est qui vtrumque valeat arguere* (inquit). *Dei Filius per Incarnationẽ Redemptor humani generis factus: solus iustus in hominibus apparuit. & ad pœnam culpæ solus sine culpa peruenit.* Idem lib. 18. Moralium explicando illa verba Iob cap. 18. *Non adæquabitur ei Topatium. Nos* (inquit) *& si sancti efficimur: non tamen sancti nascimur, quia naturæ corruptibilis conditione constringimur, vt cum Propheta dicamus. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum; & in peccatis concepit me mater mea. Ille autem solus veraciter sanctus est natus, qui vt ipsam naturæ corruptibilis conditionem vinceret, ex commixtione carnalis copulæ non est conceptus.* Super quæ verba adnotat Bandellus prædictus, quod Diuus Gregorius hic vtitur verbo *nasci*, pro *concipi*. Alias (inquit) falsum esset quod dicit, cum Hieremias & Sanctus Ioannes Baptista, & Beatissima etiam Virgo sancti nati sint. Plures alias eiusdem Diui Gregorij auctoritates adducit, quas breuitati studendo illinc transcribere non lebuit, quia omnes tendunt ad idem, eandemque difficultatem expostulant, & simili etiam contentæ erunt solutione.

D. Isidorus Episcopus Hispalensis.

21. Loco etiam adducitur ad idem Diuus Isidorus Hispalensis Episcopus, qui floruit circa annum 614. & refertur à Bandello loco vbi supra, capit. 16. qui quidem in primo libro suarum Sententiarum, cap. 12. & 14. sic inquit. *Ex primo homine est in omnes filios eius culpa propagata: sicut enim ex prima præuaricatione per illum mors, ita & peccatum in omnes homines originaliter pertransijt.* Et post pauca, *Christus* (inquit) *in forma serui Dominus est omnium hominum, propter suæ Conceptionis excellentiam, quia & si suscepit carnem, non tamen ex carnis libidinosa contagione. Dum enim iaceremus omnes sub reatu culpæ, venit medicus & vulnus nostrum satisfecit atque curauit.* Idem etiam vbi supra. *Christus* (inquit) *peccatum quod pœna dignum est, non assumpsit, sed pœnam peccati nostri in se suscepit: vt per indebitam pœnam suam, ablueret debitam culpam nostram. Et per hoc diabolus amitteret, quos reos tenebat: dum vnum occideret, qui nihil in se peccati haberet. Nam si innoxius Christus non occideretur, homo per præuaricationem diabolo subditus, non absolueretur.* Item idem in quodam sermone Natiuitatis Domini. *Quia* (inquit)

primus parens cecidit, & in omnem posteritatem suam peccati radicem transfudit, adeô Dei Filius assumpsit humanam naturam sine peccato: suscipiens quod non erat, vt liberaret quod fecerat. Multas alias Sanctorum Patrum auctoritates adducit Bandellus prædictus ad idem, quia tamen illæ non ita loquuntur in communi & in generali, quinvero in particulari de Virgine sacra quod peccatum originale contraxerit, seu quod fuerit mundata (quod culpam & maculam præsupponi) aut vero expresse tenere videntur eiusmodi Sancti Patres sententiam nostræ contrariam: consulto in præsentiarum prætermittuntur, vt in proprijs suis locis siue ordinibus ponantur quod statim fiet.

Auctoritates secũdi ordinis, quibus in particulari insinuari videtur S. Virginem originale peccatũ contraxisse

Inter Sanctorum Patrum auctoritates prædictas, quæ sequuntur ponuntur â Bandello, quibus in particulari insinuari videtur Virginẽ sacram originale peccatum contraxisse.

D. Augustinus.

Primo adducitur auctoritas Diui Augustini, relati per Bandellum loco vbisupra, cap. 9. super Psalmum 34. vbi ait. *Adam mortuus est propter peccatum, Maria ex Adam mortua est propter peccatum: caro autem Domini ex Maria mortua est propter delenda peccata.* Idem in lib. Hyponost. contra primam blasphemiam Pelagij, sic inquit. *Christus de peccato damnauit peccatum in carne: quia de humana videlicet carne peccatrice, carnem absq; culpa suscipiens, & hanc innoxiam crucifigens, peccatum quod nos damnauerat per inobedientiam Ada, pro nobis patiendo damnauit.* Idem in lib. 2. de Baptismo paruulorum. *Non est* (inquit) *in filijs hominum, nec fuit neque erit, qui nullo vnquam peccato fuit obstrictus, aut ad iustitiam non ex peccato perueneris, excepto vno mediatore per quem finitis peccatorum inimicitijs, reconciliamur Deo. Solus ergo ille etiam homo factus manens Deus, peccatum vllum nunquam habuit, nec sumpsit carnem peccati, quamvis de materna carne peccati. Quod enim inde suscepit, illud profecto suscipiendo mundauit.* Hæc vbisupra. Quam prædictam Diui Augustini auctoritatem exponens Hugo de Sancto Victore in lib. suarum Sententiarum, sic dicit. *Quod caro Christi prius fuit in Maria obligata originali peccato, sicut Augustinus ait: sed operatione Spiritus Sancti antequam à Dei Verbo assumeretur: fuit à peccato mundata.*

Eusebius Emisenus.

2. Adducitur ad idem Eusebius Emisenus, relatus per Bandellum loco vbisupra, cap. 14. Qui sermone secundo de Natiuitate Domini, loquens ad Virginem, sic inquit. *Initiator omnium rerum Deus, abs te initiatur, & sanguinem pro mundi vita fundendum de corpore tuo accepit: ac de te assumpsit, vnde etiam pro te solueat.* Et infra. *A peccati originalis nexu nullus immunis extitit, neque etiam ipsa Genitrix Redemptoris: solus enim Christus, licet de debitrice nascatur, legis veteris debito non tenetur.* Hæc ille.

D. Ambrosius.

3. Adducitur ad idem Diuus Ambrosius, relatus per Bandellum vbisupra, cap. 10. super Psalmum. *Beati immaculati in via*: vbi ait. *Nemo hominum sine peccato fuit, nisi solus Dominus Iesus: quem non cognoscentem peccatum, sacrificium fecit pro nobis Pater... Venit enim Dominus Iesus, & in carne quæ peccato in matre fuerat obnoxia, militiam virtutis exercuit.* Idem super,

 epito-

epistolam ad Romanos cap. 8. *Misit* (inquit Apostolus) *Deus Filium suũ in similitudinem carnis peccati, quia cum eadem sit caro Christi secundum substantiam, sicut caro nostra: non tamen ita nata est in vtero, sicut caro nostra. Est enim sanctificata, & nata in vtero sine peccato: & etiam ipse in illa nunquam peccauit. Ideò enim Virginalis vterus electus est ad conceptum Dominicum, vt in sanctitate differret caro dominica à carne nostra. Propterea enim similem dixit. quia de eadem substantia carnis venit, sed in eadem qualitate peccati concepta non fuit. Expiata est caro Domini à Spiritu Sancto in Virgine, vt in tali corpore nasceretur quale fuit corpus Adæ ante peccatum*

D. Chrysosto. 4. Adducitur ad idem Diuus Chrysostomus, adductus per Bandellum loco vbisupra, cap. 13. Qui super Matthæum, sic ait: *Quamvis Christus non fuerit peccator, naturam tamen humanam de peccatrice suscepit,*

B. Erardus Episcopus. 5. Tamen & vltimo adducitur ad idem Beatus Erardus Episcopus & Martyr, relatus per Bandellum loco vbisupra, cap. 17. Qui in sermone quod in Natiuitatis Beatæ Virginis, sic ait. *O fœlix puella, quæ concepta in peccato, purificatur ab omni peccato: & postea Filium concepit sine peccato.*

Auctoritates tertij ordinis, quibus sacra Virgo mundata dicitur. In tertio ordine ponuntur Sanctorum Patrum auctoritates, quibus sacra Virgo mundata dicitur, quod quidem culpam & maculam videtur præsupponere.

Remig. Archiepiscopus Remensis. Primo adducitur Remigius Archiepiscopus Remensis, citatus per Bandellum loco vbisupra, cap. 15. Qui super Psalmum: *Deus Deus meus respice in me,* inquit. *Beata Virgo Maria mundata fuit ab omni peccati macula, ita vt ex ea conciperetur sine peccato homo Christus Iesus. Sicut enim peccatum originale ad nos venit statim in ipsa conceptione, ita & in principio conceptionis, diuinitas verbi est vnita homini illi, per quem mundus ab omni peccato mũdatus est.*

B. Maximus Episcopus. 2. Adducitur ad idem Beatus Maximus Episcopus, relatus per Bandellum ibidem. Qui in quodam sermone de Assumptione Beatæ Virginis, sic ait. *Beata Virgo gloriosa fuit in vtero Matris sanctificata, & ab omni contagione originalis culpæ, antequam nasceretur per Spiritum Sanctum mundata.*

Beda. 3. Adducitur ad idem Venerabilis Beda, relatus per Bandellum vbisupra, cap. 16. Qui in homilia super Missus est, sic inquit, & ponitur in Glossa Ordinaria: *Spiritus Sanctus superueniens in Virginem, mentem eius ab omni vitiorum sorde castigauit, & ab omni æstu carnalis concupiscentiæ, cor eius temperauit atque mundauit.*

D. Ildephonsus Archiepiscopus Toletanus. 4. Adducitur ad idem Diuus Ildephonsus Archiepiscopus Toletanus, relatus per Bandellũ loco vbisupra, cap. 17. Qui in libro de Virginitate Mariæ, sic inquit. *Sancta Virgo nisi in vtero matris sanctificata fuisset, minime eius natiuitas colenda esset: nunc autẽ quia auctoritate totius Ecclesiæ celebratur, constat illam* (sanctam scilicet natiuitatem) sic enim hunc locum

cum intelligit Bandellus prædictus: *ab omni originali peccato esse immunem. Nullis ergo postquam nata est Beata Virgo, delictis subiacuit: nec originale peccatum iam in vtero sanctificata contraxit* (id est nascēdo secum traxit) quem locum, sic etiam intelligit Bandellus. Licet (inquit) aduersarij illum allegent pro se, qui etiam est contra eos. Aliæ multæ auctoritates adducuntur ad idem, sed cum omnes idem omninò dicant, nō est cur à nobis sine causa referantur, & inutiliter membranas ad impleamus, cum eadem sint solutione contentæ, vt infra suo loco videbitur.

Tandem vltimo atque in quarto, ordine adducuntur auctoritates, quibus (vt contrarijs videtur) expresse & manifeste asseritur sacram prædictam Virginem in originali peccato fuisse conceptam.

Auctoritates quarti ordinis asserentes expresse & manifeste (vt contrarijs videtur) prædictā B. Virginē in peccato originale fuisse conceptam.

Primo adducitur Diuus Anselmus Cantuariensis Episcopus, relatus per Bandellum loco vbisupra, cap. 17. Qui floruit circa annum Domini 1067. tempore Regis Guillelmi in Anglia, à quo etiam & pro Dei Ecclesia multas tribulationes passus est. Et in libro secundo cur Deus homo, cap. 16. loquens de Christi Domini conceptione, sic inquit. *Nam licet ipsa Christi conceptio munda sit, & absque carnalis delectationis peccato: Virgo tamen ipsa vnde assumptus est, in iniquitatibus concepta est, & in peccatis concepit eam mater eius, & cum originali peccato nata est.* Idem in eodem loco. *Virgo* (inquit) *illa de qua homo ille sumptus est, de illis est qui ante natiuitatem eius per eum mundati sunt à peccatis, & in ipsa eius munditia de illa assumptus est.* Idem in suis meditationibus ad Deum loquens, sic inquit. *Animam gloriosæ Virginis Mariæ in macula culpæ originalis creasti: sed consequenter eam à primaria labe purgasti, & amictu munditiæ decorasti, & in sanctitatis puritate postea confirmasti.* Aliæ eiusdem Beati Anselmi auctoritates adducuntur à Bandello prædicto ad idem propositum, sed (vt intuenti patebit) non id ipsum adeò expresse dicunt, sed solùmodo, quod omnes homines ex Adā propagati in eo peccauerunt (vno excepto Christo) qui solùs fuit innocens, & nos omnes à peccato redemit. Quæ proinde auctoritates à me consulto prætermittuntur breuitati studēdo, quia illis iam multæ supra allatæ sunt similes. Ex quibus colligit Bādellus, quod epistola illa quæ cō muniter adducitur sub nomine Diui Anselmi, in qua miracula de Conceptionis festo narrantur, non est istius Anselmi, cum fuerit diu post prædictum Guillelmum Regem conscripta, & malitiose huic sancto Doctori ascripta. Quod etiam similiter dicit de alio libro, cui titulus de exordio humanæ salutis, qui etiam dicit quod non est eius, licet falso eidem ascribatur.

D. Anselmus Episcopus Cantuariensis.

2. Adducitur in id ipsum Beatus Bernardus Abbas, relatus etiam à Bandello prædicto vbisupra, qui floruit anno Domini 1140. obijt autem 1154. & in epistola ad Canonicos Lugdunenses, quæ numero

B. Bernardus.

est 174. post multa alia ad prædictum propositum, sic inquit. *Si igitur Beata Virgo ante conceptum minime sanctificari potuit, quoniam non erat: sed nec in ipso quidem conceptu propter peccatum quod inerat: restat vt post conceptum in vtero iam existens sanctificationem accepisse credatur, quæ excluso peccato sanctam fecerit natiuitatem. non autem Conceptionem. Quam obrem & si quibusdam vel paucis Filiorum hominum datum sit cum sanctitate nasci, nulli tamen donatum est cum sanctitate concipi, vt vni sane sancti seruaretur prærogatiua conceptus, qui omnes sanctificaret: solusque absque peccato veniens purgationem faceret peccatorum.* Et addit. *Solus itaque Dominus est de Spiritu Sancto conceptus, qui solus est in Conceptione Sanctus: quo excepto de cæteris vniuersos ex Adam natos peccatum respicit: quod vnus humiliter confitetur, dicens: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, &c.* Et subdit. *Cum hæc ita se habeant, quæ nam erit ratio festiua Conceptionis? Quo pacto (inquam) aut Sanctus asseritur conceptus, qui de Spiritu Sancto non est, ne dicam qui de peccato est, aut festus habebitur, qui minime sanctus est? Libenter ergo Virgo Regia hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falsa induci videtur sanctitas.* Hæc Diuus Bernardus vbisupra. Item idem in Sermone Assumptionis. *Beatam* (inquit) *Mariam, omnimode constat ab originali peccato, sola Dei gratia priusquam nasceretur, fuisse mundatam.* Item idem in alio Sermone de Assumptione. *Beata* (inquit) *Virgo hac singulari prærogatiua in concipiendo refulget: quia Filium non in iniquitate quemadmodum cæteræ omnes, sed superueniente Spiritu Sancto sola de sanctificatione concepit.* Item idem in Sermone Ioannis Baptistæ qui incipit. *Hodie dilectissimi illuxit dies:* sic ait. *Quicunque de massa præuaricatrice mundum ingredimur, pestem originalis peccati nobiscum trahimus: solus ille qui peccatum non fecit excipitur, quem Virginalis aluus ignorante viro terris effudit.* Idem etiam in eodem. *Cum homines* (inquit) *præter Christum in iniquitatibus concepti sint: neminem mortalium infra materna viscera legimus sanctificatum, præter Hieremiam, & Ioanem Baptistam: quamquam de singulari Virgine nulla sit ambiguitas: quin & ipsa maternis circunsepta visceribus, sublimioris sanctificationis gratia mundata sit, vt non solum à peccatis abluta, & repleta Spiritu Sancto: sed & de Spiritu Sancto postea filium concepisse credatur.* Post quæ addit. *Vides ergo quam singulari prærogatiua & remotiori priuilegio, speciosus forma præ filijs hominum in Conceptione ab alijs discretus sit? Illi etenim in peccatis & de peccatis concepti sunt hic de Spiritu Sancto, & in Spiritu Sancto concipitur.* Hæc prædictus Bernardus vbisupra.

Sed his nihilo minus, alijsque superius adductis non obstantibus, in contrarium est statuenda Conclusio, quã satis apertè atque plenitissime monstrabimus, Virginem sacram in primo suę Conceptionis instanti habuisse gratiam, & sententiam quæ dicit eam ab originali peccato fuisse præseruatam, multum esse conformem dictis ac communi modo loquendi Sanctorum Patrum: nam quamvis omnes superius di

ßi Patres, à Caietano, Cano, sed maxime à Bandello prædicto pro alia in contrarium parte adducantur: ipsi tamen non nisi communiter & generaliter loquuntur, habito respectu ad vniuersales Sacræ Scripturæ regulas, non faciendo mentionem de speciali priuilegio ex diuina gratia Virgini sacræ concesso: propter rationem quæ latius inferius dicetur: etsi qui in particulari de eadem loquuntur, aut contrariam sententiam aperte & expresse tenere videntur: ad saniorem mẽtem reducti, sententiam postea mutarunt: aut eorum dicta congruentissimam habent solutionem & interpretationem, vt latius satis aperte patebit, infra in responsione ad omnes superius adductas auctoritates. Sit igitur Conclusio.

Conclusio.

DICERE sacram Virginem à peccato originali fuisse præseruatam, haudquaquam est contrarium, quinvero multum consonũ atque conforme, dictis & communi modo loquendi Sanctorum Patrum, si bene intelligantur ac debite explicentur: & magis consonum quam oppositum. In huius conclusionis probatione aliquantulum immorari oportet, vt occurramus oppositionibus contrariorum, qui deficientibus sibi rationibus vrgentibus & concludentibus, Doctorum auctoritatibus freti, earundem multitudine (vt apparet) nos volunt quasi obruere: sed non quidem hoc ita fiet, nam & nos etiam tantis Sanctorum Patrum, antiquorum atque recentiorum testimonijs sententiam nostram & conclusionem prædictam confirmabimus, vt ipsi confundãtur, nosq; illis iure optimo dicere possimus, illud quod habetur 4. Regum 6. *Nempe plures esse nobiscum, quã contra nos.* Et quia vt in huius quæstionis initio diximus nostram illi doctrinam nouam esse dicunt, idque nobis improperant ac vitio tribuunt, quod in medium afferamus rem hactenus inauditam & à paucis probatam: in cõtrariũ nos omninò monstrabimus, qualiter re altius perspecta ac plene considerata, non solum post tempora Christi Domini, verum etiam & multo ante, huius mysterij immaculatæ Beatæ Virginis Cõceptionis, (needum aliqualis) quinvero expressa & explicita habita fuerit notitia, & prædicta sacra Virgo suæ puritatis & immunitatis plures habuit non solum assertores, verum etiam & egregios prædicatores, propugnatores & defensores.

Dicere Virginem sacram à peccato originali fuisse præseruatam, haudquaquã est contrarium dictis & communi modo loquẽdi Sanctorum Patrum: quinvero eisdẽm multum cõsonum, & magis quã oppositum.

Et præter illud quod refert Galatinus lib. 7. contra Iudæos, cuius testimonium hac in re haudquaquam parui faciendum est: quinvero quamplurisæstimandum, memeque tenendum: nempe in antiqua olim Sinagoga inter Rabinos receptissimam fuisse sententiam, quod Messiæ Mater futura erat prorsus immunis ab omni culpa & peccato originali, pura atque munda: quammaxima est consideratione dignum

Quã antiqua habita fuerit notitia huius mysterij immaculatæ Virginis Conceptionis.

num. Id quod refert Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus, Carmelitani Ordinis insignis quondam pater, in libro de institutis Monachorum cap. 32. & habetur in octauo tomo Bibliothecæ Patrum, nempe Sanctum Eliam inter alia Christi mysteria quæ à Deo accepit, ac discipulis suis reuelauit, hoc fuisse vnum: *quod futura erat quædam infantula quæ ex vtero matris suæ ab omni peccato nasceretur munda. Quod quidem* (inquit) *Deus eidem reuelauit, media quadam visione qua puer cum quo Elias loquebatur, de mari vidit quandam paruulam exurgere nubeculam, quasi vestigium hominis (quæ Virginem sacram designabat) nascituram fore ex natura humanâ peccatrice, sine peccato tamen.* Hanc traditionem atque reuelationem à tempore Eliæ vsque ad Christi tempora permansisse, auctores testantur grauissimi: sed maxime Polidorus lib. 1. Antiquitatum Heremitarum montis Carmeli, cap. 5. & 6. & Iosephus Antiochenus in lib. de perfecta militia primitiuæ Ecclesiæ cap. 12. & Gilbertus Gerblatensis in Chronico Hierosolymitano, ac tandem supradictus Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus, loco vbi supra, cap. 32. & 33. vbi & dicit vltimos illos Eliæ successores, in monte Carmelo fidem Christi Domini suscepisse, & anno eiusdem Christi 83. in eodem monte & loco vbi Elias prædictus nubeculam illam vidit, capellam quandam in honorem prædictæ sacræ Virginis extruxisse. Quo præclaro grauissimi viri ac tanti Patriarchæ testimonio, non solum probatur multo ante tempora Christi Domini (à tempore scilicet Eliæ, qui præfuit fere duobus mille annis) traditionem prædictam viguisse, quod scilicet Beata Virgo apparitura erat mundo munda, & ab omni prorsus peccato libera, exorta licet fuisset ex natura humana peccatrice: verum & quod à tempore Apostolorum, anno post Christum 83. in honorem Immaculatæ suæ Conceptionis, templum siue capellam fuisse sibi ædificatam atque constructam. Qui hac de re plura atque innumera notatu dignissima videre voluerit, consulat Petrum de Oxeda è Societate Iesu, in informatione quam fecit pro Immaculata prædictæ Beatæ Virginis Conceptione. Ex quibus facile videri poterit, quam prorsus absque ratione Doctores contrariæ sententiæ & opinionis, nobis vitio tribuant atque improperent, quod doctrinam sequamur nouam, & dicamus rem hactenus inauditam: cum (vt prædictum est) altissimi huius mysterij à diebus Eliæ multo ante tempora Christi Domini, habita fuerit adeò expressa & explicita notitia. Nec vero illis quidquam prodesse poterit dicere, verba illa ab Elia superius dicta, *ex vtero matris suæ*, intelligenda esse de sacræ Virginis natiuitate, quando scilicet nata est ex vtero matris suæ Beatæ Annæ; nam (vt satis ex eisdem colligitur) haudquaquam intelligenda sunt solummodo de eiusmodi natiuitate (de qua non est controuersia) sed de Conceptione siue natiuitate ex vtero humanæ naturæ (quæ est omnium nostrum Mater) ex cuius vtero egredimur siue nascimur, cum primum concipimur. Quæ

verum

verum esse illorum verborum sensum, facile colligi potest ex verbis sacri textus 3. Reg. 18. quando dictũ fuit nubeculam quandam paruã quasi vestigium hominis, visam fuisse ab Elia descendentem de mari: quod fuit ac si expressius diceretur, visam fuisse sacram prædictam Virginem in prima sua Conceptione, ex humana natura tanquam ex matre peccatrice seu mari quodam salobri, egredientem absque vlla tamen prorsus salsuginis, siue originalis peccati labe. Quod multum est notandum, ac memoriæ commendandum.

Sed dimissis illis antiquis Ecclesiæ temporibus, & deueniendo ad antiquos etiam Patres qui in sancta nostra Ecclesia à tempore Christi Domini floruerunt, in nostræ etiam conclusionis confirmationem.

Exeat primus Sanctissimus Apostolus Andreas, Petri Apostoli Germanus frater, qui vt habetur Ioannis primo, primus inter Apostolos fuit Christum sequutus. Hic (vt refert Abdias Babylonicus, lib. 4. suæ Historiæ Ecclesiast.) de Christo Domino & sacratissima eius Matre loquendo, post alia in sequentia verba prorumpit. *Sicut de Immaculata terra & nunquam maledicta, factus fuerat primus homo, ita ex semper Immaculata Virgine, formatus fuit secundus Adam.* Supradicta verba à Canisio lib. 1. de Maria Deipara cap. 7. sub alio contextu dicta referuntur, quamvis omnia tendant ad idem, quæ sic se habent. *Et quoniam de Immaculata terra factus fuerat homo primus, qui per lignum præuaricationis mundo mortem intulerat: necessario de Immaculata Virgine natus est perfectus homo, in quo Dei Filius hominem reparauit.* Ex quibus sane verbis, dum Christus Dominus ab Andrea Apostolo de terra immaculata, & nunquam maledicta conceptus siue formatus fuisse dicitur, ex eiusdem sententia satis aperte colligitur, quod Virgo sacra originalem maculam minime contraxit, & originalis peccati maledictioni nunquam fuit subiecta. Quod etiam amplius colligitur ex vltimis verbis, quando ab eodem Apostolo dicitur, quod idem Christus natus est de prædicta Immaculata Virgine, ad eum modũ quo & primus homo Adam formatus fuit de immaculata terra. Nam sicut ille in hoc sensu de immaculata terra formatus dicitur, quia terra illa de qua formatus est nunquam fuit maledicto obnoxia; sic & Beata sacra Virgo, dum ab Apostolo immaculata prædicatur, in eum etiam sensum debet intelligi, quod scilicet nunquam fuit originalis peccati maledictioni subiecta: aliàs enim quonam modo, immaculata siue nunquam maledicta diceretur? Hoc certe in sententiæ nostræ confirmationem validissimum est argumentum. Et supradicta verba à prædicto Beato Andrea Apostolo Egeo proconsuli fuisse dicta, referunt Presbyteri Achayæ, de cuius libri veritate dubitari potest minime, vt testatur Bellarminus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, ad finem primi sæculi, pag. 36. vbi refert plures auctores qui libri eiusdem mentionem faciunt, & eiusmodi historiam.

Sanctus Andreas Apostolus.

storiam approbant, quæ & habetur apud Surium in vita prædicti Sancti Andreæ Apostoli.

S. Iacobus Maior Apost.

2. Post Andream Apostolum, in prædictæ nostræ conclusionis comprobationem, sequatur etiam Iacobi Apostoli Maioris testimonium: qui quidē quid de Virgine sacra & de ipsius puritate, & à peccato originali immunitate senserit, ac nostris Hispanis credēdum tradiderit, plane prodidit Beatus Thesiphon eiusdem discipulus, vt cōstat ex libris illis qui nuper in Ciuitate Granatensi, in antro montis Sancti (vulgo dicti *de Valparayso*) quasi preciosissimi quidam thesauri reperti sunt. De quorum etiam fide & veritate dubitare minime licet, & quanta sit illis fides adhibenda iam supra diximus, quæstione 14.

Thesiphon D. Iacobi Maioris discipulus, ex eiusdē doctrina.

Thesiphon ergo prædictus ex doctrina Iacobi Maioris sui Magistri, sacræ Virginis puritatem & à peccato originali immunitatem, ab Apostolis diffinitam fuisse testatur, & decretum Apostolicum ponit, quod (vt dicitur) tenoris fuit sequentis. *Illa Virgo, illa Maria, illa Sancta, præseruata fuit à peccato originali, in primo suæ Conceptionis instanti: & libera ab omni culpa: & qui ita non senserit, non consequetur salutem æternam.* Non hæc ex propria sententia dico, sed tantummodo refero relata. De eodem Thesiphone in altero volumine ibidem etiam dicitur, de mente & sententia prædicti Iacobi sui Magistri dixisse. *Quod Virginem sacram non tetigit primum peccatum, & quod Angelus haudquam illi dixisset, Aue gratia plena, si in originali peccato concepta fuisset.* Certe si prædicta vera sunt (vt & talia ea esse credo) nescio quid amplius ad præsens hoc propositum potuit vnquam desiderari, aut dici?

D. Iacobus Minor Apost.

3. Loco post Iacobum, sequatur etiam aliter Iacobus, cognomento frater Domini vocatus. Sequatur Maiorem Minor: licet non merito & dignitate, nec intuenda omnimoda sacræ Virginis puritate, & à peccato originali immunitate. Hic inquam (qui primus fuit Hierosolymorum Antistes, iuxta Eusebium in suo Chronico anno Christi 34.) in sacra sua Lythurgia quam (vt dicit) vidit, agnouit atque probauit Proculus Constantinopolitanus Patriarcha, qui in Ephesina Synodo contra Nestorium dimicauit, & in sexta Synodo Constantinopolitana cap. 33. sacræ Virginis munditiam & splendorem, sequentibus verbis cumulatissime celebrauit. *Dignum est vt te vere Beatam dicamus, Deiparam, semper Beatam, & omnibus modis irreprehensam, & Matrem Dei nostri.* Et post alia. *Commemorantes Sanctissimam, Immaculatam, Gloriosissimam Dominam nostram, Matrem Dei & semper Virginem Mariam.* Et infra. *Commemorationem agamus Sanctissimæ, Immaculatæ, & Gloriosissimæ, Benedictæ Dominæ nostræ Matris Dei, & semper Virginis Mariæ.* Notentur (obsecro) omnia supradicta verba: nam certe sunt summa animaduersione dignissima: semel atque iterum repetita, quibus Gloriosissima Virgo & Domina nostra, toties Immaculata dicitur atque prædicatur: quæ certe cognomina omnimodę suę puritatis clarissima sunt testimonia.

Et ne quis de prædicti Apostoli mente addubitet, dubitareve audeat, audiat eundem post consecrationem, & post alias preces ita exclamantem & dicentem, mentemq; suam hac de re, vel clamoribus aperientem. *Præcipue Sanctissima, Immaculata, super omnes benedicta, gloriosa Domina nostra Deipara, semperq; Virgini Maria.* Verba sunt Iacobi Apostoli expressa. Audiat rursus eiusdem Iacobi cantores in hunc modum respondentes. *Dignum est vt te vere beatam dicamus, Deiparam, semper beatam, & omnibus modis irreprehensam, & Matrem Dei nostri honorabiliorem quã Cherubin, & gloriosiorem quam Seraphin, quæ sine corruptione Deum Verbum peperisti, te re vera Deiparam magnificamus.* Miranda quidem verba: dulcis chorus: suauis cantus: cœlestis melodia. Quid (quæso) amplius ad hoc propositum potest expostulari? Postquam prædicta sacra Virgo Immaculata, omnibusque modis irreprehensibilis dicitur, & honorabilior prædicatur, quam Cherubin, gloriosior quã Seraphin, quæ sine corporis sui corruptione peperit Verbum Dei? Cur nõ & nos eodem (quinvero & potiori iure dicemus) quod eundem peperit absque vlla prorsus vnquàm corruptione suæ mentis, & quod nunquam originalis peccati miseriæ subiacuit? Certe (vt videtur) haudquaquam iure & cũ ratione semper beata dici posset, si eiusmodi calamitate & miseria (etiam per minimum temporis instãs) in sorduisset. Notentur bene quæ dicta sunt, nam omnia supradicta verba notatu sunt dignissima.

4. Loco afferamus etiam ad idem, quatuor simul Sanctorum Apostolorum testimonia, Andreæ scilicet, Thomæ, Matthæi, & Matthiæ, quæ ex reuelatione sibi facta per Angelum Gabrielem tradit B. Amadeus, in illo libro qui noua Apocalypsis nuncupatur: cuius originale (vt dicitur) summa cũ veneratione asseruatur in Bibliotheca Regia Sancti Laurentij, vulgo dicti *el Real, siue del Escurial.* In quo prædicto libro reperiuntur scriptæ, nonnullæ reuelationes factæ à sancto Gabriele prædicto Beato Amadeo, in quarum octaua ponuntur quæ ab Apostolis gesta sunt in transitu Beatæ Virginis, & quæ in ipsius laudem dixerunt singuli, antequam sanctissimum suum corpus sepulturæ traderetur. Sed inter alia ad propositum purissimæ suæ Conceptionis, quatuor prædictorum Apostolorum referuntur testimonia, quorum primum est Sancti Andreæ, qui cum Virgine sacra loquendo, dixit. *Tu sola ab vniuersali omnium damnatione præseruata fuisti: non tu mortua in Adam fuisti: vnica est, vnica & Immaculata: recessisti à quocunque peccato: recedere tam longe à peccato nemo potest.* Sanctus vero Thomas Apostolus etiam fertur dixisse. *O quam fœlix es, quam fortunata, & in initio viarum Dei ab ipso electa fuisti: & Ada peccato præuisso, non fuisti cum alijs omnibus condemnata: sed voluit vt merita Filij tui tibi super omnes prodessent: itaq; pro minimo momento noluit te inimicam, sed semper amicam purissimam.* Sanctus autem Matthæus fertur etiam quod dixit. *Niues candoris es ò Maria*

Quatuor Apostolorum testimonia.

S. Andreas Apostol.

S. Tho. Apost.

S. Matth. Apostolus.

Immaculata, scirpus sine nodo, Spiritus Sanctus qui est æternum donum, te sanctificauit, præseruauit, purgauit, illuminauit, & singularibus priuilegijs decorauit. Denique Sanctus Matthias fertur dixisse. *In peccato non fuit concepta, omni gratia, & omni scientia fuit impleta.* Quæ quidem verba notatu quam maxime sunt digna, multumque faciunt ad præsens propositum. Et de veritate & auctoritate libri prædicti, nec vero de sanctitate prædicti B. Amadei, & de prædicta reuelatione sibi facta dubitare licet, cum tot ac tanta testimonia pro se habeat, vt amplius dicemus infra, quando de huius altissimi mysterij reuelationibus factis diuersis personis specialis fiat sermo.

S. Matthias Apost.

S. Marcus Euangelista.

5. Afferamus ad idem, Beatum Marcum Euangelistam Diui Petri discipulum, omnium Ecclesiarum Ægypti Magistrum. Qui quidem in quadam alia sua Lythurgia, in laudem & honorem Virginis sacræ, inter alia sic dicit. *In primis sanctissima, intemerata & benedicta Domina nostra, Deigenitrici, & semper Virgini Mariæ.* Super quæ verba Salazar libro suo pro Immaculatæ eiusdem Conceptionis defensione, cap. 42, in primo sæculo, quammaxime ad notandum esse dicit, quod voci illi, *Intemerata*, in Græco respondet verbum illud, *quod illibatam siue Immaculatam designat.* Quod certe cum ita sit, nescio qua fronte, quo vultu, quidam damnare, siue originalis peccati ream vllo vnquam tempore (etiam per minimum instans) dicere audent, quã Diuus Marcus & omnes Apostoli superius dicti, ex communi omnium sententia, illibatam atque immaculatam plenis bucis prædicant? Vtque finẽ faciam tot afferendi Apostolorum Lythurgias, haudquaquam prætererire libuit Aliam, Ætyopum communiter nuncupatam, eo quod antiquissima & quammaxima veneratione dignissima sit, & (vt quibusdam placet) à Beato Iacobo, siue vero à Beato Marco etiam composita esse dicatur, aut saltim ab eorundem schola siue doctrina prodijsse. In prædicta ergo Ætyopum Lythurgia, in laudem & honorem beatissimæ prædictæ Virginis, & attestationem eximiæ suæ puritatis, dũ cum eadem fit sermo, inter alia sequentia verba habentur. *Lætare Immaculata, vere Regina: lætare gloria nostrorum parentum.* Et infra, *Domine omnes eos quorum recordamur custodi in recta fide, & in gloria omni tempore, & fac vt serueãt ineffabili & in excogitabili charitate, per preces ac intercessionem quam pro nobis facit Domina nostra sancta, & Immaculata Virgo Maria.* Item post eleuationem sacramenti dicitur ibidem. *Hoc est corpus, & hic est sanguis Domini, & seruatoris nostri Iesu Christi, quod & quem assumpsit ex Domina nostra sancta, & Immaculata Virgine Maria.* Quibus sane verbis toties repetitis & iteratis, *Immaculata & sancta Virgo*, haud obscure quidem etiam insinuatur, quid Æthyopes prædicti de ipsius integritate, puritate & à peccato originali immunitate semper crediderint, confessi fuerint atque dixerint.

6. Afferamus ad idem ex primis illis Ecclesiæ temporibus, haud quidem

quidem multum longe ab aduentu Christi Domini, ex tam multis egregios duos Apostolicos viros Ioannis & Pauli discipulos, sanctū scilicet Ignatium Anthiochenum, & Sanctum Dionysium Areopagi- *S. Ignatius* tam: & videamus quid etiam ipsi suorum Magistrorum vestigia secu ti de sacræ Virginis puritate senserint, atque fidelibus credendum tra diderint. Et quidem prædicti Beati Ignatij inter alia opera duæ præcipue habentur epistolæ ad Diuum Ioanem Euangelistā scriptæ, & alia ad Beatam Virginem, de quarum veritate & auctoritate dubitare minime licet, cum illas probet Diuus Bernardus sermone septimo super Psalmum 90. & earum etiam meminerit Diuus Dionysius de diuinis nominibus, & Marcus Michael Carnotensis, libro de viris illustribus. In prima igitur earum quam ad Diuum Ioanem scripsit, inter egregias alias Beatæ Virginis laudes, quibus se ad eam conuisendam excitatum, ac prope raptum fuisse confitetur: sic post alia inquit. *Et quidam notificauere mihi eandem matrem Dei, omnium gratiarum esse abundantem, & omnium virtutum more Virginis, virtutis & gratiæ fecundam.* Quibus sane verbis (haudquidem obscure) à Beato Ignatio insinuatur, rumor qui eo tempore serpebat, seu vero potius constans fama, quæ inter illius temporis fideles, longe lateque diffundebatur, de sacræ Virginis puritate, & gratiarum omnium abundantia, quam à Deo acceperat: inter quas originalis (rationi vt apparet) haudquaquam sibi denegari debebat, & quod sine peccato originali omninò ipsa fuerit concepta. Quod idem prosequendo (vt breuitati studeam) paulo inferius addit Beatus Ignatius prædictus. *Multi multa referunt de eadem, non tamen omnibus per omnia audemus fidem concedere, nec tibi referre. Sed sicut nobis à fide dignis narratur, in prædicta Maria Matre Iesu, humana natura, natura sanctitatis Angelica sociatur.* Post quæ etiam subdit. *Hæc & alia excitauerunt viscera mea, & cogunt valde desiderare aspectum huius (si fas sit fari) cælestis prodigij, atque sacratissimi monstri.* Verba sunt expressa Ignatij prædicti. *Ignatius vbi supra.* Quid (quæso) amplius vnquam dici potuit? Si in Virgine sacra humanæ naturæ, naturā sanctitatis Angelicæ sociatam fuisse dicitur, quis vnquam dicere audeat, originalis peccati labe in sua conceptione eādem fuisse infectam (etiam per minimum instās) & non potius ex diuina gratia ab eodem præseruatam, & in eo quod est nunquā habuisse peccatum, ipsis sanctis Angelis sociatam, æquatam siue asimilatam. Si sacratissimum fuit quoddam monstrum ac cœleste prodigium: cui id quod dictum est mirum esse videbitur, ac sacram prædictam Virginem prædicto peculiari præseruationi priuilegio à Deo Opti. Max. fuisse ornatam, perfectam atque condecoratam? Quibus etiam in verbis notandum valde est, id quod de sacra Virgine Ignatius prædictus dicit, nempe eiusdem humanæ naturæ (vt videbatur) naturam sancti tatis Angelicæ fuisse sociatam, eximiam vt eiusdem puritatē exprimeret: idque non à quibuslibet, sed à fide dignis se accepisse: à personis

nempe quammaxime auctoritatis, æstimationis, integritatis & fidei. Et quid (quaso) est naturam sanctitatis Angelicæ, humanæ naturæ fuisse sociatam, æquatam siue assimilatam: quam dicere id quod in præsentiarum contendimus, nempe probare, in puritate & sanctitate Angelica, prædictam sacram Virginem fuisse conceptam, & eandem à primo suæ Conceptionis instanti, ad modum quo & Angeli producti: non in quacunque, sed in abundantissima & cumulatissima gratia: consequenterque proinde ab omni prorsus originalis peccati labe præseruatam? Haud enim (vt de se satis patet) originale peccatum vllo modo cum gratia prædicta se compatitur: & cũ hæc sit differentia inter naturam sanctitatis Angelicæ, atque humanæ, quod illa fuit facta, hæc vero refecta: illa ab initio integra: hæc autem non, sed postmodum reintegrata: cum dicat Ignatius in Virgine sacra eiusdem humanæ naturæ, naturam sanctitatis Angelicæ fuisse sociatam: à perte profecto insinuare voluit, quod ipsius sanctitas à principio, & à sanctissimæ suæ Conceptionis initio sic fuit facta, & integra atque inuiolata processit, non vero reintegrata: ita vt post originale peccatũ contractũ, dici debuerit mundata siue sanctificata. Hoc (meo videri) satis colligitur ex Ignatij verbis prędictis. Mirabile quidem id est: sed mirari desinant, Ignatium eundem dicere qui audiunt, eandem Virginem sacram cœleste fuisse prodigiũ, & sacratissimum quoddam monstrum: quæ duo monstri atque prodigij nomina (vt de se patet) quid singulare, ignotum quid, ac nunquam auditum demonstrant: nõ quidem rem ordinariam & vsitatam, sed quid nouum, miraculosum, ac supra omnem naturæ ordinem existens. Et ex inde de mente & sententia eiusdem Ignatij colligant, eandem non solum fuisse sanctificatam, & (vt ipsi volunt) ab originali peccato mundatam (id enim nec nouum nec ignotum, inusitatum aut inauditum est, cum Hieremiæ, & Sancto Ioanni Baptistæ notum fuerit contigisse) quinuero ab eodẽ ex speciali priuilegio atque diuina gratia præseruatam.

S. Dionys. Areopag. Sanctus vero Dionysius Areopagita, in epistola quam ad Paulum suum Magistrum & præceptorem scripsit (de cuius etiam veritate & auctoritate dubitare minime licet) haudquaquam dissimilibus verbis sacræ prædictæ Virginis puritatem, eximiamque eiusdem sanctitatem, atque singularem gratiam insinuauit, dum de eadem loquẽdo, postquam illam vidit dixit. *Perspexi atque propijs oculis intuitus sum. Deiformem atque super omnes cœlicos spiritus sanctissimam Matrem Christi Iesu Domini nostri.* Et paulo inferius. *Ductus tui ad Deiforn en præsentiam altissimæ Virginis, & tãtus me, tamq; immensus diuinus splendor circumfulsit exterius, & plenius irradiauit interius: tanta etiam in me omnium odoramentorum super abundauit fragrantia: vt nec corpus infælix, nec spiritus posset totius, ac tam æternæ fælicitatis insignia sustinere.* Et iterum infra. *Testor, qui aderat in Virgine Deum si tua diuina concepta mente non me docuissent, hanc ego verum Deũ esse*

esse credidissem, quoniam nulla videri maior esse posset gloria beatorum, quam fælicitas illa. Hæc Dionysius vbi supra. Ex quibus certe verbis clare satis elucet, quid prædictus Diuus Dionysius de sacra senserit Virgine, post quam ipsam appellat Deiformem, & super omnes Angelicos spiritus mulierem sanctissimam: quibus plane insinuauit visam sibi fuisse talem, cuius etiam sanctitas (necdum refulsit in discursu suæ sanctissimæ vitæ) verum etiam & in eo quod à primo suæ Conceptionis instanti, tantam habuit gratiam, vt cum ea nulla pura creatura (etiam Angelica) potuerit vllo modo comparari. Etenim id si à principio Virgo sacra adepta non fuisset (gratiam nempe prædictam originalem) quonammodo à Beato Dionysio sancta, seu potius sanctissima super omnes cœlicos diceretur spiritus? Certe non modo ipsa sanctitatem non excedisset Angelicam, verum etiam neque eandem attigisset: cum Angeli conditi fuerint in gratia, ipsa vero minime. Quod etiam clare satis exprimitur, postquam fœlicitatem eiusdem æternam atque perpetuam vocauit: quod neque de ea congrue dici posset, si condita in gratia non fuisset, seu aliquo vnquam tempore (etiam per minimum instans) fuisset infœlix, aut polluta originalis peccati miserrima labe. Quæ prædicta confirmantur omnia, ex eo quod dixit idem D. Dionysius libro de diuinis nominibus cap. 3. vbi sacrum Beatæ Virginis corpus, ad quod videndum se, Hierotheum & omnes alios Apostolos conuenisse commemorat, *Dei receptaculum appellat, & quod dedit vitæ principium.* Quo quidem loquendi modo, haudquaquam discesit à modo dicendi Diui Damasceni sermone de dormit. Virginis, vbi corpus Virginis prædictum vocat, *Corpus quod vitæ dedit principium, & Deum suscepit.* Ex quorum verbis argumentum sic concipere libuit. Si corpus Virginis, seu potius Virgo ipsa sacra vitæ dedit principium, ac Deum suscepit: quis (quæso) dicere audeat originalis peccati morte in suæ Conceptionis principio eandem fuisse emortuam, & non potius viuam, vita abundantissimæ atque cumulatissimæ gratiæ, qua præuenta, originale peccatum vt ne ad ipsam intraret, omninò fuit prohibitum, modisque omnibus exclusum.

7. Ad idem post duos prædictos egregios atque Apostolicos viros, succedant alij tres eximiæ etiam auctoritatis & dignitatis, nempe Sanctus Iustinus Martyr, Sanctus Irineus Episcopus, & Sanctus Hipolitus Martyr. *Sanctus Iustinus Martyr, & alij cũ eo.*

Horum primus (Iustinus nempe) qui floruit anno Christi Domini 150. in quæstionibus ad Ortodox. quæstio. 136. haudquidem etiam obscure: quinvero satis dare, Virginis sacræ puritatem eximiam insinuauit. Nam cum obiectum sibi fuisset, asperius quidem à Christo Domino cum sacra suâ Matre fuisse actum, cum denuntiantibus sibi eandem & fratres suos adesse, atque illum quærere: quasi indignatum fuisse ac respondisse, quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Ipse

 respon-

respondet. *Non ita* (inquit) *locutus est quasi matrem honore debito priuaret, sed ostendit quanam maternitate beatior dici debeat Virgo. Si enim qui Dei sermonem audit, is Christi frater, soror & mater est, & eius mater habebat vtrumq; perspicuum est eius etiam matrem debuisse hac maternitate beatam prædicari: nam Dei sermonem audire & exequi, virtutis est, animæq; puræ quæ tota ad Deũ spectet. Et quia non quamlibet fœminam elegit Deus, sed omnium fœminarum virtutibus excellentissimam: propterea Christus volebat ob hanc virtutem prædicari matrem suam, per quam virtutem illa id assecuta fuisset, vt Virgo mater fieret.* Quibus in verbis, quammaxime adnotanda veniunt illa, *anima pura, & quæ tota ad Deum spectet.* Nam quando Iustinus dixit verbum Dei audire & exequi virtutis esse eximiæ, animæque puræ, & quæ tota ad Deũ spectet; non quidem loquitur de quacunque verbi Dei auditione & executione: sed de perfectissima, quæ omnem vel leuissimam transgresionem excludat; qualem in sola sacratissima Virgine licuit reperire, & quę ex sola sua originali innocentia profecta fuit. Nam alij omnes quotquot originale peccatum contraxerunt, haudquaquam saltim à leuioribus culpis absoluti & liberi fuerunt: quinvero illas semel & iterum commisserunt: Virgo autem sacra non ita. Itaque ex hoc quod dixit Iustinus prædictus, Virginem sacram vel leuissimam culpam nunquam admisisse: satis ex eius sententia coligitur, quod originale peccatum minime contraxit. Etenim si illud contraxisset, ab eiusmodi leuibus culpis haudquaquam immunis esse potuisset. Quæ certe consequutio optime tenet, & satis patet ex his quæ de mente D. Augustini dicta sunt supra, dum loquendo de Christo Domino, dixit, quod si ipse originale peccatum contraxisset, ab âctualibus culpis postmodum maior factus, non quidem immunis fuisset.

Aliud eiusdẽ Iustini testimonium.

Sed ad idem propositum afferamus, aliud eiusdem Iustini Martyris testimonium, in expositione fidei de Trinitate, quod quidem haud paruam etiam lucem administrabit ad sententiã nostram comprobãdam, vbi post alia sic inquit. *Verbum illud animaduertit creaturam suam opus habere instauratione, & luendas esse pœnas quas Adam per transgresionẽ incurrerat. Tunc de cœlo ad nos descendit, non corporali descensu, sed diuinæ voluntatis efficatia, & ad eam dispensationem vsum est sequestra Virgine stirpis Dauidica, sicut illi Regi promissum fuerat, &c.* Super quæ verba quammaxima est ad notatione dignum, quod Virginem sacram prædictam vocat, *nostræ reparationis sequestram*: de quo dicendi modo de mente Diui Iustini, haud abscure eius puritas, & à peccato originali immunitas coligi etiam potest. Sequester enim dicitur ille, apud quem plures rem aliquam de qua est controuersia, deponunt. Cum igitur (vt inquit Iustinus) Deipara Virgo in controuersia de humana salute, & gratia quæ quasi inter Deum & homines agebatur, ab ipso Deo reparationis nostræ sequestra fuerit constituta: & vt inter nos homines & illum mediatricem ageret: manifeste profecto coligitur, quod quæ seque-

sequestra fuit constituta, non ex illis erat cum quibus lis suscepta est: qui culpam siue peccatum habebat: cum litigator ipse sequester esse minime possit: ac proinde quod nec originale peccatum contraxit, quod omnes homines ab Adamo per rationem seminalem descendêtes, vnanimiter (excepto nullo) contraximus: per quod Dei facti sumus aduersarij & inimici, & à mundi principio, quasi litem illi inferre intendimus.

Sanctus vero Irineus Lugdunensis Episcopus, qui fuit non longe à temporibus Apostolorum, anno scilicet Domini 177. id ipsum haud obscure etiam insinuauit, dum libro quinto contra Hæreses cap. 19. de Virgine prædicta sacra loquendo, post alia sic inquit. *Quemadmodum Eua per Angelicum sermonem seducta est, vt effugeret Deum preuaricata verbum eius: ita & Maria per Angelicum sermonem euangelizata est, vt portaret Deum obediens eius verbo. Et sicut illa seducta est vt effugeret Deum, sic hæc suasa est obedire Deo. vt & Virginis Euæ Virgo Maria fieret aduocata, & quemadmodum morti astrictum est genus humanum per Virginem, soluatur per Virginem, aqua lance disposita virginalis inobedientia, per Virginalem obedientiam. Adhuc enim protoplasti peccatum per correptionem primogenita* (scilicet ipsius Mariæ) *emendationem accipiens, & serpentis prudentia deuicta est in columba simplicitate.* In quibus verbis ad notandum quammaxime est, id quod vltimo loco dicit Irineus prædictus, nempe antiqui serpentis prudentiam deuictam fuisse per Mariæ simplicitatem columbinam, in quo etiam haud obscure insinuatur, originale peccatum eandem minime contraxisse: alias enim non antiqui quidem serpentis prudentia per Mariam fuisset deuicta: quinvero ê contra ipsa fuisset deuicta, si peccato originali eidem, aliquo tempore (etiam per minimum instans) fuisset obnoxia, ac per ipsum diabolo subiecta. Quod ipsum præterea satis colligitur, ex eo quod Virginis puritatem columbæ simplicitati comparat: quæ quidem columba (vt supra diximus) iuxta communem sententiam felle caret, fel autem pœnitêtiam designat. Quod fuit ac si expresius dixisset, sacram Virginem cœlestem columbam, omni prorsus pœnitudinis felle carere, ex eo quia nunquam aliquod habuit peccatum de quo iure posset pœnitere, nec actuale, nec vero originale: quia ab vtroque ex diuino priuilegio, ac superna gratia omnino fuit immunis & libera.

Sanctus Iren. Episcopus.

Eiusdem veritatis testis etiam est Sanctus Hypolitus Martyr, qui floruit anno Domini 220. & in oratione quam fecit de consumatione mundi, illustribus titulis eximiæ suæ puritatis indicibus sacrã Virginem passim exornat: eam vocando sanctam, impollutam atque immaculatam. Inquit enim statim à principio. *Dei qui ex impolluta ac Deipara Maria ortum sumpsit, atque incrementum.* Et paulo inferius. *Cum Dominus Iesus Christus secundum carnem aduenerit ex sancta & immaculata Virgine, tribumq; Iuda assumpserit, &c.* Et iterum infra. *Cum saluator mundi genus huma-*

S. Hypolitus Martyr.

humanum saluare decreuisset, ex immaculata Maria Virgine natus est, & in figura carnis hostem conculcauit, sua diuinitatis propria potentia. Quibus in verbis, quammaxime ponderanda sunt illa, *impolluta, sancta atque immaculata*, toties repetita, quibus nescio quid clarius siue apertius dici potest, ad sacræ Virginis puritatem, & ab omni prorsus originalis peccati labe immunitatem, siue præseruationem præsignandam? Quæ & intelligi debent, non de quacunque puritate, munditia & sanctitate, postquam ita absolute dicuntur: sed de puritate, munditia & sanctitate perpetua, quam habuit à primo suæ Conceptionis instanti.

Orig. Adamantius. 8. In nostræ sententiæ & conclusionis confirmationem, succedat Origenes Adamantius Martyris filius, & Ecclesiæ Doctorum magister: qui natus anno 189. floruit anno 226. & deinceps: quamplurimosque scripsit libros. Et quamvis ab aduersarijs pro alia in contrarium parte adducatur, re tamen plene perspecta, omnī procul dubio inter præcipuos sacræ Virginis puritatis assertores, atque prædicatores est annumerandus. Hic si quidem homil. 1. in Matthæum cap. 1. ex varijs quæ de sanctissima Deipara conscripsit, post alia in sequentia verba prorumpit. *Mater eius, Mater immaculata: Mater incorrupta, Mater intacta, Mater eius: cuius eius? Mater Dei vnigeniti, Domini & Regis omnium plasmatoris, & creatoris cunctorum: illius qui in excelsis est sine Matre, & in terra est sine Patre. Huius itaque vnigeniti dum dicitur hæc Mater Virgo Maria, digna digni, Immaculata sancti immaculati, vna vnius, vnica vnici.* Quid (quæso) amplius dici vnquam aut desiderari potuit, in laudem sacræ Deiparę Virginis, & ad ipsius puritatem atque immunitatem præsignandam: dū adeò aperte dicitur immaculata, incorrupta & intactā, digna digni, & immaculata sancti immaculati: vna vnius, vnica vnici? Quod certe nihil aliud omninò fuit, ac si diceretur expressius: quod fuit ita sancta, ita pura, ita immaculata, atque esse decebat, eam quæ talem ac tantum genuit filium, adeò sanctum, adeò purum, adeò immaculatū, ita vt ea vna, illi vni, in omnibus & per omnia (excepta diuinitate) correspondere: hoc etiam excepto, vt quod illi per naturam conuenit, huic donatum fuerit per gratiam, & ex speciali priuilegio concessum. Vtque constet Originem prædictum loqui de omnimoda sacræ Virginis immunitate (necdum à peccato quocunque actuali) verum etiam & ab originali: notentur sequentia verba, quæ profert inducendo sanctum Angelum Gabrielem, ad Ioseph Virginis sponsum loquentem. *Accipe ergo* (inquit) *eam* (id est Mariam) *sicut commendatum cælestem thesaurū: Deitatis diuitias: sicut plenissimam sanctitatem, sicut perfectam iustitiam.* Et infra. *Accipe eam sicut vnigeniti mansionem, sicut honorabile templum, sicut domum Dei, sicut creatoris omnium propriam, sicut Regis cælestis sponsi domum immaculatam.* Quis credat, dicereve audeat, eam de quo ab Angelo tot ac tanta dicuntur, vllo vnquam tempore etiam per minimum instans, originalis peccati labe fuisse infectam? Cœlestem thesaurum & Dei-

tatis

tatis diuitias, in summam gratiæ pauperiem fuisse commutatas? Plenissimam sanctitatem atque perfectam iustitiam, in iniquitatem siue iniustitiam conuersam? Dei vnigeniti mansionem, honorabile templum, domum Dei omnium creatoris propriam, ac cœlestis sponsi domum immaculatam, per originale peccatum prædictum fœdatam, deturpatam, prophanatam, & dæmonis ipsius habitationem factam? Hæc certe omnia, vel aures ipsæ horrescunt exaudire.

Pergit supradictus Origenes homilia 3. in cap. 2. Matthæi, iterūque inducit Angelum loquentem ad Ioseph, vt in Ægyptum pergat, & dicit. *Hic puer non indiget Patre super terram, incorruptibilem enim habet Patrem in excelsis: non indiget Matre in cœlis immaculatam & castam habet Matrem in terra: hanc multū beatam Virginem Mariam.* Quid amplius vnquam potest desiderari, ad hoc vt plane constet de mente & sententia Origenis, prædictam sacram Virginem immaculatam semper fuisse, atque ab omni prorsus originalis peccati labe præseruatam? Et vt non cuipiam dicere liceat, non eundem loqui de puritate & immunitate prædicta, quam habuit à primo suæ Conceptionis instanti: sed de alia quā habuit in discursu suæ vitæ: audiat eundem Originem in supradicta Homilia prima in Matthæū, dicentem, loquendo de eadem sacra Virgine. *Hæc* (inquit) *est quæ nec serpentis persuasione decepta, nec eius venenosis afflatibus infecta fuit.* Quid clarius? Quid expressius? perspicuum vt fiat, loqui eundem de antiqua illa deceptione, qua mater nostra Eua serpentis fuit persuasione decepta, & eiusdem venenosis afflatibus infecta? *Idem Origen.*

9. Succedat in id ipsum Diuus Gregorius Neocesariensis Episcopus, Miraculorum multitudine atque præstantia appellatus Thaumaturgus, puritatis atque immunitatis Deiparæ Virginis acerrimus propugnator: qui floruit anno Domini 233. & de eiusdem Annunciatione, tres sermones conscripsit. In quorum primo post alia sequentia verba dicit. *Conuenienter igitur sanctam Mariam ex omnibus generationibus solam gratia elegit: nam prudens vere a & sapiens incunctis erat, nec similis ei ex omnibus generationibus vlla vnquam fuit reperta.* Notemus (obsecro) verba illa quibus dicit, quod sanctam Virginem Mariam ex omnibus generationibus solam elegit gratia. Multi alij à gratia & per gratiam sunt electi: sed communi & regulari eligendi modo, nempe post culpam, & post originale peccatum iam contractum. At dum Virgo Deipara sola à gratia electa dicitur, clare profecto insinuatur, quod non communi & regulari, sed singulari modo fuit electa, & à culpa & originali labe præseruata. Subdit supradictus Gregorius, & ait. *Non sicut antea Virgo Eua sola in Paradiso chorum agens atque tripudians, relaxata mente per incuriam ab auctore omnis mali serpente verbum suscepit, & sic sensu mentis corrupta est, at per ipsam fraudulentus venenum effundens, mortemque admiscens in omnem mundum introduxit, ac propterea omnis Sanctorum* *D. Greg. Neocesariens. Episcopus.*

ærumna nata est: verum in sola sancta Virgine eius lapsus reparatus est. Quonam (quæso) modo in sacra prædicta Virgine primæ mulieris lapsum reparatum dicemus, si in eam etiam originalis peccati communis prostrauit casus? Quod si dicas postea excitatam eadem fuisse, à lapsu in quo prius iacuerat: certe in ea re, ipsa haudquaquam fuit sola siue singularis. Vt igitur in ea sola ac singulariter primæ antiquæ mulieris lapsus vere reparatus dicatur, necessum est dicamus & nos atque confiteamur, ipsam ab eiusmodi lapsu, illiusque reatu immunem prorsus fuisse, & originale peccatum nunquam incurrisse. Quod haud obscure insinuauit etiam Diuus Gregorius supradictus, dum addit & dicit. *Angelus sancta Maria primo omnium illud Aue gratia plena præsignauit: quoniam cum ipsa totius gratiæ thesaurus reconditus erat: & ex omnibus generationibus hæc sola Virgo sancta corpore & spiritu extitit, solaq; portauit eũ qui verbo portat omnia*. Super quæ verba ad notãdum quammaxime est, id quod de sacra Deipara dicit, fuisse nempe in ea totius gratiæ thesaurum recõditum: & quod in generationibus omnibus hęc sola Virgo sancta extitit corpore & spiritu, ac talis qualem esse decebat eam quæ conceptura & paritura erat, eum qui verbo omnia portat. Quonam (quæso) pacto hæc de prædicta Virgine sacra vllo modo verificari possent, si originalis peccati labe fuit infecta, & ab eodem non preseruata? Quomodo in ea totius gratiæ fuit thesaurus reconditus, si originalis iustitia quæ inter alias omnes gratias maior est, & quasi primatum optinet, illi defuit? Quomodo in generationibus omnibus ea sola sancta fuit corpore & spiritu, si originalis iustitiæ dono caruit, & perpetua sanctitas à primo suæ Conceptionis instanti non concedatur illi? In quonam sensu dici potest ipsa sola sancta, aut id ipsum de ea verificari? An non etiam de Christo Domino canit Ecclesia, quod ipse sit solus Sanctus? *Quoniam tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus Iesu Christe*. Qualiter hoc est inteligendum? Diuus Thomas dicit Christum Dominum fuisse solum Sanctum, quia ipse solus habuit sanctitatem, quasi naturalem, necessariam & indeficientem. Non id nos dicamus de sacra Virgine, sed alio modo, nempe quod licet non eodem iure, simili tamen quadam alia ratione sanctitatem ipsa habuit, ex singulari Dei priuilegio à primo suæ Conceptionis instanti, sanctitatem etiam perpetuam & indeficientem (non à natura quidem) sed ex diuina gratia: vt in eo ex generationibus omnibus singulariter dici potuit sancta, corpore & spiritu. Multa alia dicit prædictus Gregorius Neocæsariensis siue Thaumaturgus de Virgine sacra, quæ vix aut nullatenus de illa verificari possunt, nisi sibi cõcedatur quod ab omni prorsus originalis peccati labe fuerit præseruata.

Idem Gregor. Neocæsariẽsis. Sed expendamus alia eiusdem verba, in eodem primo sermone de Annunciatione, vbi cum eadem loquendo inter alia dicit. *Sed ipse sanctificationis Dominus, pater castitatis, incorruptionis auctor, & libertatis da-*

tor,

tor, salutis procurator, qui ex terra Virgine creauit hominem, & ex illius latere & costa Euam assumpsit: hic Dominus tecum & rursus ex te. Quæ quidē verba explicans Gerardus Bosius, Gregorij prædicti Scholiastes. *Satis* (inquit) *aperte magnus hic auctor significat & ostendit, quod vt fuerunt Adam & Eua omnis macula expertes creati, ita sancta hæc Virgo ab omni peccato libera concepta & nata fuit. Ita vt Gregorij verborum sensus hic sit. Quod sicut Adamus ex terra virgine est conditus, sic etiam & Christus secundus Adamus ex prædicta sacra Virgine est procreatus: & sicut Eua ex Adami costa cum originali iustitia fuit formata: sic & Virgo Deipara in prima sui conditione siue Conceptione, iustitia originali prædicta fuit dotata.* Et paulo inferius prædictus Gregorius vocat sanctam prædictam Virginem. *Orientem Solis intelligibilis, florem vitæ immaculatum, gratia plenā, semper vigentem vitem, quæ animas glorificantium se lætificat, impollutam, immaculatam, veram sanctificationis arcam, intrinsecus, & extrinsecus deauratam, quæ vniuersum sanctificationis thesaurum suscepit.* Quid amplius dici aut desiderari vnquam potuit?

Et in sermone secundo eiusdē Annunciationis idem Gregorius post alia, Virginis sacræ puritatem & perpetuam sanctitatem commendans, inquit: *Aue gratia plena. Tu enim es quæ reuera gaudio sunt digna agis, quoniam immaculatam induta es vestem.* Notentur hæc vltima verba. Fuere etenim ac si expresius dixisset. Aue. Tuum est enim Auere & gaudere, quia tu sola es singularis & immaculata: quod idem pollet ac omni cares culpa, quæ tristitiæ & fletus vnica existit causa. Post quæ subdit. *Aue gratia plena, quæ super cœlestis lætitiæ vas es atque receptaculum. Aue gratia plena: nam per te gaudium omni dispensatur creaturæ.* Et post pauca. *Quoniam tu sancta, & omni humana creatura gloriosior, purior, ac sanctior effecta, ac niue quidem candidiorem habes mentem: quovis autem auro quamtumvis probato, purificatum magis corpus.* Quis non videat omnibus his verbis ac varijs dicendi modis, de mente & sententia prædicti Gregorij, sacræ Virginis puritatem, sanctitatemque eximiam atque perpetuam aperte præsignari, fuisseque eam prorsus ab omni peccati originalis labe liberam & immunem? Id quod & præsertim monstrauit postquam paulo inferius appellat eam. *Cœlestem semper vigentem & immortalitatis paradisum.*

Idem Gregor Neocæsariēsis.

10. Loco succedat Diuus Ciprianus Cartaginensis Episcopus, sanctitate & eloquentia eximius: qui floruit anno 250. & in oratione de Christi natiuitate, inter eximias alias sacræ Virginis laudes, de eadem loquendo dicit. *Nihil in hac* (scilicet Maria) *repetijt vltio, nec præcedens delectatio aliquam expetijt pœnarum vsuram. Spiritu Sancto obumbrante, incendium originale in ea extinctum est: ideoq; innoxiam affligi non decuit, nec sustinebat iustitia, vt illud vas electionis communibus laxaretur iniurijs, quoniā plurimum à cæteris differens, natura communicabat non culpa.* Quibus in verbis, quam maxima est consideratione dignum, id quod dicit in sacra prædicta Virgine: *Spiritu Sancto obumbrante extinctum esse incendium ori-*

D. Ciprianus Cartaginensis Episcopus.

ginalis peccati. Quod fuit ac si expresſius diceret, quod huiuſmodi originale peccatum, obumbrante Spiritu Sancto, illudque impediente, ad illam minime pertingit. Vnde ſequitur, quod nec decuit innoxiam affligi. Nec enim (inquit) ſuſtinebat iuſtitia, vt illud electionis vas communibus laſſaretur iniurijs, quoniam plurimum à cæteris differens, natura communicabat, non culpa. Quaſi diceret, quod quamvis prædicta ſacra Virgo cum cæteris hominibus conueniret, in eo quod eſt eſſe eiuſdem eſſentiæ ſiue naturæ ſpecificæ: conueniebat tamen atque communicabat cum illis in natura, non vero in culpa: quia nullam prorſus, nec actualem, nec originalem habuit. Hunc locum conantur quidam peruertere, dicentes ex eo haudquaquam argumentum ad noſtram ſententiam probandam poſſe deſumi: & quod ſolummodo poteſt & debet ad ſacræ Virginis partum accommodari. Sed certe id abſque omni prorſus ratione dicitur: nec dici vllo modo poteſt, quod in Virgine ſacra tempore partus, originalis peccati incendium fuerit extinctum, etiam in opinione illorum qui noſtræ ſententiæ aduerſantur. Cum igitur id non determinate, ſed abſque illa prorſus distinctione dicatur: quod in ea obumbrante Spiritu Sancto, originale incendium fuerit extinctum: pro omni temporis differentia accipiendum eſt, ac dicendum quod de mente Diui Cipriani nunquam originale incendiũ fuit perpeſſa: quinvero ab eo obumbrante Spiritu Sancto, diuinitus liberata & præſeruata. Pergit ſupradictus Ciprianus Deiparę Virginis cumulatiſsimam gratiam explicare, dicendo. *Quod erat et proprium priuilegium, quod nulla mulierum, nec ante, nec deinceps meruit obtinere, ſcilicet quod erat ſimul Mater & Virgo, ſingulis titulis inſignita.* Sed dices, quid inde ad eiuſdem immunitatẽ ſiue præſeruationem à peccato originali præſignandam? Conſtabit id quidem ex eo quod ſtatim ſequitur. *Vnde* (inquit) *& Matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantior gloria, quæ carnis & mentis integritate inſignis, ſpiritualis & corporalis, intus & extra Christi præſentia fruebatur.* Quid quærendum eſt amplius? Si tali matri gratiæ plenitudo debebatur (vt inquit Ciprianus) quo carnis & mentis integritate foret inſignis: & ſancta & pura, corpore & ſpiritu, intus & extra aptata vt Dei Filium ſacro ſuo exciperet vtero, cur (quæſo) originalis gratia erat ſibi deneganda: & quaſi dimidiata gratia concedenda, & non potius plena atque perpetua à primo ſuæ Cõceptionis inſtanti, vt vel ſic animæ & carnis ſuæ puritas, Angelicæ adæquaretur puritati? Cur non conceſſum exiſtimabimus ſacræ Virgini, Reginæ, Dominæ & Heræ, quod præſtitum fuit ſeruis atque miniſtris, Angelis ſcilicet, ac primis noſtris parentibus in Paradiſo conſtitutis?

D. Dionyſius Alexand. 11. Loco in noſtræ ſententiæ & concluſionis confirmationẽ ſuccedat Diuus Dionyſius Alexandrinus, qui floruit circa annum 250. & multa quidem (vt dicitur) eaque eruditiſsima ſcripſit opera, quã-

vis

visnon omnia extent. Ex quibus in quadam epistola aduersus Paulū Samosatenum, quæ habetur in secundo tomo auctuarij Bibliothecæ veterum Patrum, in eiusdem præfatione de Virgine sacra loquendo, sic inquit. *Deus enim apparuit in carne natus ex muliere, qui erat ex Patre Deo genitus ex vtero ante luciferum: tanquam ex corde Verbum ex Patre editum, & simplex atque expers partium Verbum caro factum est: non diuisum in carnem & Verbum quasi in homine habitet Verbum: hac enim fuga generationis est, si quidem iam inde habitat in quibus multa reperiuntur matres: vna autem & sola Virgo, filia vitæ, genuit Verbum viuens, & per se subsistens, increatum & creatorem.* Quæ verba vt plene intelligantur ad notandum est, dogma olim Samosateni prædicti fuisse, Verbum Dei in Virgine quidem fuisse, & ex illa in mundum apparuisse: non tamen ab ea fuisse genitū aut procreatum: sed solummodo spiritualiter conceptum. Cui volens resistere Dionysius, non ita est (inquit) nam eius generis matres, quæ Verbum Dei spiritualiter conceperint, ac Deum per gratiam in se morantem habuerint per multæ sunt: de quibus matribus in Euangelio Christus dixit: *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & Mater est.* Non de huius generis maternitate loquor (inquit Dionysius) sed de alia. Nam vna ac sola est Virgo filia vitæ, quæ genuit Verbum viuens, per se subsistens, increatum & creatorē, & non spiritualiter tantum, verum etiam & corporaliter procreauit. In quibus vltimis verbis, notanda sunt & quammaxima consideratione digna: quia magnam habent energiam, illa. *Vna autem & sola Virgo, filia vitæ.* Quibus quidem insinuatur, quod Virgo sacra in hoc quod est fuisse filiam vitæ, vna & sola fuit, & sociam habet neminem. Nam reliqui omnes ab Adam per rationem seminalem descendentes, natura non sunt filij vitæ: quinvero filij mortis (vt enim inquit D. Paulus ad Galatas 2. *Facti sumus omnes natura filij iræ*) sola Virgo sacra inter omnes. per excellentiam & anthonomasiam dici potest filia vitæ, quia ex diuina gratia & speciali priuilegio, morti nunquam subiacuit, nec cōtraxit originale peccatum. Multa alia dicit Dionysius prædictus ibidem, sed maxime in solutione quæstionis quintæ & septimæ, & decimæ, quæ per tempus referre non licet: *Sacram Virginem vocando Dei tabernaculum, non ab hominibus fabricatum, sed à Spiritu Sancto firmatum.* Ac tā dem. *Quod superueniente in eam Spiritu Sancto, illam incorruptam, & à pedibus vsque ad caput benedictam seruauit, sicut ipse solus nouit, modum conceptus & ortus sui.* Post quæ addit. *Hac enim est quam Isaac prauidens, dicebat Iacob, det tibi Deus benedictionem terra habentis omnia, qui enim de cælo descendit vnigenitus Deus, Verbum gestatum est in vtero, & genitum ex Paradiso virginali habenti omnia.* Quæ prædicta verba omnia, quammaxima sunt consideratione digna, & ex ipsis satis colligitur intentum: nempe quod de mente Dionysij prædicti, Virgo sacra ab omni prorsus originalis peccati labe fuit præseruata. Haud enim aliud significant verba illa, quod:

superueniente in eam Spiritu Sancto, Deus incorruptam illam & à pedibus vsque ad caput benedictam seruauit. Quæ locutio figurata cum sit, perspicuum est quod per caput eiusdem initium, per pedes vero finis designatur: & fuit ac si expressius dixisset, superueniente in eam Spiritu Sancto à suæ Conceptionis principio, vsque ad eius vitæ finem, benedictam fuisse seruatam, atque ab omni prorsus originalis & actualis peccati labe præseruata.

Chrysip. Presbyter Hieroso.

12. Loco succedat Chrysippus Presbyter Hierosolymitanus, qui eodem tempore floruit, & in sermone quodam de Laudibus Virginis inter præclara alia elogia quæ de illa dicit, sic inquit. *Tecum est conditor omnium: tecum inquam vt ex te gignatur: tecum in conceptione, vt ex partu tuo generetur.* Et vt ne quis dicat Conceptionis nomine, hic non intelligi eam qua Virgo sacra concepta est, sed illam qua ipsa Christū Dominum concepit: ad alia eiusdem Chrysippi verba me conuerto quibus dicit. *Tuum est verissime audire istud gratia plena: quia tecum est vniuersus lætitiæ thesaurus: totius lætitiæ & gratiæ Rex, cum Ancilla, cum speciosa inter mulieres, speciosus forma præ filijs hominum: cum puella impolluta, is qui sanctificat omnia, &c.* Quibus in verbis cum Virgo sacra tantopere prædicetur Beata, & magnificetur opulentissima eiusdem gratia, lætitia, pulchritudine atque munditia; quis (quæso) audeat dicere in originalis peccati tristitia, mæstitia & immunditia eandem fuisse conceptam, fœdatam atque maculatam? Non hæc solummodo dicit Chrysippus prædictus de Virgine Deipara, vnde id quod prædictum est liceat colligere, quin vero ex eo quod statim addit. *Obliuiscere ò Virgo populum tuum: populus enim à quo cognationem contraxisti nequam est, ignominiam tibi affert: populus imprudens tibi irreprehensæ naturæ propaginis familiaritate iunctus est, & cultura spinarum ferax rosam tuam producit, &c.* Quæ verba vt plene intelligantur sic debent construi. Obliuiscere (ò Virgo populū tuum) abijce à tua memoria gentem illam à qua progenita es. Etenim si fœdam maiorum tuorum naturam consideres (cum illis naturam communices) ignominiam tibi afferent, maculamque originalem trahere inde videberis, coniuncta illis cum sis atque ex eodem trunco, eademque propagine producta, & procreata: inde fiet vt tuæ stipitis vitium omnium etiam quodammodo esse videatur: sed euge Virgo sacra, gaude & lætare: quia sicut è spinosa planta, mollis nihilominus rosa solet exoriri: ita & tu turpi è trunco germen optimum extitisti: è populo polluto ac nequam, fœmina sancta, impolluta atque omninò irreprehensa: quia cum prædicto populo tuo natura communicas, nō vero culpa. Sic verba prædicta habent explicari.

D. Athanas. Episc. Alex.

13. Loco succedat in nostræ etiam sententiæ, & conclusionis cōfirmationem, Magnus ille Athanasius Episcopus Alexandrinus, qui floruit tempore Constantini Magni, anno Domini 340. Qui quidem sermone quodam de Virgine Deipara, qui habetur inter alios, tertio

tomo de eadem loquendo post alia, sic inquit. *Itaque Spiritus Sanctus in Virginem descendit, cum omnibus suis essentialibus virtutibus, imbuens eam gratia, vt in omnibus esset grata: atq; id circo gratia plena cognominata est, eo quod adimpletione Spiritu Sancti omnibus gratijs abundaret. Quam virtutem per omnia tempore sui conceptus eam habuisse confido, & post conceptum eam retinuisse neque enim id temporaneum in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora illi datum fuisse.* Quibus in verbis, quammaxima consideratione digna sunt illa, quibus dicitur, quod Spiritus Sanctus descendit in Virginem cum omnibus suis essentialibus virtutibus, imbuens eam gratia, vt in omnibus esset grata, & quod id circo gratia plena cognominata est. Si igitur id ita est, haudquaquam existimandum est, quod illi defuerit vllo vnquam tempore (neque per minimum instans) originalis gratia siue iustitia, quæ omnium est potissima, illaque caruerit in primo suæ Conceptionis instanti, & originalis peccati labe fuerit fœdata; quinvero potius quod ipsam inter alias habuit, & ab omni prorsus originali peccato fuit præseruata. Quod etiam haud obscure insinuauit Diuus Athanasius, dum in eodem sermone cum eadē Virgine sacra loquendo dixit. *Te decet Matrem, regeneratricem, Dominam atq; Heram cognominari, eo quod ex te prodijt Rex, Dominus ac Deus noster, assistentem illi, nobis quidem terribilis, tibi autem dulcis: omnemq; gratiam largienti, qua de causa factum est, vt gratia plena appellata sis, vtpotè quæ omni gratia abundet.* In quibus verbis, etiam sunt quammaxima consideratione digna illa, *nobis quidem terribilis, tibi autē dulcis.* Cur (quæso) Deus nobis terribilis, Mariæ autem dulcis? Non certe ob aliud, nisi quia nostra peccata (originale quammaxime) eiusdem Dei iram in nos semper concitant: quibus cum Virgo sacra omninò caruerit, nihil prorsus in ea fuit ob quod foret ipse sibi terribilis: quinvero semper amabilis, suauis & dulcis, propter abundātissimam atque copiosissimam gratiam, quam habuit à primo suæ Conceptionis instanti. Qua de causa (inquit) factum est, vt ab Angelo gratia plena appella sit, vtpotè quia omni gratia semper abundauit. Quod certe de ea dici minime posset, si caruisset supra dicta originali iustitia, siue gratia illam à peccato præseruante. Quæ supradicta omnia ex eo confirmantur, quia in eodem etiam sermone Athanasius prædictus, eandem sacram Virginem vocat: *Iterum atque iterum, & semper & vndequaque beatissimam.* *Idem vbi sup.*

14. Loco succedat Sanctus Ephren Syrus Edesenæ Ecclesiæ Diachonus, qui floruit circa annum 365. & in oratione de Laudibus Virginis vocat eam: *Intemeratam, sincerissimam & prorsus puram.* Cuius (quia notabilissima sunt) expressa verba libet referre, quæ sic habent. *Intemerata, incorrupta, prorsusq; pura, immaculataq; Virgo Deipara, ab omni sorde & peccati labe alienissima, omnium Regina, sublimior fuit calicolis, purior solis radijs, & splendoribus, honoratior Cherubin, sanctior Seraphin, & gloriosior cæteris omnibus superis exercitibus.* Notentur obsecro omnia prædicta epitheta, *S. Ephren Syrus*

respondet. *Non ita* (inquit) *locutus est quasi matrem honore debito priuaret, sed ostendit quanam maternitate beatior dici debeat Virgo. Si enim quis Dei sermonem audit, is Christi frater, soror & mater est, & eius mater habebat vtrumq; perspicuum est eius etiam matrem debuisse hac maternitate beatam prædicari: nam Dei sermonem audire & exequi, virtutis est, animaq; puræ quæ tota ad Deũ spectet. Et quia non quamlibet fæminam elegit Deus, sed omnium fæminarum virtutibus excellentissimam: propterea Christus volebat ob hanc virtutem prædicari matrem suam, per quam virtutem illa id assecuta fuisset, vt Virgo mater fieret.* Quibus in verbis, quammaxime adnotanda veniunt illa, *animæ puræ, & quæ tota ad Deum spectet.* Nam quando Iustinus dixit verbum Dei audire & exequi virtutis esse eximiæ, animæque puræ, & quæ tota ad Deũ spectet: non quidem loquitur de quacunque verbi Dei auditione & executione: sed de perfectissima, quæ omnem vel leuissimam transgresionem excludat; qualem in sola sacratissima Virgine licuit reperire, & quę ex sola sua originali innocentia profecta fuit. Nam alij omnes quotquot originale peccatum contraxerunt, haudquaquam saltim à leuioribus culpis absoluti & liberi fuerunt: quinvero illas semel & iterum commisserunt: Virgo autem sacra non ita. Itaque ex hoc quod dixit Iustinus prædictus, Virginem sacram vel leuissimam culpam nunquam admisisse: satis ex eius sententia colligitur, quod originale peccatum minime contraxit. Etenim si illud contraxisset, ab eiusmodi leuibus culpis haudquaquam immunis esse potuisset. Quæ certe consequutio optime tenet, & satis patet ex his quæ de mente D. Augustini dicta sunt supra, dum loquendo de Christo Domino, dixit, quod si ipse originale peccatum contraxisset, ab actualibus culpis postmodum maior factus, non quidem immunis fuisset.

Aliud eiusdẽ Iustini testimonium.

Sed ad idem propositum afferamus, aliud eiusdem Iustini Martyris testimonium, in expositione fidei de Trinitate, quod quidem haud paruam etiam lucem administrabit ad sententiã nostram comprobãdam, vbi post alia sic inquit. *Verbum illud animaduertit creaturam suam opus habere instauratione, & luendas esse pœnas quas Adam per transgresionẽ incurrerat. Tunc de cælo ad nos descendit, non corporali descensu, sed diuinæ voluntatis efficatia, & ad eam dispensationem vsum est sequestra Virgine stirpis Dauidicæ, sicut illi Regi promissum fuerat, &c.* Super quæ verba quammaxima est ad notatione dignum, quod Virginem sacram prædictam vocat, *nostræ reparationis sequestram*: de quo dicendi modo de mente Diui Iustini, haud abscure eius puritas, & à peccato originali immunitas colligi etiam potest. Sequester enim dicitur ille, apud quem plures rem aliquam de qua est controuersia, deponunt. Cum igitur (vt inquit Iustinus) Deipara Virgo in controuersia de humana salute, & gratia quæ quasi inter Deum & homines agebatur, ab ipso Deo reparationis nostræ sequestra fuerit constituta: & vt inter nos homines & illum mediatricem ageret: manifeste profecto colligitur, quod quæ seque-

sequestra fuit constituta, non ex illis erat cum quibus lis suscepta est: qui culpam siue peccatum habebat: cum litigator ipse sequester esse minime posſit: ac proinde quod nec originale peccatum contraxit, quod omnes homines ab Adamo per rationem ſeminalem deſcendẽtes, vnanimiter (excepto nullo) contraximus: per quod Dei facti ſumus aduerſarij & inimici, & à mundi principio, quaſi litem illi inferre intendimus.

Sanctus vero Irineus Lugdunenſis Epiſcopus, qui fuit non longe à temporibus Apoſtolorum, anno ſcilicet Domini 177. id ipſum haud obſcure etiam inſinuauit, dum libro quinto contra Hæreſes cap. 19. de Virgine prædicta ſacra loquendo, poſt alia ſic inquit. *Quemadmodum Eua per Angelicum ſermonem ſeducta eſt, vt effugeret Deum præuaricata verbum eius: ita & Maria per Angelicum ſermonem euangelizata eſt, vt portaret Deum obediens eius verbo. Et ſicut illa ſeducta eſt vt effugeret Deum, ſic hæc ſuaſa eſt obedire Deo. vt & Virginis Euæ Virgo Maria fieret aduocata, & quemadmodum morti aſtrictum eſt genus humanum per Virginem, ſoluatur per Virginem, æqua lance diſpoſita virginalis inobedientia, per Virginalem obedientiam. Adhuc enim protoplaſti peccatum per correptionem primogenita* (ſcilicet ipſius Mariæ) *emendationem accipiens, & ſerpentis prudentia deuicta eſt in columba ſimplicitate.* In quibus verbis ad notandum quammaxime eſt, id quod vltimo loco dicit Irineus prædictus, nempe antiqui ſerpentis prudentiam deuictam fuiſſe per Mariæ ſimplicitatem columbinam, in quo etiam haud obſcure inſinuatur, originale peccatum eandem minime contraxiſſe: alias enim non antiqui quidem ſerpentis prudentia per Mariam fuiſſet deuicta: quinvero ẽ contra ipſa fuiſſet deuicta, ſi peccato originali, eidem, aliquo tempore (etiam per minimum inſtans) fuiſſet obnoxia, ac per ipſum diabolo ſubiecta. Quod ipſum præterea ſatis coligitur, ex eo quod Virginis puritatem columbæ ſimplicitati comparat: quæ quidem columba (vt ſupra diximus) iuxta communem ſententiam felle caret, fel autem pœnitẽtiam deſignat. Quod fuit ac ſi expreſsius dixiſſet, ſacram Virginem cœleſtem columbam, omni prorſus pœnitudinis felle carere, ex eo quia nunquam aliquod habuit peccatum de quo iure poſſet pœnitere, nec actuale, nec vero originale: quia ab vtroque ex diuino priuilegio, ac ſuperna gratia omnino fuit immunis & libera.

Sanctus Iren. Episcopus.

Eiuſdem veritatis teſtis etiam eſt Sanctus Hypolitus Martyr, qui floruit anno Domini 220. & in oratione quam fecit de conſumatione mundi, illuſtribus titulis eximiæ ſuæ puritatis indicibus ſacrã Virginem paſsim exornat: eam vocando ſanctam, impollutam atque immaculatam. Inquit enim ſtatim à principio. *Dei qui ex impolluta ac Deipara Maria ortum ſumpſit, atque incrementum.* Et paulo inferius. *Cum Dominus Ieſus Chriſtus ſecundum carnem aduenerit ex ſancta & immaculata Virgine, tribumq; Iuda aſſumpſerit, &c.* Et iterum infra. *Cum ſaluator mundi genus huma-*

S. Hypolitus Martyr.

humanum saluare decreuisset, ex immaculata Maria Virgine natus est, & in figura carnis hostem conculcauit, sua diuinitatis propria potentia. Quibus in verbis, quammaxime ponderanda sunt illa, *impolluta, sancta atque immaculata*, toties repetita, quibus nescio quid clarius siue apertius dici potest, ad sacræ Virginis puritatem, & ab omni prorsus originalis peccati labe immunitatem, siue præseruationem præsignandam? Quæ & inteligi debent, non de quacunque puritate, munditia & sanctitate, postquam ita absolute dicuntur: sed de puritate, munditia & sanctitate perpetua, quam habuit à primo suæ Conceptionis instanti.

Orig. Adamãtius.

8. In nostræ sententiæ & conclusionis confirmationem, succedat Origenes Adamantius Martyris filius, & Ecclesiæ Doctorum magister: qui natus anno 189. floruit anno 226. & deinceps: quamplurimosque scripsit libros. Et quamvis ab aduersarijs pro alia in contrarium parte adducatur, re tamen plene perspecta, omnī proculdubio inter præcipuos sacræ Virginis puritatis assertores, atque prædicatores est annumerandus. Hic si quidem homil. 1. in Matthæum cap. 1. ex varijs quæ de sanctissima Deipara conscripsit, post alia in sequentia verba prorumpit. *Mater eius, Mater immaculata: Mater incorrupta, Mater intacta, Mater eius: cuius eius? Mater Dei vnigeniti, Domini & Regis omnium plasmatoris, & creatoris cunctorum: illius qui in excelsis est sine Matre, & in terra est sine Patre. Huius itaque vnigeniti dum dicitur hac Mater Virgo Maria, digna digni, Immaculata sancti immaculati, vna vnius, vnica vnici.* Quid (quaso) amplius dici vnquam aut desiderari potuit, in laudem sacræ Deiparę Virginis, & ad ipsius puritatem atque immunitatem præsignandam: dū adeò aperte dicitur immaculata, incorrupta & intactā, digna digni, & immaculata sancti immaculati: vna vnius, vnica vnici? Quod certe nihil aliud omninò fuit, ac si diceretur expressius: quod fuit ita sancta, ita pura, ita immaculata, atque esse decebat, eam quæ talem ac tantum genuit filium, adeò sanctum, adeò purum, adeò immaculatū, ita vt ea vna, illi vni, in omnibus & per omnia (excepta diuinitate) correspondert: hoc etiam excepto, vt quod illi per naturam conuenit, huic donatum fuerit per gratiam, & ex speciali priuilegio concessum. Vtque constet Originem prædictum loqui de omnimoda sacræ Virginis immunitate (necdum à peccato quocunque actuali) verum etiam & ab originali: notentur sequentia verba, quæ profert inducendo sanctum Angelum Gabrielem, ad Ioseph Virginis sponsum loquentem. *Accipe ergo* (inquit) *eam* (id est Mariam) *sicut commendatum cœlestem thesaurū: Deitatis diuitias: sicut plenissimam sanctitatem, sicut perfectam iustitiam.* Et infra. *Accipe eam sicut vnigeniti mansionem, sicut honorabile templum, sicut domum Dei, sicut creatoris omnium propriam, sicut Regis cœlestis sponsi domum immaculatam.* Quis credat, dicereve audeat, eam de quo ab Angelo tot ac tanta dicuntur, vllo vnquam tempore etiam per minimum instans, originalis peccati labe fuisse infectam? Cœlestem thesaurum & Dei-

tatis

tatis diuitias, in summam gratiæ pauperiem fuisse commutatas? Plenissimam sanctitatem atque perfectam iustitiam, in iniquitatem siue iniustitiam conuersam? Dei vnigeniti mansionem, honorabile templum, domum Dei omnium creatoris propriam, ac cœlestis sponsi domum immaculatam, per originale peccatum prædictum fœdatam, deturpatam, profanatam, & dæmonis ipsius habitationem factam? Hæc certe omnia, vel aures ipsæ horrescunt exaudire.

Pergit supradictus Origenes homilia 3. in cap. 2. Matthæi, iterumque inducit Angelum loquentem ad Ioseph, vt in Ægyptum pergat, & dicit. *Hic puer non indiget Patre super terram, incorruptibilem enim habet Patrem in excelsis: non indiget Matre in cœlis immaculatam & castam habet Matrem in terra: hanc multũ beatam Virginem Mariam.* Quid amplius vnquam potest desiderari, ad hoc vt plane constet de mente & sententia Origenis, prædictam sacram Virginem immaculatam semper fuisse, atque ab omni prorsus originalis peccati labe præseruatam? Et vt non cuipiam dicere liceat, non eundem loqui de puritate & immunitate prædicta, quam habuit à primo suæ Conceptionis instanti: sed de alia quã habuit in discursu suæ vitæ: audiat eundem Originem in supradicta Homilia prima in Matthæũ, dicentem, loquendo de eadem sacra Virgine. *Hæc* (inquit) *est quæ nec serpentis persuasione decepta, nec eius venenosis afflatibus infecta fuit*. Quid clarius? Quid expressius? perspicuum vt fiat, loqui eundem de antiqua illa deceptione, quã mater nostra Eua serpentis fuit persuasione decepta, & eiusdem venenosis afflatibus infecta? — *Idem Origen.*

9. Succedat in id ipsum Diuus Gregorius Neocesariensis Episcopus, Miraculorum multitudine atque præstantia appellatus Thaumaturgus, puritatis atque immunitatis Deiparæ Virginis accerrimus propugnator: qui floruit anno Domini 233. & de eiusdem Annunciatione, tres sermones conscripsit. In quorum primo post alia sequentia verba dicit. *Conueniente rigitur sanctam Mariam ex omnibus generationibus solam gratia elegit: nam prudens reuera ac sapiens incunctis erat, nec similis ei ex omnibus generationibus vlla vnquam fuit reperta.* Notemus (obsecro) verba illa quibus dicit, quod sanctam Virginem Mariam ex omnibus generationibus solam elegit gratia. Multi alij à gratia & per gratiam sunt electi: sed communi & regulari eligendi modo, nempe post culpam, & post originale peccatum iam contractum. At dum Virgo Deipara sola à gratia electa dicitur, clare profecto insinuatur, quod non communi & regulari, sed singulari modo fuit electa, & à culpa & originali labe præseruata. Subdit supradictus Gregorius, & ait. *Non sicut antea Virgo Eua sola in Paradiso chorum agens atque tripudians, relaxata mente per incuriam ab auctore omnis mali serpente verbum suscepit, & sic sensu mentis corrupta est, ac per ipsam fraudulentus venenum effundens, mortemq; admiscens in omnem mundum introduxit, ac propterea omnis Sanctorum* — *D. Greg. Neocesariens. Episcopus.*

aerumna nata est: verum in sola sancta Virgine eius lapsus reparatus est. Quonam (quaeso) modo in sacra praedicta Virgine primae mulieris lapsum reparatum dicemus, si in eam etiam originalis peccati communis prostrauit casus? Quod si dicas postea excitatam eadem fuisse, à lapsu in quo prius iacuerat: certe in ea re, ipsa haudquaquam fuit sola siue singularis. Vt igitur in ea sola ac singulariter primae antiquae mulieris lapsus vere reparatus dicatur, necesum est dicamus & nos atque fateamur, ipsam ab eiusmodi lapsu, illiusque reatu immunem prorsus fuisse, & originale peccatum nunquam incurrisse. Quod haud obscure insinuauit etiam Diuus Gregorius supradictus, dum addit & dicit. *Angelus sancta Maria primo omnium illud Aue gratia plena praesignauit: quoniam cum ipsa totius gratiae thesaurus reconditus erat: & ex omnibus generationibus haec sola Virgo sancta corpore & spiritu extitit, solaq; portauit eũ qui verbo portat omnia*. Super quae verba ad notãdum quammaxime est, id quod de sacra Deipara dicit, fuisse nempe in ea totius gratiae thesaurum recõditum: & quod in generationibus omnibus hęc sola Virgo sancta extitit corpore & spiritu, ac talis qualem esse decebat eam quae conceptura & paritura erat, eum qui verbo omnia portat. Quonam (quaeso) pacto haec de praedicta Virgine sacra vllo modo verificari possent, si originalis peccati labe fuit infecta, & ab eodem non preseruata? Quomodo in ea totius gratiae fuit thesaurus reconditus, si originalis iustitia quae inter alias omnes gratias maior est, & quasi primatum optinet, illi defuit? Quomodo in generationibus omnibus ea sola sancta fuit corpore & spiritu, si originalis iustitiae dono caruit, & perpetua sanctitas à primo suae Conceptionis instanti non concedatur illi? In quonam sensu dici potest ipsa sola sancta, aut id ipsum de ea verificari? An non etiam de Christo Domino canit Ecclesia, quod ipse sit solus Sanctus? *Quoniam tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus Iesu Christe*. Qualiter hoc est inteligendum? Diuus Thomas dicit Christum Dominum fuisse solum Sanctum, quia ipse solus habuit sanctitatem, quasi naturalem, necessariam & indeficientem. Non id nos dicamus de sacra Virgine, sed alio modo, nempe quod licet non eodem iure, simili tamen quadam alia ratione sanctitatem ipsa habuit, ex singulari Dei priuilegio à primo suae Conceptionis instanti, sanctitatem etiam perpetuam & indeficientem (non à natura quidem) sed ex diuina gratia: vt in eo ex generationibus omnibus singulariter dici potuit sancta, corpore & spiritu. Multa alia dicit praedictus Gregorius Neocaesariensis siue Thaumaturgus de Virgine sacra, quae vix aut nullatenus de illa verificari possunt, nisi sibi cõcedatur quod ab omni prorsus originalis peccati labe fuerit praeseruata.

Idem Gregor. Neocaesariẽsis. Sed expendamus alia eiusdem verba, in eodem primo sermone de Annunciatione, vbi cum eadem loquendo inter alia dicit. *Sed ipse sanctificationis Dominus, pater castitatis, incorruptionis auctor, & libertatis dator,*

tor, salutis procurator, qui ex terra Virgine creauit hominem, & ex illius latere & costa Euam assumpsit: hic Dominus tecum, & rursus ex te. Quæ quidē verba explicans Gerardus Bosius, Gregorij prædicti Scholiastes. *Satis* (inquit) *aperte magnus hic auctor significat & ostendit, quod vt fuerunt Adam & Eua omnis macula expertes creati, ita sancta hæc Virgo ab omni peccato libera concepta & nata fuit. Ita vt Gregorij verborum sensus hic sit. Quod sicut Adamus ex terra virgine est conditus, sic etiam & Christus secundus Adamus ex prædicta sacra Virgine est procreatus: & sicut Eua ex Adami costa cum originali iustitia fuit formata: sic & Virgo Deipara in prima sui conditione siue Conceptione, iustitia originali prædicta fuit dotata.* Et paulo inferius prædictus Gregorius vocat sanctam prædictam Virginem. *Orientem Solis intelligibilis, florem vitæ immaculatum, gratia plenā, semper vigentem vitem, quæ animas glorificantium se lætificat, impollutam, immaculatam, veram sanctificationis arcam, intrinsecus, & extrinsecus deauratam, quæ vniuersum sanctificationis thesaurum suscepit.* Quid amplius dici aut desiderari vnquam potuit?

Et in sermone secundo eiusdē Annunciationis idem Gregorius post alia, Virginis sacræ puritatem & perpetuam sanctitatem commendans, inquit: *Aue gratia plena. Tu enim es quæ reuera gaudio sunt digna agis, quoniam immaculatam induta es vestem.* Notentur hæc vltima verba. Fuere etenim ac si expressius dixisset. Aue. Tuum est enim Auere & gaudere, quia tu sola es singularis & immaculata: quod idem pollet ac omni cares culpa, quæ tristitiæ & fletus vnica existit causa. Post quæ subdit. *Aue gratia plena, quæ super cælestis lætitia vas es atque receptaculum. Aue gratia plena: nam per te gaudium omni dispensatur creaturæ.* Et post pauca. *Quoniam tu sancta, & omni humana creatura gloriosior, purior, ac sanctior effecta, ac niue quidem candidiorem habes mentem: quovis autem auro quamtumvis probato, purificatum magis corpus.* Quis non videat omnibus his verbis ac varijs dicendi modis, de mente & sententia prædicti Gregorij, sacræ Virginis puritatem, sanctitatemque eximiam atque perpetuam aperte præsignari, fuisseque eam prorsus ab omni peccati originalis labe liberam & immunem? Id quod & præsertim monstrauit postquam paulo inferius appellat eam. *Cælestem semper vigentem & immortalitatis paradisum.* *Idem Gregor Neocæsariēsis.*

10. Loco succedat Diuus Ciprianus Cartaginensis Episcopus, sanctitate & eloquentia eximius: qui floruit anno 250. & in oratione de Christi natiuitate, inter eximias alias sacræ Virginis laudes, de eadem loquendo dicit. *Nihil in hac* (scilicet Maria) *repetijt vltio, nec præcedens delectatio aliquam expetijt pœnarum vsuram. Spiritu Sancto obumbrante, incendium originale in ea extinctum est: ideòq; innoxiam affligi non decuit, nec sustinebat iustitia, vt illud vas electionis communibus laxaretur iniurijs, quoniā plurimum à cæteris differens, natura communicabat non culpa.* Quibus in verbis, quammaxima est consideratione dignum, id quod dicit in sacra prædicta Virgine: *Spiritu Sancto obumbrante extinctum esse incendium originalis* *D. Ciprianus Carnaginensis Episcopus.*

ginalis peccati. Quod fuit ac si expressius diceret, quod huiusmodi originale peccatum, obumbrante Spiritu Sancto, illudque impediente, ad illam minime pertingit. Vnde sequitur, quod nec decuit innoxiam affligi. Nec enim (inquit) sustinebat iustitia, vt illud electionis vas cõmunibus lassaretur iniurijs, quoniam plurimum à cæteris differens, natura communicabat, non culpa. Quasi diceret, quod quamvis prædicta sacra Virgo cum cæteris hominibus conueniret, in eo quod est esse eiusdem essentiæ siue naturæ specificæ: conueniebat tamen atque cõmunicabat cum illis in natura, non vero in culpa: quia nullam prorsus, nec actualem, nec originalem habuit. Hunc locum conantur quidam peruertere, dicentes ex eo haudquaquam argumentum ad nostram sententiam probandam posse desumi: & quod solummodo potest & debet ad sacræ Virginis partum accommodari. Sed certe id absque omni prorsus ratione dicitur: nec dici vllo modo potest, quod in Virgine sacra tempore partus, originalis peccati incendium fuerit extinctum, etiam in opinione illorum qui nostræ sententiæ aduersantur. Cum igitur id non determinate, sed absque illa prorsus distinctione dicatur: quod in ea obumbrante Spiritu Sancto, originale incendium fuerit extinctum: pro omni temporis differentia accipiendum est, ac dicendum quod de mente Diui Cipriani nunquam originale incendiũ fuit perpessa: quinvero ab eo obumbrante Spiritu Sancto, diuinitus liberata & præseruata. Pergit supradictus Ciprianus Deiparę Virginis cumulatissimam gratiam explicare, dicendo. *Quod erat ei proprium priuilegium, quod nulla mulierum, nec ante, nec deinceps meruit obtinere, scilicet quod erat simul Mater & Virgo, singulis titulis insignita.* Sed dices, quid inde ad eiusdem immunitatẽ siue præseruationem à peccato originali præsignandam? Constabit id quidem ex eo quod statim sequitur. *Vnde* (inquit) *& Matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantior gloria, quæ carnis & mentis integritate insignis, spirituali & corporali, intus & extra Christi præsentia fruebatur.* Quid quærendum est amplius? Si tali matri gratiæ plenitudo debebatur (vt inquit Ciprianus) quo carnis & mentis integritate foret insignis: & sancta & pura, corpore & spiritu, intus & extra aptata vt Dei Filium sacro suo exciperet vtero, cur (quæso) originalis gratia erat sibi deneganda: & quasi dimidiata gratia concedenda, & non potius plena atque perpetua à primo suæ Cõceptionis instanti, vt vel sic animæ & carnis suæ puritas, Angelicæ adæquaretur puritati? Cur non concessum existimabimus sacræ Virgini, Reginæ, Dominæ & Heræ, quod præstitum fuit seruis atque ministris, Angelis scilicet, ac primis nostris parentibus in Paradiso constitutis?

D. Dionysius Alex. aud. 11. Loco in nostræ sententiæ & conclusionis confirmationẽ succedat Diuus Dionysius Alexandrinus, qui floruit circa annum 250. & multa quidem (vt dicitur) eaque eruditissima scripsit opera, quã-

vis

vis non omnia extent. Ex quibus in quadam epistola aduersus Paulū Samosatenum, quæ habetur in secundo tomo auctuarij Bibliothecæ veterum Patrum, in eiusdem præfatione de Virgine sacra loquendo, sic inquit. *Deus enim apparuit in carne natus ex muliere, qui erat ex Patre Deo genitus ex vtero ante luciferum: tanquam ex corde Verbum ex Patre editum, & simplex atque expers partium Verbum caro factum est: non diuisum in carnem, & Verbum quasi in homine habitet Verbum: hac enim fuga generationis est, si quidem iam inde habitat in quibus multa reperiuntur matres: vna autem & sola Virgo, filia vitæ, genuit Verbum viuens, & per se subsistens, increatum & creatorem.* Quæ verba vt plene intelligantur ad notandum est, dogma olim Samosateni prædicti fuisse, Verbum Dei in Virgine quidem fuisse, & ex illa in mundum apparuisse: non tamen ab ea fuisse genitū aut procreatum: sed solummodo spiritualiter conceptum. Cui volens resistere Dionysius, non ita est (inquit) nam eius generis matres, quæ Verbum Dei spiritualiter conceperint, ac Deum per gratiam in se morantem habuerint per multæ sunt: de quibus matribus in Euangelio Christus dixit: *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & Mater est.* Non de huius generis maternitate loquor (inquit Dionysius) sed de alia. Nam vna ac sola est Virgo filia vitæ, quæ genuit Verbum viuens, per se subsistens, increatum & creatorē, & non spiritualiter tantum, verum etiam & corporaliter procreauit. In quibus vltimis verbis, notanda sunt & quammaxima consideratione digna: quia magnam habent energiam, illa. *Vna autem & sola Virgo, filia vitæ.* Quibus quidem insinuatur, quod Virgo sacra in hoc quod est fuisse filiam vitæ, vna & sola fuit, & sociam habet neminem. Nam reliqui omnes ab Adam per rationem seminalem descendentes, natura non sunt filij vitæ: quinvero filij mortis (vt enim inquit D. Paulus ad Galatas 2. *Eramus omnes natura filij iræ*) sola Virgo sacra inter omnes per excellentiam & anthonomasiam dici potest filia vitæ, quia ex diuina gratia & speciali priuilegio, morti nunquam subiacuit, nec cōtraxit originale peccatum. Multa alia dicit Dionysius prædictus ibidem, sed maxime in solutione quæstionis quintæ & septimæ, & decimæ, quæ per tempus referre non licet: *Sacram Virginem vocando Dei tabernaculum, non ab hominibus fabricatum, sed à Spiritu Sancto firmatum.* Ac tādem. *Quod superueniente in eam Spiritu Sancto, illam incorruptam, & à pedibus vsque ad caput benedictam seruauit, sicut ipse solus nouit, modum conceptus & ortus sui.* Post quæ addit. *Hæc enim est, quam Isaac prauidens, dicebat Iacob, det tibi Deus benedictionem terræ habentis omnia, qui enim de cælo descendit vnigenitus Deus, Verbum gestatum est in vtero, & genitum ex Paradiso virginali habenti omnia.* Quæ prædicta verba omnia, quammaxima sunt consideratione digna, & ex ipsis satis colligitur intentum: nempe quod de mente Dionysij prædicti, Virgo sacra ab omni prorsus originalis peccati labe fuit præseruata. Haud enim aliud significant verba illa, quod

superueniente in eam Spiritu Sancto, Deus incorruptam illam & à pedibus vsque ad caput benedictam seruauit. Quæ locutio figurata cum sit, perspicuum est quod per caput eiusdem initium, per pedes vero finis designatur: & fuit ac si expressius dixisset, superueniente in eam Spiritu Sancto à suæ Conceptionis principio, vsque ad eius vitæ finem, benedictam fuisse seruatam, atque ab omni prorsus originalis & actualis peccati labe præseruata.

Chrysip. Presbyter Hieroso. 12. Loco succedat Chrysippus Presbyter Hierosolymitanus, qui eodem tempore floruit, & in sermone quodam de Laudibus Virginis inter præclara alia elogia quæ de illa dicit, sic inquit. *Tecum est conditor omnium: tecum inquam vt ex te gignatur: tecum in conceptione, vt ex partu tuo generetur.* Et vt nequis dicat Conceptionis nomine, hic non intelligi eam qua Virgo sacra concepta est, sed illam qua ipsa Christũ Dominum concepit: ad alia eiusdem Chrysippi verba me conuerto quibus dicit. *Tuum est verissime audire istud gratia plena: quia tecum est vniuersus lætitiæ thesaurus: totius lætitiæ & gratiæ Rex, cum Ancilla, cum speciosa inter mulieres, speciosus forma præ filijs hominum: cum puella impolluta, is qui sanctificat omnia, &c.* Quibus in verbis cum Virgo sacra tantopere prædicetur Beata, & magnificetur opulentissima eiusdem gratia, lætitia, pulchritudine atque munditia; quis (quæso) audeat dicere in originalis peccati tristitia, mæstitia & immunditia eandem fuisse conceptam, fœdatam atque maculatam? Non hæc solummodo dicit Chrysippus prædictus de Virgine Deipara, vnde id quod prædictum est liceat coligere, quinvero ex eo quod statim addit. *Obliuiscere ô Virgo populum tuum: populus enim à quo cognationem contraxisti nequam est, ignominiam tibi affert: populus imprudens tibi irreprehensæ naturæ propaginis familiaritate iunctus est, & cultura spinarum ferax rosam tuam producit, &c.* Quæ verba vt plene intelligantur sic debent construi. Obliuiscere (ô Virgo populũ tuum) abijce â tua memoria gentem illam à qua progenita es. Etenim si fœdam maiorum tuorum naturam consideres (cum illis naturam communices) ignominiam tibi afferent, maculamque originalem trahere inde videberis, coniuncta illis cum sis atque ex eodem trunco, eademque propagine producta, & procreata; inde fiet vt tuæ stipitis vitium omnium etiam quodammodo esse videatur: sed euge Virgo sacra, gaude & lætare: quia sicut è spinosa planta, mollis nihilominus rosa solet exoriri: ita & tu turpi è trunco germen optimum extitisti: è populo polluto ac nequam, fœmina sancta, impolluta atque omninò irreprehensa: quia cum prædicto populo tuo natura communicas, nõ vero culpa. Sic verba prædicta habent explicari.

D. Athanas. Episc. Alex. 13. Loco succedat in nostræ etiam sententiæ, & conclusionis cõfirmationem, Magnus ille Athanasius Episcopus Alexandrinus, qui floruit tempore Constantini Magni, anno Domini 340. Qui quidem sermone quodam de Virgine Deipara, qui habetur inter alios, tertio tomo

tomo de eadem loquendo post alia, sic inquit. *Itaque Spiritus Sanctus in Virginem descendit, cum omnibus suis essentialibus virtutibus, imbuens eam gratia, vt in omnibus esset grata: atque id circo gratia plena cognominata est, eo quod adimpletione Spiritus Sancti omnibus gratijs abundaret. Quam virtutem per omnia tempore sui conceptus eam habuisse confido, & post conceptum eam retinuisse neque enim id temporaneum in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora illi datum fuisse.* Quibus in verbis, quammaxima consideratione digna sunt illa, quibus dicitur, quod Spiritus Sanctus descendit in Virginem cum omnibus suis essentialibus virtutibus, imbuens eam gratia, vt in omnibus esset grata, & quod id circo gratia plena cognominata est. Si igitur id ita est, haudquaquam existimandum est, quod illi defuerit vllo vnquam tempore (neque per minimum instans) originalis gratia siue iustitia, quæ omnium est potissima, illaque caruerit in primo suæ Conceptionis instanti, & originalis peccati labe fuerit fœdata; quinvero potius quod ipsam inter alias habuit, & ab omni prorsus originali peccato fuit præseruata. Quod etiam haud obscure insinuauit Diuus Athanasius, dum in eodem sermone cum eadẽ Virgine sacra loquendo dixit. *Te decet Matrem, regeneratricem, Dominam atque Heram cognominari, eo quod ex te prodijt Rex, Dominus ac Deus noster, assistentem illi, nobis quidem terribili, tibi autem dulci: omnemque gratiam largienti, qua de causa factum est, vt gratia plena appellata sis, vtpote quæ omni gratia abundaret.* In quibus verbis, etiam sunt quammaxima consideratione digna illa, *nobis quidem terribili, tibi autẽ dulci.* Cur (quæso) Deus nobis terribilis, Mariæ autem dulcis? Non certe ob aliud, nisi quia nostra peccata (originale quammaxime) eiusdem Dei iram in nos semper concitant: quibus cum Virgo sacra omninò caruerit, nihil prorsus in ea fuit ob quod foret ipse sibi terribilis: quinvero semper amabilis, suauis & dulcis, propter abundãtissimam atque copiosissimam gratiam, quam habuit à primo suæ Conceptionis instanti. Qua de causa (inquit) factum est, vt ab Angelo gratia plena appellata sit, vtpotè quia omni gratia semper abundauit. Quod certe de ea dici minime posset, si caruisset supra dicta originali iustitia, siue gratia illam à peccato præseruante. Quæ supradicta omnia ex eo confirmantur, quia in eodem etiam sermone Athanasius prædictus, eandem sacram Virginem vocat: *Iterum atque iterum, & semper & vndequaque beatissimam.* *Idem vbi sup.*

14. Loco succedat Sanctus Ephren Syrus Edesenæ Ecclesiæ Diachonus, qui floruit circa annum 365. & in oratione de Laudibus Virginis vocat eam: *Intemeratam, sincerissimam & prorsus puram.* Cuius (quia notabilissima sunt) expressa verba libet referre, quæ sic habent. *Intemerata, interrupta, prorsusque pura, immaculataque Virgo Deipara, ab omni sorde & peccati labe alienissima, omnium Regina, sublimior fuit cœlicolis, purior solis radijs, & splendoribus, honoratior Cherubin, sanctior Seraphin, & gloriosior cæteris omnibus superis exercitibus.* Notentur obsecro omnia prædicta epitheta, *S. Ephren Syrus.*

theta, quæ certe adeò sunt insignia, vt illis perspectis ac plene considerátis, illam de qua tot ac tanta dicuntur (quæ omnem dicendi superant facultatem) nescio quis vllo modo dicere audeat, originalis peccati labe in suæ Conceptionis instanti fuisse infectam: & non potius omninò liberam, & ab illo prorsus præseruatam: vt vel sic æquaretur Angelis, quibus adeò maior atque sublimior prædicatur, vt de illa dicatur, quod omnium sit Regina, & cætera quæ superius sunt dicta.

D. Basil. Mag. 15. Loco succedat Diuus Basilius Magnus, Monachorum antiquorum Pater, qui floruit circa annum 370. is in Lythurgia sua (quæ quidem satis est notatu digna) non semel & iterum: quinvero sæpe ac sæpissime, sacram etiam prædictam Virginem vocat. *Sanctissimam, intemeratam atque immaculatam.* Quæ etiam epitheta haudquaquam illi conuenire possent, si in primo suæ Conceptionis instanti, ab originalis peccati labe ipsa non prorsus fuisset præseruata. Sed specialiter in sermone de Incarnatione Christi, siue de Natiuitate eiusdem, post alia in sequentia verba prorumpit. *Id sæculum in quo Maria viuebat, nihil cum Mariæ puritate comparandum habuit, quæ vt Spiritus Sancti operationem susciperet electa est.* Et infra. *Ex sanctitate igitur compacta Virginis caro, digna erat vt Deitati vnigeniti filij Dei vniretur.* Prædicta omnia verba quammaxima etiam sunt consideratione digna. Etenim si eo tempore quo sacra Virgo viuebat, nullus fuit qui cum ipsius puritate posset comparari, cum in illo tempore fuerit Sanctus Ioannes Baptista, qui sanctificatus fuit in vtero, aliquid certe amplius Deiparæ Virgini concedendum est, in quo cum ea nullus comparationē habuerit, quod nihil aliud esse potest, nisi præseruatio prædicta ab omni prorsus originalis peccati labe. Quam & fuisse factam nemo debet mirari, cum (vt inquit prædictus Basilius) ea fuerit electa & præordinata à Deo, vt Spiritus Sancti operationem in semetipsa susciperet, & Verbum Dei sacro suo gestaret vtero: quam etiam ob causam dicit, quod ipsius caro à sanctitate fuit compacta: digna vt esset vt vnigenitus Dei ex ipsa gigneretur. Quonam pacto (quæso) sacræ Virginis caro ex sanctitate vllo modo dici posset compacta, si non ea in primo suæ Conceptionis instanti ab originalis peccati labe fuisset præseruata?

S. Epiphan. 16. Loco succedat Sanctus Epiphanius, qui etiam per id tempus floruit, & cum Virgine sacra loquendo sermone quodam de Laudibus eius, purissimam ipsius Conceptionem haud obscure etiam insinuauit, dicens. *Gratia plena es ò Beata Virgo, solo Deo excepto cunctis superior exi-stis: natura formosior es ipsis Cherubin, Seraphin, & omni exercitu Angelico.* Et infra. *Lætabantur Angeli quasi ipsi duntaxat Deum superiorem haberent: quibus Beata Virgo superior nata, Deum habitantem in cœlis concepit in terra.* Et postea parum infra, eandem vocat. *Lilium immaculatum, ouem immaculatam, quæ peperit agnum Christum: iuuencam nunquam iugum expertam quæ vitulum genuit.* Ex quibus quidem verbis (vt mihi videtur) satis aperte

nostrum

nostrum colligitur intentum. Nam quonam modo Virgo Deipara (solo Deo excepto) cunctis etiam Angelis superior potuit existere, ac natura formosior dici ipsis Cherubin, Seraphin & omni Angelico exercitu; si aliquo tempore illa (etiam per minimum instãs) originali subiacuisset peccato? Quonammodo natura posset dici formosior ipsis Cherubin, Seraphin, & omni exercitu Angelico, cum natura humana (vt constat) ex se inferioris sit ordinis: si ea ex diuino priuilegio ad altissimam quandam gratiam supra omnes Angelos non eleuata fuisset, & inter homines non hoc habuisset singulare & speciale, vt ab omni prorsus originalis peccati labe præseruata fuisset? Super quæ prædicta verba quammaxime in considerationem veniunt illa. *Solo Deo excepto cunctis superior existis, & natura formosior es ipsis Cherubin, & Seraphin, & omni exercitu Angelico.* Quibus de mente Epiphanij, tanquam firmissimo, solidissimoque fundamento innixi, conficere atque fabricare certe possumus quemcunque, vt cunque eximium conceptum circa sacræ Virginis puritatem & immunitatem. Nam cum prædicta omnia Virgo sacra natura dicatur habere, & natura in proposito non possit accipi pro substantia, nec pro specie substantiæ, cum (vt predictum est) humana natura ex se inferioris sit ordinis quam Angelica: liquidum profecto fit, quod accipienda sit pro natiuitate: in quo sensu etiam accipit eam Aristoteles 2. lib. Physicorum. Nec solum pro natiuitate quæ est ex vtero, verum etiam & pro origine naturalis Conceptionis intra vterum. Ex quo sequitur, quod de sententia Diui Epiphanij, Virgo Deipara natura (id est à natiuitate) & prima sui cõditione in vtero sanctissimæ suæ Matris (solo Deo excepto) cunctis superior extitit, etiam ipsis Angelis, Cherubin atque Seraphin. Cum quibus quammaxime consonat id quod prædictus Epiphanius statim addidit, nempe quod lætabantur antea Angeli, quasi ipsi Deum dumtaxat superiorem haberent. At postquam Virgo sacra nata, seu potius concepta est, iam ex tunc illis omnibus superior extitit, vtpotè quæ conceptura erat in terra Deum inhabitantem in cœlis. Qua quidem ratione congruentissimè etiam idem Epiphanius vocauit illam liliũ immaculatum: & dicit eam exortam quidem fuisse ex spinosa terra, (hoc est ex carne peccato subiecta) attamen absque vlla prorsus spina seu potius originalis peccati labe. Ad idem facit quod vocat eam ouem immaculatam, iuuencamque iugum nunquam expertem: quod pro eo dicit, quia concepta fuit absque vlla prorsus macula; & originalis peccati iugum, quod positum est super omnes filios Adam à die exitus seu potius conceptionis ipsius; vt habetur Ecclesiast. 40. minime est experta.

17. Loco in nostræ etiam sententiæ & conclusionis comprobationem, succedat Diuus Ambrosius Episcopus Mediolanensis, eloquẽtiæ flumen, qui floruit circa annum 374. Qui quamvis ab aduersarijs *D. Ambrosius Episcop. Mediolanensis.*

pro contraria parte adducatur, immerito tamen: nam ipse etiam sacræ Virginis puritatem, & ab omni originalis peccati labe immunitatē, satis aperte testatus est, dum sermone quodam de eadem loquendo, dixit. *Hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpa fuit.* Quæ quidem verba, quamvis non recipiantur ab omnibus, quia (vt dicitur) in eiusdem operibus non reperiuntur, haudmodicum quidem ponderis & auctoritatis habent, cum reperiantur in antiquo conceptionis officio, & citentur à Clitoueo lib. 1. de puritate Conceptionis Beatæ Mariæ cap. 13. & à Bernardino de Bustos quodam sermone de Conceptione in suo mariali, & de illis fidem faciunt quamplures ex Scriptoribus antiquis, qui & desumpta esse dicunt ex commentarijs eiusdem Diui Ambrosij in Isaiam, quæ à se conscripta fuisse affirmat ipse lib. 2. super Lucam.

Idem Ambro. Sed quidquid de hoc sit, afferamus alia eiusdem Ambrosij verba, quibus id ipsum haudobscure insinuetur. Supradictus D. Ambr. serm. 22. super Psalm. 118. explicando illa verba: *Erraui sicut ouis quaperijt, quare seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.* Sic inquit. *Veni ergo & quare ouem tuam: iam non per seruulos, non per mercenarios, sed per te metipsum. Suscipe me in carne quæ in Adam lapsa est, suscipe me non ex Sara, sed ex Maria: vt in corrupta sit Virgo, Virgo per gratiam ab omni labe peccati integra.* Quibus verbis Deum præcatur, ipsum vt quærat, non iam per homines puros, sed per semetipsum suscepta carne, non quacunque, sed ea quæ in Adamo lapsa est: non quidem quæ in ipso fuit corrupta (vt fuit caro Saræ, quæ corrupta concepit filium) sed ex carne Mariæ, quæ sit caro Virginis incorrupta, & quæ sine viro concepit Dei Filium, & adhuc mansit incorrupta corpore & spiritu, per gratiam ipsam præseruantem, integram ab omni peccati labe. Quam quidem explicationē esse genuinam, & ad mentem prædicti Diui Ambrosij, satis colligitur ex eo quod dixit idem lib. 1. de Virginibus loquendo de prædicta sacra Virgine, dum ait: *eam fuisse Virginem, non solum corpore, verum etiam & mente.* Ex quo sequitur, in præcitatis verbis Diuum Ambrosium duplicem Virginitatem præcari, in ea a qua Filius Dei carnem debebat assumere: vnam corporis, alteram vero mentis per gratiam. Cum igitur Virgo sacra mente integra, & Virgo haudquaquam esse posset, si originalis peccati labe fuisse violata: nam sicuti Virginitas corporis stare non potest cum qualicunque carnis corruptione, ita nec Virginitas siue integritas mentis (quæ est per gratiā) stare potest cum qualicunque peccati corruptione: manifeste profecto sequitur, quod ipse prorsus nostræ fuerit sententiæ & opinionis, nempe quod Virgo sacra semper fuit Virgo, non solum corpore, verum etiam & mente, & consequenter ab omni originalis peccati labe præseruata.

S. Gregor. Nisenus. 18. Loco succedat Sanctus Gregorius Nisenus, qui floruit circa annum 380. qui quidem homilia 18. in Cantica, explicans illa verba:

dile-

dilectus meus candidus & rubicundus: ad perpetuam Beatæ Virginis sanctitatem comprobandam, post alia in sequentia verba prorumpit. *Solus ex vniuersis hominum miriadibus, de puritate Virginea electus est, cuius Conceptio sine duorum coniunctione perfecta, partus minime inquinatus, partus ignoloris expers, cuius thalamus altissimi potestas, quasi quædam nubis Virginitatem ipsam inumbrans, fax nuptialis, Spiritus Sancti splendor, cubile vitiorum expers conditio, nuptiæ puritas incorrupta.* Super quæ verba, quam maxima consideratione digna sunt illa: *cubile vitiorum expers conditio, nuptiæ puritas incorrupta.* Ex quibus haud obscure nostrum concluditur intentum (quidquid nonnulli in contrarium dicāt.) Etenim per cubile vitiorum, quid aptius quam originale peccatum potest præsignari? ipsum cum sit naturæ vitiū, fons & origo actualium omnium peccatorum: & cum Virgo sacra dicatur nuptiæ puritas incorrupta, de qua (quæso) puritate id ipsum melius potest intelligi, quam de puritate & munditia, quæ est ab omni prorsus originalis peccati labe? Etenim quod de ipsius corporis integerrima virginitate eiusmodi verba non debeant intelligi, exinde patet: nā ea de re iam ante præmiserat quod ipsius partus minime fuerit conquinatus: sed Conceptio sine duorum coniunctione perfecta, & quod potestas altissimi fuerit in ea, quasi quædam nubes virginitatem suam obumbrans.

Alia eiusdem Gregorij Niseni verba. homilia 13. super Cantica ad idem propositum adducuntur à Valentia. *Oportebat* (inquit) *matrem vitæ tam Conceptionem à lætitia inchoare, quam partū in lætitia perficere.* Quæ quidem licet intelligi possint & debeant de Conceptione, qua Virgo Deipara æternum Dei Verbum Angelo nuntiante & Spiritu Sancti operatione sacro suo excepit vtero: haud incongrue etiam intelligi possunt de Conceptione qua ipsa concepta fuit in vtero matris suæ Beatæ Annæ. Quæ quidem si (vt inquit Nisenus) à lætitia fuit inchoata, satis aperte colligitur, quod non ea fuerit originalis peccati labe infecta, & inquinata: aliàs enim læta dici minime posset, quinvero potius tristis, misera & mœsta. Quod etiam eundem Gregorium Nisenū sensisse, exinde colligi potest: quia (vt cōstat ex supradictis) dixit Christum Dominum solum ex vniuersis hominum myriadibus electum fuisse de puritate Virginea. Vbi sacram Virginem nominando, nec dū purā in concreto, verū etiam & puritatem ipsam in abstracto: satis aperte significauit ipsam nullo vnquam tempore (etiam per minimū instans) formæ contrariæ aliquid habuisse: verum puram semper fuisse, & expertem omnis labis originalis peccati. Vt enim cōstat ex Philosophia, hæc est differentia inter abstracta & concreta, quod abstracta omnino nihil contrariæ formæ in se admittunt: quod non necessario sibi vendicant concreta. Nam (vt constat experientia) frigiditas, caloris nihil secum compatitur: cum tamen frigidum quandoque ca-

Idem Gregor. Nisenus.

humanum saluare decreuisset, ex immaculata Maria Virgine natus est, & in figura carnis hostem conculcauit, sua diuinitatis propria potentia. Quibus in verbis, quammaxime ponderanda sunt illa, *impolluta, sancta atque immaculata*, toties repetita, quibus nescio quid clarius siue apertius dici potest, ad sacræ Virginis puritatem, & ab omni prorsus originalis peccati labe immunitatem, siue præseruationem præsignandam? Quæ & inteligi debent, non de quacunque puritate, munditia & sanctitate, postquam ita absolute dicuntur.: sed de puritate, munditia & sanctitate perpetua, quam habuit à primo suæ Conceptionis instanti.

Orig. Adamãtius. 8. In nostræ sententiæ & conclusionis confirmationem, succedat Origenes Adamantius Martyris filius, & Ecclesiæ Doctorum magister: qui natus anno 189. floruit anno 226. & deinceps: quamplurimosque scripsit libros. Et quamvis ab aduersarijs pro alia in contrarium parte adducatur, re tamen plene perspecta, omni proculdubio inter præcipuos sacræ Virginis puritatis assertores, atque prædicatores est annumerandus. Hic si quidem homil. 1. in Matthæum cap. 1. ex varijs quæ de sanctissima Deipara conscripsit, post alia in sequentia verba prorumpit. *Mater eius, Mater immaculata: Mater incorrupta, Mater intacta, Mater eius: cuius eius? Mater Dei vnigeniti, Domini & Regis omnium plasmatoris, & creatoris cunctorum: illius qui in excelsis est sine Matre, & in terra est sine Patre. Huius itaque vnigeniti dum dicitur hæc Mater Virgo Maria, digna digni, Immaculata sancti immaculati, vna vnius, vnica vnici.* Quid (qua so) amplius dici vnquam aut desiderari potuit, in laudem sacræ Deiparę Virginis, & ad ipsius puritatem atque immunitatem præsignandam: dũ adeò aperte dicitur immaculata, incorrupta & in tactà, digna digni, & immaculata sancti immaculati: vna vnius, vnica vnici? Quod certe nihil aliud omninò fuit, ac si diceretur expresius: quod fuit ita sancta, ita pura, ita immaculata, atque esse decebat, eam quæ talem ac tantum genuit filium, adeò sanctum, adeò purum, adeò immaculatũ, ita vt ea vna, illi vni, in omnibus & per omnia (excepta diuinitate) correspon-deret: hoc etiam excepto, vt quod illi per naturam conuenit, huic donatum fuerit per gratiam, & ex speciali priuilegio concessum. Vtque constet Originem prædictum loqui de omnimoda sacræ Virginis immunitate (necdum à peccato quocunque actuali) verum etiam & ab originali: notentur sequentia verba, quæ profert inducendo sanctum Angelum Gabrielem, ad Ioseph Virginis sponsum loquentem. *Accipe ergo* (inquit) *eam* (id est Mariam) *sicut commendatum cælestem thesaurũ: Deitatis diuitias: sicut plenissimam sanctitatem, sicut perfectam iustitiam.* Et infra. *Accipe eam sicut vnigeniti mansionem, sicut honorabile templum, sicut domum Dei, sicut creatoris omnium propriam, sicut Regis cælestis sponsi domum immaculatam.* Quis credat, dicereve audeat, eam de quo ab Angelo tot ac tanta dicuntur, vllo vnquam tempore etiam per minimum instans, originalis peccati labe fuisse infectam? Cœlestem thesaurum & Dei-

tatis diuitias, in summam gratiæ pauperiem fuisse commutatas? Plenissimam sanctitatem atque perfectam iustitiam, in iniquitatem siue iniustitiam conuersam? Dei vnigeniti mansionem, honorabile templum, domum Dei omnium creatoris propriam, ac cœlestis sponsi domum immaculatam, per originale peccatum prædictum fœdatam, decurpatam, profanatam, & dæmonis ipsius habitationem factam? Hæc certe omnia, vel aures ipsæ horrescunt exaudire.

Idem Origen. Pergit supradictus Origenes homilia 3. in cap. 2. Matthæi, iterumque inducit Angelum loquentem ad Ioseph, vt in Ægyptum pergat, & dicit. *Hic puer non indiget Patre super terram, incorruptibilem enim habet Patrem in excelsis: non indiget Matre in cælis immaculatam & castam habet Matrem in terra: hanc multū beatam Virginem Mariam.* Quid amplius vnquam potest desiderari, ad hoc vt plane constet de mente & sententia Origenis, prædictam sacram Virginem immaculatam semper fuisse, atque ab omni prorsus originalis peccati labe præseruatam? Et vt non cuipiam dicere liceat, non eundem loqui de puritate & immunitate prædicta, quam habuit à primo suæ Conceptionis instanti: sed de alia quā habuit in discursu suæ vitæ: audiat eundem Origenem in supradicta Homilia prima in Matthæū, dicentem, loquendo de eadem sacra Virgine. *Hæc* (inquit) *est quæ nec serpentis persuasione decepta, nec eius venenosis afflatibus infecta fuit.* Quid clarius? Quid expressius? perspicuum vt fiat, loqui eundem de antiqua illa deceptione, qua mater nostra Eua serpentis fuit persuasione decepta, & eiusdem venenosis afflatibus infecta?

D. Greg. Neocesariens. Episcopus. 9. Succedat in id ipsum Diuus Gregorius Neocesariensis Episcopus, Miraculorum multitudine atque præstantia appellatus Thaumaturgus, puritatis atque immunitatis Deiparæ Virginis acerrimus propugnator: qui floruit anno Domini 233. & de eiusdem Annunciatione, tres sermones conscripsit. In quorum primo post alia sequentia verba dicit. *Conuenienter igitur sanctam Mariam ex omnibus generationibus solam gratia elegit: nam prudens reuera ac sapiens in cunctis erat, nec similis ei ex omnibus generationibus vlla vnquam fuit reperta.* Notentur (obsecro) verba illa quibus dicit, quod sanctam Virginem Mariam ex omnibus generationibus solam elegit gratia. Multi alij à gratia & per gratiam sunt electi: sed communi & regulari eligendi modo, nempe post culpam, & post originale peccatum iam contractum. At dum Virgo Deipara sola à gratia electa dicitur, clare profecto insinuatur, quod non communi & regulari, sed singulari modo fuit electa, & à culpa & originali labe præseruata. Subdit supradictus Gregorius, & ait. *Non sicut antea Virgo Eua sola in Paradiso chorum agens atque tripudians, relaxata mente per incuriam ab auctore omnis mali serpente verbum suscepit, & sic sensu mentis corrupta est, ac per ipsam fraudulentus venenum effundens, mortemque admiscens in omnem mundum introduxit, ac propterea omnis Sanctorum*

 ærumna

ærumna nata est: verum in sola sancta Virgine eius lapsus reparatus est. Quonam (quæso) modo in sacra prædicta Virgine primæ mulieris lapsum reparatum dicemus, si in eam etiam originalis peccati communis prostrauit casus? Quod si dicas postea excitatam eadem fuisse, à lapsu in quo prius iacuerat: certe in ea re, ipsa haudquaquam fuit sola siue singularis. Vt igitur in ea sola ac singulariter primæ antiquæ mulieris lapsus vere reparatus dicatur, necesum est dicamus & nos atque confiteamur, ipsam ab eiusmodi lapsu, illiusque reatu immunem prorsus fuisse, & originale peccatum nunquam incurrisse. Quod haud obscure insinuauit etiam Diuus Gregorius supradictus, dum addit & dicit. *Angelus sancta Maria primo omnium illud Aue gratia plena præsignauit: quoniam cum ipsa totius gratiæ thesaurus reconditus erat: & ex omnibus generationibus hæc sola Virgo sancta corpore & spiritu extitit, solaq; portauit eũ qui verbo portat omnia*. Super quæ verba ad notãdum quammaxime est, id quod de sacra Deipara dicit, fuisse nempe in ea totius gratiæ thesaurum recõditum: & quod in generationibus omnibus hęc sola Virgo sancta extitit corpore & spiritu, ac talis qualem esse decebat eam quæ conceptura & paritura erat, eum qui verbo omnia portat. Quonam (quæso) pacto hæc de prædicta Virgine sacra vllo modo verificari possent, si originalis peccati labe fuit infecta, & ab eodem non preseruata? Quo modo in ea totius gratiæ fuit thesaurus reconditus, si originalis iustitia quæ inter alias omnes gratias maior est, & quasi primatum optinet, illi defuit? Quomodo in generationibus omnibus ea sola sancta fuit corpore & spiritu, si originalis iustitiæ dono caruit, & perpetua sanctitas à primo suæ Conceptionis instanti non concedatur illi? In quonam sensu dici potest ipsa sola sancta, aut id ipsum de ea verificari? An non etiam de Christo Domino canit Ecclesia, quod ipse sit solus Sanctus? *Quoniam tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus Iesu Christe*. Qualiter hoc est inteligendum? Diuus Thomas dicit Christum Dominum fuisse solum Sanctum, quia ipse solus habuit sanctitatem, quasi naturalem, necessariam & indeficientem. Non id nos dicamus de sacra Virgine, sed alio modo, nempe quod licet non eodem iure, simili tamen quadam alia ratione sanctitatem ipsa habuit, ex singulari Dei priuilegio à primo suæ Conceptionis instanti, sanctitatem etiam perpetuam & indeficientem (non à natura quidem) sed ex diuina gratia: vt in eo ex generationibus omnibus singulariter dici potuit sancta, corpore & spiritu. Multa alia dicit prædictus Gregorius Neocæsariensis siue Thaumaturgus de Virgine sacra, quæ vix aut nullatenus de illa verificari possunt, nisi sibi cõcedatur quod ab omni prorsus originalis peccati labe fuerit præseruata.

Idem Gregor. Neocæsariẽsis. Sed expendamus alia eiusdem verba, in eodem primo sermone de Annunciatione, vbi cum eadem loquendo inter alia dicit. *Sed ipse sanctificationis Dominus, pater castitatis, incorruptionis auctor, & libertatis dator,*

tor, salutis procurator, qui ex terra Virgine creauit hominem; & ex illius latere & costa Euam assumpsit: hic Dominus tecum, & rursus ex te. Quæ quidē verba explicans Gerardus Bosius, Gregorij prædicti Scholiastes. *Satis* (inquit) *aperte magnus hic auctor significat & ostendit, quod vt fuerunt Adam & Eua omnis macula expertes creati, ita sancta hæc Virgo ab omni peccato libera concepta & nata fuit. Ita vt Gregorij verborum sensus hic sit. Quod sicut Adamus ex terra virgine est conditus, sic etiam & Christus secundus Adamus ex prædicta sacra Virgine est pro creatus: & sicut Eua ex Adami costa cum originali iustitia fuit formata: sic & Virgo Deipara in prima sui conditione siue Conceptione, iustitia originali prædicta fuit dotata.* Et paulo inferius prædictus Gregorius vocat sanctam prædictam Virginem. *Orientem Solis intelligibilis, florem vitæ immaculatum, gratia plenā, semper vigentem vitem, quæ animas glorificantium se lætificat, impollutam, immaculatam, veram sanctificationis arcam, intrinsecus, & extrinsecus deauratam, quæ vniuersum sanctificationis thesaurum suscepit.* Quid amplius dici aut desiderari vnquam potuit?

Et in sermone secundo eiusdē Annunciationis idem Gregorius post alia, Virginis sacræ puritatem & perpetuam sanctitatem comendans, inquit: *Aue gratia plena. Tu enim es quæ reuera gaudio sunt digna agis, quoniam immaculatam induta es vestem.* Notentur hæc vltima verba. Fuere etenim ac si expressius dixisset. Aue. Tuum est enim Auere & gaudere, quia tu sola es singularis & immaculata: quod idem pollet ac omni cares culpa, quæ tristitiæ & fletus vnica existit causa. Post quæ subdit. *Aue gratia plena, quæ super cœlestis lætitiæ vas es atque receptaculum. Aue gratia plena: nam per te gaudium omni dispensatur creaturæ.* Et post pauca. *Quoniam tu sancta, & omni humana creatura gloriosior, purior, ac sanctior effecta, ac niue quidem candidiorem habes mentem: quovis autem auro quamtumvis probato, purificatum magis corpus.* Quis non videat omnibus his verbis ac varijs dicendi modis, de mente & sententia prædicti Gregorij, sacræ Virginis puritatem, sanctitatemque eximiam atque perpetuum aperte præsignari, fuisseque eam prorsus ab omni peccati originalis labe liberam & immunem? Idquod & præsertim monstrauit postquam paulo inferius appellat eam. *Cœlestem semper vigentem & immortalitatis paradisum.*

Idem Gregor Neocesariēsis.

10. Loco succedat Diuus Ciprianus Cartaginensis Episcopus, sanctitate & eloquentia eximius: qui floruit anno 250. & in oratione de Christi natiuitate, inter eximias alias sacræ Virginis laudes, de eadem loquendo dicit. *Nihil in hac* (scilicet Maria) *repetijt vltio, nec præcedens delectatio aliquam expetijt pœnarum vsuram. Spiritu Sancto obumbrante, incendium originale in ea extinctum est: ideóq; innoxiam affligi non decuit, nec sustinebat iustitia, vt illud vas electionis communibus laxaretur iniurijs, quoniā plurimum à cæteris differens, natura communicabat non culpa.* Quibus in verbis, quammaxima est consideratione dignum, idquod dicit in sacra prædicta Virgine: *Spiritu Sancto obumbrante extinctum esse incendium ori-*

D. Ciprianus Cartaginensis Episcopus.

ginalis peccati. Quod fuit ac si expresſius diceret, quod huiuſmodi originale peccatum, obumbrante Spiritu Sancto, illudque impediente, ad illam minime pertingit. Vnde ſequitur, quod nec decuit innoxiam affligi. Nec enim (inquit) ſuſtinebat iuſtitia, vt illud electionis vas cõmunibus laſſaretur iniurijs, quoniam plurimum à cæteris differens, natura communicabat, non culpa. Quaſi diceret, quod quamvis prædicta ſacra Virgo cum cæteris hominibus conueniret, in eo quod eſt eſſe eiuſdem eſſentiæ ſiue naturæ ſpecificæ: conueniebat tamen atque cõmunicabat cum illis in natura, non vero in culpa: quia nullam prorſus, nec actualem, nec originalem habuit. Hunc locum conantur quidam peruertere, dicentes ex eo haudquaquam argumentum ad noſtram ſententiam probandam poſſe deſumi: & quod ſolummodo poteſt & debet ad ſacræ Virginis partum accommodari. Sed certe id abſque omni prorſus ratione dicitur: nec dici vllo modo poteſt, quod in Virgine ſacra tempore partus, originalis peccati incendium fuerit extinctum, etiam in opinione illorum qui noſtræ ſententiæ aduerſantur. Cum igitur id non determinate, ſed abſque illa prorſus diſtinctione dicatur: quod in ea obumbrante Spiritu Sancto, originale incendium fuerit extinctum: pro omni temporis differentia accipiendum eſt, ac dicendum quod de mente Diui Cipriani nunquam originale incendiũ fuit perpeſſa: quinvero ab eo obumbrante Spiritu Sancto, diuinitus liberata & præſeruata. Pergit ſupradictus Ciprianus Deiparę Virginis cumulatiſsimam gratiam explicare, dicendo. *Quod erat ei proprium priuilegium, quod nulla mulierum, nec ante, nec deinceps meruit obtinere, ſcilicet quod erat ſimul Mater & Virgo, ſingulis titulis inſignita.* Sed dices, quid inde ad eiuſdem immunitatẽ ſiue præſeruationem à peccato originali præſignandam? Conſtabit id quidem ex eo quod ſtatim ſequitur. *Vnde* (inquit) *& Matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantior gloria, quæ carnis & mentis integritate inſignis, ſpirituali & corporali, intus & extra Chriſti præſentia fruebatur.* Quid quærendum eſt amplius? Si tali matri gratiæ plenitudo debebatur (vt inquit Ciprianus) quo carnis & mentis integritate foret inſignis: & ſancta & pura, corpore & ſpiritu, intus & extra aptata vt Dei Filium ſacro ſuo exciperet vtero, cur (quæſo) originalis gratia erat ſibi deneganda: & quaſi dimidiata gratia concedenda, & non potius plena atque perpetua à primo ſuæ Cõceptionis inſtanti, vt vel ſic animæ & carnis ſuæ puritas, Angelicæ adæquaretur puritati? Cur non conceſſum exiſtimabimus ſacræ Virgini, Reginæ, Dominæ & Heræ, quod præſtitum fuit ſeruis atque miniſtris, Angelis ſcilicet, ac primis noſtris parentibus in Paradiſo conſtitutis?

D. Dionyſius Alex. aud. 11. Loco in noſtræ ſententiæ & concluſionis confirmationẽ ſuccedat Diuus Dionyſius Alexandrinus, qui floruit circa annum 250. & multa quidem (vt dicitur) eaque eruditiſsima ſcripſit opera, quã-

vis non omnia extent. Ex quibus in quadam epistola aduersus Paulũ Samosatenum, quæ habetur in secundo tomo auctuarij Bibliothecæ veterum Patrum, in eiusdem præfatione de Virgine sacra loquendo, sic inquit. *Deus enim apparuit in carne natus ex muliere, qui erat ex Patre Deo genitus ex vtero ante luciferum: tanquam ex corde Verbum ex Patre editum, & simplex atque expers partium Verbum caro factum est: non diuisum in carnem. & Verbum quasi in homine habitet Verbum: hac enim fuga generationis est, si quidem iam inde habitat in quibus multa reperiuntur matres: vna autem & sola Virgo, filia vitæ, genuit Verbum viuens, & per se subsistens, increatum & creatorem.* Quæ verba vt plene intelligantur ad notandum est, dogma olim Samosateni prædicti fuisse, Verbum Dei in Virgine quidem fuisse, & ex illa in mundum apparuisse: non tamen ab ea fuisse genitũ aut procreatum: sed solummodo spiritualiter conceptum. Cui volens resistere Dionysius, non ita est (inquit) nam eius generis matres, quæ Verbum Dei spiritualiter conceperint, ac Deum per gratiam in se morantem habuerint per multæ sunt: de quibus matribus in Euangelio Christus dixit: *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & Mater est.* Non de huius generis maternitate loquor (inquit Dionysius) sed de alia. Nam vna ac sola est Virgo filia vitæ, quæ genuit Verbum viuens, per se subsistens, increatum & creatorẽ, & non spiritualiter tantum, verum etiam & corporaliter procreauit. In quibus vltimis verbis, notanda sunt & quammaxima consideratione digna: quia magnam habent energiam, illa. *Vna autem & sola Virgo, filia vitæ.* Quibus quidem insinuatur, quod Virgo sacra in hoc quod est fuisse filiam vitæ, vna & sola fuit, & sociam habet neminem. Nam reliqui omnes ab Adam per rationem seminalem descendentes, natura non sunt filij vitæ: quinvero filij mortis (vt enim inquit D. Paulus ad Galatas 2. *Eramus omnes natura filij iræ*) sola Virgo sacra inter omnes, per excellentiam & anthonomasiam dici potest filia vitæ, quia ex diuina gratia & speciali priuilegio, morti nunquam subiacuit, nec cõtraxit originale peccatum. Multa alia dicit Dionysius prædictus ibidem, sed maxime in solutione quæstionis quintæ & septimæ, & decimæ, quæ per tempus referre non licet: *Sacram Virginem vocando Dei tabernaculum, non ab hominibus fabricatum, sed à Spiritu Sancto firmatum.* Ac tãdem. *Quod superueniente in eam Spiritu Sancto, illam incorruptam, & à pedibus vsque ad caput benedictam seruauit, sicut ipse solus nouit, modum conceptus & ortus sui.* Post quæ addit. *Hac enim est quam Isaac prauidens, dicebat Iacob, det tibi Deus benedictionem terræ habentis omnia, qui enim de cælo descendit vnigenitus Deus, Verbum gestatum est in vtero, & genitum ex Paradiso virginali habenti omnia.* Quæ prædicta verba omnia, quammaxima sunt consideratione digna, & ex ipsis satis colligitur intentum: nempe quod de mente Dionysij prædicti, Virgo sacra ab omni prorsus originalis peccati labe fuit præseruata. Haud enim aliud significant verba illa, quod

 super-

superueniente in eam Spiritu Sancto, Deus incorruptam illam & à pedibus vsque ad caput benedictam seruauit. Quæ locutio figurata cum sit, perspicuum est quod per caput eiusdem initium, per pedes vero finis designatur: & fuit ac si expressius dixisset, superueniente in eam Spiritu Sancto à suæ Conceptionis principio, vsque ad eius vitæ finem, benedictam fuisse seruatam, atque ab omni prorsus originalis & actualis peccati labe præseruata.

Chrysip. Presbyter Hieroso. 12. Loco succedat Chrysippus Presbyter Hierosolymitanus, qui eodem tempore floruit, & in sermone quodam de Laudibus Virginis inter præclara alia elogia quæ de illa dicit, sic inquit. *Tecum est conditor omnium: tecum inquam vt ex te gignatur: tecum in conceptione, vt ex partu tuo generetur.* Et vt nequis dicat Conceptionis nomine, hic non intelligi eam qua Virgo sacra concepta est, sed illam qua ipsa Christũ Dominum concepit: ad alia eiusdem Chrysippi verba me conuerto quibus dicit. *Tuum est verissime audire istud gratia plena: quia tecum est vniuersus lætitiæ thesaurus: totius lætitiæ & gratiæ Rex, cum Ancilla, cum speciosa inter mulieres, speciosus forma præ filijs hominum: cum puella impolluta, is qui sanctificat omnia, &c.* Quibus in verbis cum Virgo sacra tantopere prædicetur Beata, & magnificetur opulentissima eiusdem gratia, lætitia, pulchritudine atque munditia; quis (quæso) audeat dicere in originalis peccati tristitia, mæstitia & immunditia eandem fuisse conceptam, fœdatam atque maculatam? Non hæc solummodo dicit Chrysippus prædictus de Virgine Deipara, vnde id quod prædictum est liceat coligere, quin vero ex eo quod statim addit. *Obliuiscere ô Virgo populum tuum: populus enim à quo cognationem contraxisti nequam est, ignominiam tibi affert: populus imprudens tibi irreprehensa natura propaginis familiaritate iunctus est, & cultura spinarum ferax rosam tuam producit, &c.* Quæ verba vt plene intelligantur sic debent construi. Obliuiscere (ò Virgo populũ tuum) abijce à tua memoria gentem illam à qua progenita es. Etenim si fœdam maiorum tuorum naturam consideres (cum illis naturam communices) ignominiam tibi afferent, maculamque originalem trahere inde videberis, coniuncta illis cum sis atque ex eodem trunco, eademque propagine producta, & procreata: inde fiet vt tuæ stipitis vitium omnium etiam quodammodo esse videatur: sed euge Virgo sacra, gaude & lætare: quia sicut è spinosa planta, mollis nihilominus rosa solet exoriri: ita & tu turpi è trunco germen optimum extitisti: è populo polluto ac nequam, fœmina sancta, impolluta atque omninò irreprehensa: quia cum prædicto populo tuo natura communicas, nõ vero culpa. Sic verba prædicta habent explicari.

D. Athanas. Episc. Alex. 13. Loco succedat in nostræ etiam sententiæ, & conclusionis cõfirmationem, Magnus ille Athanasius Episcopus Alexandrinus, qui floruit tempore Constantini Magni, anno Domini 340. Qui quidem sermone quodam de Virgine Deipara, qui habetur inter alios, tertio

tomo

tomo de eadem loquendo post alia, sic inquit. *Itaque Spiritus Sanctus in Virginem descendit, cum omnibus suis essentialibus virtutibus, imbuens eam gratia, vt in omnibus esset grata: atq; id circo gratia plena cognominata est, eo quod adimpletione Spiritus Sancti omnibus gratijs abundaret. Quam virtutem per omnia tempore sui conceptus eam habuisse censeo, & post conceptum eam retinuisse neque enim id temporaneum in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora illi datum fuisse.* Quibus in verbis, quammaxima consideratione digna sunt illa, quibus dicitur, quod Spiritus Sanctus descendit in Virginem cum omnibus suis essentialibus virtutibus, imbuens eam gratia, vt in omnibus esset grata, & quod id circo gratia plena cognominata est. Si igitur id ita est, haudquaquam existimandum est, quod illi defuerit vllo vnquam tempore (neque per minimum instans) originalis gratia siue iustitia, quæ omnium est potissima, illaque caruerit in primo suæ Conceptionis instanti, & originalis peccati labe fuerit fœdata; quinvero potius quod ipsam inter alias habuit, & ab omni prorsus originali peccato fuit præseruata. Quod etiam haud obscure insinuauit Diuus Athanasius, dum in eodem sermone cum eadē Virgine sacra loquendo dixit. *Te decet Matrem, regeneratricem, Dominam atq; Heram cognominari, eo quod ex te prodijt Rex, Dominus ac Deus noster, assistentem illi, nobis quidem terribilis, tibi autem dulci: omnemq; gratiam largienti, qua de causa factum est, vt gratia plena appellata sis, vtpotè quæ omni gratia abundaret.* In quibus verbis, etiam sunt quammaxima consideratione digna illa, *nobis quidem terribilis, tibi autē dulci.* Cur (quæso) Deus nobis terribilis, Mariæ autem dulcis? Non certe ob aliud, nisi quia nostra peccata (originale quammaxime) eiusdem Dei iram in nos semper concitant: quibus cum Virgo sacra omninò caruerit, nihil prorsus in ea fuit ob quod foret ipse sibi terribilis: quinvero semper amabilis, suauis & dulcis, propter abundātissimam atque copiosissimam gratiam, quam habuit à primo suæ Conceptionis instanti. Qua de causa (inquit) factum est, vt ab Angelo gratia plena appella sit, vtpotè quia omni gratia semper abundauit. Quod certe de ea dici minime posset, si caruisset supra dicta originali iustitia, siue gratia illam à peccato præseruante. Quæ supradicta omnia ex eo confirmantur, quia in eodem etiam sermone Athanasius prædictus, eandem sacram Virginem vocat: *Iterum atque iterum, & semper & vndequaque beatissimam.* *Idem vbi sup.*

14. Loco succedat Sanctus Ephren Syrus Edesenæ Ecclesiæ Diachonus, qui floruit circa annum 365. & in oratione de Laudibus Virginis vocat eam: *Intemeratam, sincerissimam & prorsus puram.* Cuius (quia notabilissima sunt) expressa verba libet referre, quæ sic habent. *Intemerata, incorrupta, prorsusq; pura, immaculataq; Virgo Deipara, ab omni sorde & peccati labe alienissima, omnium Regina, sublimior fuit cœlicolis, purior solis radijs, & splendoribus, honoratior Cherubin, sanctior Seraphin, & gloriosior cæteris omnibus supernis exercitibus.* Notentur obsecro omnia prædicta epitheta, *S. Ephren Syrus.*

theta, quæ certe adeò sunt insignia, vt illis perspectis ac plene consideratis, illam de qua tot ac tanta dicuntur (quæ omnem dicendi superant facultatem) nescio quis vllo modo dicere audeat, originalis peccati labe in suæ Conceptionis instanti fuisse infectam: & non potius omninò liberam, & ab illo prorsus præseruatam: vt vel sic æquaretur Angelis, quibus adeò maior atque sublimior prædicatur, vt de illa dicatur, quod omnium sit Regina, & cætera quæ superius sunt dicta.

D. Basil. Mag. 15. Loco succedat Diuus Basilius Magnus, Monachorum antiquorum Pater, qui floruit circa annum 370. is in Lythurgia sua (quæ quidem satis est notatu digna) non semel & iterum: quin vero sæpe ac sæpissime, sacram etiam prædictam Virginem vocat. *Sanctissimam, intemeratam atque immaculatam*. Quæ etiam epitheta haudquaquam illi conuenire possent, si in primo suæ Conceptionis instanti, ab originalis peccati labe ipsa non prorsus fuisset præseruata. Sed specialiter in sermone de Incarnatione Christi, siue de Natiuitate eiusdem, post alia in sequentia verba prorumpit. *Id sæculum in quo Maria viuebat, nihil cum Mariæ puritate comparandum habuit, quæ vt Spiritus Sancti operationem susciperet electa est.* Et infra. *Ex sanctitate igitur compacta Virginis caro, digna erat vt Deitati vnigeniti filij Dei vniretur.* Prædicta omnia verba quammaxima etiam sunt consideratione digna. Etenim si eo tempore quo sacra Virgo viuebat, nullus fuit qui cum ipsius puritate posset comparari, cum in illo tempore fuerit Sanctus Ioannes Baptista, qui sanctificatus fuit in vtero, aliquid certe amplius Deiparæ Virgini concedendum est, in quo cum ea nullus comparationē habuerit, quod nihil aliud esse potest, nisi præseruatio prædicta ab omni prorsus originalis peccati labe. Quam & fuisse factam nemo debet mirari, cum (vt inquit prædictus Basilius) ea fuerit electa & præordinata à Deo, vt Spiritus Sancti operationem in semetipsa susciperet, & Verbum Dei sacro suo gestaret vtero: quam etiam ob causam dicit, quod ipsius caro à sanctitate fuit compacta: digna vt esset vt vnigenitus Dei ex ipsa gigneretur. Quonam pacto (quæso) sacræ Virginis caro ex sanctitate vllo modo dici posset compacta, si non ea in primo suæ Conceptionis instanti ab originalis peccati labe fuisset præseruata?

S. Epiphan. 16. Loco succedat Sanctus Epiphanius, qui etiam per id tempus floruit, & cum Virgine sacra loquendo sermone quodam de Laudibus eius, purissimam ipsius Conceptionem haud obscure etiam insinuauit, dicens. *Gratia plena es ò Beata Virgo, solo Deo excepto cunctis superior existis: natura formosior es ipsis Cherubin, Seraphin, & omni exercitu Angelico.* Et infra. *Lætabantur Angeli quasi ipsi dumtaxat Deum superiorem haberent; quibus Beata Virgo superior nata. Deum habitantem in cœlis concepit in terra.* Et postea parum infra, eandem vocat. *Lilium immaculatum, ouem immaculatam, quæ peperit agnum Christum: iuuencam nunquam iugum expertam quæ vitulum genuit.* Ex quibus quidem verbis (vt mihi videtur) satis aperte

nostrum

nostrum colligitur intentum. Nam quonam modo Virgo Deipara (solo Deo excepto) cunctis etiam Angelis superior potuit existere, ac natura formosior dici ipsis Cherubin, Seraphin & omni Angelico exercitu: si aliquo tempore illa (etiam per minimum instãs) originali subiacuisset peccato? Quonammodo natura posset dici formosior ipsis Cherubin, Seraphin, & omni exercitu Angelico, cum natura humana (vt constat) ex se inferioris sit ordinis: si ea ex diuino priuilegio ad altissimam quandam gratiam supra omnes Angelos non eleuata fuisset, & inter homines non hoc habuisset singulare & speciale, vt ab omni prorsus originalis peccati labe præseruata fuisset? Super quæ prædicta verba quammaxime in considerationem veniunt illa. *Solo Deo excepto cunctis superior existis, & natura formosior es ipsis Cherubin, & Seraphin, & omni exercitu Angelico.* Quibus de mente Epiphanij, tanquam firmissimo, solidissimoque fundamento innixi, conficere atque fabricare certe possumus quemcunque, vt cumque eximium conceptum circa sacræ Virginis puritatem & immunitatem. Nam cum prædicta omnia Virgo sacra natura dicatur habere, & natura in proposito non possit accipi pro substantia, nec pro specie substantiæ, cum (vt prædictum est) humana natura ex se inferioris sit ordinis quam Angelica: liquidum profecto fit, quod accipienda sit pro natiuitate: in quo sensu etiam accipit eam Aristoteles 2. lib. Physicorum. Nec solum pro natiuitate quæ est ex vtero, verum etiam & pro origine naturalis Conceptionis intra vterum. Ex quo sequitur, quod de sententia Diui Epiphanij, Virgo Deipara natura (id est à natiuitate) & prima sui cõditione in vtero sanctissimæ suæ Matris (solo Deo excepto) cunctis superior extitit, etiam ipsis Angelis, Cherubin atque Seraphin. Cum quibus quammaxime consonat id quod prædictus Epiphanius statim addidit, nempe quod lætabantur antea Angeli, quasi ipsi Deum dumtaxat superiorem haberent. At postquam Virgo sacra nata, seu potius concepta est, iam ex tunc illis omnibus superior extitit, vtpotè quæ conceptura erat in terra Deum inhabitantem in cœlis. Qua quidem ratione congruentissimè etiam idem Epiphanius vocauit illam liliũ immaculatum: & dicit eam exortam quidem fuisse ex spinosa terra, (hoc est ex carne peccato subiecta) attamen absque vlla prorsus spina seu potius originalis peccati labe. Ad idem facit quod vocat eam ouem immaculatam, iuuencamque iugum nunquàm expertem: quod proeo dicit, quia concepta fuit absque vlla prorsus macula; & originalis peccati iugum, quod positum est super omnes filios Adam à die exitus seu potius conceptionis ipsius; vt habetur Ecclesiast. 40. minime est experta.

17. Loco in nostræ etiam sententiæ & conclusionis comprobationem, succedat Diuus Ambrosius Episcopus Mediolanensis, eloquẽtiæ flumen, qui floruit circa annum 374. Qui quamvis ab aduersarijs *D. Ambrosius Episcop. Mediolanensis.*

dilectus meus candidus & rubicundus: ad perpetuam Beatæ Virginis sanctitatem comprobandam, post alia in sequentia verba prorumpit. *Solus ex vniversis hominum miriadibus, de puritate Virginea electus est, cuius Conceptio sine duorum coniunctione perfecta, partus minime inquinatus, parturigo doloris expers, cuius thalamus altissimi potestas, quasi quædam nubis Virginitatem ipsam inumbrans, fax nuptialis, Spiritus Sancti splendor, cubile vitiorum expers conditio, nuptia puritas incorrupta.* Super quæ verba, quammaxima consideratione digna sunt illa: *cubile vitiorum expers conditio, nuptia puritas incorrupta*. Ex quibus haud obscure nostrum concluditur intentum (quidquid nonnulli in contrarium dicāt.) Etenim per cubile vitiorum, quid aptius quam originale peccatum potest præsignari: ipsum cum sit naturæ vitiū, fons & origo actualium omnium peccatorum: & cum Virgo sacra dicatur nuptiæ puritas incorrupta, de qua (quæso) puritate id ipsum melius potest intelligi, quam de puritate & munditia, quæ est ab omni prorsus originalis peccati labe? Etenim quod de ipsius corporis integerrima virginitate eiusmodi verba non debeant intelligi, exinde patet: nā ea de re iam ante præmiserat quod ipsius partus minime fuerit conquinatus: sed Conceptio sine duorum coniunctione perfecta, & quod potestas altissimi fuerit in ea, quasi quædam nubes virginitatem suam obumbrans.

Alia eiusdem Gregorij Niseni verba. homilia 13. super Cantica ad idem propositum adducuntur à Valentia. *Oportebat* (inquit) *matrem vita tam Conceptionem à lætitia inchoare, quam partū in lætitia perficere.* Quæ quidem licet intelligi possint & debeant de Conceptione, qua Virgo Deipara æternum Dei Verbum Angelo nuntiante & Spiritu Sancti operatione sacro suo excepit vtero: haud incongrue etiam intelligi possunt de Conceptione qua ipsa concepta fuit in vtero matris suæ Beatæ Annæ. Quæ quidem si (vt inquit Nisenus) à lætitia fuit inchoata, satis aperte colligitur, quod non ea fuerit originalis peccati labe infecta, & inquinata: aliàs enim læta dici minime posset, quinvero potius tristis, misera & mæsta. Quod etiam eundem Gregorium Nisenū sensisse, exinde colligi potest: quia (vt cōstat ex supradictis) dixit Christum Dominum solum ex vniversis hominum myriadibus electum fuisse de puritate Virginea. Vbi sacram Virginem nominando, nec dū purā in concreto, verū etiam & puritatem ipsam in abstracto: satis aperte significauit ipsam nullo vnquam tempore (etiam per minimū instans) formæ contrariæ aliquid habuisse: verum puram semper fuisse, & expertem omnis labis originalis peccati. Vt enim cōstat ex Philosophia, hæc est differentia inter abstracta & concreta, quod abstracta omnino nihil contrariæ formæ in se admittunt: quod non necessario sibi vendicant concreta. Nam (vt constat experientia) frigiditas, caloris nihil secum compatitur: cum tamen frigidum quandoque caloris

Idem Gregor. Nisenus.

loris aliquid in se habeat, habereve posit, saltim in aliquo remisso gradu.

D. Hieronym. 19. Succedat Diuus Hieronymus, Ecclesiæ celeberrimus & quàmaximus Doctor, qui floruit anno 390. Et in epistola de Assumptione Beatæ Mariæ quæ est ad Paulam & Eusthochium, & habetur in tomo nono, post quam sacram Virginem impollutam vocat, & alienam ab omni contagie peccati, parum infra explicans illa Cantico rum verba. *Veni columba mea immaculata mea, iam enim hyems transijt, hymber abijt, & recessit*: Sic inquit, *Non immerito Virgo sacra venire de Libano iubetur, quia Libanus candidatio interpretatur: erat enim candidata multis meritorum virtutibus, & de albata niue candidior Spiritus Sancti muneribus, simplicitatem columbæ in omnibus representans: quoniam quidquid in ea gestum est, totum puritas & simplicitas, totum veritas & gratia fuit, totum misericordia & iustitia, quæ de cælo prospexit: & ideò immaculata, quia in nullo corrupta.* Notentur (obsecro) quammaxime prędicta vltima verba: ideò immaculata, quia in nullo corrupta. Quibus nescio quid clarius, illustriusve ad præsens nostrum propositum dici vnquam potuit? Et licet supradicta epistola ab Erasmo, nonnullisque alijs, non quidem Diuo Hieronymo; quinvero Sophronio tribuatur, Cardinalis tamen Bellarminus, alijque grauissimi Doctores prædicti Diui Hieronymi eandem esse dicunt. Cuius est etiam ad idem aliud celeberrimum testimonium super Ecclesiast. capit. 10. vbi post alia verba, sic ait. *Beata terra Ecclesia cuius Rex est Christus, filius ingenuorum, de Abraham, Isaac, & Iacob, Prophetarum quoque & Sanctorum stirpe descendens, quibus peccatum non fuit dominatum, & ob id vere fuerunt liberi: ex quibus nata est Virgo liberior sancta Maria, nullum habens fruticem, nullum germen ex latere, sed totus fructus eius erupit in florem.* In quibus profecto verbis, nullum reperitur omninò, quod non quammaxima sit consideratione dignum, sed vltima præsertim quibus dicitur. Ex quibus (Patriarchis & Prophetis scilicet) nata est Virgo liberior sancta Maria, nullum habens fruticem, nullum germen ex latere, sed totus fructus eius erupit in florem. Vbi dum dicit Virginem sacram nullum fructum aut germen ex latere habuisse, sed totū eius fructū in florē erupisse: aperte satis significat, eandē omninò nullum originale peccatū habuisse: neque aliquid quod ipsius sanctissimam animam vllo modo lædere posset. Quod adhuc clarius atque expressius insinuauit seu potius dixit, super Psalmum 77. explicans illa verba: *& deduxit eos in nube diei.* Vbi dicit per nubem diei intelligi posse Christum Dominum, vel Deiparam Virginem, quam vocat nubem leuem. Et subdit. *Certe per nubem leuem sanctam Mariam debemus accipere, nullo humano semine pragranatam. Nubes enim* (inquit) *illa; nunquam fuit in tenebris, sed semper in luce.* Ex quibus verbis sic colligo argumentum. Si Virgo sacra nunquam fuit in tenebris, sed semper in luce: bene. ergo

Idem Hieron. (margin, beside "dicunt")

Idem Hieron. (margin, beside "expressius")

ergo sequitur de mente & sententia Diui Hieronymi, quod nunquam fuit obscurata originalis peccati caligine: quin vero ab eo prorsus præseruata, & quod à primo suæ Conceptionis instanti habuit cumulatissimam gratiam, per lucem significatam, sicut & è conuerso per tenebras originale peccatum congruentissime designatur. Facit & ad idem quod dixit idem Diuus Hieronymus in supradicta epistola ad Paulam, & Eusthochium *Nulli esse debere dubium de Domini Matre, quin talis debuerit esse, vt nunquam potuerit argui de peccato, cum hoc ad improperium filij sui fuisset*. Et super Isaiam cap. 9. etiam inquit. *Quod ex aula Virginali & nulla sorde maculata, de Spiritu Sancto Dei sermo processit*. Quæ omnia D. Hieronymi dicta & alia quæ breuitatis gratia prætermittuntur, quam maxime faciunt ad Deiparæ Virginis puritatem, & à peccato originali immunitatem comprobandam & confirmandam.

Thimotheus Presbyter Cõstantinopol.

20. Loco succedat Thimotheus Presbyter Constantinopolitanus, qui floruit etiam eo tempore, & in oratione de Iusto Simeone Christi Domini susceptore, quæ habetur in actuario Bibliæ Patrum tomo secundo, ad sacræ Virginis immunitatem prædictam præsignandam, inter alia quæ de illa conspecta, ad puerperas ad templum se se expiandi gratia venientes, dixit, Simeonem prædictum loquentem inducit, & ait: *Quid vos conditione Ancillæ, cum libera atque adeò Domina intestatis*? Quibus quidem in verbis, vocando illas ancillas, sacram vero Virginem liberam ac Dominam, idque ex conditione sua, siue ex suo naturali statu, manifeste profecto insinuauit reliquas omnes à Virgine sacra prædicta, originali peccato fuisse subiectas, & sub illius seruitute dignæque proinde quæ ancillarum censerentur nomine, solam vero Virginem Deiparam ab eo fuisse liberam prorsusque immunem, vtpote quæ à Deo prædestinata erat Domina atque Regina; quam nullo modo decebat eiusmodi originalis peccati seruitutem vllo vnquam tempore fuisse expertam, etiam per minimum temporis instans. Multa alia dicit prædictus Thimotheus ibidem: ex quibus id ipsum haud quidem incongrue potest colligi, sacram prædictam Virginem vocando: *Supra quam dici potest inculpatam: modis omnibus sanctam*. Quæ certe minime de ea verificari possent, nisi iuxta ipsius mentem atque sententiam, ab originali peccato prædicto fuisset præseruata, & ab eo prorsus liberata.

Sophron. Patriarcha Hierosolymit.

21. Loco succedat ad idem Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus, olim celeberrimus, Diuo Hieronymo quam maxime familiaris, ac linguæ Græcæ peritissimus, qui quidem in epistola de Assumptione Virginis Mariæ, conscripta ad Paulam & Eusthochium (quam quidam tribuunt Diuo Hieronymo, alij vero prædicto Sophronio) sed quidquid de hoc sit epistola est auctoritatis quam maxime: explicans verba illa quæ Virgini Deiparæ dicta sunt ab Angelo: *Aue gratia plena: Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*: inquit. *Talibus decebat Virginem*

oppignerari muneribus, vt esset gratia plena, quæ dedit cælis gloriam, terris Dominum, pacemq; refudit, fidem gentibus, finem vitijs, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Et bene plena, quia cæteris per partes præstatur: Mariæ vero simul se tota infudit plenitudo gratiæ. Vere plena, quia & si in Sanctis Patribus & Prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena: in Mariam vero totius gratiæ quæ in Christo est plenitudo venit, quamquam aliter. Et ideò (inquit) benedicta tu in mulieribus, id est plus benedicta quam omnes mulieres. Ac per hoc quidquid maledictionis infusum est per Euam, totum abstulit benedictio Mariæ. Quæ quidem verba omnia, quammaxima licet sint consideratione digna, ea tamen ad nostrum propositum specialem habent energiam, quibus dicit, cæteris gratiam præstatam fuisse per partes: Mariæ vero simul se totam infudisse plenitudinem gratiæ. Item & illa quibus dicit, in eandem totius gratiæ quæ in Christo est, plenitudinem venisse (quamquã aliter.) Nam quid (quæso) clarius, loculentiusve ad hoc preseruationis propositum dici vnquam potuit? Etenim si Virgini Deiparæ gratia non fuit præstata per partes, quinvero ipsi simul se tota infudit plenitudo gratiæ, quonam modo originalem gratiam illi defuisse credendum est, in primo suæ Conceptionis instanti? Si in eam totius gratiæ quæ in Christo fuit plenitudo venit (quamquam aliter) quonam modo illi defuit originalis iustitia prædicta, cum in Christo fuerit ipsa? Quæro ego ab aduersarijs, an præseruationis gratia ab originali peccato fuerit in Christo, necne? Hoc vltimum haudquaquam (vt credo) dicent, cum aduersetur fide. Si vero primum dicant, de mente Sophronis necessum est proinde vt concedant, eandem etiam fuisse in Beata Virgine (quamquam aliter seu ex alio atque diuerso iure) quia nempe in Christo Domino fuit debita, quasi quodam iure naturali, cũ non ex humano semine, naturalive propagatione, sed de Spiritu Sancto fuerit conceptus: at in Virgine sacra non ita: sed ex speciali gratia & priuilegio, quo à Deo ordinatum fuit, vt quidquid maledictionis infusum fuit per Euam, totum illud auferret benedictio Mariæ. Multa alia dicit idem Sophronius ad idem, quæ breuitati consulendo facio missa: sacram Virginem vocando. *Impollutam, sanctissimam, beatissimam, purissimam, inculpatissimam, & ab omni peccati contagione liberam: tam in corpore, quam in mente.* Quæ quidem de ipsa verificari minime possent si ex diuina gratia, specialique priuilegio, non fuisset à peccato originali prædicto præseruata. Quod etiam priuilegium dicit non fuisse naturæ, sed gratia sibi concessum; quia de ea natus est Deus homo, seu vero potius, quia in ipsius sacratissimo vtero, vnigenitus Dei filius carnem nostram sumens, futurus erat homo.

Ioan. Patriar. Hierosolym. 22. Loco succedat Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus, qui floruit (vt diximus supra) circa annũ 400. plus minusve. Et in libro quẽ inscripsit de institutione Monachorum cap. 71. & habetur in octauo tomo Bibliothecæ, explicans visionem illam olim Eliæ factam, de nubecula

becula illa sacræ Virginis puritatem, & à peccato originali immunitatem adumbrante, post alia sic inquit. *Per hoc namq; quod ille puer Elia, vidit de mari nubeculam paruulam oriri, reuelauit Deus Elia quod quadam infantula (scilicet Beata Maria, per illam nubeculam signata, & instans illius nubeculæ per humilitatem parua) nasceretur de humana natura peccatrice, designata per mare: qua infantula iam in suo ortu esset munda ab omni peccatorum sorde, quemadmodum nubecula illa fuit de mari amaro, sine tamen aliqua amaritudine. Licet enim nubecula illa, esset originaliter eiusdem natura cum mari, alterius tamē fuit qualitatis, alteriusq; proprietatis. Mare quidem ponderosum est & amarū, sed nubecula illa leuis fuit & dulcis. Et sic quāvis in quolibet alio homine (instar maris) natura humana sit in sua origine, ita amaritudine peccatorum, & vitiorum pondere pressa, vt fateri cogatur iniquitates meæ super gressa sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me: beata tamen Maria de hoc mari (id est humana natura) aliter fuit orta: quia in suo ortu non fuit onerata amaritudine delictorum, sed instar illius nubeculæ fuit cuius, per immunitatem peccatorum, & dulcis per plenitudinem charismatum.* Hæc Ioannes Hierosolymitanus vbi supra. Et quid (quæso) clarius, illustriusve ad præsens propositū desiderari vnquam potuit? Quæ quidem verba cum ex se adeò sint clara & manifesta, haudquaquam vlla alia indigent explicatione siue ponderatione, cum (vt habetur in iure) in expressis non sit locus cōiecturis. Nec dici vllo modo potest Ioannem prædictum loqui de ortu natiuitatis sacræ Virginis, non vero de ortu ipsius conceptionis: nam certe id haudquaquam quadrat, cum exemplo quod adducit de nubecula ascendenti de mare amaro, sine aliquo tamen sapore amaritudinis. Et cum in verbis prædictis Virgo sacra quantum ad immunitatē ab originali peccato, cæteris omnibus mūdi præponatur hominibus, (etiam Hieremiæ, ac sancto Ioāni Baptistæ, quos constat natos fuisse sine peccato) vt prædicta Ioannis Hierosolymitani verba veritatem contineant, intelligenda quidem sunt, necdum de ortu qui est per natiuitatem, verum etiam & de ortu, qui est seu potius fuit per eiusdem sacræ Virginis Conceptionem: alias enim veram doctrinam minime continerent. Quod multum est notandum.

23. Loco succedat Sanctus Cesarius Arelatensis Episcopus, qui per idem tempus floruit, & in quodam dialogo 3, ex ijs qui nuper in lucem prodierunt, de Virgine sacra loquendo, eiusdemque puritatem, & à peccato originali immunitatem præsignando, post alia in sequentia verba prorumpit. *Pro loco Virginis (nimirum Eua) perpetuam Virginem sanctam matrem suam suscitauit: pro illius pœna, huic salutem, per proprium seruum Gabrielem misit, in hac sanans, quæ illa delinquerat.* Quibus in verbis, quammaxima consideratione sunt digna, illa quibus dicit, loco Euæ peccatricis, sanctam atque perpetuam Virginem matrem suam fuisse suscitatem, eidemque supponi ac subrogari, sanans in hac quod prima Eua delinquerat. Nec enim dixit sanans eam (quasi Virgo sacra peccatum

S. Cesarius Arelatēsis Episcopus.

catum originale, seu morbum aliquem contraxisset? sed sanans in ea Euæ prioris delictum, & quidquid ipsa in humana natura morbidum reddiderat. Ex quo etiam haud incongrue colligitur sacræ Virginis puritas, & à peccato originali immunitas.

D. Chrysost. 24. Loco succedat Diuus Ioannes Chrysostomus, cognomento *os aureum*, eloquentiæ flumen, vtriusque Ecclesiæ, Græcæ scilicet & Latinæ celeberrimus Doctor, qui floruit circa annum 398. & in suo Hypopante de Virgine sacra verba faciens, in sequentia prorupit. *Magnum reuera mundi miraculum fuit Beata Virgo Maria; Et quid enim in rerum vniuersitate queat aut maius, & sublimius inueniri. Hæc sola cælum & terram sua amplitudine superauit. Quidnam illa sanctius? Non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Patres, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Cherubin, non Seraphin, non aliud denique quidpiam inter creatas res visibiles aut inuisibiles, vna hac maius & excellentius inueniri potest.* Et in sua Lyturgia quæ habetur in quinto tomo. & refertur à Canisio lib. 1. de Virgine Deipara cap. 2. non semel aut bis, sed iterum atque iterum, Virginem eandem sacram, puram, penitus incontaminatam, atque immaculatam vocat, honoratiorem incomparabiliter Cherubin, & gloriosiorem incomprehensibiliter quam Seraphin. Verba ipsius expressa referre libet, pro eo quod quammaxima consideratione sunt digna. *Vere* (inquit) *dignum & iustum est, glorificare te Deiparam, semper beatissimam, penitus incontaminatam, atque immaculatam Matrem Dei nostri, honoratiorem incomparabiliter Cherubin, & gloriosiorem incomprehensibiliter quam Seraphin.* Quæ certe verba negare nullus potest, quin satis clare designent Virginem sacram ab omni prorsus originalis peccati labe fuisse immunem & liberam: alias enim quonammodo pura, penitus incontaminata & immaculata dici posset, & honoratior incomparabiliter Cherubin, & gloriosior incomprehensibiliter quam Seraphin, si originalis peccati labe fuisset polluta, & nõ in gratia quemadmodum ipsi Cherubin & Seraphin, eadem fuisset condita, & creata à primo suæ Conceptionis instanti? Vnde nec multum non mirari queo quod prædictus Diuus Chrysostomus pro alia in contrarium sententia ab aduersarijs adducatur. Sed quidquid de hoc sit ad vlteriora procedamus.

D. Augustin. 25. Loco succedat Diuus Augustinus Hæreticorum malleus, aureus, augustissimusque Ecclesiæ Doctor, mundi totius sanctitate, ingenio atque sapientia prodigium, qui floruit circa annum 400. Ex cuius quidem doctrina, quamvis aduersarij multa ac varia afferant testimonia, quibus (sibi vt placet) suæ sententiæ fauere videtur; haudquaquam tamen id ita est: quinvero potius nostræ assentitur, si nõ in proprijs terminis, & expressis atque formalibus verbis, saltim æquipollẽtibus, mentem suam haud obscure insinuantibus. Nam quæ in contrarium adducuntur ab aduersarijs nihil sunt omnino aliud quam gene-

rales quædam regulæ & loquutiones, quibus dicit omnes ab Adami per rationem seminalem descendentes, peccat um contrahere originale: neminem ab ea generali regula excipiendo, nisi solummodo Christum Dominum: quod nos libenter concedimus, loquendo de iure cõmuni, & secluso speciali priuilegio sacræ Virgini concesso: quod quidem eiusmodi generales loquutiones haudquaquam excludunt, vt clare constabit ex solutione argumentorum, quæ ab aduersarijs pro alia in contrarium parte adducuntur. Sed ad rem. Quod prædictus D. Augustinus nostræ faueat sententiæ, qua dicimus Virginem sacram ab omni prorsus originalis peccati labe ex speciali priuilegio fuisse præseruatam, constabit plane ex sequentibus testimonijs.

Primo constat, ex eo quod dicit lib. 1. de natura & gratia. cap. 36. scribendo contra Pelagianos. *Cum de peccatis agitur, de sancta Virgine Maria propter honorem Christi Domini mei, nullam prorsus volo habere quæstionem, inde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quod concipere ac parere meruit, eum quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos & Sanctas, qui in Scripturis sanctis (non modo non peccasse) verum etiam iuste vixisse referuntur: cum hic viuerent congregare possemus, & interrogare vtrum essent sine peccato: quid fuisse responsuros putamus, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, vna voce clamassent illud quod ait Ioannes Apostolus, si dixerimus quia peccatũ non habemus nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quæ quidem Diui Augustini verba, quamvis aduersarij contendant intelligenda esse tantum de peccatis actualibus, non vero de peccato originali de quo in præsentiarum est sermo: cõtrarium tamen est verius. Id quod expresse tenent Galatinus lib. 7. de arcanis Verbi Dei cap. 5. & Catherinus in primo tractatu de Conceptione Virginis, cap. etiam 5. & in secundo tractatu lib. 2. cap. 3. Canisius lib. 1. de Virgine Deipara, cap. 10. Bellarminus tomo 4. lib. 4. de amisione gratiæ & statu peccati, cap. 15. §. habemus tertio Augustinum. Suarez secundo tomo ad tertiam partem disput. 3. sectione 5. §. in secundo ordine numerabimus. Valētia quarto tomo disp. 2. quæst. 1. puncto 2. Vazquez secundo tomo ad tertiam partem, disput. 117. cap. 3. & est fere sententia communis quam multi putant esse indubitatam. Quinvero id ipsum expresse dixit Diuus Bernardus Sermone 4. super Salue Regina, vbi cum Virgine sacra loquendo, sic inquit. *Innocens fuisti ab originalibus & actualibus peccatis, nemo ita præter te.* In cuius confirmationem adducit auctoritatem prædictam Diui Augustini, *cum de peccatis agitur, &c.* & vt non solummodo auctoritatibus innitamur, quod id ex verbis eiusdem Diui Augustini colligatur efficaciter ac probabiliter nimis, constabit ex subsequentibus rationibus. Primo quia loquitur generaliter dicendo: *cum de peccatis agitur de Virgine Maria propter honorem Christi Domini mei, nullam prorsus habere volo quæstionem,*

Primus locus.

Vbi notandum venit verbum, *nullam*, & verbum *prorsus*. Etenim si liceret verba prædicta ad actualia tantummodo peccata coarctare, pari etiam modo liceret, eadem solummodo ad mortalia restringere: nec necessario de mente & sententia Diui Augustini dicendũ esset, quod Virgo sacra nullum vnquam peccatum veniale commisit. Secundo quia Diuus Augustinus prædictis in verbis (vt præmissum est) disputabat contra Pelagianos, qui Magistri sui doctrinam sequentes, originale peccatum in omnibus hominibus negabant. Cum igitur inueniens contra eos (Virgine sacra excepta) dicat ipse, omnes vt cumque iustos & sanctos peccato originali fuisse obnoxios, illique subiacuisse, liquidum profecto fit, quod loquitur (necdum de peccatis actualibus) verum etiam & de originali prædicto, à quo cum Deiparam prędictam excipiat, satis aperte datur intelligi, quod iuxta eiusdem sententiam, ipsa peccatum originale non contraxit.

Tertiò constat id ipsum quia præponit eam cæteris sanctis, quos constat aliquando peccasse (saltim venialiter) quæ quidem præfectura, prærogatiua, siue excellentia locũ minime haberet in ea, nisi caruisset (necdum peccatis venialibus) verum etiam & originali prædicto.

Quartò colligitur etiam id ipsum, ex ratione qua se motum fuisse dicit ad id asserendum & dicendum, nempe propter honorem Domini nostri Iesu Christi. Nam hic certe honor, multo magis exigebat vt Virgo sacra in sua Conceptione peccato originali omninò caruisset, quam quod postea in discursu suæ vitæ, non commisisset aliquod peccatum actuale veniale: cum per peccatum veniale non amittatur Dei gratia, neque quispiam ipsius constituatur inimicus, aut ponatur sub potestate diaboli: quæ mala omnia operatur peccatum prædictũ originale. Si igitur propter honorem prædictum Domini nostri Iesu Christi, denegat Diuus Augustinus eandem peccatũ aliquod actuale (etiam veniale) commisisse (quod communiter concedunt omnes Doctores Theologi, quinverò & Concilium Tridentinum Sessione 6. can. 23. id tradit tenendum esse de fide) multo melius (vt videtur) affirmare debemus caruisse eandem peccato originali prædicto.

Quintò & vltimo colligitur etiam id ipsum, ex alia ratione quam adducit, ad hoc vt cum de peccatis agitur de Virgine sacra prædicta, nullam prorsus habere voluerit quæstionem: & ea est, quia concipere ac parere meruit, eum quem constat nullum vnquam habuisse peccatum. Inde enim (inquit) scimus quod plus ei gratiæ collatum fuerit, ad uincendum omni ex parte peccatum. Quæ etiam ratio (si bene expẽdatur) multum nostrum condiuuat intentum: cum ad ejusmodi munus obeundum multo magis congruerit eam peccatum originale minime contraxisse: quam venialia etiam innumera postea admisisse, propter rationem superius dictam. Et præterea quæro, quonam pacto de Virgine Deipara dici posset plus gratiæ sibi fuisse collatum quam alijs,

alijs omnibus sanctis, ad vincendum omni ex parte peccatum: si intelligendum id solummodo esset de peccatis actualibus, non vero etiam de originali prædicto, cum etiam iuxta probabilem opinionem Diuus Ioannes Baptista nullum peccatum commiserit actuale (etiam veniale) quod tenet Galatinus lib. 7. de arcanis cap. 9. & Catherinus opusculo de prædestinatione Christi. Quam etiam sententiam probabilem reputat Suarez secundo tomo ad tertiam partem, disp. 24. sect. 4. nec ab ea multum dissentit prædictus Diuus Augustinus lib. de spiritu & littera cap. 2. & pistola 95. vt igitur prærogatiua prædicta, de maiori gratia sibi collata ad vincendum omni ex parte peccatum, in Virgine sacra locum habuerit de mente Diui Augustini, necessario fatendum est, quod ipse prædictis in verbis comprehendere voluit (necdum actualia peccata) verum etiam prædictum originale: aliàs enim ab ea generali regula, iuxta probabilem opinionem prædictam excipiendus etiam foret supradictus Sanctus Ioannes Baptista; si peccatum nullum actuale (etiam veniale) commisit. Excipiendi etiam forent infantes recenter baptizati, quos etiam constat peccatũ actuale nullum commisisse: ex quibus omnibus satis constat, ex mente Diui Augustini in verbis prædictis, *ad vincendum omni ex parte peccatum*, intelligenda ea esse, tam de peccato actuali, quam de originali: verbumque illud, *omni ex parte*, construi debere, tam ex parte originalis peccati, quam actualis, & sic illud intellexit D. Bernardus vbisupra. Hæc circa primum D. Augustini locum.

Secundo quod Diuus Augustinus nostræ etiam faueat sententiæ constat clare, multumque efficaciter, ex regula quam ipse tradit lib. 5. contra Iulianum cap. 15. ad finem, vbi dixit, quod hæc duo mutuo se consequuntur, non habere actuale peccatum, tempore infantilis siue maioris ætatis, & in sua conceptione non cõtraxisse originale. Quod adeò verum esse credidit, vt dicat, quod si Christus Dominus aliquod peccatum actuale commisisset, necessario esset dicendum quod contraxisset originale. Verba eiusdem expressa libet referre pro eo quod sint quammaxima consideratione digna, loquendo de Christo inquit. *Profecto peccatum etiam maior fecisset, si paruulus habuisset. Nam propterea nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit, in infantilis ætatis exordio.* Ex quibus verbis efficacissimum, & (vt puto) indissolubile colligi potest argumentum, ad probandum Diuum Augustinum nostræ fauere sententiæ. Etenim si de mente Diui Augustini, nullus est hominum qui peccatum originale habuerit, & ad maiorem ætatem perueniens, aliquod actuale non commiserit: cum de mente & sententia eiusdem D. Augustini (quin vero & omnium) Virgo Deipara in maiori ætate nullum actuale commiserit: manifeste sequitur quod neque in sua Conceptione contraxit originale. Argumenti

Secundus locus

menti huius solutionem audire summopere desidero, & vt dicant mihi aduersarij, de sententia Diui Augustini & stando in verbis prædictis, quomodo Virgo sacra in sua Conceptione peccatum contraxit originale, si maior esset & nullum commisit actuale? Quod fateri necessario tenentur vt ne Diuo Augustino contradicant: quinvero & Concilio Tridentino Sessione 6. can 23. vbi determinat id ipsum esse tenendum de fide.

Tertius locus. Tertio quod prædictus Diuus Augustinus nostræ etiam faueat sententiæ, haud obscure colligitur ex alijs eiusdem verbis lib. de quinque hæresibus cap. 5. vbi de sacra Virgine loquendo, inquit. *Vnde sordes in domo ad quam nullus habitator accessit? Solus ad eam Dominus & fabricator eius venit, vestem quam non habebat induit, eamq; sicut inuenit, clausam reliquit.* Quibus verbis contra Manichæum probare contendit, perpetuam Virginis Deiparæ Virginitatem, & illam ante partũ & post partum, illibatam atque incontaminatam fuisse: pro eo quod indecorum & inglorium Deo ipsi fuisset, si viscera in quibus ipse deguisset, alius aliquis prius, aut vero postmodum etiam incoluisset. Negabat enim Manichæus Filium Dei, Filium etiam esse Virginis, quam ipse (non quidem Virginem) sed corruptam esse existimabat: quia indignum sibi videbatur quod Dei Filius habitasset in ventre, quem alius ante, aut etiam postea cognouisset. Cui suæ existimationi occurrit Augustinus, dicens. *Vnde sordes in domo ad quam nullus habitator accesit? Solus ad eã Dominus & fabricator eius venit: vestem quam non habebat induit: eamq; sicut inuenit clausam reliquit?* Ex quibus D. Augustini verbis, pro sacræ Virginis puritate, & à peccati originalis immunitate: sic ego colligo efficacissimum argumentum. Si Diuus Augustinus (quinvero & Manichæus ipse) à gloria & maiestate Dei alienum putauit atque existimauit, quod in vtero Virginis quem in suæ humanitatis domicilium elegerat, alius prior præcessisset, successisset ve post ipsum: quonam pacto non maioris dedecoris atque contumeliæ existimaret dicere, quod in mentem eiusdem sanctissimæ Virginis (quam Dei diuinitas in domum propriam elegerat) per originale peccatum dæmon prior introisset, ibidemque locum & habitationem suam fixisset? Non hoc vllo modo est dicendum: quia humanę aures id abhorrent ex audire, & longe quidem id ipsum est à mente & sententia Diui Augustini. Quod etiam ipse expressius insinuauit Paulo inferius, quando dixit. *Si potui inquinari cum facerẽ: potui in illa inquinari cum ex ea nascerer.* Quæ quidem verba vt plene intelligantur, oportet vt ex eodem Augustino alia præcedentia adducantur. Postquam Augustinus dixerat; *vnde sordes in domo?* (quod in propria sua persona dixit) introducit Christũ Dominum loquentem ad Manichæum prædictum & dicentem. *Quid est quod te permouet in mea natiuitate? Non sum libidinis conceptus cupiditate: ego matrem ex qua nascerer feci: ego viam mea itineri præparaui, Hanc quantum*

despi-

despicis Manichæe, mater mea est, & de manu fabricata mea. Si potui inquinari cum facerem, potui in illa inquinari cum ex ea nascerer: sicut transitu meo illius non est corrupta Virginitas, sic & mea non est ibi maculata maiestas. Verba quidem sunt obscura, in quorum proinde explanatione oportet paulisper vt immoremur. Negabat Manichæus olim Filium Dei Christũ Dominum fuisse verum hominem, ac verum Virginis Filium: veramque habuisse humanam carnem: quia (vt diximus supra) eam nõ fuisse Virginem existimabat, sed corruptam, atque in peccato originali conceptam: dicebatque proinde ex immunda muliere non posse Filium Dei, nisi immunde concipi, & originali suo peccato inquinari: (quod ipsi Dei Filio aperte repugnabat.) Cui suæ existimationi occurrens Augustinus, introducit Christum eundem loquentem ad Manichæum & dicentem. *Quid est quod te permouet in mea natiuitate? Non sum libidinis conceptus cupiditate: ego matrem de qua nascerer feci: ego viam meo itineri præparaui: Hanc quantũ despicis Manichæe, mater mea est, & de manu mea fabricata.* Quod fuit ac si expressius dixisset. Ne putes (ô Manichæe) ex matre nasci contumeliosum mihi fuisse: nam ego ipse eam matrem mihi effeci, & talem qualem ex ea nasci (non modo non turpe) quinvero gloriosum mihi est. Si potui inquinari cum facerem: potui in illa inquinari cum ex ea nascerer. Quasi dicat. Sicut non potui inquinari cum illam facerem (quia nimirum talem eam feci, qualem ipsam esse decebat, ex qua oportebat me tandem nasci) ita etiam nec potui in illa inquinari cum ex ea nascerer: quia talem natiuitatis modum elegi, qua ipsius Virginitatem minime violarem. Sicut transitu meo illius non est corrupta Virginitas: sic & mea non est ibi maculata maiestas. Verba sunt ista profecto aurea & mira, ac quammaxima consideratione digna. Quis non videat ex verbis prædictis de mente & sententia Diui Augustini, superque satis colligi Virginem Deiparam ab omni originalis peccati labe fuisse liberam, ac prorsus immunem? fassumque fuisse Christum Dominum proprijs suis manibus Matrem suam fabricasse, ac talem fabricasse, & fecisse illam, quod ex ea nasci nullo esset sibi modo contumeliosum, aut indecorum? Quid amplius desiderari potest ad hoc propositum?

Quarto quod prædictus Diuus Augustinus nostræ faueat sententiæ, colligi etiam potest ex multis alijs eiusdem testimonijs, ad præsens nostrum propositum, quammaxima consideratione dignis. Etenim in libro de Symboli expositione, & oratione Dominica, & refertur in Milleloquio, verbo *Maria*, de Virgine sacra loquendo, sic ait. *Secundum fidem Sanctarum Scripturarum Maria Virgo sine naturali semine cõcepit Deum; quia qui venerat abolere malum originale, quod trahimus omnes nati ex commixtione maris, & fœminæ, conueniens erat vt legi peccati nostri, quæ per duorum concubitum verificatur in prole, Dei mater non teneretur obnoxia.* Quibus in verbis ad præsens propositum, ad notanda sunt præcipue illa *Quartus locus.*

 quibus

quibus dixit: *Virginem Deiparam legi peccati minime fuisse obnoxiam*. Cum enim per legem peccati non intelligat Diuus Augustinus, solummodo concubitum maris & fœminæ (id enim ab initio conditionis humanæ fuit etiam ante peccatum) haud obscure colligitur, quod sub eo nomine peccatum intellexit originale, à quo Dei Matrem dicit fuisse liberam, seu quod ei non tenebatur obnoxia. Foret autem eidē obnoxia, nisi ex speciali priuilegio, & diuina gratia ab illo fuisset præseruata. Quod etiam insinuauit idem Diuus Augustinus in alijs verbis quæ referuntur in prædicto Millēloquio, quando dixit. *Ad pretiosissimum connubij thalamum, electus est Virginis vterus, & quia ex se peccati sordibus squalidus effectus fuerat mundus, veniens creator mundi, ex mundis visceribus effusus est in mundum, vt immundum, mundus redderet mundum*. Quibus verbis Doctor Sanctus aperte satis insinuauit, quam pura & ab omni prorsus originalis peccati labe, munda fuerint sacratissimæ Virginis viscera, quo exiens ex ipsis Christus Dominus vnigenitus Dei Filius, mundum immundum emundaret. Quod certe de illis haudquaquam posset dici, si originale ipsa peccatum contraxisset, & eo vllo tempore etiam per minimum instans inquinata fuisset.

Quintus locus. Sed adhuc expressius id ipsum insinuauit seu potius dixit idem Diuus Augustinus, sermone de Natiuitate Virginis: vbi post alia in sequentia verba prorumpit. *Magnifica illum (ò Virgo Beatissima) qui te ab omni peccato super omnes præseruauit. Quis enim dicere potuit sine peccato sum natus, aut mundus sum ab omni iniquitate dicere audebit, nisi Virgo illa prudentissima, animatum templum Dei excelsi, quam Deus sic elegit & praelegit ante mundi constitutionem, vt sancta & immaculata esset Dei Mater, & filia ab æterno præseruata, incorrupta ab omni labe peccati*. Referuntur prædicta verba à Clitoueo lib. 1. de Conceptione Virginis cap. 13. Quid (quæso) amplius siue clarius ad hoc propositum dici vnquam potuit? Et nec quidquam valet aduersariorum efugium, dicentium fuisse Diuum Augustinum loquutum (non quidem de Beatæ Virginis Conceptione) sed de Natiuitate eiusdem. Etenim si de sola natiuitate loqueretur, etiam Hieremias & Sanctus Ioannes Baptista, optime dicere potuissent, ipsos natos fuisse sine peccato, & ab omni iniquitate mundos: quinvero & quilibet in vtero sanctificatus id ipsum posset dicere. Cum igitur Augustinus adeò expresse dixerit, nullum (præter Mariam Dominā nostram) dicere potuisse sine peccato sum natus, aut ab omni iniquitate sum mundus, manifeste profecto colligitur, quod loquitur de natiuitate quæ est in vtero, & de Conceptione quæ est & dicitur prima natiuitas (iuxta illud Matthæi 2. *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est*) & non solum de natiuitate quæ est extra vterum.

Sextus locus. Multæ aliæ auctoritates Diui Augustini prædicti, à Doctoribus adducuntur ad idem, quas omnes ad manus vt habeantur, adducere in præsentiarum libuit, quamvis (vt dicitur) in eiusdem operibus minime

nime reperiantur. In sermone 20. ad fratres in Heremo sequentia verba continentur, quamvis multi dicant, quod eiusmodi sermones non sunt Diui Augustini. *Quia genus humanum à corruptione liberandum erat, id circo pratium Redemptionis incorruptum esse debuerat, ac propterea Maria mater electa est, & super omnes creaturas praelecta, omnibus gratijs fecundata, omni virtute & sanctitate in vtero repleta, vt de mundissima Matre, mundissimus filius nasceretur. Et sicut in cœlo filius habet Patrem immortalem, & aeternũ, sic & in terra haberet Matrem omni corruptione carentem. Igitur sicut in cælo, qualis est pater, talis est filius: ita & in terra, qualis est mater, talis est & secundum carnem filius.* Quid (quæso) amplius vnquam dici, desiderarive potuit, ad sacræ Virginis puritatem præsignandam, & insinuandum ipsam ab omni prorsus originalis peccati labe fuisse præseruatam? Sed procedamus ad alia.

Idem Diuus Augustinus sermone quodam de Natiuitate (prout refert Henricus de Gandauo, quodlibeto 15.) de Virgine sacra loquẽdo, post alia verba sic inquit. *Ventum est ad Virginem, quæ mox vt in mundum per humana generationis lineam venit, tanta omnis boni virtute atque constantia perfecte resplenduit, vt eam ipsa sapientia Dei verè dignam iudicaret, per quam in hominem veniens, non modò reatum priorum hominum; sed etiam totius mundi peccata deleret.* Et paulo inferius. *Puella de propagine Adæ nata de peccatrice progenie orta, subito versa vice maledictionis Euæ, benedicta prædicatur super omnes mulieres.* Quibus in verbis, quammaxima consideratione digna sunt illa, *mox vt in mundum per humana generationis lineam venit*, quod certe idem omnino fuit, ac si dixisset, quod statim ac Virgo sacra concepta fuit (id enim fuit in mundum venire) tanta omnis boni virtute atque constantia perfecte resplenduit (hoc est, tam perfecta sanctitate & gratia decorata fuit) vt eam ipsa Dei sapientia vere dignam iudicaret per quam in hominem veniens, non modo reatũ priorum hominum: sed etiam totius mundi peccata deleret. Ex quibus verbis satis aperte colligitur, quod Virgo sacra ab omni originali peccato prædicto fuit præseruata, & nunquam ipsius tenebris obscurata, etiam in primo suæ Conceptionis instanti: nam quod statim subditur: quod Virgo sacra de propagine Adæ, & progenie peccatrice orta & nata fuit, inferius explicabitur in argumentorum solutione, quando similia Diui Augustini verba, ad debitum suum sensum reducantur, & explicentur. Interim tamen notetur quod subditur ibidem, nempe. *Quod subito vice versa loco maledictionis Euæ, Virgo sacra super omnes mulieres benedicta est prædicata.* Quod fuit ac si expresius dixisset, quod præter aliorum ordinem, gratiæ & sanctitatis benedictionem est consequuta. Quod etiam valde facit ad nostrum propositum.

Septimus locus.

Et nec quidem minus id quod etiam adducitur ex Diuo Augustino, super Genesim ad litteram cap. 3. explicando illa verba. *Inimicitias ponam inter te & mulierem: ipsa conteret caput tuum.* Inquit enim. *Cum*

Octauus locus.

subito

subiectio originalis peccati caput sit diaboli: tale caput Maria contriuit: quia nulla peccati subiectio ingressum habuit in animam Virginis. Ex quibus verbis satis colligitur, quod Virgo sacra caruerit originali peccato prædicto de mente Diui Augustini, cum ipsum caput sit diaboli, illudque (vt præfertur) eadem contriuerit, & eiusdem subiectio in Virginis animam minime ingressum habuerit.

Nonus locus.

De eodem etiam Diuo Augustino fertur dixisse sequentia verba, quamvis (vt dicitur) apud eundem non reperiantur. *O mater Domini benedicta, sicut in prima fœmina abundauit delictum, ita & in te super abundauit plenitudo gratiæ, omnis ignara delicti.* Item & illa ex sermone 18. de Natiuitate Domini. *Semper Virgo est, quæ semper sponsa est: & quæ vocabulo sponsæ non caruit, in æternum Virgo permansit.* Et infra ait. *Quod virgo sacra sponsa æterna dicitur, & æterna Virgo probatur.* Quæ verba sibi conuenire aut de ea verificari, haudquaquam possent, si aliquo tempore (etiam per minimum instans) per originale peccatum consensum diabolo prestitisset, & ipsius peccati labe infectafuisset. Nec enim alias semper Virgo, & semper Sponsa diceretur, & quæ vocabulo Sponsæ nunquam caruerit, sed Virgo in æternum permansit.

Decimus locus.

Etiam referuntur ex Diuo Augustino sequentia verba, in libro quarto de Symbolo ad cathe. cap. 4. *Quod tanta matri contulit, & in sua carne seruauit, hoc etiam vobis donauit, Virgo Mater sancta, caro Christi ab omni contagione libera.* Quæ etiam verba plurimum faciunt ad prædictum propositum: & cum quamplura alia ex eodem Augustino ad idem testimonia possem adducere, consulto facio missa, cum idem prorsus cõtineant, & ex prædictis superque satis constet Diuum Augustinum nostræ semper fauisse sentẽtiæ, quidquid aduersarij perperam in contrarium dicant.

D. Maximus Thaurinensis Episcopus.

26. Loco succedat Diuus Maximus Thaurinensis Episcopus, qui floruit etiam eo tempore quo & Diuus Augustinus, & in Homilia de Dominica in Ramis, de Christo & sacræ Virginis puritate & sanctitate loquendo, post alia sic inquit. *Inspiciamus illum versiculum in quo ait: ego sum vermis, & non homo: & videamus cur Deus vermiculo se voluerit comparare. Possumus hoc quidem humilitati primum assignare: sed magis illud accipiendum puto, quoniam sicut vermis nulla extrinsecus admixtione alicuius corporis, de sola & pura terra procreatur, sic & ipse Saluator de sola & pura Maria procreatus est. Legimus etiam in libris Moysi de Manna vermiculos fuisse procreatos. Digna sane & iusta est comparatio: siquidem de Manna vermiculus gignitur, & Dominus Iesus de Virgine procreatur: quin potius ipsam Mariam Manna dixerim, quia est subtilis, splendida & suauis origo, quæ cœlitus veniens, cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit.* Quibus in verbis, quamvis omnia sint quammaxima consideratione digna, illa tamen præsertim quibus Virgo sacra, sola & pura dicitur, & Manna quod de cœlo descendit comparatur. Super quibus haudquidem incongrue eius-

eiusdem puritas & à peccato originali immunitas etiam potest fundari. Faciunt & ad idem alia eiusdem Diui Maximi verba, sermone Assumptionis Mariæ, & sunt quæ sequuntur. *Ductor mortis diabolus per cuius inuidiam mors introiuit in orbem terrarum, omne humanum genus in primo parente veneno sua nequitiæ potauit, & quasi arborem in radice, antequam proles propaginis prodiret, vitiauit. Inde est quod radix vitiata quotidie frondet, frondesq; eius indesinenter per mortem marcescunt, & sæpe contingit, quod aurū fulgens reperiatur in luto, & ex pungente spina pulchra rubens oriatur rosa. Hoc enim operante prouidentia diuina ex radice vitiata sine vitio prodijt virga, quæ intelligitur Beatissima Virgo Maria, attestante Isaia qui dicit. Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Quibus in verbis, maiori consideratione sunt digna illa, quibus dicitur: quod diuina prouidentia operante, ex radice vitiata, sine vitio Virgo prodijt. Quo nescio quid amplius adpræsens nostrum propositum potest quæri aut desiderari? Petrus de Morales lib. quem inscripsit de Christo & Virgine, libro 3. tractatu 1. alia eiusdem Diui Maximi verba ad idem adducit, & sunt quæ sequuntur. *Hæc* (inquit) *porta clausa, quæ fuit admirabilis Dei thalamus cœleste Templum, Tabernaculum gloriæ de quo speciosus prodijt Sponsus, Lux gentium, Spes fidelium condecenter & congrue, quia nulla macula originali contaminata est.* Notentur (obsecro) prædicta vltima verba, quæ quidem licet (vt dicitur) apud prædictum Diuum Maximum non reperiatur, si tamen inuenirentur quæ maxima sunt consideratione digna: post quam ex ipsis adeò clare & expresse nostrum concluditur intentum, (& vt dicitur) in expressis non est locus coniecturis.

27. Loco succedat Sedulius Presbyter inclitus Poëta, & insignis quidem Doctor, qui metro & prosa plura edidit opuscula, & floruit circa annum 413. & in libro secundo operis Paschalis nnucupato, fere in principio, de Virgine sacra loquendo, sequentia ponit Carmina. *Sedulius Presbyter.*

Et velut in spinis mollis rosa surgit acutis,
Nihil quod lædat habens, Matremq; obscurat honorem,
Sic Eua de stirpe sacra veniente Maria,
Virginis antiquæ facinus noua Virgo piaret.

Quibus in verbis, postquam Virginem sacram rosam inter spinas ortam appellat, ac dicit omninò nihil in ea fuisse quod lædere seu obscurare ipsius posset honorem: aperte satis de eiusdem sententia colligitur, illam originale peccatum minime contraxisse. Etenim si eiusdem aliquo tempore fuisset rea (etiam per minimum instans) non quidem mollis rosa in spinis exorta: quin vero spinosa & peccati originalis sentibus occulcata diceretur. Hūc auctorem inter quam plurimos alios, Bādellus supradictus, cap. 20. nobis etiam opponit, ac pro se adducit, dicendo: praue ipsum fuisse loquutum de Immaculata sacræ Virginis Conceptione: sed male certe eiusdem verba refert, illa transmutando & vitiando, vt amplius etiam constabit in argumentorum solutione.

appignerari muneribus, vt esset gratia plena, quæ dedit cælis gloriam, terris Dominum, pacemq; refudit, fidem gentibus, finem vitijs, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Et bene plena, quia cæteris per partes præstatur: Maria vero simul se tota infudit plenitudo gratiæ. Vere plena, quia & si in Sanctis Patribus & Prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena: in Mariam vero totius gratia quæ in Christo est plenitudo venit, quamquam aliter. Et ideò (inquit) benedicta tu in mulieribus, id est plus benedicta quam omnes mulieres. Ac per hoc quidquid maledictionis infussum est per Euam, totum abstulit benedictio Mariæ. Quæ quidem verba omnia, quammaxima licet sint consideratione digna, ea tamen ad nostrum propositum specialem habent energiam, quibus dicit, cæteris gratiam præstatam fuisse per partes: Mariæ vero simul se totam infudisse plenitudinem gratiæ. Item & illa quibus dicit, in eandem totius gratiæ quæ in Christo est, plenitudinem venisse (quamquā aliter.) Nam quid (quæso) clarius, loculentiusve ad hoc præseruationis propositum dici vnquam potuit? Etenim si Virgini Deiparæ gratia non fuit præstata per partes, quin vero ipsi simul se tota infudit plenitudo gratiæ, quonam modo originalem gratiam illi defuisse credendum est, in primo suæ Conceptionis instanti? Si in eam totius gratiæ quæ in Christo fuit plenitudo venit (quamquam aliter) quonam modo illi defuit originalis iustitia prædicta, cum in Christo fuerit ipsa? Quæro ego ab aduersarijs, an præseruationis gratia ab originali peccato fuerit in Christo, necne? Hoc vltimum haudquaquam (vt credo) dicent, cum aduersetur fide. Si vero primum dicant, de mente Sophronis necessum est proinde vt concedant, eandem etiam fuisse in Beata Virgine (quamquam aliter seu ex alio atque diuerso iure) quia nempe in Christo Domino fuit debita, quasi quodam iure naturali, cū non ex humano semine, naturalive propagatione, sed de Spiritu Sancto fuerit conceptus: at in Virgine sacra non ita: sed ex speciali gratia & priuilegio, quo à Deo ordinatum fuit, vt quidquid maledictionis infussum fuit per Euam, totum illud auferret benedictio Mariæ. Multa alia dicit idem Sophronius ad idem, quæ breuitati consulendo facio missa: sacram Virginem vocando, *impollutam, sanctissimam, beatissimam, purissimam, inculpatissimam, & ab omni peccati contagione liberam: tam in corpore, quam in mente.* Quæ quidem de ipsa verificari minime possent si ex diuina gratia, specialique priuilegio, non fuisset à peccato originali prædicto præseruata. Quod etiam priuilegium dicit non fuisse naturæ, sed gratia sibi concessum, quia de ea natus est Deus homo, seu vero potius, quia in ipsius sacratissimo vtero, vnigenitus Dei filius carnem nostram sumens, futurus erat homo.

Ioan. Patriar. Hierosolym. 22. Loco succedat Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus, qui floruit (vt diximus supra) circa annū 400. plus minusve. Et in libro quē inscripsit de institutione Monachorum cap. 31. & habetur in octauo tomo Bibliothecæ, explicans visionem illam olim Eliæ factam, de nube-

becula illa sacræ Virginis puritatem, & â peccato originali immunitatem adumbrante, post alia sic inquit. *Per hoc namq; quod ille puer Elia, vidit de mari nubeculum paruulam oriri, reuelauit Deus Elia quod quadam infantula (scilicet Beata Maria, per illam nubeculam signata, & instans illius nubeculę per humilitatem parua) nasceretur de humana natura peccatrice, designata per mare: qua infantula iam in suo ortu esset munda ab omni peccatorum sorde, quēadmodum nubecula illa fuit de mari amaro, sine tamen aliqua amaritudine. Licet enim nubecula illa, esset originaliter eiusdem natura cum mari, alterius tamē fuit qualitatis, alteriusq; proprietatis. Mare quidem ponderosum est & amarū, sed nubecula illa leuis fuit & dulcis. Et sic quāvis in quolibet alio homine (instar maris) natura humana sit in sua origine, ita amaritudine peccatorum, & vitiorum pondere prasa, vt fateri cogatur iniquitates mea super gressa sunt caput meum, & sicut onus graue grauate sunt super me: beata tamen Maria de hoc mari (id est humana natura) aliter fuit orta: quia in suo ortu non fuit onerata amaritudine delictorum, sed instar illius nubecula fuit cuius, per immunitatem peccatorum, & dulcis per plenitudinem charismatum.* Hæc Ioannes Hierosolymitanus vbi supra. Et quid (quæso) clarius, illustriusve ad præsens propositū desiderari vnquam potuit? Quæ quidem verba cum ex se adeò sint clara & manifesta, haudquaquam vlla alia indigent explicatione siue ponderatione, cum (vt habetur in iure) in expresśis non sit locus cōiectūris. Nec dici vllo modo potest Ioannem prædictum loqui de ortu natiuitatis sacræ Virginis, non vero de ortu ipsius conceptionis: nam certe id haudquaquam quadrat, cum exemplo quod adducit de nubecula ascendenti de mare amaro, sine aliquo tamen sapore amaritudinis. Et cum in verbis prædictis Virgo sacra quantum ad immunitatē ab originali peccato, cæteris omnibus mūdi præponatur hominibus, (etiam Hieremiæ, ac sancto Ioāni Baptistæ, quos constat natos fuisse sine peccato) vt prædicta Ioannis Hierosolymitani verba veritatem contineant, intelligenda quidem sunt, necdum de ortu qui est per natiuitatem, verum etiam & de ortu, qui est seu potius fuit per eiusdem sacræ Virginis Conceptionem: alias enim veram doctrinam minime continerent. Quod multum est notandum.

23. Loco succedat Sanctus Cesarius Arelatensis Episcopus, qui per idem tempus floruit, & in quodam dialogo 3, ex ijs qui nuper in lucem prodierunt, de Virgine sacra loquendo, eiusdemque puritatem, & â peccato originali immunitatem præsignando, post alia in sequentia verba prorumpit: *Pro loco Virginis (nimirum Eua) perpetuam Virginem sanctam matrem suam suscitauit: pro illius pœna, huic salutem, per proprium seruum Gabrielem misit, in hac sanans, quæ illa delinquerat.* Quibus in verbis, quammaxima consideratione sunt digna, illa quibus dicit, loco Euæ peccatricis, sanctam atque perpetuam Virginem matrem suam fuisse suscitatem, eidemque supponi ac subrogari, sanans in hac quod prima Eua delinquerat. Nec enim dixit sanans eam (quasi Virgo sacra pec- *S. Ceserens Arelatēsis Episcopus.*

catum

catum originale, seu morbum aliquem contraxisset: sed sanans in ea Euæ prioris delictum, & quidquid ipsa in humana natura morbidum reddiderat. Ex quo etiam haud incongruè colligitur sacræ Virginis puritas, & à peccato originali immunitas.

D. Chrysost. 24. Loco succedat Diuus Ioannes Chrysostomus, cognomento *os aureum*, eloquentiæ flumen, vtriusque Ecclesiæ, Græcæ scilicet & Latinæ celeberrimus Doctor, qui floruit circa annum 398. & in suo Hypopante de Virgine sacra verba faciés, in sequentia prorupit. *Magnum revera mundi miraculum fuit Beata Virgo Maria: Et quid enim in rerum vniuersitate queat aut maius, & sublimius inueniri. Hæc sola cælum & terram sua amplitudine superauit. Quidnam illa sanctius? Non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Patres, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Cherubin, non Seraphin, non aliud denique quidpiam inter creatas res visibiles aut inuisibiles, vna hac maius & excellentius inueniri potest.* Et in sua Lyturgia quæ habetur in quinto tomo. & refertur à Canisio lib. 1. de Virgine Deipara cap. 2. non semel aut vis, sed iterum atque iterum, Virginem eandem sacram, puram, penitus incontaminatam, atque immaculatam vocat, honoratiorem incomparabiliter Cherubin, & gloriosiorem incomprehensibiliter quam Seraphin. Verba ipsius expressa referre libet, pro eo quod quammaxima consideratione sunt digna. *Vere* (inquit) *dignum & iustum est, glorificare te Deiparam, semper beatissimam, penitus incontaminatam, atque immaculatam Matrem Dei nostri, honoratiorem incomparabiliter Cherubin, & gloriosiorem incomprehensibiliter quam Seraphin.* Quæ certè verba negare nullus potest, quin satis clare designent Virginem sacram ab omni prorsus originalis peccati labe fuisse immunem & liberam: aliàs enim quonammodo pura, penitus incontaminata & immaculata dici posset, & honoratior incomparabiliter Cherubin, & gloriosior incomprehensibiliter quam Seraphin, si originalis peccati labe fuisset polluta, & nō in gratia quemadmodum ipsi Cherubin & Seraphin, eadem fuisset condita, & creata à primo suæ Conceptionis instanti? Vnde nec multum non mirari queo quod prædictus Diuus Chrysostomus pro alia in contrarium sententia ab aduersarijs adducatur. Sed quidquid de hoc sit ad vlteriora procedamus.

D. Augustin. 25. Loco succedat Diuus Augustinus Hæreticorum malleus, aureus, augustissimusque Ecclesiæ Doctor, mundi totius sanctitate, ingenio atque sapientia prodigium, qui floruit circa annum 400. Ex cuius quidem doctrina, quamvis aduersarij multa ac varia afferant testimonia, quibus (sibi vt placet) suæ sententiæ fauere videtur; haudquaquam tamen id ita est: quinvero potius nostræ assentitur, si nō in proprijs terminis, & expressis atque formalibus verbis, saltim æquipollētibus, mentem suam haud obscurè insinuantibus. Nam quæ in contrarium adducuntur ab aduersarijs nihil sunt omninò aliud quam generales

tales quædam regulæ & loquutiones, quibus dicit omnes ab Adami per rationem seminalem descendentes, peccati umcontrahere originale; neminem ab ea generali regula excipiendo, nisi solummodo Christum Dominum: quod nos libenter concedimus, loquendo de jure cõmuni, & secluso speciali priuilegio sacræ Virgini concesso: quod quidem eiusmodi generales loquutiones haudquaquam excludunt, vt clare constabit ex solutione argumentorum, quæ ab aduersarijs pro alia in contrarium parte adducuntur. Sed ad rem. Quod prædictus D. Augustinus nostræ faueat sententiæ, qua dicimus Virginem sacram ab omni prorsus originalis peccati labe ex speciali priuilegio fuisse præseruatam, constabit plane ex sequentibus testimonijs.

Primo constat, ex eo quod dicit lib. 1. de natura & gratia. cap. 36. scribendo contra Pelagianos. *Cum de peccatis agitur, de sancta Virgine Maria propter honorem Christi Domini mei, nullam prorsus volo habere quæstionem, inde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quod concipere ac parere meruit, eum quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos & Sanctas, qui in Scripturis sanctis (non modo non peccasse) verum etiam iuste vixisse referuntur, cum hic viuerent congregare possemus, & interrogare vtrum essent sine peccato: quid fuisse responsuros putamus, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, vna voce clamassent illud quod ait Ioannes Apostolus, si dixerimus quia peccatũ non habemus nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quæ quidem Diui Augustini verba, quamvis aduersarij contendant intelligenda esse tantum de peccatis actualibus, non vero de peccato originali de quo in præsentiarum est sermo: cõtrarium tamen est verius. Id quod expresse tenent Galatinus lib. 7. de arcanis Verbi Dei cap. 5. & Catherinus in primo tractatu de Conceptione Virginis, cap. etiam 5. & in secundo tractatu lib. 2. cap. 3. Canisius lib. 1. de Virgine Deipara, cap. 10. Bellarminus tomo 4. lib. 4. de amissione gratiæ & statu peccati, cap. 15. §. habemus tertio Augustinum. Suarez secundo tomo ad tertiam partem disput. 3. sectione 5. §. in secundo ordine numerabimus. Valẽtia quarto tomo disp. 2. quæst. 1. puncto 2. Vazquez secundo tomo ad tertiam partem, disput. 117. cap. 3. & est fere sententia communis quam multi putant esse indubitatam. Quinvero id ipsum expresse dixit Diuus Bernardus Sermone 4. super Salue Regina, vbi cum Virgine sacra loquendo, sic inquit. *Innocens fuisti ab originalibus & actualibus peccatis, nemo ita præter te.* In cuius confirmationem adducit auctoritatem prædictam Diui Augustini, *cum de peccatis agitur, &c.* & vt non solummodo auctoritatibus innitamur, quod id ex verbis eiusdem Diui Augustini colligatur efficaciter ac probabiliter nimis, constabit ex subsequentibus rationibus. Primo quia loquitur generaliter dicendo: *cum de peccatis agitur de Virgine Maria propter honorem Christi Domini mei, nullam prorsus habere volo quæstionem.*

Primus locus.

Vbi notandum venit verbum, *nullam*, & verbum *prorsus*. Etenim si liceret verba prædicta ad actualia tantummodo peccata coarctare, pari etiam modo liceret, eadem solūmodo ad mortalia restringere: nec necessario de mente & sententia Diui Augustini dicendū esset, quod Virgo sacra nullum vnquam peccatum veniale commisit. Secundo quia Diuus Augustinus prædictis in verbis (vt præmissum est) disputabat contra Pelagianos, qui Magistri sui doctrinam sequentes, originale peccatum in omnibus hominibus negabant. Cum igitur inueniens contra eos (Virgine sacra excepta) dicat ipse, omnes vt cumque iustos & sanctos peccato originali fuisse obnoxios, illique subiacuisse, liquidum profecto fit, quod loquitur (necdum de peccatis actualibus) verum etiam & de originali prædicto, à quo cum Deiparam prędictam excipiat, satis aperte datur intelligi, quod iuxta eiusdem sententiam, ipsa peccatum originale non contraxit.

Tertiò constat id ipsum quia præponit eam cæteris sanctis, quos constat aliquando peccasse (saltim venialiter) quæ quidem præfectura, prærogatiua, siue excellentia locū minime haberet in ea, nisi caruisset (necdum peccatis venialibus) verum etiam & originali prædicto.

Quartò colligitur etiam id ipsum, ex ratione qua se motum fuisse dicit ad id asserendum & dicendum, nempe propter honorem Domini nostri Iesu Christi. Nam hic certe honor, multo magis exigebat vt Virgo sacra in sua Conceptione peccato originali omninò caruisset, quam quod postea in discursu suæ vitæ, non commisisset aliquod peccatum actuale veniale: cum per peccatum veniale non amittatur Dei gratia, neque quispiam ipsius constituatur inimicus, aut ponatur sub potestate diaboli; quæ mala omnia operatur peccatum prædictū originale. Si igitur propter honorem prædictum Domini nostri Iesu Christi, denegat Diuus Augustinus eandem peccatū aliquod actuale (etiam veniale) commisisse (quod communiter concedunt omnes Doctores Theologi, quinverò & Concilium Tridentinum Sessione 6.can. 23. id tradit tenendum esse de fide) multo melius (vt videtur) affirmare debemus caruisse eandem peccato originali prædicto.

Quintò & vltimo colligitur etiam id ipsum, ex alia ratione quam adducit, ad hoc vt cum de peccatis agitur de Virgine sacra prædicta, nullam prorsus habere voluerit quæstionem: & ea est, quia concipere ac parere meruit, eum quem constat nullum vnquam habuisse peccatum. Inde enim (inquit) scimus quod plus ei gratiæ collatum fuerit, ad vincendum omni ex parte peccatum. Quæ etiam ratio (si bene expēdatur) multum nostrum coadiuuat intentum: cum ad ejusmodi munus obeundum multo magis congruerit eam peccatum originale minime contraxisse: quam venialia etiam innumera postea admisisse, propter rationem superius dictam. Et prætererea quæro, quonam pacto de Virgine Deipara dici posset plus gratiæ sibi fuisse collatum quam

alijs

alijs omnibus sanctis, ad vincendum omni ex parte peccatum: si intelligendum id solummodo esset de peccatis actualibus, non vero etiam de originali prædicto, cum etiam iuxta probabilem opinionem Diuus Ioannes Baptista nullum peccatum commisserit actuale (etiam veniale) quod tenet Galatinus lib. 7. de arcanis cap. 9. & Catherinus opusculo de prædestinatione Christi. Quam etiam sententiam probabilem reputat Suarez secundo tomo ad tertiam partem, disp. 24. sect. 4. nec ab ea multum dissentit prædictus Diuus Augustinus lib. de spiritu & littera cap. 2. & pistola 95. vt igitur prærogatiua prædicta, de maiori gratia sibi collata ad vincendum omni ex parte peccatum, in Virgine sacra locum habuerit de mente Diui Augustini, necessario fatendum est, quod ipse prædictis in verbis comprehendere voluit (necdum actualia peccata) verum etiam prædictum originale: aliàs enim ab ea generali regula, iuxta probabilem opinionem prædictam excipiendus etiam foret supradictus Sanctus Ioannes Baptista, si peccatum nullum actuale (etiam veniale) commisit. Excipiendi etiam forent infantes recenter baptizati, quos etiam constat peccatū actuale nullum commisisse: ex quibus omnibus satis constat, ex mente Diui Augustini in verbis prædictis, *ad vincendum omni ex parte peccatum,* intelligenda ea esse, tam de peccato actuali, quam de originali: verbumque illud, *omni ex parte,* construi debere, tam ex parte originalis peccati, quam actualis, & sic illud intellexit D. Bernardus vbi supra. Hæc circa primum D. Augustini locum.

Secundo quod Diuus Augustinus nostræ etiam faueat sententiæ constat clare, multumque efficaciter, ex regula quam ipse tradit lib. 5. contra Iulianum cap. 15. ad finem, vbi dixit, quod hæc duo mutuo se consequuntur, non habere actuale peccatum, tempore infantilis siue maioris ætatis, & in sua conceptione non cōtraxisse originale. Quod adeò verum esse credidit, vt dicat, quod si Christus Dominus aliquod peccatum actuale commisisset, necessario esset dicendum quod contraxisset originale. Verba eiusdem expressa libet referre pro eo quod sint quammaxima consideratione digna, loquendo de Christo inquit. *Profecto peccatum etiam maior fecisset, si paruulus habuisset. Nam propterea nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit, in infantilis ætatis exordio.* Ex quibus verbis efficacissimum, & (vt puto) indissolubile colligi potest argumentum, ad probandum Diuum Augustinum nostræ fauere sententiæ. Etenim si de mente Diui Augustini, nullus est hominum qui peccatum originale habuerit, & ad maiorem ætatem perueniens, aliquod actuale non commisserit: cum de mente & sententia eiusdem D. Augustini (quin vero & omnium) Virgo Deipara in maiori ætate nullum actuale commisserit: manifeste sequitur quod neque in sua Conceptione contraxit originale. Argumenti

Secundus locus

menti huius solutionem audire summopere desidero, & vt dicant mihi aduersarij, de sententia Diui Augustini & stando in verbis prædictis, quomodo Virgo sacra in sua Conceptione peccatum contraxit originale, si maior effecta nullum commisit actuale? Quod fateri necessario tenentur vt ne Diuo Augustino contradicant: quinvero & Concilio Tridentino Sessione 6. can 23. vbi determinat id ipsum esse tenendum de fide.

Tertius locus. Tertio quod prædictus Diuus Augustinus nostræ etiam faueat sententiæ, haud obscure colligitur ex alijs eiusdem verbis lib. de quinque hæresibus cap. 5. vbi de sacra Virgine loquendo, inquit. *Vnde sordes in domo ad quam nullus habitator accessit? Solus ad eam Dominus & fabricator eius venit, vestem quam non habebat induit, eamq; sicut inuenit, clausam reliquit.* Quibus verbis contra Manichæum probare contendit, perpetuam Virginis Deiparæ Virginitatem, & illam ante partũ & post partum, illibatam atque incemeratam fuisse: pro eo quod indecorum & inglorium Deo ipsi fuisset, si viscera in quibus ipse deguisset, alius aliquis prius, aut vero postmodum etiam incoluisset. Negabat enim Manichæus Filium Dei, Filium etiam esse Virginis, quam ipse (non quidem Virginem) sed corruptam esse existimabat: quia indignum sibi videbatur quod Dei Filius habitasset in ventre, quem alius ante, aut etiam postea cognouisset. Cui suæ existimationi occurrit Augustinus, dicens. *Vnde sordes in domo ad quam nullus habitator accesit? Solus ad eã Dominus & fabricator eius venit: vestem quam non habebat induit: eamq; sicut inuenit clausam reliquit?* Ex quibus D. Augustini verbis, pro sacræ Virginis puritate, & à peccati originalis immunitate: sic ego colligo efficacissimum argumentum. Si Diuus Augustinus (quinvero & Manichæus ipse) à gloria & maiestate Dei alienum putauit atque existimauit, quod in vtero Virginis quem in suæ humanitatis domicilium elegerat, alius prior præcessisset, successisset ve post ipsum: quonam pacto non maioris dedecoris atque contumeliæ existimaret dicere, quod in mentem eiusdem sanctissimæ Virginis (quam Dei diuinitas in domum propriam elegerat) per originale peccatum dæmon prior introisset, ibidemque locum & habitationem suam fixisset? Non hoc vllo modo est dicendum: quia humanę aures id abhorrent ex audire, & longe quidem id ipsum est à mente & sententia Diui Augustini. Quod etiam ipse expressius insinuauit Paulo inferius, quando dixit. *Si potui inquinari cum facerẽ: potui in illa inquinari cum ex ea nascerer.* Quæ quidem verba vt plene intelligantur, oportet vt ex eodem Augustino alia præcedentia adducantur. Postquam Augustinus dixerat; *vnde sordes in domo?* (quod in propria sua persona dixit) introducit Christũ Dominum loquentem ad Manichæum prædictum & dicentem. *Quid est quod te permouet in mea natiuitate? Non sum libidinis conceptus cupiditate: ego matrem ex qua nascerer feci: ego viam mea itineri præparaui, Hanc quantum despe-*

despicis Manichae, mater mea est, & de manu fabricata mea. Si potui inquinari cum facerem, potui in illa inquinari cum ex ea nascerer: sicut transitu meo illius non est corrupta Virginitas, sic & mea non est ibi maculata maiestas. Verba quidem sunt obscura, in quorum proinde explanatione oportet paulisper vt immoremur. Negabat Manichæus olim Filium Dei Christũ Dominum fuisse verum hominem, ac verum Virginis Filium, veramque habuisse humanam carnem: quia (vt diximus supra) eam nõ fuisse Virginem existimabat, sed corruptam, atque in peccato originali conceptam: dicebatque proinde ex immunda muliere non posse Filium Dei, nisi immunde concipi, & originali suo peccato inquinari: (quod ipsi Dei Filio aperte repugnabat.) Cui suæ existimationi occurrens Augustinus, introducit Christum eundem loquentem ad Manichæum & dicentem. *Quid est quod te permouet in mea natiuitate? Non sum libidinis conceptus cupiditate: ego matrem de qua nascerer feci: ego viam meo itineri preparaui: Hanc quantu despicis Manichae, mater mea est, & de manu mea fabricata.* Quod fuit ac si expresius dixisset. Ne putes (ô Manichæe) ex matre nasci contumeliosum mihi fuisse: nam ego ipse eam matrem mihi effeci, & talem qualem ex ea nasci (non modo non turpe) quinvero gloriosum mihi est. Si potui inquinari cum facerem: potui in illa inquinari cum ex ea nascerer. Quasi dicat. Sicut non potui inquinari cum illam facerem (quia nimirum talem eam feci, qualem ipsam esse decebat, ex qua oportebat me tandem nasci) ita etiam nec potui in illa inquinari cum ex ea nascerer: quia talem natiuitatis modum elegi, quo ipsius Virginitatem minime violarem. Sicut transitu meo illius non est corrupta Virginitas: sic & mea non est ibi maculata maiestas. Verba sunt ista profecto aurea & mira, ac quammaxima consideratione digna. Quis non videat ex verbis prædictis de mente & sententia Diui Augustini, superque satis colligi Virginem Deiparam ab omni originalis peccati labe fuisse liberam, ac prorsus immunem? fassumq; fuisse Christum Dominum proprijs suis manibus Matrem suam fabricasse, ac talem fabricasse, & fecisse illam, quod ex ea nasci nullo esset sibi modo contumeliosum, aut indecorum? Quid amplius desiderari potest ad hoc propositum?

7 Quarto quod prædictus Diuus Augustinus nostræ faueat sententiæ, colligi etiam potest ex multis alijs eiusdem testimonijs, ad præsens nostrum propositum, quammaxima consideratione dignis. Etenim in libro de Symboli expositione, & oratione Dominica, & refertur in Milleloquio, verbo *Maria*, de Virgine sacra loquendo, sic ait. *Quartus locus* *Secundum fidem Sanctarum Scripturarum Maria Virgo sine naturali semine concepit Deum; quia qui venerat abolere malum originale, quod traximus omnes nati ex commixtione maris, & fœminæ, conueniens erat vt legi peccati nostri quæ per duorum concubitum verificatur in prole, Dei mater non teneretur obnoxia.* Quibus in verbis ad præsens propositum, ad notanda sunt præcipue illa

 quibus

quibus dixit: *Virginem Deiparam legi peccati minime fuisse obnoxiam*. Cum enim per legem peccati non intelligat Diuus Augustinus, solummodo concubitum maris & fœminæ (id enim ab initio conditionis humanæ fuit etiam ante peccatum) haud obscure colligitur, quod sub eo nomine peccatum intellexit originale, à quo Dei Matrem dicit fuisse liberam, seu quod ei non tenebatur obnoxia. Foret autem eidē obnoxia, nisi ex speciali priuilegio, & diuina gratia ab illo fuisset præseruata. Quod etiam insinuauit idem Diuus Augustinus in alijs verbis quæ referuntur in prædicto Milleloquio, quando dixit. *Ad pretiosissimum connubij thalamum, electus est Virginis vterus, & quia ex se peccati sordibus squalidus effectus fuerat mundus, veniens creator mundi, ex mundis visceribus effusus est in mundum, vt immundum, mundus redderet mundum*. Quibus verbis Doctor Sanctus aperte satis insinuauit, quam pura & ab omni prorsus originalis peccati labe, munda fuerint sacratissimæ Virginis viscera, quo exiens ex ipsis Christus Dominus vnigenitus Dei Filius, mundum immundum emundaret. Quod certe de illis haudquaquam posset dici, si originale ipsa peccatum contraxisset, & eo vllo tempore etiam per minimum instans inquinata fuisset.

Quintus locus. Sed adhuc expresius id ipsum insinuauit seu potius dixit idem Diuus Augustinus, sermone de Natiuitate Virginis: vbi post alia in sequentia verba prorumpit. *Magnifica illum (ò Virgo Beatissima) qui te ab omni peccato super omnes præseruauit. Quis enim dicere potuit sine peccato sum natus, aut mundus sum ab omni iniquitate dicere audebit, nisi Virgo illa prudentissima, animatum templum Dei excelsi, quam Deus sic elegit & prælegit ante mundi constitutionem, vt sancta & immaculata esset Dei Mater, & filia ab æterno præseruata, incorrupta ab omni labe peccati*. Referuntur prædicta verba à Clitoueo lib. 1. de Conceptione Virginis cap. 13. Quid (quæso) amplius siue clarius ad hoc propositum dici vnquam potuit? Et nec quidquam valet aduersariorum efugium, dicentium fuisse Diuum Augustinum loquutum (non quidem de Beatæ Virginis Conceptione) sed de Natiuitate eiusdem. Etenim si de sola natiuitate loqueretur, etiam Hieremias & Sanctus Ioannes Baptista, optime dicere potuissent, ipsos natos fuisse sine peccato, & ab omni iniquitate mundos: quinvero & quilibet in vtero sanctificatus id ipsum posset dicere. Cum igitur Augustinus adeò expresse dixerit, nullum (præter Mariam Dominā nostram) dicere potuisse sine peccato sum natus, aut ab omni iniquitate sum mundus, manifeste profecto colligitur, quod loquitur de natiuitate quæ est in vtero, & de Conceptione quæ est & dicitur prima natiuitas (iuxta illud Matthæi 2. *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est*) & non solum de natiuitate quæ est extra vterum.

Sextus locus. Multæ aliæ auctoritates Diui Augustini prædicti, à Doctoribus adducuntur ad idem, quas omnes ad manus vt habeantur, adducere in præsentiarum libuit, quamvis (vt dicitur) in eiusdem operibus minime

nime reperiantur. In sermone 20. ad fratres in Heremo sequentia verba continentur, quamvis multi dicant, quod eiusmodi sermones non sunt Diui Augustini. *Quia genus humanum à corruptione liberandum erat, id certo pretium Redemptionis incorruptum esse debuerat, ac propterea Maria mater electa est, & super omnes creaturas praelecta, omnibus gratijs fœcundata, omni virtute & sanctitate in vtero repleta, vt de mundissima Matre, mundissimus filius nasceretur. Et sicut in cœlo filius habet Patrem immortalem, & aeternũ, sic & in terra haberet Matrem omni corruptione carentem. Igitur sicut in cælo, qualis est pater, talis est filius: ita & in terra, qualis est mater, talis est & secundum carnem filius.* Quid (quæso) amplius vnquam dici, desiderarive potuit, ad sacræ Virginis puritatem præsignandam, & insinuandum ipsam ab omni prorsus originalis peccati labe fuisse præseruatam? Sed procedamus ad alia.

Idem Diuus Augustinus sermone quodam de Natiuitate (provt refert Henricus de Gandauo, quodlibeto 15.) de Virgine sacra loquẽdo, post alia verba sic inquit. *Ventum est ad Virginem, quæ mox vt in mundum per humanæ generationis lineam venit, tanta omnis boni virtute atque constantia perfectè resplenduit, vt eam ipsa sapientia Dei verè dignam iudicaret, per quam in hominem veniens, non modò reatum priorum hominum; sed etiam totius mundi peccata deleret.* Et paulo inferius. *Puella de propagine Adæ nata de peccatrice progenie orta, subito versa vice maledictionis Euæ, benedicta prædicatur super omnes mulieres.* Quibus in verbis, quammaxima consideratione digna sunt illa, *mox vt in mundum per humanæ generationis lineam venit,* quod certe idem omnino fuit, ac si dixisset, quod statim ac Virgo sacra concepta fuit (id enim fuit in mundum venire) tanta omnis boni virtutẽ atque constantia perfectè resplenduit (hoc est, tam perfecta sanctitate & gratia decorata fuit) vt eam ipsa Dei sapientia vere dignam iudicaret per quam in hominem veniens, non modo reatũ priorum hominum: sed etiam totius mundi peccata deleret. Ex quibus verbis satis aperte colligitur, quod Virgo sacra ab omni originali peccato prædicto fuit præseruata, & nunquam ipsius tenebris obscurata, etiam in primo suæ Conceptionis instanti: nam quod statim subditur: quod Virgo sacra de propagine Adæ, & progenie peccatrice orta & nata fuit, inferius explicabitur in argumentorum solutione, quando similia Diui Augustini verba, ad debitum suum sensum reducantur, & explicentur. Interim tamen notetur quod subditur ibidem, nempe. *Quod subito vice versa loco maledictionis Euæ, Virgo sacra super omnes mulieres benedicta est prædicata.* Quod fuit ac si expresius dixisset, quod præter aliorum ordinem, gratiæ & sanctitatis benedictionem est consequuta. Quod etiam valde facit ad nostrum propositum.

Et nec quidem minus id quod etiam adducitur ex Diuo Augustino, super Genesim ad litteram cap. 3. explicando illa verba. *Inimicitias ponam inter te & mulierem: ipsa conteret caput tuum.* Inquit enim. *Cum subito*

Septimus locus

Octauus locus

eiusdem puritas & à peccato originali immunitas etiam potest fundari. Faciunt & ad idem alia eiusdem Diui Maximi verba, sermone Assumptionis Mariæ, & sunt quæ sequuntur. *Ductor mortis diabolus per cuius inuidiam mors introiuit in orbem terrarum, omne humanum genus in primo parente veneno sua nequitiæ potauit, & quasi arborem in radice, antequam proles propaginis prodiret, vitiauit. Inde est quod radix vitiata quotidie frondet, frondesq; eius indesinenter per mortem marcescunt, & sæpe contingit, quod aurū fulgens reperiatur in luto, & ex pungente spina; pulchra rubens oriatur rosa. Hoc enim operante prouidentia diuina, ex radice vitiata sine vitio prodijt virga, quæ intelligitur Beatissima Virgo Maria, attestante Isaia qui dicit. Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Quibus in verbis, maiori consideratione sunt digna illa, quibus dicitur: quod diuina prouidentia operante, ex radice vitiata, sine vitio Virgo prodijt. Quo nescio quid amplius ad præsens nostrum propositum potest quæri aut desiderari? Petrus de Morales lib. quem inscripsit de Christo & Virgine, libro 3. tractatu 1. alia eiusdem Diui Maximi verba ad idem adducit, & sunt quæ sequuntur. *Hæc* (inquit) *porta clausa, quæ fuit admirabilis Dei thalamus, cæleste Templum, Tabernaculum gloriæ de quo speciosus prodijt Sponsus. Lux gentium, Spes fidelium condecenter & congrue, quia nulla macula originali contaminata est.* Notentur (obsecro) prædicta vltima verba, quæ quidem licet (vt dicitur) apud prædictum Diuum Maximum non reperiatur, si tamen inuenirentur quæ maxima sunt consideratione digna: post quam ex ipsis adeò clare & expresse nostrum concluditur intentum, (& vt dicitur) in expressis non est locus coniecturis.

27. Loco succedat Sedulius Presbyter inclitus Poeta, & insignis quidem Doctor, qui metro & prosa plura edidit opuscula, & floruit circa annum 413. & in libro secundo operis Paschalis nuncupato, ferè in principio, de Virgine sacra loquendo, sequentia ponit Carmina. *Sedulius Presbyter.*

Et velut in spinis mollis rosa surgit acutis,
Nihil quod lædat habens, Matremq; obscurat honorem,
Sic Eua de stirpe sacra veniente Maria,
Virginis antiqua facinus noua Virgo piaret.

Quibus in verbis, postquam Virginem sacram rosam inter spinas ortam appellat, ac dicit omninò nihil in ea fuisse quod lædere seu obscurare ipsius posset honorem: aperte satis de eiusdem sententia colligitur, illam originale peccatum minime contraxisse. Etenim si eiusdem aliquo tempore fuisset rea (etiam per minimum instans) non quidem mollis rosa in spinis exorta: quin vero spinosa & peccati originalis sentibus occulcata diceretur. Hūc auctorem inter quam plurimos alios, Bādellus supradictus, cap. 20. nobis etiam opponit, ac pro se adducit, dicendo: praue ipsum fuisse loquutum de Immaculata sacra Virginis Conceptione: sed male certe eiusdem verba refert, illa transmutando & vitiando, vt amplius etiam constabit in argumentorum solutione.

Cyril. Alex. 28. Loco succedat Cyrilus Alexandrinus, Nestorij quammaximus impugnator, qui floruit circa annum 430. & in Ephesino Concilio vbi præfuit, sanctissimæ Virginis honorem contra eundem Nestorium viriliter defendit. Sed specialiter loquendo de eiusdem immunitate ab originali peccato, lib. 6. in Ioannem, cap. 15. post alia verba, sic inquit. *Omnes homines (excepto illo qui de Virgine natus est, & sacratissima etiam Virgine, ex qua Deus homo prodijt in mundum excepta) cum peccato originali nascimur.* Quid clarius siue expressius dici vnquam potuit? Nec dicere prodest, eundem solummodo de sacræ Virginis natiuitate fuisse loquutum: nòn vero de eiusdem Conceptione; nam si verum id esset, dictum Cyrili falsum contineret, cum plane constet (vt iam pluries dictum est) Hieremiam & Sanctum Ioannem Baptistam sine originali peccato natos fuisse. Cum igitur ipse constanter adeô asserat, solummodo Christum, & ipsius Virginem Matrem sine originali peccato natos fuisse: satis aperte colligitur de ipsius mente & sententia, quod loquitur de natiuitate quæ fuit intra vterum (qualis fuit cóceptio, quæ etiam natiuitas vocatur, vt dictum est supra) & nó solum de natiuitate, quæ est extra vterum.

Alia eiusdem Cyrili verba adducuntur à Doctoribus, ex Homilia 6. in Concilio Ephesino, quæ habetur sexto tomo, cap. 6. vbi Angelica melodia de Virgine sacra protulit. *Salua sancta Deipara, totius orbis thesaurum, lampas inextinguibilis, per quam diabolus cælo decedit &c.* Et infra: *Quis vnquam de architecto audiuit, quod suum ipsius templum construxerit, & in eo habitare prohibitus sit?* Quibus in verbis, dum Virginem sacram vocat preciosum totius orbis thesaurum, lampadem inextinguibilem, ac dicit quod per eam diabolus de cœlo decidit: satis aperte colligitur, quod de eius mente atque sententia originalis peccati labe nunquam contaminata fuit: quinvero ab eodem præseruata: id quod & constat amplius ex eo quod subdit: quis vnquam de architecto audiuit, quod suum ipsius templum construxit; & in eo habitare prohibitus sit? Quod idem est ac si dixisset, quod permisserit vt in eo prius diabolus habitaret: haudquaquam id de Deo credendum est.

Alia eiusdem Cyrili verba referuntur in Breuiario Romano, edito à Cardinali Quiñones Hispano, in Festo Conceptionis Virginis, in tertia lectione secundi Nocturni, conflata ex dictis Sanctorũ Patrum, vbi Cyrilus libro prædicto contra Nestorium introducitur dicens: *Propter filium temerarium est in Maria Virgine ponere culpam aliquam vel peccatum.* Ex quibus verbis satis etiam concluditur intentum, nempe quod nullo vnquam tempore peccatum contraxit originale. Etenim si indecorum fuit Filio, Matrem suam aliquod peccatum actuale (etiam veniale) commisisse: multo magis esset indecorum originale contraxisse, cum peccatum originale (vt pluries dictum est) maius sit magisque lædat animam, quam actuale veniale.

29. Loco succedat Proclus Episcopus Sizicensis, qui Homilia habita in Concilio Ephesino, quæ habetur in sexto tomo, cap. 7. Immaculatam Virginis Conceptionem astruens, post alia sic inquit. *Clemēs Deus ex muliere nasci non erubuit: quod enim agebatur vita erat: nullam illi inde contrahit labem, quod intra viscera quæ circa omnem dedecoris notam condiderat inhabitat.* Post quæ statim addit. *Porrò autem vt architecto nullam maculam aspergit, si domum quam forte extruxerat incoluerit, neque lutum figulū inficit dum vasculum quod finxerat, ex eo refingit: ita ex vtero Virgineo prodijsse purissimum illud numen, nihil quidquam polluit. Quam enim citra vllam sui labem formauerat, ex hac quoque nulla macula contracta processit.* Quibus in verbis, notanda quammaxime sunt illa vltima. *Quam citra vllam sui labem formauerat, ex hac quoque nulla macula contracta processit:* nam ad hoc immaculatæ Virginis Conceptionis propositum, nescio quid magis ampliusve possit desiderari? Et infra carnem sacræ Virginis impollutam vocat: quod quidem minime diceret, si aliquo tempore (etiam per minimum instans) originalis peccati labe fuisset maculata. *Proclus Sizicensis Episcopus.*

30. Loco succedat Theodotus Episcopus Ancyranus, Cyrili & Procli Coetaneus, Homilia de Natiuitate Saluatoris habita in Concilio Ephesino, qui immaculatam Virginis Conceptionem defendere volens, post alia in sequentia verba prorupit. *Dic obsecro mihi, vtrum est vilius, rubus ne, an vterus Virgineus, ab omni peccati affectione immunis? Ignoras prisca illa, recentiorum, eorumq; quæ nunc contingunt figuras extitisse?* Quibus in verbis tangitur historia illa de rubo Moysi olim ostenso, prout habetur Exodi 3. vbi dicitur: *quod apparuit Dominus illi, in flamma ignis de medio rubi, & videbat quod rubus arderet. & non combureretur. Quo viso dixit Moyses. Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus?* Post quæ subditur ibidem. *Cernens autem Dominus quod pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi. Et ait. Moyses, Moyses? Qui respondit. Adsum. At ille. Ne appropries (inquit) huc, solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est.* Quam visionem explicando prædictus inquit Theodotus, quod ea mysteria quæ antiquitus fiebant, illa quæ in nouo testamento adimplenda erant, significabant. *Quare* (inquit) *rubus accenditur, ignis conspicitur, & tamen quæ ignis natura fert non operatur? Illuminat, non consumit: abstergit, non incendit: beneficium præstat, pœnam non adfert. Nonne Virginem in rubo animaduertis? Rubus itaq; Mariæ expressa fuit similitudo. Si ergo vilem illam arbusculam ita Deus ipse olim insedit, vt eum illi splendorem, eam gloriam, eam mirandam integritatem induxerit: qua (quæso) ratione Virginem nostram obsederit, aut potius possederit? Quem illi nitorem, quam puritatem quam lucem intulerit, quando eam ita ab omni peccati affectione immunem præstitit?* Quid (quæso) amplius ad præsens hoc nostrū propositum potuit vnquam desiderari, aut dici? Sed procedamus vlterius *Theodotus Episcopus.*

31. Loco succedat Diuus Basilius Seleuciæ Episcopus, qui Homilia *D. Basil. Seleucia Episcopus.*

etiam per id tempus: & in oratione de Verbi Incarnatione, de prædicta Beatæ Virginis puritate loquendo, post alia sic inquit. *Si enim Sol per hæc sordida & graueolentia loca transiens, nullas puritati suæ sordes adsciscit: quanto magis iustitiæ Sol, impollutam atque irreprehensibilem Virginem luce sua illustrans, sacrosanctum corpus ex ea sumens, secundum diuina in se ipso manebit impassibilis?* Quibus in verbis argumentum plane facit (vt dicitur) à minori ad maius. Vt enim ostéderet, quam longe à Dei diuinitate fuerit, vt ex sua natiuitate iniuriam aliquam sustinuerit, ita argumétum conficit. Si Sol in obcęna atque impura loca lucis suæ radios mittens: haudquaquam inficitur, quanto minus Dei diuinitas violari potuit transeundo per Virginem: non quidem impuram, sed omninò impollutam, irreprehensibilem, & ab omni peccati sorde permundam, ex illa carnem assumens? Quæ prædicta verba confirmando statim subdit. *Quod Virgo prædicta fuit quidem templum verè Deo dignum, omnis sanctitatis suauissimum atque purissimũ odorem spirans* Et iterum infra circa finem, exclamando de eadem dicit. *O ter sacrosancta Virgo de qua qui omnia illustria & gloriosa dixerit, nunquam quidem a veritatis scopo aberrabit, & dignitatis magnitudinem nulla vnquam oratione exequabit.* O quidem verba mira, omnique consideratione dignissima! Ter sacrosanctam appellat sacram Virginem. Qui dicendi modus (quamvis ad suæ sanctitatis exagerationem pertineat) haud incongrue tamen dici potest, triplici illa verbi loquutione, triplicé etiam eiusdem sanctitatem, siue munditiam præsignare voluisse, à triplici peccati specie, originali népe, actuali mortali, atque veniali.

Theodoretus. 32. Loco succedat Theodoretus suæ ætatis splendor quam maximus, ac Virginis sacræ deuotissimus, qui floruit circa annum 430. & scribens super Cantica, explicando illa verba Canticorum 6. *Vna est columba mea, &c.* Post alia, sic inquit. *Has classes atque hos ordines Salomon ille prospiciens, & diuino afflatus Spiritu Sancto antecernens, Verbi purissimi incarnationem, & quæ ipsam sine semine genuit sanctissimam Deigenitricem Mariam, illam immaculatissimam quam omnes omnium hominum generationes, vocibus nunquam cessantibus beatissimam prædicant.* Et post pauca subdit, *Inter tot animas hominum qui saluantur, vt electa columba est illa vna sola, quæ Christum genuit, Virgo Mater, puella Maria, quæ puritate profecto Cherubim, & Seraphim antecellit.* Vbi quammaxima consideratione est dignum; quod Virginem sacram immaculatissimam, & quam omnes hominum generationes vocibus nunquam cessantibus beatissimam prædicant, eáque Cherubin atque Seraphin antecellere dicit: quod certe de ea haud congrue posset dici, si originalis peccati labe fuisset fœdata & maculata, & non in iustitia originali, seu potius gratia, quemadmodum & Angeli ipsi, condita atque creata.

Eusеb. Emisс. 33. Loco succedat Eusebius Emisenus, qui etiam per id tempus floruit, & aliquid ad sacræ Virginis puritatem præsignandam dixit, quid-

(quidquid in cõtrarium Bandellus dicat) sed verbis ab eo allatis infra satisfiet. Prædictus ergo Eusebius, Sermone de Natiuitate ad Auroram de Virgine Deipara loquendo, sic inquit. *Sed quid de Matre Domini dicam? Cuius odoris fragrantiam Rex Sapientissimus Salomon admirans ait. Quæ est ista quæ ascendit per desertum, quasi virgula fumi ex aromatibus Myrrhæ, & thuris, & vniuersi generis pimentarij? Vbi omnium aromatum id est gratiarum) fumus redolet, ibi fætoris (id est peccati) aliquid inditium esse non potest.* Quid (quæso) clarius, ad sacræ Virginis puritatem præsignandam dici potest.

34. Loco succedat Aurelius Prudentius, qui etiam eodem tempore floruit, & in suo Apotheosi aliquid etiam dixit ad sacræ Virginis puritatem designandam, cuius verba ad litteram refert Beatus Ildephonsus, libro de Parturitione & Virginitate Mariæ, & sunt quæ sequuntur. *Innuba Virgo, nubit spiritus, vitiũ nec sensit amoris: pubertas signata manet, grauis intus & extra: incolumis florens de fertilitate pudica, virginitas, & prompta fides Christũ bibit alno cordis & intactis condit paritura latebris.* Quibus in verbis, quammaxima consideratione digna sunt illa, quibus dicit. *Virginem sacram fuisse grauem, seu potius grauidam intus & extra.* Quod est, ac si expressius dixisset: *mente & corpore, & eodem modo* Ex quo haud quidem incongrue colligi potest, quod sicut Virgo sacra in eiusdem honorem, Virgo ac grauida simul dicitur, propter integritatem purissimæ suæ carnis, absque corruptione vlla, & absque vlla prorsus libidine: ita similiter & mente dici debet Virgo inuiolata ac grauida propter incorruptionem purissimæ suæ animæ, & liberationem in ea factam ex speciali Dei priuilegio, ab omni prorsus originalis peccati labe. Quem sensum esse legitimum probat supradictus Ildephonsus, Sermone 1. de Natiuitate, dicendo. *Quod sacra Virgo fidei semine fuit prius grauida, & Christum prius concepit mente, quam ventre.* De qua sacræ Virginis spirituali Conceptione, iam plura diximus supra, quæ propterea in præsentiarum prætermittuntur. *Aurelius Prudentius.*

35. Loco succedat Sanctus Leo Papa, qui floruit circa annũ 440. & Sermone primo de Natiuitate Saluatoris loquendo de eadem sacræ Virginis puritate, & qualiter ipsa Dei Filium prius concepit mente quam ventre, post alia sic inquit: *Virgo Regia Dauidica stirpis eligitur, quæ sacro grauidanda fœtu, diuinam humanamq; prolem, prius conciperet mente, quã corpore* Et Sermone secundo de eadem Natiuitate, sic ait. *Oportuit, vt primam genitricis integritatem nascens incorruptio custodiret, & complacitum sibi claustrum pudoris & sanctitatis hospitium, diuini spiritus virtus infusa seruaret. quæ statuerat deiecta erigere & confracta solidare.* Quibus in verbis, quammaxima consideratione est dignum, quod æquali lege & æqua custodia, seruatum fuisse dicit sanctitatis atque Virginitatis siue pudoris hospitium. Ex quo haud incongrue quidem colligitur, quod sicut corporis virginitas in Virgine sacra fuit perpetua, & nunquam *S. Leo Pp.*

 violata

violata: ita & sanctitas in ea perpetua fuit, & nũquam per peccatum aliquod violata: quinvero æquali custodia fuit semper ab Spiritu Sancto seruata.

D. Petrus Chrysologus. 36. Loco succedat Diuus Petrus Chrysologus, Sancti Leonis Coetaneus, qui etiã Sermone de Annunciatione qui numero est 140. in Deiparæ Virginis laudem, post alia sic inquit. *Peruolat ad Sponsam festinus interpres, vt à Dei Sponsa humanæ desponsationis arceat & suspendat affectum: neque auferat à Ioseph Virginem, sed reddat Christo, cui est in vtero pignorata cum fieret.* Quibus in verbis, quammaxima consideratione sunt digna illa, quibus dicit *Virginem sacram fuisse Christo Domino pignoratam cum fieret.* Quod intelligendum est, in prima sui conditione & formatione, seu in primo suæ Cõceptionis instanti, cum primum fuit in vtero sanctissimæ suæ matris Annæ. Ex tunc (inquit) fuit Christo *pignorata*: quod idem est, ac *in pignus data*. Sumpta metaphora à re nuptiali, qua Virgo pignorata dicitur, quando infuturarum nuptiarum sponsionem, pignore aliquo siue arrabone donatur. Itaque sensus Chrysologi est, Virginem sacram cum fieret, id est, in primo suæ Cõceptionis instanti, fuisse in Christi Sponsam & Matrem destinatam & ordinatam, cumulatissimamque gratiam fuisse sibi, veluti in pignus, siue arrabonem donatam, infuturarum nuptiarum sponsionem. Quo nescio quid illustrius, adpræsens hoc propositum dici potuit? Vt colligatur ex inde Virginem sacram, nullo vnquam tempore originale peccatum (etiam per minimum instans contraxisse) sed à primo suæ Conceptionis instanti, cumulatissimam gratiam sibi fuisse donatam, qualem decebat habere eam, quæ Christi Domini futura erat Mater & Sponsa. Et in Sermone 144. idem Chrysologus de eadem Virgine loquendo, etiam inquit. *Merito ergo Virgini salua sunt omnia, quæ omnium genuit Saluatorem.* Quibus in verbis, quamvis de virginitate corporis fiat sermo, pari ratione exinde ad virginitatem & integritatẽ quoq; mentis argumentũ potest deriuari ac dicere possumus quod in Virgine sacra salua semper fuerunt omnia, pro eo quod conceptura atque paritura erat omnium Saluatorem, & quod nihil gratiæ siue excellentiæ considerari potest, quod eandem ob causam à primo suæ Conceptionis instanti ipsa non habuerit.

S. Fulgentius Episcopus Rupensis. 37. Loco succedat Sanctus Fulgentius Episcopus Rupensis, qui floruit circa annum 500. & in Sermone de Duplici Christi natura, dum Virginem sacram Euæ confert, seu potius præfert, post alia sic inquit. *In primi hominis coniuge nequitia diaboli seductam deprauauit mentẽ, In secundi autem hominis matre, gratia Dei & mentem integram seruauit & carnem.* Notentur (obsecro) prædicta vltima verba, ex ipsisque simile conficiatur argumentum. Si gratia Dei sacræ Virginis mentem (seu potius animam) integram seruauit, cur diceremus originali peccato esse violatam, & non potius ab eodem præseruatam? Si æque integram

ipsius

ipsius seruauit mentem & animam, quemadmodum & carnem: cur non dicemus, quod sicut carne fuit omnino integra, & nunquam violata: ita etiam mente, nullius originalis peccati labe fuit vnquam (etiam per minimum instans) labefactata? Id ipsum insinuauit etiam supradictus Fulgentius, Sermone de Laudibus Virginis propefinem, vbi prædictam Euæ & Virginis sacræ comparationem prosequendo, post alia sic in quit. *Maria è contrario quam præclarissimis tribus bonis sublimetur ausculta, salutationis Angelicæ, benedictionis diuinæ, & plenitudinis gratiæ. Sic enim eam legitur Angelum salutasse: Aue Maria gratia plena benedicta tu inter mulieres. Cum dixit, Aue, salutationem illi cœlestē exhibuit: cum dixit plena, ostendit ex integro iram primæ sententiæ exclussam, & plenam benedictionis gratiam restitutam.* Ex quibus etiam verbis sic colligo argumentum. Si primæ sententiæ ira in Virgine sacra ex integro fuit exclusa, & benedictionis gratia plenè restituta: cur dicemus, ipsam originalis peccati labe fuisse labefactatā, & non potius benedictionis gratia cumulatissime exornatam, adeò vt originale peccatum prædictum ad eam non vllo modo potuerit pertingere? Prædictum Diuum Fulgentium pro sua etiam sententia & opinione adducit Bandellus supradictus, sed absque vlla prorsus ratione & causa, & verbis quæ ex ipso adducit, infra in argumentorum solutione plenissime satis fiet.

38. Loco succedat Illustrissimus Cardinalis Arator, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus, qui floruit circa annum 540. & in libro primo suorum Poëmatum in Acta Apostolorum, Vigilio Summo Pontifici dicato, ac totius populi Romani consensu & applausu recepto, circa initium de Virgine sacra sequentia posuit Carmina. *Cardinalis Arator.*

Porta Maria Dei genitrix intacta creantis,
Anato formata suo, mala criminis Euæ.
Virgo secunda fugat: nulla est iniuria sexus,
Restituit, quod prima tulit.

Quibus versibus eleganter quidem, insinuauit Virginem sacram originalis peccati ruinam minime fuisse passam, dum dixit quod mala criminis Euæ Virgo secunda fugauit, & quod nulla est iniuria sexus, sed ipsa restituit quod prima tulit: aliàs enim quonammodo superius dicta de Virgine eadem possent verificari, si originalis culpæ malum in illa, adhuc restituendum restaret?

39. Loco succedat Anastasius Synaita Patriarcha Antiochenus, qui floruit circa annum 544. & in libro secundo suarum Anagogicarum Contemplationum in Exameron, explicans illa verba Genes. 1. *Fiat firmamentum in medio aquarum:* ita ait. *Fecit Deus salutem in medio terræ, vtpotè qui habitauerit in medio terreni vteri Virginis, & salutem mundi fecerit, compacto firmamento sancti sui corporis in medio incorrupta Matricis, fontis vita puella Dei Matris, & posito sub aqua firmamenti: sub sole (inquam) eius diuinitatis.* Quibus in verbis dicit Christum Dominum fuisse quasi firmamen- *Anastasius Synaita.*

mamen-

mamentum quoddam, compactum atque concretũ inter duas aquas, scilicet, inter Matris suæ humilitatem (quam inferiores aquæ adumbrabant) & inter Patris diuinitatem (quam supracœlestes aquæ significabant) Virginem autem appellat fontem vitæ. Quo certe nomine indigna esse prorsus videretur, si in suæ Conceptionis initio, originalis peccati aquis fuisset suffocata: non igitur id est vllo modo dicendum.

Idem Anast. • Idem Anastasius libro 6. prope finem, de Virgine eadem loquendo, inquit. *Quis mihi dic (quæso) aut ex hominibus, aut ex dæmonibus audebit dicere, quod ea quæ est eiusdem simul cum Deo essentia* (quod ad carnem attinet) *non sit ad imaginem & similitudinem eius, qui est ex ipsa natus? Quomodo est enim Mater eiusmodi filij, non ferens in se integram & illæsam fœtus sui imaginem?* Quibus in verbis, quammaxima consideratione digna sunt illa, vbi ait: *Virginem sacram integram atque illæsam in se fœtus sui imaginem semper tulisse?*: quod certe de ea haud congrue posset verificari, si illius pulchritudo vllo vnquam tempore (etiam per minimum instans) originalis peccati labe læsa fuisset. Pergit supradictus Anastasius, Euam cum Luna deficiente & Ecclipsim patiente comparando: ac tandem subdit. *Adam non fuit deceptus, sicut dicit Apostolus: Eua autem fuit decepta, cum à tenebrosi & obscuri serpentis dominatu oppressum esset, & defecisset eius lumen eius tamen luminis defectum, restituit lux vera quæ ex ipsa processit. Ex secunda (inquam) Eua Christus, tanquam ex quapiam plena Luna Maria, quæ nunquam minuta aut defecit, aut priuata fuit essentiali lumine (nempe sua Virginitate) si quidem ei acclamauit Angelus: Aue gratia repleta: scilicet propter Euam quæ est Luna, quæ fuit male habita & vexata, & quæ ex suo defectu per inobedientiam fugerat, & se absconderat, & timuerat à ligno inobedientiæ, & transgressionis gratia repleta à sole iustitiæ, nempe à Deo.* Quæ quidem verba (ni fallor) sic sunt intelligenda. Quod Eua per gratiæ plenitudinem quam in sua creatione accepit, & quâ Deo fuit illustrata & cōdecorata, quasi Luna plena quædam fuit: sed statim per inobedientiæ tenebras ab ea plenitudine decidit: & antiqui serpentis persuasione decepta (vt sic loquamur) sustinuit Ecclipsim: quem luminis defectum restituit lux vera Christus, qui ex secunda Eua (Maria scilicet) quasi ex quadam plena Luna processit, quæ & nunquam fuit diminuta, aut defecit, seu vllo vnquam tempore (etiam per minimum instans) priuata fuit essentiali lumine. Quod quamvis explicetur de sua corporis virginitate, pari etiam ratione intelligendum est, & interpretari potest de mentis integritate, quia (vt pluries est dictum) Virgo Deipara, non solum corpore, verum etiam & mente, fuit semper integra, & Virgo.

Andreas Cretensis Episcopus Hierosol. 40. Loco succedat Andreas Cretensis, Episcopus Hierosolymitanus, qui floruit circa annum 600. & in Homilia prima de Virginis dormitione sæpe sæpius Virginem sacram vocat, *Immaculatam, impollutam,*

supra

supra modum plenam purißima castitatis, magnificum & longe maximum gratiarum Dei tabernaculum. Ac de ea dicit. *Quod vniuersam quæ in generatione est, naturam puritate superauit, ipsos etiam Cherubin & Seraphin puritate vincens: & natura sua proxime ad Deum accessit.* Quibus sane verbis, nescio quid amplius, illustriusve in eiusdem laudem vnquam potuit dici: ad insinuandam eiusdem eximiam puritatem, & ab omni prorsus originalis peccati labe immunitatem: postquam dicit, quod natura sua proxime ad Deum accessit. Ac tandem de eadem loquendo, inquit. *Quod ea sola præter naturam electa fuit, ad naturam renouandam, & sola seruijt vniuersæ naturæ opifici.* Quibus in verbis, quammaxime in cōsiderationem venire debet illud, quod dicit, *quod præter naturam electa est.* Quod perinde fuit, ac si expresſius dixiſſet, præter omnes naturæ leges, & quod non communi aliorum lege electa, & prædestinata fuit, vt incurreret naturæ vitium (quod est peccatum originale) sed mirificè ab eo ex speciali Dei priuilegio & gratia, fuit præseruata & liberata. Pauloq; inferius cum eadem loquendo, subdit. *O nubes tota lucida, tu vere es, quæ reuera es tota pulchra, & macula non est in te.* Et post pauca. *O Sancta & Sanctis sanctior, & omnis sanctitatis sanctißime thesaure.* Quæ omnia in compendio sic dicere libuit, vt non mea longius protrahatur oratio. Nam duas orationes fecit prædictus Andreas Cretensis de Virgine sacra, quæ eiusdem puritatem, eximiamque sanctitatem spirant quammaxime, & omninò nihil in eis reperire licebit, ex quo non plane colligere posſimus eiusdem præseruationem ab omni prorsus originalis peccati labe.

41. Loco succedat Hesichius Hierosolymitanus, qui floruit circa annum 601. & in Oratione secunda quam fecit de Virgine Deipara, eandem vocat: *Turturem mundam, columbam impollutam.* Ac dicit. *Mulierum omnium esse egregiam, & Virginibus omnibus electam, præclarum naturæ nostræ ornamentum, gloriam luti nostri, quæ Adamum pudore & Euam comminatione liberauit: quæ audatiam serpentis abscidit, quam concupiscentiæ fumus non attigit, nec vermis voluptatis eam læsit.* Quibus in verbis, nullum profecto est, non quammaxima consideratione dignum. Sed illa præsertim quibus sacram Virginem appellat: *Præclarum naturæ nostræ ornamentum, gloriam luti nostri, quæ Adamum pudore & Euam comminatione liberauit, & antiqui serpentis audatiam abscidit.* Super quæ sacræ Virginis puritas & ab originali peccato immunitas, haud incongrue quidem potest fundari. Nam qua ratione (quæso) dici posset præclarum naturæ nostræ ornamentum, & gloria nostri luti, si ea etiam luti nostri sordibus infecta fuit, & polluta originalis peccati labe? Qua etiam ratione Adamum pudore, & Euam comminatione liberasset, si commune eorum peccatum contraxisset? Quonam pacto antiqui serpentis audatiam abscidisset, si serpens ipse antiquus de more suo eam etiā suo aculeo confixisset? Contrarium qui sentiunt explicent vellim, in quo

Hesichius Hierosolymit.

sensu superius dicta de Virgine Deipara possunt verificari, aut dici?

S. Antiochus. 42. Loco succedat Sanctus Antiochus, grauissimus quidem Doctor, qui floruit circa annum 630. & in opere illo quod inscripsit, *pandecta Scriptura diuinitus inspirata*, Homilia 21. cum Virgine sacra loquêdo, ipsiusque puritatem protestando, atque confitendo, post alia praeclara verba, sic inquit. *Nulli possibile est ad tua virtutis fastigium pertingere, nisi Dei praesidio iuuetur, & erga Deum charitatis & animi de se quammoderatissime sententis, iuxta testimonium Deipara omni laudum genere celeberrima, nulli obnoxia vitio, sed gloria omni dignissima.* Et paulo inferius. *His igitur clarissime explicatum reor, quia per summam humilitatem, & erga Deum charitatem, plena cum esset gratia promeruit sibi vestem pertexere Virginitatis, nulla ruga decolorem, nulli obnoxiam reatui.* Quibus in verbis, quammaxima consideratione digna sunt illa, quibus dicit Deiparam omni laudum genere esse celeberrimam, nulli obnoxiam vitio, sed omni gloria dignissimam. Item & illa, quibus dicit gratia plenam promeruisse sibi pertexere Virginitatis vestem, nulla ruga decolorem, nullique obnoxiā reatui. Ex quibus (mihi vt videtur) plane praedictum nostrum concluditur intentum, cum verba praedicta omnem rugam ex se excludant, & omnem peccati cuiuslibet reatum, siue labem, quae sacrae Virginis puritatem quocumque modo possent maculare.

S. Eligius Episcopus Nouiomensis. 43. Loco succedat Sanctus Eligius Episcopus Nouiomensis, qui floruit circa annum 640. & in Homilia secunda in die Purificationis habita, inter alia sic inquit. *Nunquam immunda iudicatur, qua Sancto Spiritu obumbrante, totius munditia & sanctitatis auctorem genuisse comprobatur.* Quod autem Eligius praedictus, non quidem de immunditia legali (vt quibusdam placet) sed de immunditia quae ex originali culpa accidit loquatur: & ratio ab ipso confirmata aperte comprobat, & quae sequuntur verba illud satis indicant, cum inquit. *Et ipse puer Iesus purus ab omni contagione peccati: cuius enim agni oblatione indigeret purificari, qui est Agnus Dei?* Ex quibus verbis (meo quidem videri) satis datur intelligi, quod quam culpam â Christo Domino sub contagij nomine repellit, eadem omninò fuit, quam â Virgine sacra sub nomine immunditiae prius remouere intendit: sicque vtrobique eodem verborū tenore, & Filium & Matrem denegat originalis culpae, legi quae in peccatores omnes lata fuerat obnoxios vnquam fuisse: per quod plane nostrum concluditur intentum.

B. Ildephonsus Archiepiscopus Toletanus. 44. Loco succedat B. Ildephonsus Archiepiscopus Toletanus, qui floruit circa ann. 660. & in lib. contra eos qui disputāt de Virginitate & parturitione Mariae, qui habetur tomo nono Bibliothecae Patrum, volens ostendere Virginem sacram in parturiendo legi primae originis cui aliae mulieres subiectae sunt, subiectam minime fuisse, post alia in sequentia verba prorumpit. *Aliâs autem quo modo Spiritu Sācto eam replente non sine peccato originali fuit, cuius etiam natiuitas gloriosa,*

Catho-

Catholica in omni Ecclesia Christi, ab omnibus fœlix & beata prædicatur? Enim vero si non beata esset & gloriosa, nequaquam tam festiue celebraretur vbique ab vniuersis. Sed quia tam solemniter colitur, constat ex authoritate Ecclesiæ, quod nullis quando nata est delictis subiacuit, nec contraxit in vtero sanctificata peccatum originale. Et paulo inferius subdit. *Nunc autem quia ex authoritate totius Ecclesia veneratur* (scilicet Virginis natiuitas) *constat eam ab omni originali peccato fuisse immunem, per quam non solum maledictio Euæ soluta est, verum etiam & benedictio omnibus condonata.* Quem quidem locum quamvis Vazquez secundo tomo ad tertiam partem disp. 117. cap. 3. ad finem, minus esse firmum dicat ad nostrum propositum confirmandum (existimat enim Diui Ildephonsi verba prædicta, fuisse ab eo dicta, non quidem de sacræ Virginis Conceptione, sed de sola eiusdem Natiuitate, quæ vere sine peccato originali fuit, cum in vtero sanctißimæ suæ matris fuerit sanctificata: quam etiam explicationē affert Bandellus (vt supra diximus) in dicto suo libello cap. 17.) sed vterque minus bene loquitur (mihi vt videtur) & suæ sententiæ atq; explicationi resistunt expresse illa Diui Ildephonsi verba: *Nec originale peccatum in vtero sanctificata contraxit.* Quæ quidem Virginis natiuitati conuenire nullo modo possunt: neque enim originale peccatum contrahere, est cum nascimur, sed dum concipimur. Quo circa prædicta Diui Ildephonsi verba, quamvis de natiuitate quæ est extra vterū etiam intelligantur: eodem (quinvero & potiori) iure intelligenda sunt de natiuitate quæ est in vtero, cum primum homo concipitur: iuxta illud Matthæi 2. iam pluries allatum, *quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Neque audiendus est Vazquez prædictus, dum ait contrahere in loco prædicto, non quidem esse idem ac originale peccatum incurrere: sed idem ac secum illud defferre, & quasi quoddam onus peccatum trahere. Non (inquam) in hoc est audiendus, nec vero supradictus Bandellus, dum ait originale peccatum contrahere, idem esse ac illud secum nascendo trahere: cum vterque loquatur contra communem dicendi modum qui in scholis obseruatur. Nullus enim dabitur Scholasticorum Doctorum, qui non plane fateatur originale peccatū trahere, idem omninò esse, ac illud primo incurrere. Quod si iuxta communem loquendi modum, verba prædicta in dicta significatione accipienda sunt, cur non & in eadem à sanctißimo Ildephōso dicta esse dicemus? Quid absurdi ex eo sequetur? absurdū nisi ipsis videatur Virginis sacræ puritati fauere?

Sed dicent, sanctißimum Patrem Ildephonsum in libro prædicto, de sola Virginis natiuitate agere, non autem de eiusdem Conceptione, & in eo totum esse, vt ipsius natiuitatem ab originali peccato ostendat fuisse immunem. Sit ita. Sed quid (quæso) inde absurdi erit, quod cum puritate natiuitatis, puritatem etiam Conceptionis, vno verbo, veluti per transitum dicamus exprimere voluisse & declarasse

Maxime cum ex puritate Conceptionis in vtero, puritas etiam eiusdem natiuitatis ex vtero confirmetur magis ac magis? Non nos negamus sanctissimum Ildephonsum, ex professo ex puritate natiuitatis Virginis in libro prædicto, ostendere voluisse eandē in partu Christi Domini à pœna originalis peccati de pariendo cum dolore liberam fuisse, faciendo hunc discursum: si Virgo sacra ex speciali priuilegio in sua natiuitate à culpa originali libera fuit, cur non & à fortiori ex eodem speciali priuilegio, in partu Verbi incarnati à doloris pœna mulieribus ex peccato originali imposita, fuerit exempta? Optimus quidem discursus, & qui hominis cuiuslibet ingenium à passione & affectione liberum, cōuincit quammaxime. Sed eiusmodi argumentum omni proculdubio multo maiorem vim habet, si (vt prædictum est) simul concedamus Virginem sacram, necdum in sanctissima sua natiuitate ex vtero, verum etiam & in Conceptione quæ fuit in vtero, ab omni culpa & originali peccato fuisse liberam. Qua quidem ratione meritissime Chaterinus & omnes communiter Doctores Scholastici, Diui Ildephonsi verba prædicta ad nostram sententiā & opinionem confirmandam semper adducunt. Cui etiam haudmodicum quidem fauet, quod in antiquo Conceptionis officio edito à Leonardo de Noguerolis, & à Sixto Quarto approbato & confirmato, illiusque iussu publice in Ecclesia decantando tradito: Diui Ildephōsi testimonium prædictum, in huius etiam mysterij confirmationem affertur. Plura alia ad idem probandum Diui Ildephonsi Salazar adducit testimonia, in suo libro pluries citato pro immaculata Deiparæ Virginis Conceptione capit. 42. at prædictum (vt dicitur) pro mille sufficiat. Consultoque omitto Diuum Venantium, Honoratum, Cosmam etiam Hierosolymitanum, & Germanum Patriarcham Constātinopolitanum ibidem ab eodem relatos ad idem, pro eo quod nihil aliud dicant, quam Virginem Deiparam fuisse puram atque imaculatam. Qua de re superius plura superque satis sunt dicta. Sed iā in calce testimonij prædicti eiusmodi argumentum libuit conficere. Si de mente Diui Ildephonsi, Virgo sacra in sua natiuitate ab omni originali peccato esse probatur immunis, quia Ecclesia natiuitatem prædictam celebrat: cur non & in Conceptione sua sancta eandem dicemus à peccato originali immunem fuisse, cum etiam eadem festiuitas ita solemniter ab Ecclesia celebretur? Neque enim recte festum fieri aut celebrari potest, nisi de re sancta, & quæ pro tali ab Ecclesia diiudicatur. Huic argumento, vellem aduersarij mihi respondeant: at nihil respondere valebunt, nisi inualidum aliquod effugium assumant. Sed de hoc alias in propria quæstione fusior fiet mentio.

D. Ioannes Damascenus. 45. Loco succedat Diuus Ioannes Damascenus, per id tempus multum celebris, præsertim apud Græcos, qui Virginis Deiparæ sanctitatem perpetuam & Conceptionem purissimam & immaculatam mi-

mirum in modum illustrauit. Et cui Galatinus lib. 7. de Arcanis cap. 5 tribuit Graecorum *menologium*, quod est ac si diceretur, *kalendarium*, quod eo tempore apud Graecos erat in vsu. In quo appositum reperiebatur sacrae Virginis Conceptionis festum, sub titulo purae & immaculatae: astruitque subinde ab eo tempore Conceptionis solemnia apud Graecos cepta fuisse celebrari. Sed quidquid de hoc sit (nam hac de re amplior infra futurus est sermo) ad eiusdem testimonia deueniendo, primo loco occurrit id quod dicit in oratione prima de Natiuitate Deiparae Virginis *Quid autem est* (inquit) *cur Virgo mater ex sterili orta est?* Et respondet: *Quoniam scilicet oportebat, quod ad id quod solum sub sole nouum erat, ac miraculorum omnium caput, via per miracula sterneretur, & paulatim ab humilioribus ad sublimiora fieret progressus.* Et subdit. *Quamquam alia quoque altior ac diuinior ratio à me afferri potest. Etenim natura gratiae cessit, ac tremula stetit, progredi non sustinens. Quoniam itaque futurum erat vt Deigenitrix ac Virgo ex Anna oriretur, natura gratiae fœtum anteuertere minime ausa est, verum tantisper expectauit, dum gratia fructum suum produxisset.* Quibus in verbis, quammaxima cõsideratione digna sunt illa, quibus dicit naturam gratiae cedisse ac tremulam extitisse, & progredi nõ sustinuisse, & gratiae fœtũ anteuertere minime ausam fuisse, sed tantisper expectasse, donec gratia fructum suum produxisset. Vbi naturae nomine, haudquaquam intelligenda venit humana Virginis natura in indiuiduo concepta, quae gratiam expectare non poterit (vt quidam decepti falso autumant) sed intelligenda est natura in communi, seu potius vis ipsa generatiua seminis, quae nisi praeueniatur gratia, simul cum natura genita, vitium naturale (hoc est peccatum originale) communicat. Haec (inquam) natura est quae gratiae cessit, ac tremula stetit, quae progredi non sustinuit, neq; ausa est gratiae fœtum anteuertere, aut illam in natura humana Virginis genita praeuenire: sed expectauit quod gratia fructum suum produxisset: id est locum dedit gratiae, quo simul cum ipsa concurreret, ad hoc vt Virgo sacra ex vtero sanctissimae suae matris Annae, in eodem temporis instanti simul exoriretur, & quantum ad suum esse naturale, & quantum ad esse gratuitum, vndequaque perfecta: ita vt non prius cõciperetur, siue in natura humana gigneretur, quam iustitia originali seu potius gratia, ab omni prorsus originalis peccati labe praeseruatiua exornaretur, & condecoraretur. Quae quidẽ naturae expectatio metaphorice intelligenda est, non vero proprie: & fuit ac si expressius dixisset, naturam ad modum expectantis se habuisse, nec ausam fuisse progredi ad actualem infectionem personae generandae, donec gratia fructum suum produxisset, quod quammaxime est notandum.

Nota valde hoc D. Damasceni dictum.

Post quae praedicta verba, idem Damascenus in eadem oratione, cum Virgine Deipara loquendo. *Vitam* (inquit) *habebis natura praestantiorem non tibi ipsi (neque enim tui ipsius causa progenita es) quo circa Deo habebis,*

Idem Damascenus.

bebis, ob quem in vitam prodijsti, vt orbis vniuersi saluti administram te praberes, atque antiquum Dei consilium (hoc est incarnationis Verbi, ac nostra Deificationis) per te impleretur. Quid illustrius, aptiusve ad præsens hoc propositum dici vnquam potuit? Et subdit cum Virgine eadem ve.ba faciendo. *O Sanctissima Ioachim & Anna filia, qua principatus ac potestates fefellisti: qua in spiritus thalamo versata es, atque immaculata conseruata in Dei sponsam.* Et infra. *O digna Dei filia, humana natura venustas, primigena matris Eua correctio.* Sed nec minus facit ad idem, quod in oratione eadem dixit, loquendo de sanctissimis Ioachimo & Anna. *O Beatos Ioachimi lumbos, è quibus immaculatum semen effluxit! O praclaram Anna vuluam, in qua tacitis incrementis formatus fuit sanctissimus fœtus?* Quæ quidem verba (si plene considerentur) satis etiam indicant sacræ Virginis puritatẽ eximiam, & eam prorsus ab omni prorsus originalis peccati labe immunem fuisse. Nam quonam modo in vulua siue vtero Beatæ Annæ, formatus dici posset sanctissimus fœtus, si Virgo sacra in sua Conceptione originali labe, siue macula fuisset fœdata & maculata? Vt vero intelligatur, id quod dicit in vulua Beatæ Annæ formatum fuisse sanctissimum fœtum, ex naturali philosophia recolere oportet: fœtum in ipsa prima sui Conceptione, formari præcedentibus tacitis incrementis atque formationibus, ante animæ infusionẽ. Etenim post primam formationem, iam non formari sed incrementa dicitur suscipere. Formatur itaque prius embrio vegetatiuus, cuius perfecto incremento generatur animal sensitiuum: postmodum vero accedente perfecta eiusdem organizatione, simul cum animæ rationalis infusione, formatur homo sanctitatis capax: sed sanctissimus (nec vero Sanctus) dici vllo modo potest, si in illo instanti ante sanctitatem, siue gratiam sanctificantem receptam, originali culpæ subiacet. His sic præmissis, cum Damascenus dicat in Annæ vulua, tacitis quibusdam incrementis formatum fuisse sanctissimum fœtum: satis aperte datur intelligi, quod Virgo sacra in primo suæ Conceptionis instanti, originalẽ maculam siue peccatum minime contraxit. Dicti sunt autem lumbi Ioachimi Beati, è quibus immaculatum semen effluxit (non quia vera sit opinio quæ dicit fœtum ab originali macula posse præseruari, mundando Deum semen ex quo formandus est, non mundatione gratiæ sanctificantis, cum illius non sit capax, sed mundatione alterius generis, sed quia semen â Ioachimo decissum terminari habebat ad immaculatum fœtum, denominatione quadam extrinseca. Ex quo etiam nostrum colligitur intentum. Multa alia ad idem probandum ex prædicto Damasceno adducit supradictus Salazar testimonia loco vbi supra, quod & facit etiam Ægidius Augustinianus in suo etiam libro pro immaculata Beatæ Virginis Conceptione lib. 3. quæst. 4. art. 1. §. secundo, & Ioannes Baptista de Lezana Carmelitarum Ordinis, in suo etiam libro Apologetico pro immaculata Deiparæ Virginis Cõcep-

Nota hec valde ex philosophia, circa formationẽ humani corporis.

cep-

ceptione, cap. 19. quæ breuitati consulendo facio missa, cum possint videri ibidem: prædictaque sufficiant, ad hoc vt liquidum fiat, Damascenum nostræ fauere sententiæ, quidquid nonnulli perperam in contrarium vellint dicere.

46. Loco succedat Paulinus Achileyensis Episcopus, qui floruit etiam per id tempus, & in libro 3. contra Felicem, de Virgine sacra loquendo dicit, *eandem eiusdem fuisse naturæ nobiscum, sed non eiusdem gratiæ.* Quibus sane verbis, satis aperte nostrum insinuatur intentum. Etenim si Virgo sacra in primo suæ Conceptionis instanti iustitiam originalem non habuisset, seu potius gratiam illam prorsus ab omni originalis peccati labe præseruantem sed communem illam, qua reliqui post originale peccatum contractum ab eodem mundantur: certe nō solum eiusdem naturæ, verum etiam & eiusdem gratiæ nobiscum dicenda esset, aut saltim cum Hieremia & Diuo Ioanne Baptista, qui in suorum matrum vteris fuerunt sanctificati comparanda. Idem etiam Paulinus lib. 6. circa finem, loquendo de matre nostra Eua, ipsamque sacræ Virgini comparando: post alia sic inquit. *Mulctata est prima mater humani generis, dolore, tristitia & seruitute: & tribus è contrario clarissimis bonis, Maria Virgo honorata est salutationis Angelica, benedictionis diuina, & plenitudinis gratiæ. Nam primus homo de terra virgine consilio sanctæ Trinitatis formatus est, dicente Domino faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: secundus vero Adam (id est Christus) de terra virginalis vteri operatione eiusdem Trinitatis creatus est.* Quibus in verbis, quam maxime notandum est, quod contra primi peccati seruitutem (quam tertio loco inter Euæ mala Paulinus recenset) gratiæ plenitudinem Virgini sacræ collatam fuisse dicit. Quo quidem haud obscure insinuauit, eandem ab eodem primo originali peccato, per gratiam sibi collatam, liberam atque immunem fuisse. *Paulin. Achileyens. Episc.*

47. Loco succedat Albinus Alcuinus, qui floruit circa annum Domini 780. & in lib. 3. de sanctissima Trinitate, de Virgine sacra loquēdo, post alia sic inquit. *Maria fuit lana mundissima* (scilicet innocentia) *& virginitate clarissima, incomparabilis vniuersis quæ erant sub cœlo Virginibus: eratque talis ac tanta, vt sola digna fuerit, qua nullus alius indueretur, nisi augusta preditus dignitate, atque ita Spiritus Sanctus superueniens in Beatam Virginem, virtus altissimi obumbrauit eam, vt lana fieret diuinitate purpurata, solummodo æterno Imperatori indui dignissima.* Quibus in verbis, Alcuinus comparatione facta lanæ (quæ quidem vt purpuræ colorem accipiat omninò esse debet munda, & summe candida) insinuare proculdubio voluit, Virginem sacram per maximam suam puritatem & innocentiam mundissimam, per Virginitatem autem candidissimam atque clarissimam, & excellentiorem incomparabiliter vniuersis quæ erant sub cœlo Virginibus, talem ac tantam, vt sola digna fuerit, qua nullus alius indueretur, nisi augusta dignitate præditus, & Spiritus Sancti *Albinus Alcuinus.*

ope-

operatione superueniente in eandem, & virtute Altissimi illam obumbrante, diuinitatis purpura imbutam fuisse: adeò vt æternus Imperator Deus ex ea solummodo indui dignus fuerit. Ex his autem quis non congruentissime valebit colligere, eam quæ in primo suæ Conceptionis instanti adeò munda fuit innocentia, vt lanæ vicunque mũdissimæ valuerit comparari, originalis peccati expertem atque omninò immunem fuisse, & ex diuina gratia, singularique priuilegio, ab eodem prorsus præseruatam? Referre omitto Sanctum Nicephorum Constantinopolitanum Archiepiscopum, Ioannem etiam Aurelianẽsem Episcopum, Theophanem & Strabonem Fuldensem auctorem Glossæ quam ordinariam vocant, nonnullosque alios quos refert Salazar prædictus loco vbisupra, & floruisse dicit ab anno 811. vsque ad annum 1000. quoniam ipsi de altissimo hoc mysterio (mihi vt videtur) nihil speciale dixerunt, præter hoc quod est plenis bucis Virginem sacram, *Immaculatam atque incontaminatam appellare*, & similibus encomijs, & epithetis eandem extollere, qua quidem de re cum supra plura & superque satis fuerint dicta, haudquaquam congruum visum fuit, in eiusmodi auctoritatibus recensendis, amplius immorari, tempusve insumere, & vt dicitur membranas implere.

Leo Imperator.

48. Loco succedat Leo Imperator amplissimus, & Philosophus sapientissimus, qui floruit eo tempore, anno scilicet millesimo, & in luculentissima oratione de purissima Virginis Conceptione quam fecit, & Cardinalis Baronius in Bibliotheca Sforciana adseruari dicit: cum Virgine sacra loquendo, post alia in sequentia verba prorupit. *Cum adhuc in lumbis paternis contineteris, genitor tuus clamauit & dixit. Audi filia & vide, & inclina ad me aurem tuam, & obliuiscere populum tuum & domum Patris tui. Audisti vere (ò filia) commonitionem, & oblita es populi tui, & sortis & domus paternæ: sortis videlicet illius quam Eua progenitrix toti generi humano distribuit, infinito illo affectuum, passionum, & animi perturbationum cumulo hæreditario relicto: at nihil horum tu in domum tuam intulisti.* Quibus verbis Imperator prædictus, ad nostrum propositum, plane insinuare voluit: Virginem sacram quantum ad originalis peccati contractionem, cum Adamo & Eua suis progenitoribus, quasi nihil omninò habuisse. Fuitque ac si expresius dixisset, propterea Patrem & Matrem, populumque tuum obliuioni te tradere iubeo: quia licet ab ipsis naturali propagatione sis genita, generationemque trahas communi cũ alijs lege: inter eorum tamen filios minime recensenda es, quia alium habes progenitorem (Christum scilicet) â quo verius trahis originẽ: ipse enim est Dominus Deus tuus qui elegit te indignam sibi matrem, cuius meritis effectum est vt condita sis, aliâs minime futura.

Sanctus Idiota.

49. Loco succedat sapientissimus, sanctissimus atque vetustissimus ille vir, qui humilitatis gratia (proprio suppreso nomine.) Idiota appellari voluit, & floruit etiam per id tempus, anno millesimo plus

minusve

minusve, cuius quidem cum sanctitate simul coniuncta eruditio tanta fuit, vt hæreticis formidini, catholicis vero admirationi fuerit habitus, & inter sanctos Doctores merito relatus: & in suarum contemplationum libro, cap. 3. cum Virgine sacra loquendo, post alia in sequentia verba prorupit. *Tota pulchra es Maria, & macula non est in te. Tota pulcha es in tua Conceptione, ad hoc solum effecta vt esses templum Dei Altissimi.* Et infra. *Tua gloriosa anima nihil vnquam affluit turpitudinis, vitij aut peccati, & nihil defuit illi spiritualis pulchritudinis, gratia & virtutis.* Et iterum infra. *Tota igitur pulchra es Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto: & macula peccati, siue mortalis, siue venialis, siue originalis, non est ante, nec vnquam fuit, nec erit.* Et rursus circa finem, ait eandem salutando. *O prabenedicta, combenedicta, & post benedicta Virgo Maria.* Quid (quæso) amplius, illustriusve, aut expressius ad hoc propositum vnquam desiderari potuit? Multa alia eiusdem testimonia affert Salazar ad idem, sed vnum adduxisse pro mille sufficiat. Qui & prædictus sapientissimus Idiota in sequentibus capitulis, Virginem eandem sacram, sæpe ac sæpissime immaculatam vocat, & ab omni prorsus originalis peccati labe fuisse dicit præseruatam. Habetur prædictus liber Idiotæ, in quinto tomo Bibliothecæ Patrum.

50. Loco succedat Sanctus Fulbertus Carnotensis Episcopus, qui floruit etiam per id tempus, & in Sermone de Natiuitate sanctissimæ Virginis, post alia sic inquit. *Hoc igitur cum primis adstruere fas est, quod anima ipsius & caro in qua elegit sibi habitaculum sapientia Dei Patris, ab omni malitia & immunditia purissima fuerunt, affirmante Scriptura, quod in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Prædicta sapientis verba adducit Diuus Thomas tertia parte quæst. 27. artic. 4. in corpore, ad probandum Virginem sacram nunquam peccatum aliquod actuale commisisse: necdum mortale, verũ etiam nec veniale: sed vt pluries iam diximus, eadem prorsus ratio (quinvero maior) currit ad hoc vt dicamus immunem fuisse, & preseruatam à peccato originali. Pergit prædictus Fulbertus & dicit, eadẽ de re agendo *In huius Conceptione necessaria, haud dubium est, quin vtrumque parentem viuificus & ardens Spiritus Sanctus singulari munere repleuerit, quod que ab eis Sanctorum Angelorum custodia seu visitatio nunquam abfuerit.* Haudquaquam existimandum est, propter verba prædicta Fulbertũ in ea fuisse sententia & opinione (quam falso sibi commentitia quædam vulgi fingit persuasio) asserendo & dicendo, Virginem sacram Spiritu Sancto superueniente & obumbrante, ex solo Annæ & Ioachimi complexu conceptam fuisse (id enim omnino falsum est) nam reuera non nisi ex carnali concubitu sicuti & reliqui in vtero suæ matris fuit concepta: sed solummodo per verba prædicta insinuare voluit Fulbertus, Ioachimum & Annam vt ad generationem sanctissimæ suæ prolis pure ac sancte venirent, Spiritu Sancto affatim impletos

S. Fulbertus Carnot. Episc.

Nota hoc valde.

Non fuisse.

fuisse, vt Spiritu Sancto & gratia plenam puellam gignerent. Quod ex eisdem sequentibus verbis facile colligi potest, dum dicit. *Quanta putamus prouisio fuerit Sanctorum Angelorum, circa tam Deo gratissimos parentes ab initio procreationis, & excubatio super tam ingentem sobolem? Nunquid absfuisse credendus est Spiritus Sanctus ab ista eximia puella, quam sua obumbrare disponebat virtute?* Notabile quidem dictum. Et fuit ac si expressius dixisset: quod licet sacræ Virginis generatio ex communi viri ac fœminæ congressu fuerit perfecta, Spiritus tamen Sanctus, tam parentibus quàm soboli ipsi, singulari sua prouidentia in generatione ipsa præsto fuit: ipsoque præside factum est vt naturalis filiæ procreatio, cum supernaturali generatione congrueret, ita vt Virginis parentes naturæ agerent partes, Spiritus vero Sanctus gratiæ: sicque sanctissimam filiam gignerent, cui à suæ Conceptionis initio Spiritus Sanctus semper presto fuit: & nũquã ab ea abfuit. Cui & concinit illud quod idem Fulbertus dixit in expositione salutationis Angelicæ, loquendo cum eadem Deipara Virgine. *Electa es insignis inter filias, quæ immaculata semper extitisti, ab exordio tuæ creationis, quia paritura eras creatorem totius sanctitatis.* Quid (quæso) amplius ad hoc præsens propositum potest desiderari?

Petrus Damianus.

51. Loco succedat Petrus Damianus, immaculatæ sanctissimæ Conceptionis præclarus defensor, qui floruit etiam eo tempore, & in Sermone de Annunciatione de Virgine sacra loquendo, post alia in sequentia verba prorupit. *Cum omnia opera sua fecerit Deus valde bona hoc melius fecit consecrans sibi in ea reclinatorium aureum, in qua sola se post tumultus Angelorum & hominum reclinaret, & requiem inueniret.* Et infra. *Germinat ergo virga Iesse, de tortuosa radice generis humani, & de Patriarcharum arbore in altitudinem & rectitudinem erumpens, omnem ignorat nodositatem foliorem tenebras nescit, fructicosa quæque non habet.* Quid (quæso) amplius ad præsens propositum potest desiderari? Quibus in verbis facta est allusio ad ea quæ habentur Numerorum 17. de virga Aaron, quæ in domo Leui germinasse reperta fuit, & ex qua turgentibus gemis erupebant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt. Quam virgam sacræ Scripturæ Interpretes dicunt communiter, fuisse rectam, & absque vllo nodo. Quod præsentiens Diuus Ambrosius dixit verba illa quæ retulimus supra, loquendo de prædicta Virgine Deipara. *Hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.* Supradictus etiam Petrus Damianus Sermone de Assumptione Virginis, explicando illa verba quæ habentur Canticorum 4. *tota pulchra es amica mea, & macula non est in te,* inquit. *Tota pulchra, quia tota Deificata, & macula non est in te: quia Spiritus Sanctus superuenit in te, qui te mundauit.* (Seu potius dicendum est ab omni immunditia præseruauit.) Sic enim hoc & similia Sanctorum Patrum testimonia sunt explicanda, vbicunque sacra Virgo mundata dicitur, vt patebit amplius infra

infra in argumentorum solutione. Et post pauca Petrus Damianus prædictus suum prosequendo Sermonem, subdit. *Sola illa mater & filia creat eris, nec descendit, nec cecidit: sed de virtute in virtutem ascendens, consumatione virtutum vestita est.* Et post pauca. *Caro* (inquit) *Virginis ex Adã assumpta, maculas Adæ non admisit: sed singularis continentia puritas, in candorem lucis æternæ conuersa est.* Quibus in verbis, quammaxima consideratione digna sunt, vltima prædicta quibus dixit, Virginis carnem ex Adamo assumptam eiusdem maculas non admisisse: sed singularem suæ continentiæ puritatem in candorem lucis æternæ cõuersam fuisse. Quo nescio quid amplius, illustriusve ad præsens hoc propositum potuit dici? Idem Petrus Damianus prosequendo subdit, ac dicit: *in Virgine sacra nullam fuisse maculam, ipsamq; nescisse thorum in delicto tenebrarum, quas Adamus suo peccato in omnem suam posteritatem transmisit, esseque Auroram quam nox tenebrarum originalis peccati non vidit.* In quo fit allusio ad id quod habetur Iob 3. loquẽdo de peccato originali prædicto: *expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis Auroræ.* Idem etiam Petrus Damianus Sermone 3. de Natiuitate Virginis, de eadem loquẽdo, post alia inquit. *Quid sanctitatis, quid iustitiæ, quid religionis & perfectionis, singularis huic virgini de esse potuit, quæ totius diuinæ gloriæ charismate plenafuit?* Et infra. *Quid (rogo) vitij in eius mente vel corpore, vendicare sibi potuit locum?* Idem in Sermone Natalis Sancti Ioannis Baptistæ, inquit. *Virginem Beatam in vtero suæ matris à peccato mundatã fuisse, altiori sanctificationis genere, quam Ioannes aut Hieremias mundati sunt.* Qui quidem duo sancti mundati cum fuerint ab originali peccato quod actu contraxerũt: haudquaquam intelligi potest, quonam altiori sanctificationis genere Virgo sacra dici potuerit mundata, nisi ab eodem, vt ne illud contraheret fuerit præseruata? Neque enim sat est dicere (vt volunt aliqui) quod statim atque concepta fuit, aut citius quam illi fuerit mundata, siue maiori gratiæ infusione: nam hæc omnia (vt de se patet) sub vno eodemque sanctificationis genere continentur, & per id non fit satis verborum prædictorum sensui.

52. Loco succedat Diuus Anselmus, qui floruit circa annum Domini 1080. qui quidem quamvis aliquando in contraria fuerit sententia & opinione, existimaueritque Virginem sacram in originali peccato fuisse conceptam: est tamen ex his qui deinde digniora de eadem meditantes, sententiam mutauerunt, de quibus infra suo proprio loco dicemus. Prædictus igitur Anselmus in epistola ad Coepiscopos Angliæ, de cuius auctoritate & veritate minime licet dubitare (vt satis efficaciter probat Salazar libro prædicto suo pro defensione immaculatæ Deiparæ Virginis Conceptionis cap. 35. §. quinto, num. 30.) inter alia sequentia verba dicit. *Non puto esse verum Virginis amatorem, qui suæ Conceptionis festam celebrare respuit.* Quid amplius, expressius aut dignius, potest expostulari aut dici, ad hoc propositum? Facit præ- D. Anselmus.

terea Diuus Anselmus de conceptu Virginali duos libros, de quorũ etiam auctoritate & veritate dubitare minime licet, vt satis etiam efficaciter probat prædictus Salazar loco vbisupra capit 42. in sæculo 11. in quibus prædictis libris præfatus Doctor semper pro hac nostra sententia concludit, asserendo Virginem sacram à peccato originali fuisse præseruatam: innumeransq; in id ipsum afferẽdo efficacissimas rationes & congruentias, quas ad litteram referre in præsentiarum libet, eo modo quo afferuntur à quodam grauissimo atque eximio nostræ sacræ Religionis viro, Patre Fratre Bernardino de Bustos in suo Mariali Sermone quarto, ex nouem quos de Conceptione Virginis sacræ fecit,

Ergo prædictus Anselmus libro 1. de Conceptione Virginis, cuius est initium, *principium quo salus mundo processit, mihi considerare volenti*, cap. 3. de Virgine sacra loquendo, post alia verba sic inquit. *Cum Virgo ipsa habitaculum fuerit (vt diximus) summi boni, si peccati alicuius ex prima præuaricationis origine maculam contraxit, quid dicemus? Vtsq; diuina voce Propheta dicitur ad Hieremiam cap. 1. priusquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de ventre sanctificaui te. De Ioanne quoque Angelus qui eum nasciturum prænuntiabat, asserui Luca 1. quod Spiritu Sancto repleretur adhuc ex vtero matris suæ. Si igitur Hieremias (qui in gentibus erat Propheta futurus) in vulua est sanctificatus, & Præcursor Domini Ioannes Spiritu Sancto ex vtero matris est repletus, quis dicere audeat, totius sæculi propitiatorium, & vnici Filij Dei omnipotentis verum àc dulcissimum reclinatorium, mox in sua Conceptionis exordio, Spiritus Sancti gratiæ illustratione destitutum: testante Sacra Scriptura, 2. Corinth. 3. quod vbi spiritus Dei, ibi & libertas? A seruitute igitur omnis peccati libera fuit, quæ omnium peccatorum propitiatori, aula in qua & ex qua personaliter homo fieret, Spiritus Sancti potentia & operatione construebatur.* Hæc vbisupra.

Idem Ansel. Idem in eodem libro cap. 4. ait. *Magnitudinem operationum diuinæ virtutis quadam mentis limpitudine pro posse considerans, videor mihi videre, quod si quid originalis peccati in propagatione eius & communis vitij extitit, illud propagantium, & non propagatæ prolis fuit.* Et infra. *Si Dominus castaneæ confert, vt inter spinas remota compunctione concipiatur, alatur & formetur: non potuit hoc dare humano quod sibi parauerat templo, in quo corporaliter habitaret, & de quo in vnitate personæ perfectus fieret, vt licet inter spinas peccatorum conciperetur, ab ipsis tamen spinarum aculeis omnimodè exors redderetur? Plane potuit & voluit: quod si voluit, & fecit.* Hanc eandem sententiam & similitudinem ponit idem Diuus Anselmus in libro de Exordio humanæ salutis.

Idem Ansel. Post prædicta autem verba subdit idem Anselmus loco vbisupra: *Et quidquid dignum vnquam de àliquo extra suam personam voluit, perperam est de te (ò Beatissima fœminarum) noluisse.* Et in eodem capitulo etiam dicit. *Matrem te fecit suam ille rerum omnium factor, gubernator, & Dominus*

(in-

(inquam) omnium intelligibilium, & intellectum transcendentium: & te Dominam ac Imperatricem Cælorum, terrarum & elementorum constituit: & vt ita esses, in vtero matris tuæ, à primordijs Conceptionis operante Spiritu Sancto creata es. Nunquid igitur in tanta futura gloria sumi valet Dei Mater vnica, & omnium quæ sunt, fuerunt, & erunt, post Filium tuum Imperatrix prudens & nobilis? Nunquid in exordio tuo talis esse debuisti, vt omnium quorum te dominium gerere, certissime nouimus, aut paritati, aut subiectioni possis addici? Hæc vbi supra.

Qui etiam Anselmus in cap. 5. eiusdem libri inquit. *Ille assertor puræ veritatis, & à Filio tuo iam cælo præsidente, vas electionis cognominatus: omnes homines in Adam peccasse fatetur: vera vtiq; sententia, & cui contradicere nefas esse pronuntio. Sed cum eminentiam gratiæ Dei in te considero sicut te non intra omnia quæ facta sunt in æstimabili modo contueor: sic nec lege aliorum in tua Conceptione domerita fuisse opinor. Singulari & humano intellectui impenetrabili diuinitatis virtute & operatione, ab omni peccato adiunctione liberrima.* Idem Ansel. In qua auctoritate ostendit plane Anselmus, quod Virgo benedicta, non est de numero eorum qui peccauerunt in Adam, sed supra numerum omnium. Sicut si dicatur quod omnes de tali regno sunt tributarij Regis, non est intelligendum quod eius mater & vxor, & filij sint tributarij, quia adimuntur à numero omnium.

Post quæ prædicta verba in eodem capit. præfatus Anselmus, de Virgine eadem sic loquitur. *Peccatum erat quod homines à pace derimebat, & vt illud Filius Dei euacuaret, sicq; ad pacem genus humanum reuocaret, homo fieri voluit, & talis vt nihil in eo aliquatenus remaneret, quod non concordaret ei vnde homo à Deo discordabat: quia ergo ita fieri oportebat, Matrem de qua talis lis tolleretur, mūdam ab omni peccato esse decebat. Aliter quo pacto illi summa puritati tanta coniunctione vniretur, vt indifferēter quæ sunt hominis, essent Dei, & quæ Dei hominis essent.* Hæc vbi supra.

Et in sexto cap. ad idem propositum dicit. *Adhuc propone tibi palatium quod specialiter suis vsibus aptum existat construere volentem: in quo & ipse frequentiori & festiuiori cursu conuersetur: & omnibus ope eius atque auxilio indigentibus mitiori & latiori vultu respondeat, & auxilietur. Patereturne (quæso) in principio palatij fundamentū inualidum, & structura quæ foret adsistanda incongruum, & non cohærens? Non puto, si saperet, & propositum suum ad effectum perducere vellet. Ergo sapientiam ante omnia sæcula proposuisse sibi habitaculum quod specialiter cohabitaret, construere similiter indubitata fide tenemus. Quod autem habitaculum istud fuerit, iam dudum innotuit, hoc enim habitaculum illud sacrarium Spiritus Sancti esse fatemur, in quo & per quod eadem sapientia humana natura coniūgi voluit & incorporari, & omnibus se pura mēte confitentibus parcere & misereri. Quod sacrarium (aula videlicet vniuersalis propitiationis) cum operante Spiritu Sancto construeretur, si fundamentum illius, scilicet initium siue primordium Conceptionis Beatæ Mariæ, corruptum fuit, ipsi certe constructura non congruebat nec cohærebat.* Idem Ansel. Hæc Anselmus vbisupra.

Notentur valde hac D. Anselmi verba.

pra, Qui & in eodem cap. subdit. *Inscia ne fuit & impotens sapientia Dei & virtus, mundum sibi habitaculum condere, remota omni labe conditionis humanæ? Angelis alijs peccantibus, bonos à peccato seruauit: & fœminam Matrem suam mox futuram, ab aliorum peccatis exortem seruare non valuit? In æternitatem consilij sui, fixum statuit eam Dominatricem & Reginam fore Angelorum, & nunc inferiorem Angelis natam in consortium acceptam esse credamus omnium peccatorum? Existimet hoc, & argumentis suis probet qui vult: ego donec ostendat mihi Deus aliquid dignius excellentiæ Dominæ meæ posse dici: quæ dixi dico: quæ scripsi non muto: cæterum me & intentionem meam filio eius, & illi committo.* Verba certe satis notatu digna.

Idem Ansel.

Idem in cap. 7. eiusdem libri etiam dicit. *Nihil tibi Domina æquale, nihil coparabile est. Omne enim quod est, aut supra te est, aut subtus te est. Quod supra te est, solus Deus est. Quod infra te est, est omne quod Deus non est. Ad tuam tantam excellentiam quis aspiciet? Quis attinget? Et certe vt ad hanc excellentiam peruenires, in humilimo loco (id est in vtero matris tuæ) purissima oriebaris: quod si tali modo concepta & ordinata non fuisses, in tantam celsitudinem non sucreuisses.* Quid plura? quid amplius potuit desiderari aut dici?

Idem in capite nono de eadem sacra Virgine ait. *Quam in tantum culmen prædestinauit & extulit diuina potentia, quam tot prærogatiuis dotauit cuncta disponens Dei sapientia: quam sibi Matrem elegit ad mundo subueniendum, ipsa omnium saluandorum ineffabilis Dei misericordia, dicere morte peccati quæ per inuidiam diaboli occupauit orbem terrarum, in suo conceptu prægrauari, (vt taceam interim ipsas quas commemoraui rationes) animus euitat, intentio abhorret, lingua fateri non audet. Qui aliter sapiunt, & melius approbant, credant. Ego pijssima Dominæ qualiscunque seruulus, credo & fateor, quod tu ex radice Iesse pulcherrima: ac per hoc ab omni quod te decoloret peccati vulnere aliena.*

Notentur etiã hac D. Ansel. verba.

Hæc refert ex Diuo Anselmo supradictus Bernardinus de Bustos loco vbi supra, de quorum prædictorum librorum auctoritate & veritate, quamvis inter alia Diui Anselmi opera non reperiantur (vt iam dixi) dubitare minime licet, cum tot tantique eximiæ auctoritatis viri indubitatam illis præbeant fidem. Nam præter prædictum Bernardinum de Bustos, eorundem meminit Ioannes Bachon magnæ etiam auctoritatis vir, Doctorque grauissimus, ac valde antiquus, qui annos 300. quammaxime floruit Parisijs: in quarto sententiarum distinct. secunda, quæstione tertia, articulo, 3. vbi ex libris prædictis quamplura Diui Anselmi affert testimonia, & dicit se illos multis in locis vidisse, & quod adducuntur in libro qui est de vita Mariæ, magnum Mariale, communiter nuncupato. Item & Dominicus Bolanus Doctor etiam grauissimus, in tractatu de Conceptione Deiparæ Virginis, ex libris prædictis quamplurima etiam ad eandem veritatem confirmandam atque comprobandam adducit testimonia. Et quod amplius est, nonnulla habentur in Conceptionis officio quod à Sixto Quarto approbatum fuit, & in Breuiario Eborensi tres

lectio-

lectiones (nec minus) leguntur ex tractatu vbi prædicti duo continentur libri. Qua quidem ratione Salmeron super Epistolam ad Romanos, & Canisius & multi alij Doctores constantissime tenent, libris prædictis adhibendam esse indubitatam fidem. Ex quibus etiam à Doctoribus Scholasticis communiter, ad probandam sacræ Virginis puritatem, & à peccato originali immunitatem, aliud affertur Diui Anselmi testimonium, quod haudquaquam prætermittendum duxi, & valde miror omissum fuisse à Bernardino de Bustos, loco vbi supra. Est autem illud, ex libro primo de Conceptione Virginis & peccato originali capit. 18. vbi post alia sequentia verba habentur. *Quamuis ergo de Beatissima Virgine Filius Dei conceptus sit, non tamen hoc ea necessitate factum est, quasi de peccatrice parenti iusta proles rationabiliter generari per eiusmodi propagationem nequiret; Sed quia decebat vt illius hominis (nempe Christi) conceptio de Matre purissima fieret, nempe decens erat, vt ea puritate quia maior sub Deo nequit intelligi Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tanquam se ipsum diligebat, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus, idemq; communis Dei Patris, & Virginis Filius.* Hæc vbi supra. Cuius quidem testimonij vires & neruos, quamquam Vazquez tertia parte disputat. 116. cap. 11. conetur elidere, dicendo Diuum Anselmum in verbis prædictis solummodo contendisse, tūc Virginem sacram puritate prædicta enituisse, cum Verbi Diuini incarnatio peracta est, & non antea: meo tamen videri id absque vlla ratione & causa dicit, & sine sufficienti fundamento: nam certe crediderim eiusmodi testimonium vnum esse ex præcipuis, magisque idoneis & efficacibus, quæ de mente & sententia Diui Anselmi prædicti ad comprobandam sacræ Virginis puritatem possunt adduci. Nam inter alia quæ D. Anselmus ibi, & in præcedentibus capitulis probare contendit, fuit potuisse quidem Christum Dominum & Saluatorem nostrum, nasci iustum & sanctum, quamvis exortus fuisset de matre peccatrice. Ne tamen quispiam putaret ita esse effectum de facto, subiungit, eundem non ex necessitate (quasi aliter fieri non posset) sed ex decentia & congruentia de Virgine sancta & iusta procreatum fuisse. Vnde cum in præcedentibus verbis de peccato originali prædicto fuerit loquutus, ostendens fieri potuisse, vt ex Virgine in originali peccato concepta originem suam trahens, ab omni ipse peccato nihilominus mundissimus exiret: cum statim addat, ob decentiam & congruentiam haudquaquam de matre peccatrice, sed de sancta & iusta eundem genitum fuisse, dubium non est (mihi vt videtur) quod Diuus Anselmus loquatur (non de quacumque sanctitate & iustitia quam habuerit tempore incarnationis Verbi) sed de illa quæ omninò originale peccatum excludit. Quod & ex eiusdem subsequentibus verbis quammaxime colligitur, quando postea

Idem Ansel.

cap.

cap.27.eadem de re agendo dixit. *Qua propter quoniam de iusto Patre secundum diuinam, & de iusta Matre secundum humanam naturam, iustus ab ipsa origine (vt ita dictum sit) natus est: non incongrue pro originali iniustitia quā omnes filij Adæ habent à sua origine, iustitiam originalem habuisse dicendus est.* Quibus verbis Anselmus concludere voluit, omninò nihil defuisse Christo Domino, ad hoc vt iustus & sanctus nasceretur. Nam præterquam quod ex eo solum à peccato originali immunis erat, quia de Virgine eodem carente procreatus est, id etiam ad eius sanctitatem accessit, quod si de matre iusta & sancta exortus est secundum naturam humanam: de patre etiam iusto & sancto exortus est secundum diuinam. Quæ quidem Diui Anselmi collectio, haudquaquam esset concludens, seu aliquid valeret, si Virgo sacra originali peccato prædicto non caruisset. Nam sanctitas & iustitia illa quam parentes habent post deletum in ipsis originale peccatum, haudquaquam ad filios descendit, seu quidquam illis præstat ad liberandos ipsos à peccato originali. Cum igitur Anselmus eiusmodi collectionem fecerit ad probandum Christum Dominum, necdum ex parte æterni sui Patris, verum etiam & temporalis suæ matris, ex sua origine iustum & sanctum ortum fuisse: manifeste profecto colligitur, quod loquitur non de quacunque sacræ Virginis sanctitate & iustitia, verum etiam de illa quæ expresse exclusit peccatū originale: aliàs enim ex eo quod fuisset sanctificata, & peccatum originale sibi deletum: filij sui sanctitas nulla idonea ratione comprobari posset. Præterquam quod si (vt inquit Anselmus) decebat sacram Virginem ea puritate nitere qua maior sub Deo nequit intelligi, si in originali peccato fuisset cōcepta, iam maior puritas intelligi posset: illa nēpe quā habuerunt Angeli, primique nostri parentes in prima sui conditione & creatione, postquā (vt pluries diximus) conditi fuerunt in gratia. Quod etiā priuilegiū haudquaquam negandum est Virgini sacræ concessum fuisse.

Idem Ansel. Aliud etiam Diui Anselmi testimonium affertur à Doctoribus Scholasticis, ad sacræ Virginis puritatem & à peccato originali immunitatem comprobandam. Illud est ex secunda Corinth. cap. 5. explicando illa verba. *Si vnus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.* Vbi sic ait. *Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto (dempta Matre Dei) siue originalibus, siue etiam voluntate additis.* Quid (quæso) clarius, expresiusve dici potuit? Sed aduersarij eiusmodi commentaria Diuo Anselmo volunt adimere, illaque tribuunt Herbeo: sed nihilominus contrarium omninò verius esse iudico, & Sixtus Senensis in sua Bibliotheca ea esse dicit Diui Anselmi legitima, & omnes communiter Doctores aiunt in dicto loco Anselmum etiam pro nobis stare. Cui etiam accedit id quod dixit idem Anselmus in libro de excellentia Virginis, cap. 12. vbi cum eadem loquendo ait. *Omnia tibi secum possibilia donauit Deus.* Si omnia secum possibilia sacræ Virgini donauit Deus,

Deus, quis sanæ mentis negeteandem à peccato originali fuisse præseruatam: cum id omnipotentiæ Dei fuisse impossibile catholicorum nullus audeat dicere? Hæc pro Diuo Anselmo dicta sufficiant.

53. Loco succedat Petrus Abbas Celensis, qui floruit etiam per id tempus, & in libello quem inscripsit de panibus c. p. 21. sacræ Virginis puritatem insinuare volens post alia in sequentia verba prorupit. *Clibanus vterus est Virginis, ignis gratia Spiritus Sancti, panis incarnatio Filij Dei. Oportuit nempe hunc prius clibanum, non vili stemate, neque more consuetudinario fabricari, quatenus in plenitudine temporis panis qui dat vitam mūdo de cælo descendens pro dignitate sua congruum inueniret locum, vbi posset opportune carnem assumendo decoqui.* Quid clarius aut expressius dici potuit? Dum enim inquit clibanum Virginei vteri oportuisse non vili stemmate, nec more consuetudinario fabricari; quidnam aliud insinuare voluit, quam Virginem sacram, non iuxta aliorum hominum conditionem in originali peccato fuisse conceptam: quinuero ex diuina gratia, singularique priuilegio ab eodem omninò fuisse præseruatam: quatenus ipsius venter aptus esset & idoneus, ad hoc vt in tēporis plenitudine Christum Dominum panem cœlestem qui vitam dedit mundo, pro sua dignitate congruenter posset excipere, & ipse ex illa carnem assumere. Quod etiam satis insinuant verba quæ statim adiunxit. *Virgo igitur Virginum clibanus est ad panem suscipiendum, vel concipiendum, non consumendum aut vrendum ignem enim vrentem nunquam admisit, qua carnis concupiscentiam non sensit: ignem fumantem non suscepit, qua non concepit iniquitatem: ignem consumentem non nouit, qua rorem de cælis in corde & in ventre plenissime accepit.* Quid illustrius dici vnquam potuit? Et infra. *Præterea de fœderis, vel potius sanctificationis arca, quid aliud dicame nisi quod & mater arca est fœderis continens in se quidquid est sanctificationis, vel creatura vel creantis.* Id est, continens in se sanctitatem omnem creatam atque increatam, secundum perfectissimum modum quo per cōmunicationem creatura vlla potuit illam excipere: ita vt nulla gratia creaturæ alicui fuerit communicata, quæ Virgini sacræ in purissima sua Conceptione, ad hoc vt foret Filij Dei digna Mater, ex singulari priuilegio non fuerit diuinitus donata. Quod & confirmant sequentia verba quæ Paulo infra Virgini sacræ eidem adscribit. *Filius* (inquit) *est Sanctus Sanctorum, Mater est Sancta Sanctarum: Filius est altare de terra sancta, quia corpus habet de matre sine macula, in quo cremantur holocaustomata, dum condonantur peccata.* Quid (quæso) amplius, illustriusve dici potuit?

Petrus Abbas Celensis.

54. Loco succedat Ibo Carnotensis Episcopus, qui floruit circa annum 1088. & in Sermone de Natiuitate Domini pro pura Deiparæ Virginis Conceptione, sic inquit. *Quo modo Matrem carnis suæ sanctificauerit deinceps audiamus, vt inde lætetur catholicus, immundus confundatur hæreticus. Omnem quippe neuum, tam originalis quam actualis culpa in ea dele-*

Ibo Carnotensis Episcopus.

 uit,

uit, sicq; carnem de carne eius sumens, eandem in diuinam munditiam transformauit. Quibus in verbis, dum ait omnem næuum tam originalis quàm actualis culpæ in ea deleuisse, non sic est intelligendus quasi aliquid peccati in Virgine sacra præfuerit, quod abstergi atque mũdari oporteret: sed verbum *deleuit*, idem pollet, atque *propulsauit, prohibuit siue detinuit*: non quidem originalis peccati næuum ab eâ tollendo, sed illâ ab ipso mirificè præseruando. Aliàs enim sequeretur de mente Iuonis sacram Virginem actualia etiam habuisse peccata: si quidem eodem verborum tenore dicit Deum deleuisse in ea, tâm originalis quàm actualis culpæ næuum: quod cum non sit dicendum, clare & manifeste colligitur, nunquam talem ipsius fuisse mentem, sed id quod â nobis est dictum. Pro quo & sic cõficio argumentum. Nam eodem modo dicit Deum deleuisse in sacra Virgine omnem originalis & actualis culpæ næuum, sed actualem culpam in ea deleuit præseruando illam ab ipsa, vt ne eam committeret: ergo & originalem similiter præseruando, vt ne in illam incideret. In quibus supradictis verbis, quammaxima etiam sunt consideratione digna, illa quibus dicit Verbum Diuinum carnem de carne munda Virginis assumens, eam in diuinâ munditiam transformasse. Quo etiam haud obscure insinuauit, eandem ab omni originalis peccati labe fuisse immunem. Nam quo alio modo dici potest humana munditia in diuinam transformatâ, nisi vt prædictum est, dum ex speciali priuilegio, singularique Dei gratia, Virgo Deipara ab omni prorsus, tâm originalis quàm actualis peccati labe diuinitus fuit præseruata? Quod etiam haud obscure insinuauit, dum post supradicta verba subdit. *Prima enim humani generis parens quia serpentina persuasionis virus excepit, duplici maledicto succubuit: vt & cũ viro mortem incurreret, & vt filios quos cum carnis delectatione conciperet, cum dolore parturiret. Huius maledictionis filiæ Euæ hæredes successerunt. & omnes filios suos sub necessaria mortis condemnatione genuerunt: sola hæc mater, quæ non sibilo serpentis credidit, benedictionem quæ vtramque maledictionem excluderet audire promeruit.* Quid (quæso) amplius ad præsens nostrum propositum potuit vnquam desiderari aut dici?

S. Bruno. 55. Loco succedat Sanctus Bruno, Ordinis Cartusiensis inclitus fundator, qui floruit etiam per id tempus, & in expositione Psalmi 105. explicans illa verba. *Dominus de cœlo in terram aspexit*, inquit. *Hæc* (scilicet Maria) *est incorrupta terra illa cui benedixit Dominus, ab omni propterea peccati contagione libera, per quam vitæ viam agnouimus, quæ quia digna fuit, Dominus de cœlo in terram aspexit.* Quæ prædicta verba, ab omi propterea peccati contagione libera, intelligenda sunt (nedum de actuali peccato) verum etiam & de originali: aliàs enim quonam modo dici posset terra incorrupta cui Dominus benedixit, & quæ digna fuit vt propter eam Dominus de cœlo in terram aspiceret? Quonam modo Deus Virginem sacram aspiceret, ad effectum sibi obsequendi, si originalis

ginalis peccati labe fuisset fœdata, & propter ipsum peccatum De i inuisa atque inimica? Sed præterea idem Bruno Sermone de Natiuitate Virginis, de eadem verba faciendo sic ait. *Hac linea incipit ab Eua, & desinit in Mariam: in principio est mors, in fine consistit vita: mors per Euam facta est, vita per Mariam reddita est. Illa à diabolo victa est, hæc diabolum ligauit ac vicit.* Quid amplius dici, siue ad præsens propositum potest desiderari?

56. Loco succedat Rupertus Abbas Tuiciensis, qui quãvis prius aliqua dixerit, quibus visus est expresse voluisse nostræ sententiæ contraire, libro primo super Cantica explicando illa verba, cap. 1. *Meliora sunt vbera tua vino*: postea vero libro 6. explicando illa alia verba, cap. 7. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis*: postquam præmisit, Euam & omnes aliãs eiusdem filias, discalceatis pedibus incedendo in diaboli seruitutem venisse, de illis & Virgine sacra loquendo, inquit. *Id circo ancilla* (sic enim Euam appellat) *calceamentum serpens momordit, quia discalciata erat: tu autem ò filia Principis bene calceata caput serpentis contriuisti: tu maxime ò Princeps & Domina singularis dilecta, & (sicut iam dixi) vna columba mea, vna genitricis suæ, videlicet generationi libera, generationi non carnis sed fidei, quæ me virum non de carne viri sed de Spiritu Dei concepisti & peperisti, patrem non carnis, sed fidei vel repromissionis habuisti.* Quibus in verbis, quammaxime ad notandum est, id quod dicit Virginem sacram fuisse bene calciatam, calciamento nempe originalis iustitiæ, ac proinde eiusdem calcaneum ab antiquo serpente (scilicet diabolo) minime admorsum fuisse: quinvero ipsam pede suo illius caput conculcasse, & quia id parum est, contriuisse. In quo fit allusio ad id quod habetur Genesis 3. vbi de Deipara prædicta Virgine loquendo, serpenti fuit dictum: *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Idem etiam Rupertus in eodem libro explicando illa verba: *Duo vbera tua sicut duo gemelli capræ*: de prædicta Virginis à peccato originali præseruatione loquendo, inquit. *Ergo tu ò libera Sunamitis, tu maxime cuius duo vbera tua sunt gemella, sæculis omnibus inaudita Virginitas, atque fæcunditas: tu inquam ò dilecta singularis libera es ab omni iugo peccati, secundũ istas similitudines hinnullorum capreæ atque eburnea turris.* Vbi dum Virginem sacram liberam appellat ab omni peccati iugo, dicitque id in ea proprium atque singulare fuisse, haud dubie insinuare voluit, quod loquitur de præseruatione ab originali peccato, quæ sola libertas in ea potest dici singularis & propria, & cum alijs minime communis. Idem Rupertus lib. 3. super Cantica explicando illa verba: *Oculi tui columbarum*, cum Virgine sacra prædicta loquendo inquit. *Columba in petris nidificat, & tu in solitudine fidei permanens euasisti serpentis antiqui venena.* Quid clarius, expressius, illustriusve dici potuit? Et infra ait. *Columba gemitum pro cantu habet: at tibi gemere dulce fuit, eo quod præ cunctis mortalibus mente vulnerata esses.* Quibus in verbis dum ait in Virgine Dei-

Rupert. Abbas.

para omninò nullam fuisse gemituum siue lachrymarũ causam, nisi solum charitatis & amoris vulnus, quod alte eiusdem animum transuerberabat: insinuare clare voluit, nullam vnquam in ea fuisse culpam, neque originalem, neque actualem. Nam quod originalis culpa etiam gemituũ atque lachrymarum possit esse causa, iam supra me dixisse memini. Totum ergo genere sacræ Virginis, quantum ad eandem spectabat dulce fuit, & quod non tantam gemitus quam Canticũ siue Cantica iure optimo dici posset, seu potius deberet, vt quam luculentissime dixit Rupertus prædictus lib. 7. de gloria Trinitatis, & processu Spiritus Sancti. Vbi cum præmisisset Canticorum librum de Virgine sacra tanquam de præcipua Sponsa interpretari debere, eius rei rationem afferens, sic inquit. *De ista dunta cat scriptura dicimus, quod tota est cantabilis, nam in cæteris scripturis multa sonant lamentabilia pænitentis Ecclesiæ, in plerisq; enim peccauit pro quorum parte cum fructibus pænitentiæ lamentatur & gemit. Sed hæc infra dignitatem fuit huius Beatæ Virginis, cuius vita integerrima non habuit cur gemeret, nisi vulnus charitatis, propter dilationem plenæ atque perfectæ beatitudinis in tempore huius peregrinationis.* Quid amplius, aptiusve potuit dici?

Potho Presbyter Pruniẽsis. 57. Loco succedat Potho Presbyter Pruniensis, qui floruit etiam eo tempore, & in libro primo quem scripsit de magna sapientiæ domo, non longe à fine, de Virgine sacra loquendo sic inquit. *Vere magna domus: pulchra & altissima domus: septiformis spiritus in eadem domo plenarie habitat quietissime, nunquam ibi passus est ensam alicuius culpæ.* Est ne quid piam amplius, quod ad hoc propositum quæri aut desiderari possit? Nec dici vllo modo potest, quod fiat tantum sermo de culpa actuali, non vero de originali: nam (vt pluries dictũ est) originalis culpa magis Deum offendit, quam offendere ipsum eundem posset venialis actualis. Et si Virgo sacra originalem habuisset: haud quaquam (vt videtur) congrue posset dici, in eadem septiformem Spiritus Sancti gratiam plenarie habitasse quietissime, seu ibidem requiem inuenisse, & nunquam ibi Deum alicuius culpæ offensam passum fuisse.

D. Bernardus Clareualensis Abbas. 58. Loco succedat Diuus Bernardus Clareualensis Abbas, Ecclesiæ præclarissimum decus, qui floruit circa annum 1130. & quamvis in epistola quas ad Canonicos Lugdunenses scripsit, quæ numero est 174. vt cunque visus fuerit nostræ sententiæ & opinioni contrairer: post quam eosdem acriter reprehendit eo quod sacræ Virginis Conceptionem celebrarent: non tamen id eo animo fecit: sed quia id ipsum inconsulta Sede Apostolica fecerunt, vt latius dicemus infra in argumentorum solutione, respondendo ad verba quæ ex prædicto Diuo Bernardo affert Bandellus.

Sed quidquid de hoc sit, quod ipse etiam huic nostræ faueat sententiæ & opinioni, constat clarissime ex quamplurimis suæ doctrinæ locis. Sed primo ex Sermone de Beata Maria, cuius est initium *Aue Maria.*

Maria, vbi testamenti arcam Dei Genitricis dicit typpum fuisse. Qua de re loquendo post alia verba, vnam alteri comparando, sic inquit. *Illam fecit Bezeleel, istam condidit Emanuel. Bezeleel (qui interpretatur vmbra Dei, Dei ibi, qui protectio mea dicitur) in opere solum habuit: & Virgo quoque Virginum condita, electa & prælecta, præseruata, præparata, & ornata per Spiritum sanctum & eius omnipotentem filium fuit.* Quid clarius, illustriusve dici vnquam potuit ad hoc propositum? Si Virgo sacra (vt inquit Bernardus) fuit à Deo condita, electa, prælecta, præseruata, & præparata, per Spiritum Sanctum ornata, & per eiusdem omnipotentem Filium, ac talis effecta, qualem esse decebat, vt congrue & digne eundē sacro suo exciperet vtero: quonam pacto de ipsius mente & sententia dicemus illam vllo vnquam tempore originalis peccati labe fuisse fœdatam atque maculatam? Pergit Bernardus prædictus, & dicit. *Sancta quoque Trinitas Virginem sibi sanctificauit, ac templum sanctissimum consecrauit: hospitiumq; mundissimum sibi præparauit, thalamum quoq; de quo sponsus præ filijs hominum speciosus ad publicum procederet, decenter præornauit.* Et prosequendo ad materiam de qua prædicta fabricata fuit arca, inquit. *De lignis Setim condita est arca: quia licet Maria de patrum natura per peccatum viciata discere originem, prælecta tamen est per Spiritum Sanctum, & præseruata ad purum.* Quid (quæso) amplius, illustriusve potuit dici? Idem Bernardus Sermone quarto, *super Salue Regina*, inquit loquendo cum Virgine Deipara. *Tu nasus Ecclesia, similis turri celsa, videlicet dignitate, firma grauitate. Turris Libani. Libanus mons quidem dicitur dealbatio, altam præominibus sinat innocentiam tuam. Innocens fuisti ab originalibus & actualibus peccatis, nemo ita præter te.* Hæc Bernardus. Iuxta quem sensum explicat mentem Diui Augustini, libro de Natura & Gratia contra Pelagianos, quando dixit, collatam fuisse sacræ Virgini gratiam ad vincendum omni ex parte peccatum. Quod sic declarat, *omni ex parte*, id est tàm ex parte originalis, quàm ex parte actualis peccati. Et inferius de ea dicit: *Natam fuisse superatis originalibus peccatis.* Et infra. *Quis vltra dubitet sanctam te & immaculatam huic mundo progenitam.* Quid (quæso) clarius ad præsens propositum desiderari potest? Nam certum est verbum progenitam, referri debere ad Conceptionem quando primo genita est.

2 Idem Diuus Bernardus Sermone 13. de Cena Domini post principium, de eadem Virgine sacra loquendo, inquit. *Non est in filijs hominum magnus vel paruus qui non in peccatis fuerit conceptus, præter Matrem immaculati peccatum non facientis, sed peccata mundi tollentis: de qua cum de peccatis agitur nullam prorsus volo haberi quæstionem.* Idem Sermone de Natiuitate Virginis, qui incipit, *de gaudijs ad gaudia*, de eadem etiam loquendo, post alia ad idem propositum dicit. *Caro Mariæ ex Adam assumpta, maculas Adæ non admisit.* Idem Sermone quarto de Assumptione Virginis, sic inquit. *Licet de Maria loqui gestiant omnes, tamen quidquid* *Idem D. Bernardus.*

 dicitur

dicitur de indicibili: eo ipso quod dici potuerit, minus gratum est, minus placet, minus acceptatur. Quænam etenim poterit lingua (etiã si Angelica sit) dignis ex tollere laudibus Virginem Matrem, Matrem autem, non cuiuscunq; sed Dei? Quænam vel Angelica puritas Virgini illi audeat comparari, quæ digna fuit sacrarium fieri Spiritus Sancti, & habitaculum Filij Dei? Idem explicãdo illa verba Apocalypsis cap. 12. *Signum magnum aparuit in Cœlo, mulier amicta Sole*, post alia in sequentia verba prorumpit. *Candidissimus sane & calidissimus huius mulieris amictus, cuius omnia tam excellenter irradiata nascuntur, vt nihil in ea (non dico tenebrosum) sed obscurum saltem, aut minus lucidum, sed nec tepidum quidem, aliquid aut minus ferventissimum liceat suspicari.* Et infra de eadem sacra Virgine loquendo dicit. *Quod profundissimum diuinæ sapientiæ penetrauit abyssum, ita vt quantum sine personali vnione creatura conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.* Et parum infra dicit de eadem, *esse eam in qua nihil potest esse suspectum.* Quid amplius aut clarius potuit Diuus Bernardus vnquam dicere, ad explicandam suam mentem & sententiam: nempe Virginem sacram ab omni prorsus originalis peccati labe fuisse semper immunem? Cuius verbis cum aduersarij nihil habeant quod congrue & apte dicere possint, ad communem asylum confugiunt, dicentes aliqua ex prædictis testimonijs non vere esse Diui Bernardi, sed sibi supposita. Circa quod multa forent dicenda, quæ breuitati consulendo facio missa, & vt ne longius mea protrahatur oratio, & super hac re cum eisdem haudquaquam libuit contendere.

Hugo de Sancto-Victore.

59. Loco succedat Hugo de Sancto-Victore, qui floruit etiam circa annum 1130. qui in suis Miscellaneis lib. 3. tit. 123. agendo de decem præconijs sacræ Virginis, post alia sic inquit. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Hodie Domina nostra insigni circundata corona, ostendit Angelica dignitati suæ celsitudinis priuilegia. Primum priuilegium est, quod sine sorde & sine viro concepit: in hoc enim immunem se in conceptu ostendit ab illo præscripto Prophetico: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Quid (quæso) clarius potuit dici, ad insinuãdum de mente & sententia Hugonis, originali peccato eandem caruisse. Qui prædictus Hugo Sermone 47. institutionis Monasticæ, qui est de Assumptione Virginis, post alia sic inquit. *Bene beata Deigenitrix se veluti palmam exaltatam in Cades gloriatur, quia spiritualibus hostibus potenter & victoriose subactis, non dolore criminum sed amore præmiorum compuncta suauissime potabatur.* Quibus in verbis sumpta metaphora á palma, quæ victoriæ, ouationis atque lætitiæ signum est, insinuare plane voluit, Virginem sacram ob perpetuam suam sanctitatem, gloriari quammaxime potuisse, semper se fuisse victricem, semperque habuisse ouationis atque lætitiæ causam, nullam vero mœroris aut tristitiæ, cum nullum vnquam peccatum, nec originale, nec actuale commisisset.

60 Loco

60. Loco succedat Ricardus de Sancto-Victore, qui floruit etiam eo tempore, & in Sermone quodam, cuius est initium. *Necdum erant abyssi, & ego iam concepta eram*: post alia insequentia verba prorupit. *Non decuit vt caro Mariæ qualicunque fuisset obnoxia culpæ: nam Dei sapientiæ in dignum credimus, vt quam ad lucem gentium destinauit, prauitatibus & illecebris sineret inuolui. Nec enim ingratus fuit Matri suæ, qui Patri matrique honorem præcepit exhiberi.* Idem in expositione super Cantica cap. 26. de Virgine Deipara loquendo dicit, semper fuisse integram atque perfectã, & gratiæ pulchritudine ornatam. *Tota* (inquit) *fuit pulchra, quam totam possedit gratia quia nullum in ea locum habuit peccatum.* Et infra. *Ob tenebrantur enim stellæ (id est sancti) caligine humana culpa. sed Beata Virgo tota pulchra fuit, quam totam ita illustrauit & perfudit Sol iustitiæ, vt nec maculam habuerit, nec tenebras culpæ.* Quid (quæso) amplius potuit dici?

Ricardus de Sancto Victore.

Idem in libro secundo de Emanuele, postquam capite 25. quæsiuit, quidnam fuit causæ quod manserint in Virgine sacra, quædam quę originalis peccati pœnæ esse videntur, ac dixit, quænam (quæso) est causa, quæve iustitia vt remaneat pœna, vbi non est culpa? Propositæ suæ interrogationi cap. 31. respondet dicendo. *Hoc fuit in Beata Virgine supra modum mirabile, & præ cæteris sanctis omnibus singulare, quod in ea simul conuenire potuit, tanta corruptibilitas cum tanta incorruptibilitate: corruptibilitas in his quæ pertinent ad pœnam, incorruptibilitas in his quæ pertinent ad culpam. Sed sibi ad futura gloria cumulum, nobis autem ad patientia documentũ profuit, quod passibilitatis nostræ iugum, cum tanta impassibilitate portauit.* Quid (quæso) amplius ad hoc propositum potuit dici aut desiderari: postquam adeò expresse insinuat in Virgine sacra, nullam omnino culpam, nullam pœnæ sustinendæ causam præfuisse?

61. Loco succedat Petrus de Riga, qui floruit etiam per id tempus, & in Euangelio quod Carmine conscripsit, inter alias sacræ Virginis laudes inquit.

Petrus de Riga.

Vnam nec maculam, natura reliquit in ista,
Ad caput à planta, transuolat iste decor.

62. Loco succedat Adamus Victorinus, qui floruit etiam per id tempus, anno Domini 1180. & in prosa de Assumptione Virgine sic scribit.

Adamus Victorinus.

Salue verbi sacra parens,
Flos de spinis, spina carens,
Flos spineti gloria,
Nos spinetum, nos peccati,
Spina sumus cruentati,
Sed tu spinæ nescia.

63. Loco succedat Petrus Comestor, frater Petri Lombardi sententiarum Magistri, qui floruit circa annum 1150 & quamvis Bandellus superius citatus nostræ sententiæ & opinioni contrarium eũ-

Petrus Comestor.

dem

dem nobis opponat, fuit tamen ex his qui ad saniorem mentem redacti, sententiam postea mutarunt, vt latius dicemus infra in argumentorum solutione. Is igitur in libello quem ii scripsit de in maculatæ Virginis Conceptione, Antuerpiæ excuso: explicãdo illa verba Psalmi 86. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei*, sic inquit. *Quid est gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei, si nostræ infirmitati de ea similia dicuntur, quæ magis pudenda quam gloriosa dici potuerunt? Oportuit ergo eam ab ipso fundamenti primordio præ, cæteris aliquod dignitatis sortiri priuilegium, quæ secretorum Dei, mysteriorumq; cœlestium in se susceptura erat arcanum. Hanc nanq; domum fundauit Altissimus, & ædificauit sapientia. de qua, quia aliter sentire non audeo, aliud dicere non præsumo. Scio in Maria plus viguisse gratiam, quam naturam. Audio ab Angelo plenam gratia, non inuenio plenam natura, certe plus est gratia quam natura: male conseruat naturam, qui offendit gratiam. Imprudenter defendit naturam, qui impugnat naturæ conditorem. Nunquid infra terminos nostros cohartanda est Dei sapientia? in omnibus quæsiuit requiem Dei Mater & inuenit: in Conceptione quærit, & non inueniet? Potuit certe, quisquis es, potuit creator naturæ cui deseruit omnis creatura de luto naturæ nostræ auream vrnã producere, quæ haberet in se conditum Manna cœlestis gratiæ. Numquid aurum minus est aurum, quia in luto iacuit, aut quia à terra defossum per minutissima grana eruitur, id circo minus habet splendoris, aut minori æstimatur prætio?* Et post pauca. *Attende & obaudi, quod testimonium huic fundamento dederit Prophetarum eximius Psalmo 86 homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus. Intellige quod ait: ipse fundauit eam, ipse non alius: non vetus Adam, sed nouus, nouum iacuit fundamentum, super quod tàm præclaram, tàm insigne surgeret ædifficium. Alioquin si veteris ruinæ mansere vestigia, si veteri superædifficatum est, vetus Adam & non ipse fundauit eam Altissimus. Quod enim fundatur non ab alio, sed à se ipso materialiter incoat. Certe si recens, si non esset insolitum, Propheta tantæ nouitatis miraculum obstupescens, non exclamaret dicens. Nũquid Sion dicet homo, & homo natus in ea, &c.* Post quę cõcludendo subdit. *Dicat ergo dicat Ecclesia salue festa dies, salue dies veneranda Conceptionis, in qua initiatum est Sacramentum nostræ Redemptionis. per quam extincta est framea versatilis, & aperta ianua nostræ salutis. Gaudeat, oro, omnis terra in Conceptione tantæ Virginis, in cuius medio salutem operari dignatus est Deus.* Quid (quæso) maius, illustriusve, siue maiori consideratione dignum vnquam dici potuit;

Arnold. Carnotensis.

64. Loco succedat Arnoldus Carnotensis, Diui Bernardi discipulus, & quammaxime familiaris, qui floruit circa annum 1177. & in tractatu quem inscripsit de Laudibus Virginis, de eadem loquendo post alia sic inquit *His accessionibus gradatim sibi officinã purgatissimã Spiritus Sanctus præparauit.* Et paulo inferius. *Nihil doloris, nihil clamoris ibi erat: nullam sibi vsuram pœnarum pro voluptate vltio repetebat. Neque enim erat Christus in peccato conceptus, cuius solius est donare peccatum.* Quibus in verbis, quammaxima consideratione digna sunt illa, nihil doloris, nihil clamoris

moris

moris ibi erat, nullam ibi vsuram pœnarum pro voluptate vltio repetebat. Quæ vt plenius intelligantur oportet in memoriam reducere, id quod iam supra diximus, nempe dolores & molestias quæ fœminis ex partu eueniunt, non esse pœnas illius peccati quod in prolem ex generatione transmittitur, sed illius quod in se mater proprium habuit à suis progenitoribus hæreditatum. Est igitur hæc mens & sententia Arnoldi: quod duplici ex causa processit quod Virgo sacra in suo partu dolores & molestias non fuerit experta. Prima, quia filium absque libidinis sensu concepit, atque adeò non erat illi ex partu dolendum, quia dolor partus pro coitus delectatione est præscriptus. Secunda: quia Christus Dominus non fuit ab illa in peccato conceptus: hoc est quod ipsa non habuit peccatum, quod in ipsum ex generatione transfunderet. Vt enim dixi, non prolis peccatum, sed matris ipsius propria culpa dolorum prædictorum atque molestiarum est causa. Sensus itaque est, quod Virgo sacra propterea dolores & molestias partus non est experta, quia Christum peperit, cuius solius est donare peccatum: i. est, quia cum peperit qui solus cum potens sit peccatum delere, hoc beneficium ab eo accepit, vt ipsam ab illo peccato præseruaret, quod totius doloris & angoris quem mulieres in partu patiuntur causa existit.

45. Loco succedat Petrus Blesensis, Arnoldo Coetaneus, qui in instructione fidei Catholicæ, ab Alexandro Tertio Pontifice ad Soldanum Iconij missa, de Virgine sacra loquendo; post alia sic inquit. *Petrus Blesensis.* *Magna igitur & omni laude dignissima fuit Mater & Virgo Maria Beatissima, quæ tantum Dei atque hominis mundo edidit mediatorem, & nostrum parere voluit Saluatorem: quæ, inter omnes quas mundus habuit mulieres, nec primam, nec similem meruit, nec sequentem habere. Concepit nempe sine pudore, peperit sine dolore, & hinc migrauit sine corruptione, iuxta verbum Angeli, imò Dei per Angelum, vt plena, & non semiplena gratia esse probaretur, & Deus Filius eius antiquum quod pridem docuit mandatum fideliter adimpleret, videlicet Patrem ac Matrem honore præuenire, & ne caro Christi virginea, quæ de carne matris sumpta erat, à tota discreparet.* Pulchra quidem verba, & quammaxima consideratione dignissima. Quæ licet ad propositum de corporis incorruptione adducantur, haud minori etiam certe ratione adaptari possunt ad animi incorruptionem, de qua loquendo dicimus, eandem integram atque inuiolatam semper fuisse à corruptione cuiuscunque peccati, necdum actualis, verum etiam originalis: in quo nec primam aut similem habuit, nec habebit sequentem: atque in eo etiam adimpletum fuisse verbum Angeli, seu potius Dei per Angelum, quando eam dixit gratia plenam, non vero semiplenam: quasi vllo vnquam tempore (etiam per minimum instans) caruerit ipsa, eiusque vnigenitum Filium Christum Dominum & Saluatorem nostrum, fidelissime adimpleuisse mandatum quod de honorandis parentibus dedit,

neque enim credendum est (cum potuerit) ea in re quod ingratus fuerit matri suæ, qui Patri matrique honorem præcepit exhiberi.

Idem Petrus Blesensis. Idem Petrus Blesensis in Sermone de Magdalena, de Virgine sacra loquendo, eiusdemque ab omni culpa immunitatem insinuare volens, post alia in sequentia verba prorupit. *Indubitanter verum est, quia singulare est Beatæ Virginis auxilium, quia plus omnibus potest mater apud filium.* Cuius rationē afferendo subdit. *Quia non nouit peccatum, & quasi è quodam sublimi fastigio pro nobis intercedit.* Cuius quidem argumenti vis in eo posita est, quod iuxta ipsum Virgo sacra ex eo quod nullum habuit peccatum, aptissima fuit ad exercendum mediatricis officium: similitudine adducta ex eo quod dixit Diuus Paulus ad Hebræos 7. decuisse (scilicet) Christū Dominum & Saluatorem nostrum, ad idē exercendum officium, peccatis haudquaquam fuisse infectum. *Talis* (inquit) *decebat vt nobis esset Pontifex, Sanctus, Innocens, Impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus.* Ad eūdem igitur modum dicit prædictus Blesensis, indubitanter verum esse, quod ad intercedendum pro nobis, singulare est sacræ Virginis auxilium, cuius duplicem rationem affert: prima quia plus omnibus potest mater apud filium: altera vero quia cum nullum nouerit peccatum, quasi è quodam sublimi fastigio congruentissime pro nobis intercedit.

Idem Petrus Blesensis. Idem Blesius Sermone secundo de Assumptione Virginis, de eadem loquendo, sic inquit. *Vir & vxor duo sunt in carne vna, expressius autem Mater & Filius sunt vna caro. Sane Patres qui Spiritu Sancto dictante decreta promulgarant, hoc ius in coniugibus sanxerunt, vt si alter deferens seculū adhæreat Deo, alter non remaneat in seculo: vnius enim carnis partes, tam violenter distrahi ius non esse visum est eis. Sic & indecens videri debet, si altera pars carnis virgineæ sit in cælo, & pars altera reddatur solo. Si parti alteri datum sit non videre corruptionem, & altera soluatur in cinerem. Sicut enim Beata Virgo à maledictione mulieris, cui dictum est in dolore paries, facta est immunis, quia peperit sine dolore: sic & à communi viri & mulieris maledictione facta est immunis, qua dictum est, in cinerem ibis. Vnde ab Angelo benedicta esse dicitur, quasi à primordiali maledicto liberata: & sic decor Carmeli, id est integra circumcisionis datus est Virgini.* Quibus in verbis quammaxima consideratione dignum est, id quod dicitur Virginem sacram benedictam fuisse ab Angelo, & liberatam à primordiali delicto (sub cuius nomine originale peccatum debet intelligi) sicque datum sibi fuisse decorem Carmeli, & antiquam Euæ maledictionem, in benedictionem sibi fuisse commutatam. Etenim licet prædictis in verbis Blesius expresse (vt dixi) non nisi de corporis incorruptione loquatur, eadem omnino, quinvero maior ratio (vt videtur) currit ad astruendam incorruptionem animæ, & asserendum prædictam sacram Virginem præseruatam prorsus fuisse ab originali peccato, vt ne cum vnitate carnis quæ interfuit inter Matrem & Filium, reperiretur animorum discordia &

diui-

diuisio, dum Christo existente peccati totius omninò experte: eiusdē Matrem peccato dicamus subiacuisse vllo vnquam tempore, etiam per minimum instans.

66. Loco succedat Sanctus Pater Dominicus, Prædicatorum Ordinis Patriarcha, atque fundator inclitus, qui floruit circa annum Domini 1216. & in tractatu quem contra Abigenses scripsit de Sacramento Corporis Christi, de Virgine sacra verba faciendo, dixit. *Sicut primus Adam ex terra virgine, & nunquam maledicta fuit formatus: ita decuit in secundo Adam fieri, id est in Christo, cuius terra, id est Mater Virgo nunquam fuit maledicta*. De cuius libri veritate, quamvis Bandellus loco vbi supra, cap. 89. ratione 11. voluerit dubitare, dicens prædictum librum mendaciter sibi impositum fuisse: haudquaquam in hoc audiendus aut credendus est, cum tot tantique viri, auctoresque locupletissimi de eo & verbis prædictis fidem faciant. Nam in primis de libro prædicto fidem facit, Antonius Cucarus, in elucidario de Conceptione Virginis, impræso Parisijs anno Domini 1506. & Petrus Galatinus de arcanis Catholicæ veritatis, cap. 7. Vicentius Beluacensis in speculo historiæ lib. 25. cap. 96. Theodorus de Apoldia, in vita Sancti Dominici libro 1. cap. 6. Sanctus Antoninus tertia parte titulo 19. cap. 1. §. quarto, & Canisius lib. 1. de Virgine Deipara, cum pluribus alijs quos refert nouissime Pineda Iesuita Sermone de Conceptione Virginis, §. 9. & Ojeda in tractatu pro defensione eiusdem Virginis, cap. 7. qui omnes vnanimiter referūt miraculum quoddam de prædicto libro: nam cum à quibusdam hæreticis qui sacræ Virginis immunitatem negabant, per ter in ignem fuisset iniectus: semper mansit illesus. Qua de re qui plura videre voluerit, consulat Ægidium Augustinianum loco iam pluries citato, lib. 1. quæst. 4. art. 1. §. 3. & Salazar lib. etiam iam pluries citato cap. 42. in sæculo 13. & Ioannem Baptistam de Lezana in suo Apologetico iam pluries citato cap. 20. S. P. Dominicus.

67. Loco succedat Diuus Antonius de Padua, nostræ sacræ Religionis magnum decus & ornamentum, qui floruit circa annum Domini 1220. Nam quamuis ab aduersarijs, & à Bandello pro alia in cōtrarium parte adducatur, immerito tamen, vt omnes ipsius Sermones tàm de Tempore quàm de Sanctis, videnti atque lustranti constabit: nam in ipsis omninò nihil reperire licebit, quod dixerit contra sacræ Virginis à peccato originali immunitatem: imo verò in Dominica prima post Epiphaniam: *Absolutè negat fuisse in eadem pœnitentiam, dolorem, & animi amaritudinem de peccato, pro eo quod nullū omninò habuit*. Quod certe haudquaquam diceret, si ipsam credidisset fuisse conceptam in originali peccato. Et in Dominica tertia Quadragesimæ dicit. *Vitam fuisse dictam: quia vim habuit citius radicandi: & quia præ cæteris citius & altius in amore Dei fuit firmitā & radicata*. Quæ omnia haud quidem incōgrue applicari possunt ad præsens propositum de eiusdem præserua- D. Antonius de Padua.

 tione

tione à peccato originali. Hoc in loco adducendi forent Diuus Thomas Angelicus Doctor, & Seraphicus noster Pater Diuus Bonauentura, qui etiam ab aduersarijs pro contraria sententia citantur: sed cõsulto in præsentiarum prætermittuntur, vt in sequenti quæstione cõgruentiori ordine inter Doctores Scholasticos ponantur, & adducantur, quamvis in Sanctorum numero meritissime etiam essent recensendi.

S. Vincentius Ferrer. 68. Loco succedat Sanctus Vincentius Ferrer, vir vere Apostolicus, Prædicatorum Ordinis, qui floruit circa annum 1420. & puritatis Sanctissimæ Virginis fuit etiam quammaximus defensor, & propugnator, quamvis etiam ab aduersarijs pro alia in contrarium parte adducatur. Is enim Sermone de Conceptione Virginis, tertia parte agens de sanctificationis gradibus qui in Beata Anna reperti fuerũt: quamuis sacram Virginem sanctificatam fuisse dicat: *dicit tamen id ipsum factum fuisse, cum primum fuit sanctificationis capax, eadem scilicet die, quin vero & eadem hora, qua in vtero suæ Matris concepta est*. Et neque contra eiusdem mentem erit dicere, quod etiã in eodem instanti, nam etiã id dicit Sermone primo de Natiuitate eiusdem Virginis, vbi eadem de re loquendo, sic ait. *Quando corpus Beatæ Virginis fuit perfecte organizatũ, & anima illi coniuncta per creationem, altissimus sanctificauit tabernaculum suum*. Quæ verba (si bene intelligantur) simultaneam coefficientiam creationis atque sanctificationis insinuant, vt amplius constabit ex Sermone secundo Natiuitatis, vbi mentem suam luculentius explicauit. Nam expendens illa verba Genes. 1. *Fiat lux, & facta est lux*: ea ad sacræ Virginis Conceptionem applicando, dicit *Non credatis quod fuerit sicut in nobis qui in peccatis concipimur, sed statim postquam corpus formatũ atque anima ipsius fuit creata, tunc fuit sanctificata: & statim Angeli in Cælo festum Conceptionis fecerunt*. Et paulo infra. *Lux (inquit) dicitur illa benedicta generatio Virginis Mariæ, quia sine tenebra culpæ facta est*. Et addit statim. *Sed generatio fuit lux*. Et paulo inferius. *Sic ista coniunctio Ioachimi & Annæ luminosa fuit*. Quid (quæso) clarius aut expressius pro nostra sententia potuit dici? Neque intelligendus est Sanctus Vincentius de sacræ Virginis sanctificatione, quæ in ea peccatum originale præsupponit, sed solummodo de sanctificatione, prout idem omninò est, ac gratiæ siue sanctitatis infusio. Vt enim supra diximus, etiam per Dei potentiam impossibile omninò extitit, quod pro eodem temporis instanti, originale peccatum & gratia simul fuerint? Cum iuxta magis receptam sententiam opponantur priuatiue, nequeantque proinde consistere simul. Ex quo colligitur, quod si iuxta Diui Vincentij sententiam, in illo instanti quo corpus Beatæ Virginis organizatum perfecte fuit, & anima per creationem illi cõiuncta, sanctificata fuit, quod in eodem instanti non potuit habere originale peccatum, & simul cũ gratia illam sanctificante, eiusmodi macula fuisse infectam. Quod etiam

etiam Vincentius insinuauit, dum sacram Virginem luci comparauit, ac dixit eiusdem generationem fuisse vt lux, & sine culpa tenebra, & quod coniunctio Ioachimi & Annæ lumen ipsa fuit. Nec minus significauit id ipsum dicendo, quod statim ac Virgo sacra prædicto modo sanctificata fuit, Angeli in cœlo festum Conceptionis fecerunt. Si statim Angeli in cœlo festum Conceptionis fecerunt: ergo ipsius Conceptio immaculata fuit? Neque enim festum fieri potest nisi de re sancta, & omnino carente macula: & immaculati Angeli solummodo in rebus immaculatis exultant, nec lætantur aut gaudent in aliquo inquinamentum siue maculam habente.

69. Loco succedat Sanctus Bernardinus de Sena, nostri sacri Ordinis Minorum, vir etiam doctrina & sanctitate insignis, qui floruit circa annum 1438. & quamvis ab aduersarijs pro sua etiam sententia afferatur, immerito tamen: nam in tractatu Beatæ Virginis Sermone quarto (quo loco ab eisdem citatur) minime dicit quod ipsi prætendunt: quinvero in eo Sermone sacræ Virginis ab omni culpa immunitatem luculentissime tradit, quamvis expressius & clarius in tomo 1. Sermone 52. de Salutatione Angelica, ad verbum illud Angeli, Lucæ 1. ad sacram Virginem. *Aue Maria.* Ex quo elicit, *eandem à triplici væ, originalis, mortalis & venialis culpæ alienam fuisse.* Cuius quidem rei rationem reddens, de eadem loquendo inquit *Fuit enim Beata Virgo sine primo væ, id est sine tyranno concupiscentiæ peccati originalis, quia sine eo concepta est, sicut teste Salomone Canticorum 4. didicimus, qui ait tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, scilicet originalis culpæ.* Ad idem propositum citatur pluribus alijs in locis, secundo tomo Sermone 52. Feria quarta post Resurrectionem, art. 1. 2. & 3. & tomo quarto Sermone 49. Feria tertia de Resurrectione, vbi ait. *Magis pium est credere quod Beata Virgo non fuerit in peccato concepta, quam credere quod sit.* Ad quod citat perdoctum illius temporis Patrem Fratrem Bartholomeum de Sicilia, & adducit quandam optimam rationem ad idem. Tritenius in sua Historia dicit Sanctum Bernardinum de pura sacræ Virginis Conceptione copiosum quendam librum scripsisse, qui adhunc vsque diem in eius cella & libraria (vt dicitur) adseruatur.

S. Bernardin. de Sena.

70. Loco succedat Beatus Ioannes Capistranus, etiam ex sacro nostro Minorum Ordine, Sancti Bernardini prædicti contemporaneus, qui etiam vt dicitur scripsit tractatum de pura sacræ Virginis Conceptione, in quo loculentissime, atque constantissime nostram sententiam & opinionem defendit.

B. Ioannes Capistranus.

71. Loco succedat Diuus Laurentius Iustinianus, qui floruit circa annum 1445. & in tractatu quem inscripsit de casto connubio verbi & animæ cap. 7. de primis nostris parentibus, & Virgine sacra loquendo, post alia sic inquit. *Hæc est originalis pœna delicti, à qua nemo (quamuis eximia polleat sanctitate) liber existit. Quotquot enim ex ipsa nati sunt propagine*

D. Laurentius Iustinianus.

pagin(exceptis duntaxat mediatore Dei & hominum homine Christo Iesu, & ipsius Matre) sub hac peccati lege sunt conditi. Idem & in fasciculo amoris, cap.7. in fine, inquit, *Nemo ab ipso mundi initio vsque ad temporis plenitudinem (duntaxat mediatore, eiusq; genitrice exceptis) iugum damnationis diaboli euasit*. Item idem Sermone de Annunciatione de eadem Virgine loquendo inquit. *Quis huius Virginis gratiam sufficit narrare? Ab ipsa namq; sui Conceptione in benedictionibus est preuenta dulcedinis, atque à damnationis aliena chyrographo*. Et paulo inferius vocat eã, *ab omni peccati labe extraneã*. Ac tandem in opere quod de perfectionis gradibus ante mort ẽscripsit, cap.1. post medium, quasi vltimam suam voluntatem contestans, de peccatò originali loquendo, post alia verba sic inquit. *Ab hoc quippe originale peccato nullus excipitur, prater illã qua genuit mũdi Saluatorẽ*. Ex quibus videre licebit, quam contra rationem prorsus aduersarij, Laurentium Iustinianum prædictum, pro sua sententia & opinione adducant: quod & de aliĳs etiam sine ratione vlla multoties constat fecisse.

S. Petrus Thomas. 72. Loco succedat Sanctissimus Pater Petrus Thomas, Carmelitarum decus, qui floruit etiam per id tempus anno 1468. & sapientiã atque doctrinam suam glorioso suo Martyrio exornauit. Hic etiam fecit quendam tractatum de purissima sacræ Virginis Conceptione, quem citat Bustos in suis etiam Sermonibus de Conceptione Sermone quarto.

B. Raymũdus Lullius. 73. Loco succedat Beatus Raymundus Lullius nacione Mayoricanus, balearis nobilis ciuis, cuius vita inibi habetur celebris, doctrina vero mirabilis, ac diuinitus tradita diiudicatur: adeò vt à multis Doctor siue magister vocetur illuminatus. Cui (vt dicitur) licet quidam Michael Eymericus veritus non fuerit contraire, eidemque errore varios impingere: hæc tamen iniuria iam honorifice est vindicata, sententia lata auctoritate Apostolica iuris seruato ordine, vt constat ex libro hac super re confectò, palme balearium typis mandatò, potentissimo nostro Hispaniarum Regi Philippo III. dicato. Prædictus igitur B. Raymundus Lullius, de purissima ac immaculata Virginis Conceptione in speciali tractatu quem edidit, multa eaque notatu dignissima, ad piæ nostræ sententiæ defensionem dicit, quæ breuitatis gratia prætermittuntur vt videatur ibidem, & quia ad alia properamus, non minori consideratione digna.

S. Ignatius de Loyola. 74. Loco succedat Sanctus Pater Ignatius de Loyola, illustrissimi Iesuitarum Ordinis Patriarcha atque fundator inclitus, qui quidẽ (vt refert Salazar iam pluries citatus loco vbi supra. cap.42. in 16. sæculo) fuit purissimæ Conceptionis studiosissimus assertor, vt constat ex codice illo quem fecit de quibusdam illustrationibus Dei quas habuit circa statum sacræ suæ Religionis, cui & adiungit decem illos præclarissimos viros eiusdem Societatis Prothoparentes, Academiæ

demiæ Parisiensis Magistros, qui iuxta veterem illius scholæ more, vbique terrarum sacræ Virginis purissimam Conceptionem constantissime defenderunt, & ab omni prorsus originali peccato eandē fuisse immunem, totis viribus quam accerrime propugnarunt.

Ludouic. Beltram.

75. Loco succedat S. Ludouicus Beltrā, illustrissimæ Dominicanæ familiæ Pater, vir santitate & doctrina clarissimus, quem sanctissimus noster Pater Paulus Quintus, anno 1608. die 29. Iulij in Sanctorum retulit numerum. Qui quidem sententiam nostrām, & præseruationem sacræ Virginis ab omni prorsus originalis peccati labe, non solum semper probauit, verum etiam & cōstantissime affirmauit, omnes antiquos Patres qui contrariam vnquam tenuerunt, modo si viuerent, absque vllo dubio sententiam mutarent, & huic quam nos defendimus adhæsuros. Qua de re luculentissimum reddit testimoniū Frater Vincentius Iustinianus Antist. Prædicatorum Ordinis, in additionibus quas fecit ad Historiam prædicti Sancti Ludouici Beltram, tractatu de immaculata Virginis Conceptione §. 1.

B. Nicolaus Factor.

76. Loco succedat Beatus Nicolaus Factor, meritissimus nostræ sacræ Religionis alumnus, & Pater inclitus, qui etiam vt satis constat ex libro quem de vita sua scripsit Pater Frater Christophorus Moreno, Prouincialis olim Prouinciæ Valentiæ, & ex prædicto Vincentio Iustiniano loco supracitato, §. 3. sententiam etiam prædictam cōstantissime defendit, & tanquam rem omninò indubitatam tenēdam, omnibus semper proposuit & tradidit.

Respondetur auctoritatib⁹ Sanctorum Patrū, adductis pro alia in cōtrariam parte in cōmuni quibusdam propositis notabilibus.

Hæc dicta sufficiant de Sanctorum Patrum auctoritatibus, qui sententiæ nostræ patrocinantur. Solummodo superest respōdeamus & satisfaciamus his quæ ab aduersarijs pro alia in contrarium parte sunt adductæ. Sed pro maiori claritate, ampliori intelligentia, ac breuiori resolutione eorum quæ ad hoc propositum à nobis in subsequētibus sunt dicenda, nonnulla prius libuit præmittere fundamenta notatu dignissima, quibus quammaxima præstabitur lux ad prædictas Sanctorum Patrum auctoritates intelligendas, eorumque mentem eruendam & elucidandam; & dicendum quid ipsi senserint de sacræ Virginis præseruatione ab originali peccato.

Primum notabile. Non esse nouum, quinvero antiquissimum in Ecclesia, Patres circa veritates nondum definitas, neque determinatas …

Primo præmitto, haudquaquam esse nouum, quinvero antiquissimum in Ecclesia Dei, in his quæ non pertinent ad fidem, & de quibus eadem Ecclesia hactenus nihil diffiniuit siue determinauit: inter Sanctos Patres esse sententias & opiniones varias, eosdéque veritatis indagandæ causa, in diuersas partes secari ac diuidi, contrariaque asseruisse. Cuius quidem rei quod primum sese offert exemplum est circa salutem seu potius saluationem Salomonis, & an ipse fuerit damnatus: necne? Circa quod Diuus Gregorius & Hieronymus in eam sententiam propenderunt, quod fuit damnatus, vt satis constat *ex capite Salomonem 32. quæst. 4. & cap. Si enim, verbo Salomonis, de pœnitentia distinctione 2.*

Diuus

diuersas sententias esse diuisos.

Diuus vero Ambrosius & Augustinus è contrario oppositum omnino dixerunt, prout cum alijs Auctoribus & Doctoribus refert Glossa prædicti *cap. Salomon.* Secundum sit exemplum, circa reprehensionem quam Diuus Paulus dedit Diuo Petro, vt ipse ait scribendo ad Galatas cap. 2. in illis verbis. *Restiti ei in faciem, quia reprehensibilis erat.* Circa quod Diuus Augustinus in Epistola ad Hieronymum, dicit quod D. Paulus rationabiliter Petrum reprehendit, & quod reuera reprehensibilis erat. E contrario vero Diuus Hieronymus Paulum in eo asserit peccasse, quia Diuus Petrus caput erat omnium Apostolorum, neque ipsum reprehendere debuit. Tertium occurrit exemplum, circa cessationem legalium. Qua de re magna etiam fuit lis & controuersia inter prædictos Diuum Augustinum & Hieronymum, asserente vno quod cessauerunt tali tempore, alio vero è contra dicente, quod esse ad aliud tempus durauerunt. De qua controuersia videndi sunt Alexander Alensis in tertia parte Summe tractatu de cessatione legalium, & noster Scotus in 4. sententiarum distinctione 3. quæst. 4. Hæc dixerim vt non merito quispiam miretur, si forsan inter Sanctos & supradictos Patres aliqua reperiatur differentia, cum loquuti sunt de sacra Virginis puritate, eiusdemque immunitate ab originali peccato. Quibus addo, quod quando inter Patres & Doctores Sanctos prædictos, aliqua reperetur opinionum varietas siue contrarietas, cum sit circa rem nondum diffinitam siue determinatam de fide, per se loquendo liberum esse cuilibet sequi opinionem quam malueris, vt docet Diuus Thomas quæstione quadam quodlibetica, & Enricus de Gandabo quodlibeto quarto quæst. 33. Ad quod propositum facit quammaxime, id quod dixit Diuus Augustinus, & refertur in *cap. negare dist. 9.* vbi loquendo de suis proprijs scriptis, sic inquit: *Neque quorumlibet disputationes quamuis Catholicorum & laudatorum hominum, velut scripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat salua honorificentia quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis probare aut respuere, si forte inuenerimus quod aliter senserint quam veritas habet: diuino adiutorio, vel ab alijs intellecta, vel a nobis. Talis ergo sum in scriptutis aliorum, qualis esse volo intellectores meorum.* Hæc ille. Et in epistola ad Vincentium de scripturis Sanctorum Doctorum, sic inquit: *Tale genus scripturarum à scripturis diuinis distinguendum est: non enim ita in eis testimonia proferuntur, vt contrarium sentire non liceat.* Idem etiam in *cap. ego solis distinct. 9. Ego alios ita lego, vt quantalibet sanctitate, quantaue doctrina polleant, non ideò verum putem, quia ita senserunt, sed quia mihi per alios auctores, vel probabiles rationes, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Hæc Augustinus vbi supra. Et sunt quidem verba ad præsens propositum, notatu dignissima.

Secundum notabil.

Non esse mir

Secundo præmitto, haudquaquam etiam esse mirandum, quod inter antiquos olim Sanctos Patres, aliqua reperiantur testimonia, quibus in communi & in generali loquẽdo, sacram Virginem originale

pecca-

peccatum contraxisse videantur insinuare, negantibus hoc alijs, & dicentibus illam ab eodem fuisse præseruatam, & puram atque intemeratam, & immaculatam ipsam appellantibus: nam illis temporibus, & maxime dum vigebat hæresis Pelagianorū negantium in pueris originale peccatum, cum ad eiusdem erroris extirpationem Sancti Patres (vt tenebātur) vterentur sacræ scripturæ propositionibus vniuersalibus, asserentibus omnes in vniuersum ex Adam naturali propagatione, & per rationem seminalem descendentes, peccatum contrahere originale absque vllo delectu & discrimine: non oportebat nec conueniens fuit tunc temporis prædictam sacram Virginem ab ea generali regula excipere, vt ne ex eo ansam hæretici sumerent (prout & obijciebant D. Augustino) asserēdi & dicendi plurimos fuisse Sanctos in vita: ex quo (prout sibi videbatur) sufficienter dicebant colligi, quod originale peccatum ipsi minime contraxissent. In quo quidem errore firmarentur magis, si tunc priuilegij immunitatis sacræ Virgini concessi aliqua expressa mentio facta fuisset, seu aperte diceretur eandem ex eiusmodi priuilegio à peccato originali præseruatam fuisse. Hæc igitur fuit omninò ratio & causa, ob quam Sancti Patres antiqui, de contractione originalis peccati ab omnibus in vniuersum absque delectu & discrimine, ita vniuersaliter sunt loquuti: nulla prorsus mentione facta de speciali priuilegio, quod aliás forsan credebant & intelligebant concessum fuisse sacræ Virgini. Nam sicuti tempore Pelagij, plus nimio tribuentis viribus liberi arbitrij (non absque ingenti incommodo & iniuria diuinæ gratiæ) Diuus Augustinus, alijque Sancti Patres diuinæ gratiæ necessitatem adeò exagerauerunt, vt libertati liberi arbitrij nonnihil derogare viderentur: è contra vero nouissimo hoc Lutheri tempore, liberi arbitrij libertatem negantis, & totam actuum supernaturalium efficatiam soli gratiæ tribuentis: multi etiam catholici Scriptores in fauorem libertatis adeò propenderunt, vt diuinæ gratiæ necessitatem viderentur è medio tollere: licet reuera nec illi libertatem, nec isti prædictam gratiæ necessitatem intenderint abnegare: sic in proposito Sancti Patres, cum hæresis Pelagiana vigeret quæ peccatum originale negabat, adeò in cōtrariam sententiam propenderunt, vt sine vlla prorsus exceptione vniuersaliter dicerent, eiusmodi originale peccatum omnes contraxisse. Nam quamvis Virginis sacræ singulare præseruationis priuilegiū agnouissent, propter prædictum hæreticorum periculum, non ita plane illud voluerunt astruere, sed communiter & generaliter sunt loquuti absque delectu, & discrimine, in quo quidem haudquaquam sacræ Virginis immunitati vllo modo præiudicarunt, cum fuerint loquuti de iure, & secundum legem communem, non excludendo priuilegium, quod propter adeò congruentes atque expedientissimas rationes & causas, dici poterat illi concessum fuisse. Quam explicationem

randum, quod Sancti Patres olim de sacræ Virginis puritate, & ab originali peccato immunitate diuersa dixerint, & quænam eius rei fuerit ratio & causa?

nem & dicendi modum, esse necessario admittendum atque tenendum, ex eo euidenter colligitur, quia aliàs non habebunt aduersarij, & qui contrariam sententiam & opinionem tuentur, quid respondere possint ad quamplurimas Diui Augustini auctoritates, in quibus neminem à peccato actuali omninò excipit, nisi solummodo Christum Dominum. Neque esset vnde Diuus Thomas (quinvero & Ecclesia) determinare potuisset actuale peccatum illam minime in tota sua vita commisisse. Nam prædictus Diuus Augustinus lib. de fide ad Petrum cap. 30. ita generaliter ait. *Firmissime tene & nullatenus dubites (exceptis illis qui pro Christi nomine sanguine suo baptizantur) nullum hominem accepturum vitam æternam, qui non hic à malis suis fuerit per pœnitentiam, fidemq; conuersus.* Et idem in eodem libro cap. 38, sic inquit. *Firmissime tene & nullatenus dubites, iustos atque sanctos homines (exceptis his qui baptizati paruuli sunt) sine peccato hic minime viuere posse.* Idem in simili dicit contra Iulianum cap. 9. Dicāt obsecro mihi, qui prædictam expositionem dicendique modum renuunt admittere, & non obstantibus loqutionibus generalibus prædictis, dici optime posse in contrarium supradictum sacræ Virgini fuisse priuilegiū concesum: qualiter respondebunt Diui Augustini testimonijs prædictis, de contracto ab omnibus (Christo Domino solummodo excepto) actuali peccato: cum tamen constet ex doctrina eiusdem Diui Augustini, & multorum aliorum Sanctorum Patrum (quinvero & ex diffinitione Concilij Tridentini Sessione 6. canone 23.) sacram Virginem peccatum aliquod actuale (etiam veniale) nunquam commisisse? Standum est igitur in supradictis, & intelligendæ semper sunt eiusmodi Sanctorum Patrum auctoritates, excepto supradicto priuilegio, alicui si adeô fuisset concesum.

Tertio notandum. Quod sanctorum Patrum auctoritates dicentes Christum Dominū solummodo natura sua esse iustum & sanctum, non præiudicant sacræ Virgini, & pie ac reuerenter sunt intelligenda.

Tertio præmitto, & sit generalis regula: quod propositiones & auctoritates Sanctorum Patrum vniuersales, dicentes omnes ex Adā naturali propagatione, & per rationem seminalem descendentes, originale peccatum contraxisse: ab ea generali regula neminem omninò excipientes, nisi solummodo Christum Dominum: & asseuerantes eundem tantum ex natura sua esse iustum & sanctum: quamvis iuxta iuris commune axioma, exceptio firmet regulam in contrarium, & insinuare proinde videantur, voluisse sacram prædictam Virginem in dictis suis generalibus loquutionibus comprehendere: non sic tamen sunt intelligendi, sed reuerenter explicandi: & dicendum, quod loquuntur de iure communi, & secluso prædicto speciali priuilegio Virgini sacræ concesso. Et adhuc nihilominus iure optimo id ipsum potuerunt dicere: nam quamvis Deipara Virgo iuxta nostram piam prædictam sententiam & opinionem, à primo suæ Conceptionis instanti fuerit iusta & sancta, & ab omni prorsus originalis peccati labe præseruata: adhuc tamen inter eam, ipsiusque sanctissimum Filium

latis-

latisimum est discrimen & differentia multiplex. Primò quia Christus Dominus (necdum inter omnes homines fuit iustus & sanctus) verum etiam inter omnes primo ad sanctitatem electus & prædestinatus, & reliqui post ipsum atque per ipsum. Secundò quod in ipso, sanctitas atque iustitia, naturalis siue connaturalis fuit, quia ex duabus naturis in eadem hypostasi (non per affectum) sed per naturalem & realem vnionem copulatis, constituitur homo Deus, naturalis Dei Filius, & naturaliter siue connaturaliter sanctus, vt docent omnes cõmuniter Doctores, super tertiã partẽ Diui Thomæ quæst. 7. artic. 1. In nobis autem (& etiam in Virgine) sanctitas atque iustitia, non nisi ex adoptione est; nam ex diuina gratia & ex meritis eiusdem Christi, habemus quod simus iusti & sancti. Ex quo oritur tertia differentia, nempe quod solus Christus Dominus iure suæ natiuitatis siue Conceptionis fuit iustus & sanctus, etiam sine aliqua alia iustitia sibi super addita, nam diuinitas ipsa cui in vnitate eiusdem suppositi humanitas fuit coniuncta, ipsum sanctum & iustum reddebat, idque tanta necessitate efficiebat, vt sine sanctitate & iustitia Christi, humanitas minime posset existere: at vero nos homines non ita sumus sancti, iure nostræ natiuitatis siue Conceptionis: sed post acceptam naturam, gratiose & liberaliter à Deo sanctificamur, & sanctitatem accipimus. Ex quo vlterius oritur quarta & vltima differentia, quòd solus prędictus Christus Dominus iuræ suæ Natiuitatis siue Conceptionis fuit sanctus, quatenus non ex aliquo virili semine seu maris & fæminæ naturali concubitu, sed virtute Spiritus Sancti fuit genitus & procreatus: ex quo proinde ex iure & naturæ suæ debito, fuit ab omni prorsus culpa & à peccato immunis & liber. Quo iure non sic sacra Virgo fuit à prædicta culpa & à peccato immunis & libera: sed per Dei gratiam, & ex speciali priuilegio diuinitus sibi concesso, & non per naturam. Ex quibus omnibus planisime sequitur, quam magna cum ratione Sancti Patres, Christum Dominum solummodo potuerint dicere fuisse sanctum à sua Natiuitate, siue Conceptione: nam quamvis dicamus etiam sacram Virginem à primo suæ Conceptionis instanti fuisse iustam & sanctam, & ab omni prorsus originalis peccati labe præseruatam: adhuc tamen inter eam & sanctissimum eius Filium fuit latissima differentia & discrimen, nec per id tollitur seu aliquo modo extenuatur, minuiturve, dignitas & excellentia Christi (vt perperam aduersarij dicunt) nam eo etiam stante multa reperiũtur in Christo Domino, dignissima & nobilissima quæ eiusdem eximiam sanctitatem extollunt, & quibus ipse solus gaudet. Sic igitur fieri debet satis Sanctorum Patrum auctoritatibus: & si quæ eorundem testimonia reperiantur quæ expositionem prædictam non admittant, dicendum est eiusmodi propositiones vniuersales quæ omnes in vniuersum sub culpa & peccato concludunt, & omnes excludunt præter solum

Differẽtia qua quoad sanctitatẽ versatur, inter Christũ Dominum, & sanctissimam suam Matrẽ.

Christum: non sic rigurose esse accipiendas & intelligendas, quin illis ex speciali priuilegio Virgo sacra dici possit excepta. Vel dicendo, quod in illis generalibus propositionibus quibus Christus à culpa & peccato exclusus & exceptus dicitur, etsi ex dissimili causa ratione, sacra etiam Virgo debet dici exclusa & excepta: cum Mater & Filius vnum quid sint (necdum spiritu) verum etiam & carne: vt... te & acute satis prosequitur Selazar supradictus loco vbisupra, ca 41. can. 2. in fine, id ipsum probare contendendo ex quadam doctrina Diui Augustini.

Quartum notabile.

Qualiter sint intelligendi sancti Patres, dicentes sacra Virginis carnem fuisse carnem peccati.

Quartò quia nonnulli ex Sanctis Patribus expresse dicunt, a vero insinuare videntur, sacræ Virginis carnem, fuisse carnem peccati, ac talem eam appellandam esse, & de illa dicendum, quod naturam carnis peccati habuit, pro eo quod ex Ioachimo & Anna naturali propagatione & per rationem seminalem fuit concepta, ad notandum est, quod eiusmodi loquutiones sano modo sunt interpretandæ & intelligendæ, adhunc sensum, quod sacra Virgo fuit caro peccati, seu carnem peccati habuit: quia ex se & sua apte natura originali peccato erat obnoxia, debitumque illud contrahendi habuit, & de facto illud contraxisset nisi ex speciali priuilegio ab eodem diuinitus præseruata fuisset. Vel dicendo quod caro Virginis fuit caro peccati (non quidem ipsius caro singularis & indiuidua) sed in communi & vniuersali loquendo: adhunc sensum, quod ex sua formali & specifica ratione, & ex eo quod humanā naturā habuit cum alijs omnibus hominibus cōmunē, naturali modo & per rationē seminalem conceptam: reuera natura sua erat caro peccati: quia ex sua formali ratione in alijs hominibus, originali peccato oritur inquinata & infecta. In hoc sensu supradicta propositio est vera, in alio vero falsa (loquendo de sua natura singulari & indiuidua) vt sic enim (vt pluries dictum est) ex speciali Dei priuilegio ab omni peccato originali & actuali fuit diuinitus præseruata. Sed dices hoc stare minime posse, nam in eo sensu, loquendo, etiam Christi Domini caro dici posset caro peccati, pro eo, quod habuit humanam naturam eiusdem speciei nobiscum, & quæ in alijs hominibus ex Adami delicto oritur infecta, & inquinata originali peccato. Sed huic obiectioni facile respondetur, negando sequelam: quia adhuc est latissima differentia & discrimen: quia caro Christi Domini, non fuit quidem naturali modo & per rationem seminalē concepta, sed virtute Spiritus Sancti (vt pluries dictum est) & præterea quia ex vnione ad personam Diuinam, humana Christi Domini natura, non habuit capacitatem contrahendi originale peccatum, quam habuit in sacra Virgine, quæ de facto illud contraxisset, nisi (vt iam dictum est) ex speciali priuilegio diuinitus præseruata fuisset. Qui hac de re plura videre voluerit, consulat supradictum Salazar loco vbisupra, cano. 3.

Quintò

Quinto præmitto, nonnullas etiā esse auctoritates Sanctorū Patrū, asserentiū sacram Virginē incarnationis tempore fuisse mundatam, purgatam atque purificatam: quæ quidem verba cum (vt de se patet, & pluries iam diximus) maculam aliquam eandem habuisse innuere videantur, & originali peccato minime caruisse: dicamus oportet quonammodo eiusmodi auctoritates sint intelligendæ & explicandæ, vt ne in equiuoco laboremus, & eisdem sic in communi fiat satis. Et dico breuiter, haudquaquam esse intelligendas eiusmodi auctoritates, de mundatione, purgatione siue purificatione rigurosa, quæ actualem aliquam maculam præsupponat: sed ad eum modum quo etiam diximus supra, eandem sacram Virginem per Christi Domini sanguinem vere & proprie fuisse redemptam: non quidem à captiuitate in qua fuerit, sed ab ea in qua fuisset nisi per eiusdem præuissa merita à peccato originali præseruata fuisset. Ita vt mundari idē prorsus sit, atque non pollui: purgari & purificari, idem ac peccati labe non infici. Et quod hoc sit necessario dicendum, & contrarium interdum absque errore, erroris ve suspitione sustineri non possit, probatur efficacissime sequentibus rationibus. Primo, quia prædictis in locis aliqui ex dictis sanctis Patribus dicunt, non solum animum, verum etiam & corpus sacræ Virginis ab Spiritu Sancto fuisse mundatum, purgatum siue purificatum: dicere autem quod in sacræ Virginis corpore aliquid fuerit vnquam libidinis, siue immunditiæ, quod mūdatione, purgatione siue purificatione indiguerit: ne fas esset & iniquitas quammaxima: nullusque sanæ mentis audebit illud dicere. Nō igitur semper eiusmodi auctoritates intelligendæ sunt de actuali macula, siue infectione quæ insuit: sed quæ inesset, nisi cooperante Spiritu Sancto ab ea diuinitus præseruata fuisset.

Quintum notabile.

Qualiter sint intelligendæ Sanctorum Patrum auctoritates, dicentes B. Virginem fuisse mundatam, purgatā siue purificatam incarnationis tempore.

Et secundo probatur id ipsum, quia aliqui etiam ex prædictis Sāctis Patribus dicunt sacram Virginem ab actualibus peccatis, imo vero à vitijs fuisse expurgatam: quod expresse dicit Ambrosius in illis verbis supra adductis: *mentem ipsius ab omni vitiorum sorde castigavit*. Dicere autem sacram Virginem aliquo vnquam tempore, propriæ actionis peccato insorduisse, seu vitium aliquod commisisse, quod castigari, elui, siue detergi debuerit: nefas etiam est quammaximum, nec vllo modo asseuerari potest salua fide. Dicendum est igitur vt supra, quod eiusmodi loquutiones intelligendæ sunt, non quidem de culpa & peccato quod insuit, sed quod in esset, si non diuinitus ab eodem supra Virgo præseruata fuisset.

Item tertio probatur id ipsum: quia nonnulli ex eisdem Patribus, affirmant Virginem sacram à concupiscentiæ fomite fuisse mundatam, & tamen verior & communior sententia est, quod in eadem nihil concupiscentiæ aut fomitis vnquam actu fuit, quod ex purgari posset: dicendum est igitur id quod dictum est supra.

Tandem quarto & vltimo probatur id ipsum: nam etiam nonnulli Sancti Patres prædictam mundationē, purgationem, siue purificationē, factā esse dicunt tēpore incarnationis, cum Spiritus Sanctus supervenit in Virginē, & Gabriel Angelus annuntiauit eā esse gratiā plenam: & tamen certum est secundū fidē, quod sacra Virgo ante suam natiuitatem & ortum ex vtero suæ matris sanctificata fuit. Ex quo proinde sequitur, quod eiusmodi auctoritates nihil prorsus faciunt, ad probandum sacram Virginem originalis peccati macula fuisse infectam: vel dicendū est quod ipsi perperam aberrarunt (quod absit) & vt non id dicamus dicendū est, quod intelligendi & explicandi sunt, non de mundatione, purgatione siue purificatione vera & rigurosa sed (sicut præmissum est) de mundatione, purgatione siue purificatione præseruatiua: ita vt mundari idē prorsus sit atque non pollui: purgari & purificari, perinde fuerit, ac nō infici: quod totum tribuendū est operationi Spiritus Sancti. Qui hac de re plura videre voluerit consulat prædictum Salazar loco vbi supra, cano. 4. vbi ad hoc propositū reperire licebit multa eaque notatu dignissima.

Sextum notabile.

Quod multi ex Sanctis Patribus qui primò aliquod cōtra sacræ Virginis immunitatem dixerunt, postea sententiam mutauerunt.

Sextò & vltimo præmitto, quod quamvis multi ex Sanctis Patribus locis supracitatis, & adductis pro alia in contrarium parte, reperiantur qui primo aliquid (magis aut minus explicite) contra sacræ Virginis puritatem, eiusdemque præseruationem, & ab omni prorsus originalis peccati labe immunitatem affirmauerint, postea tamen ad meliorem mentem reducti, sententiam mutarunt, & contrarium omninò dixerunt: aut non satis constantes, sed mobiles multum extiterunt, ita vt quæ modo aiebant, facillime statim abnegabant, vt quam rectissime obseruauit Catherinus lib. 2. §. ad hæc sicut, & Bustos in Sermonibus quos de Deiparæ Virginis Conceptione fecit. In quorum numero adducunt in primis Diuum Thomam, qui cum non semel sed pluries Virginem sacram in originali peccato fuisse conceptam asseruerit, postea eandem ab eodem immunem iterum atque iterum affirmauit. Quod etiam dici potest de Ruperto, Diuo Anselmo, Bernardo, Bonauentura, & de Alexandro Alensi, Alberto Magno & alijs, qui etiam cum Virginem sacram in originali peccato fuisse cōceptam prius docuissent, ab ea postea sententia retrocesserunt, & cōtrarium omninò affirmarunt atque dixerunt: vt amplius statim patebit cum de eorum quolibet in particulari specialem mentionem fecerimus. Et controuersia quæ hac de re inter Doctores tot retro annis habetur, haudquaquam credendum est id factum quidem fuisse absque diuina dispositione, sed vt præsens hæc quæstio tanti ponderis ac momenti de sacræ Virginis puritate, & ab originali peccati immunitate siue præseruatione, toties â tot, tantisque grauissimis viris & Patribus agitata, magis ac magis elucidaretur, & ipsius veritas amplius splendesceret. Dicereque quadam ratione possumus, id quod ad simile

simile propositum dixit olim Diuus Gregorius Homilia 26. in Euangelium: *Quod sicuti ad fidem Resurrectionis Diui Apostoli Thomæ dubitatio plurimum contulit, quia dum ille Christi Domini palpando vulnera, eandem credere quodammodo fuit coactus, nostra etiam omnium fidelium mens omni dubitatione postposita in fide fuit solidata:* ita etiam & alterius Thomæ de sacræ Virginis puritate & ab originali peccato immunitate dubitatio, aliorumque Doctorum qui quæstionem & cōtrouersiam prædictam argumentorum suorum tellis totis suis viribus adeò controuerterunt atque exagitarunt: vtilitatis quamplurimum nobis fore allaturam, vt veritas ipsa quæ antea sub tot opinionum inuolucris latitabat, magis ac magis splendescat, illustrior fiat, & intimius fidelium omnium cordibus infigatur. Vt enim inquit Diuus Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei, cap. 2. *Etiam ad fidem Catholicam pertinentia, dum aduersariorum callida inquietudine agitantur, vt aduersus eos defendi possint, & diligentius considerantur, & clarius intelliguntur, atque instantius prædicantur, & ab aduersario mota quæstio, discendi existit occasio.* Sic proculdubio in proposito factum est nam huius controuersiæ occasione, dum sacræ Virginis puritatis propugnatores, ad eandem defendendam & ab omni prorsus originalis peccati labe vindicandam, solertius & dilligentius se accinxerunt, suumque animum applicuerunt: quamplurima, illustria atque stupenda sacræ Virginis encomia quæ antea latitabant, cum immortali eiusdem gloria in lucem prodierunt. Et sicuti in rebus naturalibus per anthyparistasim (experientia ipsa edocente) contraria contrarijs augentur, firmiusque atque robustius roborantur: ita etiam per voluntariam Doctorum quorundam anthyparistasim siue contrarietatem, quam sacræ Virginis Conceptionem oppugnantes, tot retro sæculis fecerunt (quinvero & eorundem successores modo etiam faciunt) dum ipsorum tella in eosdem retorquentur, & prorsus nullius esse roboris ac momenti monstratur, veritas quam persuadere, tutare atque defendere studemus, illustrior indies fit, & magis ac magis elucidatur.

respōdetur ad argumēta primi ordinis in contrariū adducta, multiplices Sanctorum Patrū auctoritates continentia, quibus aliud insinuari videbātur.

His igitur præsuppositis notabilibus, superest modo in particulari respondere ad argumenta in quæstionis initio in contrarium adducta, quibus multiplices continentur Sanctorum Patrum auctoritates, quæ de mente Caietani, Bandelli & Magistri Cano, contrarium videbantur insinuare.

Ad primum continens auctoritatem Irinei.

Ad primum continens auctoritatem Irinei facilis est solutio. Nihil enim aliud ipse dicit quam quod nos dicimus & tenendum est firmiter de fide: nempe peccato primi nostri parentis astrictum fuisse morti vniuersum humanum genus, & plaga serpentis antiqui fuisse omnes homines vulneratos, & per Christi Domini Crucem (qui solus sine peccato venit in similitudine carnis peccati, quique omnia ad se traxit, atque viuificauit mortuos) à prædicta antiqua serpentis plaga

fuisse

fuisse sanatos. Sed quid inde contra sacræ Virginis puritatem, & ab originali peccato prædicto immunitatem, cum Irineus sic generaliter loquatur & de iure: nos vero (non quidem de iure) sed ex speciali priuilegio atque diuina gratia, dicamus eandem ab illo fuisse præseruatam? Cui nostræ resolutioni nō obstat id quod ibidem dicit, solum Christum sine peccato fuisse: nam id etiam intelligendum est de iure, & ex vi suæ Natiuitatis siue Conceptionis, quatenus ex Adam nō naturali propagatione, aut per rationem seminalem descendit, sed cōceptus fuit de Spiritu Sancto: quod proprium & speciale fuit in ipso, vt latius constat ex his quæ dicta sunt in supradicto tertio notabili.

Ad secūdum continens auctoritates Origenis.

Ad secundum continens auctoritates Origenis, respondetur similiter, neque quæ ex eo ibidem adducuntur maiorem aliquam habent difficultatem. Nam omnes illæ auctoritates accommodatissime explicantur, dicendo: omnes homines de iure communi loquendo, atque ex vi suæ Conceptionis, obnoxios quidem fuisse peccato: nullumque iure dicere posse, quis ex vobis arguet me de peccato, nisi solus Dominus Iesus Christus, qui nullum prorsus habuit peccatum. Sed quid inde contra sacræ Virginis puritatem, & ab originalis peccati labe immunitatem siue præseruationem: cum ipse etiam (vt diximus) loquatur de iure, nos vero ex speciali priuilegio, & particulari gratia quæ facta est sacræ Virgini, exceptuādo ipsam ab actuali contractione originalis peccati (quinvero & ab illius debito) ni forsan remote siue remotissime, ad sensum quo dictum est supra dum ageremus de debito prædicto.

Ad tertiū cōtinens auctoritatem B. Cesarij.

Ad tertium continens auctoritatem Beati Cesarij Arelatensis Episcopi, respondetur etiam similiter, neque enim quidquam aliud ibi dicit, quam propter Adami primi nostri parentis peccatum, omnes in vniuersum homines contrahere peccatum originale, idque de iure communi loquendo, à quo nullus omninò excipitur, nisi speciali aliquo iuuetur priuilegio, & ex singulari gratia: prout cum tanto fundamento cum Virgine sacra factum fuisse dicimus.

Ad quartum continens auctoritates Cypriani.

Ad quartum continens auctoritates Sancti Cypriani, respondetur similiter, neque quæ ab eo dicuntur specialem aliquam continent difficultatem, & quod ibi dicit, neminem nisi solum Christum fuisse sine peccato, intelligendum etiam est ad sensum dictum in tertio notabili.

Ad quintum continens auctoritatem S. Theophili.

Ad quintum continens auctoritatem Sancti Theophili Episcopi Alexandrini, respondetur verum esse id quod dicit, nempe solam sacram Virginem Filium cum benedictione, & sine peccato concepisse & genuisse: sed id intelligendum est, ex vi suæ Conceptionis, quia scilicet Filium Dei absque virilis seminis commixtione concepit. Cum quo etiam bene stat, quod Beata Anna (non quidem ex naturali vi suæ Conceptionis siue generationis) quia sacram Virginem

non

non nisi ex Ioachimi concubitu concepit, sed ex speciali gratia eandem absque peccato & originali labe conceperit, pro eo quod fuit ab eadem præseruata, quamvis aliàs ex naturali modo suæ Conceptionis contrahendi originale peccatum habuerit debitum.

Ad sextum continens auctoritatem Beati Rectitij Augustudunensis Episcopi, respondetur similiter, verum esse quod dicit, omnes homines (excepto Christo) obnoxios fuisse antiquo primi nostri parentis peccato: sed id intelligendū est etiam de iure, & ex naturali suæ Conceptionis vi, seclusa speciali gratia, & singulari priuilegio, quod sacræ Virgini concessum fuisse dicimus. *Ad sextū continens auctoritatem Beati Rectitij.*

Ad septimum continens auctoritatem Sancti Athanasij Episcopi Alexandrini, respondetur concedendo libentissime, solūmodo Christum Dominum ex suæ Conceptionis vi (vtpotè quia nō naturali propagatione seu per rationem seminalem conceptus est, sed Spiritu Sācti operatione) singulariter fuisse Sanctum, & in hoc ab alijs distingui, quia sanctitatem simul cum natura accepit (vt & nos diximus in tertio supradicto notabili) per id autem non tollitur quod sacra Virgo (non quidem ex naturali vi suæ Conceptionis) sed ex speciali gratia & singulari priuilegio, gratiam simul cum natura accipiens, ab originali peccato fuerit præseruata. *Ad septimum continens auctoritatem S. Athanasij.*

Ad octauum continens auctoritatem Beati Seueri, respondetur similiter, verissimum esse quod dicit, solummodo Christum Dominum fuisse sine peccato, & totius mundi peccata abstulisse: sed (vt dictum est in tertio prędicto notabili) omnes eiusmodi exceptiones intelligendæ sunt ex vi suæ Conceptionis, & loquēdo de iure communi, non excludendo priuilegium Virgini sacræ concessum. *Ad octauum continens auctoritatem B. Seueri.*

Ad nonum continens auctoritates Sancti Hilarij Episcopi Pictauiensis, in quarum prima dicit, quod omnis caro (excepta illa quæ sine peccato venit in similitudinē carnis peccati) sub peccato originali, & sub lege peccati nata est, cuius hæc vox est. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*: dico esse verissimum id quod dicit ex iure communi loquendo, & ex vi Conceptionis & naturalis propagationis omnium hominum: sed hæc generalis regula (vt pluries iam dixi) non excludit speciale & particulare priuilegiū sacræ Virgini concessum, de eiusdē præseruatione ab actuali contractione supradicti originalis peccati: ita quod sensus prædictorum verborum iste est, quod solo Christo Domino excepto (cuius caro non naturali propagatione, sed Spiritus Sancti operatione est concepta, peccato obnoxia non fuit, sed solummodo venit in similitudinem carnis peccati) omnis alia omnium hominum caro sub originali peccato, & sub lege peccati nata est, ex vi suæ Conceptionis & naturalis propagationis, à qua generali regula de iure communi loquendo, non excluditur etiam ipsa sacra Virgo: sed tamen ex priuile- *Ad nonū continens auctoritates Sancti Hilarij.*

gio non negatur quod excipi potuerit, & concipi & nasci non sub peccati lege, neque sub originali peccato: neque vero per hoc Christo Domino æquiparatur: nam adhuc nihilominus inter Christum Dominum & sanctissimam suam Matrem, est latissima differentia & discrimen, quod constituimus in supradicto notabili tertio; quod cũ repetere non expediat poterit videri ibidem. Ad illud vero quod postea dicit, nempe quod Christus Dominus pro omnibus venit, & quã do venit nemo iustus erat in mundo, & quod misericordia omnibus erat ad salutem necessaria: dico similiter id etiam verissimum esse loquendo de iure communi, & ex vi naturalis propagationis: sed etiam generalis loquutio: & vniuersalis regula (vt dictum est) non excludit speciale priuilegium sacræ Virgini concessum, quo non obstante adhuc etiam est verissimum Christum Dominum pro omnibus (etiam pro eadem) in mundum venisse, fuisseque pro omnibus mortuum, & vniuersalem omnium hominum Redemptorem. Sed aliter alios redemit homines, aliter vero prædictam sacram Virginem Matrem suam. Nam alios redemit à peccato siue peccatis in quæ actu inciderunt (tâm originale quod contraxerunt quàm actualia quæ post modum commiserunt) sacram vero Virginem non sic redemit, sed illam præseruando ab originali peccato quod non contraxit, & ab actualibus quæ nunquam commisit, iuxta ea quæ latissime superius sunt dicta.

Ad decimum continens auctoritates Abraham Syri.

Ad decimum continens auctoritates Abraham Syri, & aliorum multorum Sanctorum, asserentium sub eodem verborum tenore, solummodo Christum Dominum sine peccato fuisse, dico similiter eas omnes veritatem continere, & verissimas esse loquendo de iure com muni, & ex vi suæ Conceptionis, quatenus de Spiritu Sancto concep tus fuit, & non per naturalem propagationem, siue seminalem rationem: per id tamen (vt pluries est iàm dictum) non excluditur speciale priuilegium sacræ Virgini concessum: nec negatur quod ex singulari Dei gratia esse ipsa potuerit ab originali peccato prædicto præseruata: quod si non eo tempore id expresse & aperte dixerunt, fuit propter rationem & causam latissime à nobis in supradicto secundo notabili assignatam.

Ad vndecimũ continens auctoritates D. Ambrosij.

Ad vndecimum continens multiplices auctoritates Diui Ambrosij Mediolanensis Episcopi, quibus dicit solum Christum Dominum ex omnibus de fœmina natis sanctum in Conceptione sua fuisse, & quod omnes præter ipsum sub peccato sunt nati, ac dicere iure possunt, ecce enim in iniquitatibus cõceptus sum, & in peccatis cõcepit me mater mea: respondeo etiam similiter, omnes eiusmodi auctoritates intelligendas & explicandas esse ad sensum supradictum, in dicto tertio notabili, vt & illas congruentissime intellexit & explicauit Ambrosius Catherinus tractatu secundo de Cõceptione Virginis, lib.

lib. 2. cap. 2. & nunc nouissime Suarez tomo secundo ad tertiam partem Diui Thomæ disp. 3. sect. 5. Valentia 4. tomo disp. 2. puncto 2. & quæ specialiter ibi dicuntur de carne sacræ Virginis quod peccato fuit obnoxia: infra dicenda proprio suo loco inseruantur, in solutione ad argumenta secundi ordinis.

Ad duodecimum continēs auctoritates D. Hieronym.

Ad duodecimum continens auctoritates Diui Hieronymi, dico similiter intelligendas esse sicut prædictum est ad auctoritates Diui Ambrosij, nec specialem aliquam continere difficultatem: quia tantummodo dicunt esse propriam & singularem Christi Domini prærogatiuam & excellentiam, conceptum quidem eundem fuisse prorsus sine originali peccato, pro eo quod ipse solus conceptus fuit de Spiritu Sancto, & non per naturalem propagationem, siue similem rationem: licet vero id ita sit, non tamen per hoc derogatur priuilegio Virgini sacræ concesso. Nam quamvis ipsa quatenus fuit ex vi naturalis suæ propagationis & generationis, contrahere deberet peccatū originale, potuit tamen ex singulari Dei gratia & priuilegio præseruari ab actuali ipsius contractione, sicut reuera factum fuisse confitemur, & ipse Diuus Hieronymus pluribus in locis insinuare videtur: vt quam latissime diximus supra suo proprio loco, vbi multis monstrauimus nostræ fauere sententiæ & opinioni: & adhuc inter ipsam sacram Virginem & Christū Dominum reperitur differētia multiplex, quæ à nobis posita est in supradicto tertio notabili. Cuius ratione cōgruentissime dici potest, hoc quod est conceptum fuisse sine originali peccato, esse Christi Domini propriam excellentiam & singularem prærogatiuam: & hoc tantummodo est quod dictis in locis intendit Diuus Hieronymus.

Ad decimum tertium continens auctoritates D. Augustini.

Ad decimum tertium continens multiplices auctoritates Diui Augustini, respondetur etiam eiusmodi auctoritates omninò nihil facere contra nos, & sententiam atque doctrinam nostram. Nam quod primo dicit, Christi Domini carnem præ omnibus alijs singularem hanc habuisse excellentiam, quod licet antequam fuisset vnita verbo in Virgine Matre obnoxia fuit peccato (quemadmodum & in alijs à quibus propagatione traducta est) quia tamen Christus Dominus sine vlla libidine est conceptus, ideò caro Verbi in Christo non fuit obligata peccato: verissimum est & res absq; vllo prorsus dubio, & quod verbum assumpsit quidem (non carnem peccati) sed similitudinē carnis peccati, hoc est carnem peccatrici similem in pœna, non vero in culpa, & etiam est verissimum id quod statim subditur ibidem, nempe quod omnis alia hominum caro, peccati caro est, & sola illa (scilicet Christi) non est caro peccati, quia non eum mater concupiscentia concepit, sed gratia: sed (quæro) quid inde ad inferendum Virginem sacram contraxisse originale peccatum? Cum prædicta omniā verba haudquaquam excludant speciale priuilegiū eidem sacræ Vir-

gini concessum, de hoc quod quamvis ipsa naturali propagatione & per rationem seminalem fuerit concepta (ac proinde obnoxia fuerit originali peccato) ex singulari tamen Dei benignitate & gratia ab eo fuit præseruata. Qua quidem ratione etiam dico quod licet sacræ Virginis caro in communi considerata, & secundum communem suæ Conceptionis modum (quatenus fuit per naturalem propagationem & seminalem rationem, debitumque habuerit contrahendi originale peccatum) dicique possit & debeat peccati caro: non tamen in singulari siue in indiuiduo: cum ex prædicto speciali priuilegio ab eo fuerit diuinitus præseruata. Neque vero per hoc ipsius caro carni Christi Domini æquiparatur, cum in ipsis hoc quod est non esse carnem peccati ex diuersissimo procedat principio: in Christo nempe ex iure atque ex natura rei, & ex vi suæ Conceptionis & generationis, vt potè quia non ex carnali concupiscentia, naturalive propagatione aut per seminalem rationem, sed de Spiritu Sancto fuit conceptus: in Virgine autem non ita: cum ipsa ex virili concubitu, naturalique propagatione & per rationem seminalem fuerit concepta. Ad illud vero quod statim dicit prædictus Diuus Augustinus, de mente & communi sententia Sanctorum Patrum: post Adami primi nostri parentis lapsum, neminem ex ipsius stirpe naturali modo generandum siue propagandum fuisse, qui se vel alios à peccato erigere valeret, nisi de sursum veniret, ille qui virtute diuinitatis de carne peccatrice, humanitatē sine peccato acciperet, cum qua homines peccato prædicto prostratos erigeret: dico etiam eiusmodi verba nihil aliud continere, nisi id quod tenendum est de fide, & ea de re nulla est aut esse potest difficultas. Sed quid etiam inde ad probandum Virginem Deiparam originale peccatum contraxisse? Nam id quod dicit de carne peccatrice Verbum Diuinum naturam nostram humanam sine peccato accipisse, intelligendum est ad sensum supradictum: nempe quod sacra Virgo quatenus fuit ex naturali suæ Cōceptionis vi, originali quidem peccato obnoxia fuit: sicque ipsius caro (vt sic considerata in cōmuni) peccatrix siue peccati caro dici potuit: non tamen id verum est in singulari & indiuiduo, cum ex singulari Dei priuilegio à peccato originali prædicto fuerit mirificè præseruata. Similique modo intelligendum est id quod statim subdit: hominum redemptionem per purum hominum effici minime potuisse. Et sequentia verba quę ibidem afferuntur ex eodem Diuo Augustino, ad probandum contra Iulianū Christi Domini carnem ex Virgine propagatā, haudquaquam esse dicendam carnem peccati, sed solummodo similitudinem carnis peccati, multumque distare à communi nostra omnium hominum carne, & quod ea excepta reliqua omnium hominum caro sit dicenda caro peccato: intelligenda & explicanda sunt ad modum etiam quo supra diximus, nec peculiarem aliquam expostulant difficultatem: & verissima

ſima ſunt de iure communi loquendo propter rationem pluries iam dictum : ſed adhuc per eiuſmodi verba non excluditur prædictum priuilegium ex ſpeciali Dei gratia ſacræ Virgini conceſſum. De quo licet idem Diuus Auguſtinus expreſſam nõ fecerit mentionem ibidẽ propter rationem ſuperius dictam in ſupradicto tertio notabili: quia nempe agebat cum hæreticis, nec expediebat pro eo tempore ab his quæ in Scriptura Sacra continebantur expreſſe, excipere (etiam ſacrã Virginem) multis tamen in alijs locis illud factum fuiſſe inſinuauit, vt ſatis conſtat ex his quæ de mente & ſententia ipſius dicta ſunt à nobis ſupra. Neq; per id ſacræ Virginis caro, Chriſti Domini carni æquiparatur (vt ſemel atque iterum iam diximus) cum Chriſto Domino quæ ſuperius ſunt dicta de iure conueniant, & ex ſuæ Conceptionis vi: Virgini vero ſacræ non niſi ex ſpeciali priuilegio. Itaque vt omnia vnico Verbo concludam, dicó quod mens & ſententia prædicti Diui Auguſtini in omnibus ſupradictis locis, alijſque ſimilibus, nõ alia omninò fuit, quam oſtendere differentiam latiſsimam quæ reperitur inter Chriſtum Dominum ex vna parte, & omnes alios homines ex Adam naturali propagatione, & per rationem ſeminalem deſcendẽtes ex alia: nam cum Chriſtus Dominus non ex carnali concupiſcentia & naturali via, ſed Spiritus Sancti operatione fuerit conceptus, ipſius caro (non quidem peccati caro) ſed ſimilitudo dũtaxat carnis peccati dicenda fuit: & ipſe ſolus ſimpliciter & abſolute loquendo, dici potuit & debuit prorſus fuiſſe ſine peccato, ipſe etiam ſolus potuit homines à primi noſtri parentis peccato redimere: & nullus alius præter illum id ipſum valebat efficere: at vero alij omnes in vniuerſum homines ex Adam naturali propagatione & per rationem ſeminalem deſcendentes, participes cum fuerint eiuſdem peccati, & in peccato naſcantur & concipiantur, ſimpliciter & abſolute loquendo, & niſi ſpeciali aliquo iuuentur priuilegio (vt & nos ſacræ Virgini conceſſum fuiſſe profitemur) ex natura rei & ex iure communi loquendo, omnium ipſarum caro vere & proprie dicenda eſt peccati caro, & ſolus Chriſtus ſingularem hanc habuit excellentiam, vt non peccati caro, ſed ſolummodo ſimilitudo carnis peccati dicatur, pro eo quod nõ eum mater concupiſcentia genuit, ſed diuina gratia. Hoc eſt totum quod prædictis in locis prætendit Auguſtinus. Inde autem quis non videat quam inepte, & quam ſine ratione & fundamento, aduerſarij contendant, Diuum Auguſtinum expreſſe dixiſſe Virginem ſacram originale peccatum contraxiſſe? Nam licet ſatis colligatur quod eadem in Adamo peccandi ſaltim remotum aliquod habuerit debitum, haudquaquam tamen quod cõtraxerit originale peccatum de facto: & cum ex alia parte tot eiuſdem Diui Auguſtini auctoritates reperiantur (vt ſupra vidimus) in quibus noſtræ ſententiæ & opinioni fa-

uet, melius nos possumus dicere Augustinum esse nobiscum, quam contra nos.

Ad decimum quartum continens auctoritates Diui Chrysost.

Ad decimum quartum continens auctoritates Diui Chrysostomi, dicere possemus cum Valentia, haudquaquam esse admittendum eiusdem testimonium in hac materia de sacræ Virginis puritate, & à peccato originali immunitate siue præseruatione: cum eam ab actuali culpa omninò ille non liberauit: & vt inquit Diuus Thomas tertia parte quæst. 27. art. 4. ad tertium, cum in re grauiori excesserit, mirũ non est quod etiam excesserit in minori. Præter quam quod si penitus introspiciatur, nihil omninò dicit quod nostræ aduersetur sententiæ & opinioni. Nam quod primo inquit, propter Adami primi nostri parentis peccatum, vniuersum humanum genus seminaliter ab eo propagatum, mortis damnationem incurrisse; & propter illud Adamum eos qui immortales esse poterant, mortales effecisse, suoque peccato obnoxios: verissimum id quidem est, firmiterque tenendum de fide: sed per eiusmodi generalem regulam (vt pluries dictum est) haudquaquam excluditur speciale priuilegium concessum sacræ Virgini. Quod vero secundo dicit de admiranda & singulari Christi Domini excellentia, quod nullus homo præter ipsum veraciter dicere potuit, quis ex vobis arguet me de peccato, & quod ipse solus est qui peccatum non fecit: præter quam quod non est ad propositum, quia ibi fit sermo de peccato actuali (de quo non in præsentiarum loquimur) quamvis vt volunt aduersarij subijsdem verbis comprehendantur etiam originale, adhuc nihil ex ipsis concludi potest, contra sacræ Virginis puritatem: nam intelligenda & explicanda sunt ad sensum supradictum: nempe quod id ipsum conuenit Christo Domino de iure, & ex vi suæ Conceptionis. Virgini vero sacræ (non quidem de iure) sed ex diuina gratia, & singulari priuilegio sibi concesso.

Ad decimum quintum continens auctoritatem Gregor. Nazianzeni.

Ad decimum quintum continens auctoritatem Gregorij Naziãzeni, qua dicit solummodo Christum Dominum fuisse singulariter Sanctum, & in eo solo nihil de culpæ semineitate inueniri: facilis est etiam solutio, nam fit sermo de sanctitate quam Christus Dominus habuit ex suæ Conceptionis vi, pro eo quod ipse solus fuit conceptus absque virili semine, & ab Adam non seminaliter descendit, sed solummodo (vt dixit D. Augustinus) secundum corpulentam substantiam: quod fuit singulare in illo, quia omnes in vniuersum homines ab eo seminaliter descendunt, nascunturque proinde natura filij iræ, & cum debito contrahendi originalem maculam: sed per id (vt dictum est) non excluditur singulare priuilegium Virgini sacræ concessum, de præseruatione ab actuali contractione prædictæ originalis culpæ.

Ad decimum

Ad decimum sextum continens acturitates Sancti Seuerini Episcopi

copi, Casiani, Sedulij, & Cyrili Episcopi Alexandrini: asserentium solummodo Christum Dominum esse immaculatum & sine peccato, & præter ipsum Adamũ primũ nostrũ parentem totum humanũ genus ab eo seminaliter descendens suo peccato infecisse: satis etiam patet solutio ex dictis: nam fit sermo de iure communi, & ex suæ Conceptionis vi: vtpotè quia Christus Dominus non naturali propagatione, & per rationem seminalem fuit conceptus: vt sic enim solummodo Christus Dominus fuit Sanctus, immaculatus & sine peccato: & præter ipsum omnes ab Adamo per rationem seminalem descendentes, peccato suo nascuntur siue concipiuntur obnoxij: at in præsentiarum non loquimur de eo quod fieri debebat de iure communi, sed de eo quod factum est ex speciali & singulari priuilegio sacræ Virgini concesso, sicque argumentum omninò nihil concludit.

sextum continens auctoritates S. Seueri ni Episcopi, Casiani, Sedulij, & Cyrilli Episcopi Alexandrini.

Ad decimumseptimum continens auctoritates Diui Leonis Papæ, similiter etiam respondetur, quod Diuus Leo ibidem omninò nihil aliud intendit dicere, quam Christum Dominum fuisse ex vi suæ Conceptionis sanctum, impollutum & immaculatum, ac prorsus sine peccato: pro eo quod sine virili semine de Virgine sacra fuit conceptus: quam non quidem humanus coitus, sed Spiritus Sanctus Angelo testante fœcundauit: quo factum est vt cum in omnibus matribus cōceptio non fiat sine peccati sorde, prædicta Virgo in eiusdem Conceptione omninò nullam habuit, & ea sola inde purgationem traxit, vnde concepit: nam quo Patrum seminis transfusio non peruenit: peccati illic origo non se miscuit. Hæc quidem verba omnia verissima sunt, nec negari vllo modo possunt salua fide: & quamvis singularia sint in Conceptione Christi Domini, & eiusmodi solummodo propria: per id autem non tollitur quod ex singulari priuilegio Virgo sacra, quamvis ex suis parentibus naturali modo, ac medio virili semine, humanoque concubitu fuerit concepta & procreata, à peccati originalis contractione diuinitus potuerit præseruari: ita vt in eiusdem Conceptione omninò nulla eiusdem reperta fuerit sordes siue macula, quamvis ex alio capite id ipsum processerit: in Christo nempe de iure, & ex suæ Conceptionis vi: in Virgine autem non ex iure, neque ex vi suæ naturalis Conceptionis siue propagationis: sed ex speciali Dei gratia & priuilegio (vt dictum est) neque per id quod adeò generaliter Leo prædictus dicit, in omnibus alijs Matribus Conceptionem sine peccati sorde non fieri, prædictæ nostræ resolutioni contradicit: nam ibi fit sermo de iure communi, nos vero loquimur ex singulari Dei gratia & priuilegio. Neque etiam prædictæ nostræ resolutioni obstat, quod statim subditur: quod de Matre Domini assumpta est natura, non culpa; nam ibi etiam non fit sermo de sacræ Virginis natura singulari & indiuidua, sed de natura in communi & specifice cōside-

Ad decimum septimum continens auctoritates D. Leonis Papæ.

siderata: ita vt sit sensus, quod de Virgine sacra assumpta quidem fuit humana natura, non vero culpa ipsius humanæ naturæ. Et quod hic prædictorum verborum legitimus sit sensus ex inde patet: nam originalis personalis culpa, si quæ in Virgine sacra fuisset tempore Conceptionis Diuini Verbi (quod omninò negamus) ipsa (inquam) originalis personalis culpa, assumi à Verbo minime posset. Neque enim ea est quæ per generationem transfunditur, sed quam Adam primus noster parens in Paradiso peccando commisit, & in totum humanum genus ab eo per rationem seminalem descendens transmisit. Non igitur Diuus Leo prædictis in verbis loquitur de culpa aliqua personæ sacræ Virginis, sed de culpa totius humanæ naturæ, quam omnes in vniuersum homines ab Adam naturali propagatione, & per rationem seminalem descendentes, naturaliter contrahunt cum concipiũtur. Hanc dicit Diuus Leo Verbum Diuinum minime assumpsisse, sed duntaxat humanam naturam de Sanctissima Matre sua: nam originalis culpa sine virili semine transfundi minime poterat, etiam humana natura assumpta. Quæ quidem solutio multum est notanda atque memoriæ commendanda: satisque colligitur ex eiusdem D. Leonis verbis, & ipse amplius se explicat Sermone octauo de eadem Christi Domini Natiuitate.

Ad illud vero quod statim subditur, carnis humanæ terram in primo nostro parente præuaricatore fuisse maledictam, & in solo sacræ Virginis partu fructum benedictum edidisse ab omni stirpis suæ vitio alienum: facilis etiam est solutio dicendo, id quidem verissimum esse, etiã ex suæ Conceptionis vi, vt & verba ipsa satis aperte indicant: per id autem non tollitur quominus ex singulari gratia, specialique priuilegio, terra carnis Beatissimæ Annæ edere etiam potuerit fructum benedictum, & ab omni suæ stirpis vitio alienum & liberum. Quod vero in argumento statim subditur ex eodem Leone, nempe in totius humani generis communi strage, vnum solum fuisse remediũ quod subuenire posset prostratis: si aliquis filiorum Adam originalis præuaricationis alienus, & innocens nasceretur, cæteris qui prodesse posset, exemplo & merito: & quod quia hoc naturalis generatio non sinebat, nec poterat vitiatæ radicis sine semine esse propago, Dominus Iesus factus est filius Dauid, & de promissi generis fructu proles orta est sine vitio: respondetur etiam verissima quidem esse quæ ab eo dicuntur: sed inde nihil etiam sequitur contra sententiam & opinionem nostram: quia in verbis prædictis Diuus Leo (vt pluries dictum est) loquitur de iure communi: nos vero ex singulari Dei gratia & priuilegio: quo dicimus Virginem sacram ab actuali contractione peccati originalis prædicti fuisse diuinitus præseruatam. Quod vniuersaliter respondendum est ad omnes alias auctoritates Diui Leonis,

nis, siue aliorum Sanctorum Patrum prædictis similes, quibus dicitur solummodo Christum Dominum fuisse immundum, immaculatum, ac prorsus sine peccato.

Ad decimum octauum continens auctoritates Beati Fulgentij Episcopi, & aliorum Sanctorum, asserentium solum Christum Dominum fuisse sine peccato, & quod vt nos liberaret, mortem sustinuit: dico id etiam esse intelligendum ad sensum supradictum, nempe ex vi suæ Conceptionis: quod quidem non obstat, quo minus sacra Virgo ex gratia, specialique priuilegio ab actuali contractione originalis peccati fuerit præseruata. Neque quidquam aliud occurrit dicendum, siue necessum est vt dicatur: nam omnes isti Sancti Patres (quemadmodum & superius citati) loquuti sunt conformiter ad Sacræ Scripturæ testimonia, & quia tempus illud non aliud permittebat vt diceretur propter hæreticos, dixerunt id quod erat de iure communi, silentio obuoluendo id quod esse poterat de particulari: nos vero dicimus id quod factum est ex singulari Dei gratia & priuilegio. *Ad decimum octauum continens auctoritates B. Fulgentij Episcopi & aliorũ.*

Ad decimum nonũ continens auctoritatem Boetij & Cassiodori, asserentium Christum Dominum sine peccato fuisse: certe nescio quid dicam, nisi quod apertissime constat ex his, aliisque omnibus supra citatis, quam ardenter Bandellus, ipsiusque sequaces, desiderauerint & procurauerint multiplicare Sanctorum auctoritates id ipsum omninò dicentes, & nullam prorsus peculiarem aliquam difficultatẽ habentes; quasi eisdem vellint Virginem sacram, & nos eiusdem propugnatores & defensores opprimere. Etenim si prædicti Sãcti Patres, aliique similites, dicunt solum Christum Dominum fuisse sine peccato, cum ex iure communi loquantur & ex vi suæ Conceptionis (vt iam pluries dictum est) fit ne inde consequens, quod sacra Virgo ex speciali Dei gratia & priuilegio non potuerit à peccato præseruari? An ne communes & generales leges, omnem omninò excludunt Regis siue Principis priuilegium atque dispensationem? Num alligatæ fuere Dei manus, vt non cum sanctissima Matre sua facere potuerit, id quod æquitati & rationi esse videretur consentaneum? *Ad decimum nonum continens auctoritatem Boetij, & Cassiodori.*

Ad vigesimum continens auctoritates Diui Gregorij Papæ, facile etiam possem vnico verbo respondere, me remittendo ad ea quæ superius sunt dicta: sed vt ne videar difficultatem aliquam voluisse subterfugere, facere id libet etiam in particulari. Et ad primum quod dicit, solummodo Christum in carne sua mundum à peccato extitisse, quia non huc per carnalem delectationem venit: dico id quidem verissimum esse loquendo de iure communi, & ex suæ Conceptionis vi: sed ex gratia & ex speciali priuilegio, quid obstat quominus & sacra Virgo munda etiam à peccato extiterit? An non potuit Deus id ipsum facere? Quæ statim sequuntur non maiorem aliquam expostulant difficultatem. Quando vero dicitur quod Dei Filius per incar- *Ad vigesimũ continens auctoritates Di. Gregor. Pp.*

 natio-

nationem Redemptor humani generis factus, solus iustus in hominibus apparuit: & ad pœnam culpæ solus sine culpa peruenit; hæc etiam verba intelligenda sunt ad sensum supradictum, de iure communi loquendo, & ex suæ Conceptionis vi. In hoc quidem sensu vere fuit solus Christus Dominus: at per id non excluditur priuilegium sacræ Virgini concessum. Similique modo intelligenda sunt verba quę statim sequuntur, quibus dicitur quod nos & si Sancti efficimur, non tamen sancti nascimur: quia naturæ corruptibilis conditione constringimur, vt cum Propheta dicamus, ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccati concepit me mater mea: & quod ille solus veraciter sanctus est natus, qui vt ipsam naturæ corruptibilis conditionem vinceret, ex commixtione carnalis copulę non est conceptus: an non planum est quid Gregorius prædictus in eiusmodi verbis dicere & insinuare voluerit? nempe quod ex iure communi, & ex vi suæ Conceptionis loquendo, solus Christus Dominus veraciter natus est sanctus, quia ex commixtione carnalis copulæ non est conceptus: nos vero è contra, quia carnali propagatione & per rationem seminalem concipimur, stando in prædicto iure communi, & ex vi nostræ Conceptionis: nam quamvis ex diuina gratia sancti efficiamur, non tamē sancti nascimur siue concipimur. Omnia hæc verissima sunt de iure communi, & nullus omninò ea negare valet. Sed quis dicat per id tolli priuilegium Virgini sacræ concessum, de eiusdem præseruatione ab originali peccato: non quidem ex iure communi, sed ex singulari Dei gratia? Hoc voluntarie dicitur, & absque aliquo firmo ac solido fundamento.

Ad vigesimū primum contīnens auctoritates D. Isidori.

Ad vigesimum primum continens auctoritates Diui Isidori, superq; satis patet etiam solutio ex dictis. Nam quod primo dicit, ex primo homine in omnes ipsius filios culpam fuisse propagatam, & quod sicut per illum mors, ita & per eundem peccatum in omnes homines originaliter pertransijt: res certa quidem est, & absque vllo prorsus dubio: quinvero & tenenda de fide. Et similiter quod Christus Dominus propter suæ Conceptionis excellentiam, & quia non ex carnis libidinosa contagione fuit conceptus, & si carnem suscepit, Adami tamen præuaricationi non fuit obnoxius, nec originale peccatum contraxit, quod contraxerunt omnes homines ex eodem Adamo per rationem seminalem descendentes, nullo prorsus excepto (præter Beatam Virginem) & id quidem non de iure communi, sed ex singulari priuilegio ad sensum supradictum. Quæ vero statim adducuntur ex eodem Isidoro, nempe quod Christus Dominus peccatum, quod pœna dignum erat non assumpsit, sed peccati pœnam: vt per indebitā suam pœnam, ablueret debitam nostram culpam, &c. quamvis verissima etiam sint, nihil tamen faciunt ad præsens propositum, de actuali contractione originalis peccati à sacra Virgine: & in eundem finē à

Ban-

Bandello prædicto adducta esse videntur: vt magnam efficeret auctoritatum Sanctorum Patrum copiam, sicque cum specialem difficultatem non contineant, consulto prætermittuntur.

Respondetur ad argumenta continentia auctoritates secundi ordinis, quibus in particulari insinuari videtur, Virginem sacram originale peccatum contraxisse.

Sed respondeamus oportet, ad alia argumenta continentia Sanctorum Patrum auctoritates, quibus in particulari insinuari videtur Virginem sacram originale peccatum contraxisse.

Ad primum continens auctoritates D. Augustini.

Ad primum continens auctoritates Diui Augustini, dico primo, quod quando Diuus Augustinus dixit quod Adam mortuus est propter peccatum, & Virgo etiam sacra ex Adam mortua est propter peccatum: caro autem Christi Domini ex eadem mortua est propter delenda peccata: non sic est intelligendus, ac si dicere voluerit, Virginem sacram morte spirituali peccati mortuam fuisse, aut corporaliter propter peccatum quod ex Adam actualiter contraxit: sed solummodo mortuam fuisse corporaliter propter peccatum Adæ prædicti, & in pœnam inobedientiç ipsius: in quo sensu verissima sunt ea quæ dicit: nam teste Diuo Paulo ad Romanos quinto, per vnum hominem (nempe Adam) peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, atque ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Et Virgo sacra licet ex speciali Dei priuilegio & gratia, ab actuali contractione eiusmodi peccati fuerit præseruata: non tamen præseruata aut liberata fuit à corporali morte, neque à moriendi debito, cum & ipse Dominus qui Adami peccato nullo modo obnoxius fuit (etiam quantum ad debitum) mortem ferre ipsam voluerit, propter delenda omnium nostrum peccata. Neque est bona consequentia: Virgo sacra corporaliter est mortua propter peccatũ Adæ, seu quod in Adamo commisit, quantum ad debitum: ergo actu contraxit maculam illius peccati. Nam teste etiam Caietano tractatũ de Conceptione Virginis cap. 3. bene stare potest vt quis præseruetur à macula originalis peccati, & tamen maneat subiectus pœnæ illius. Quod etiam consequentia non sit bona probatur. Nam quod Virgo sacra mortua fuerit propter peccatum Adami tenendum est de fide: cum tamen etiam in sententia eiusdem Caietani, non sit de fide eandem originale peccatum contraxisse. Ad illud vero quod in argumẽto statim adducitur ex eodem Augustino, nempe quod Christus Dominus de humana carne peccatrice, carnem absque culpa suscepit: dico, sacræ Virginis carnem ab Augustino vocari peccatricem, non quidem ex eo quod peccatum contraxerit ipsa in singulari & in indiuiduo, & originali culpa fuerit maculata actu: sed quia ex suæ Conceptionis vi, quatenus per naturalem propagationem, & seminalem rationem, obligata erat ad contrahendam originalem maculam, & originalis peccati habuit debitum: quod & de facto contraxisset, nisi ex speciali priuilegio fuisset diuinitus præseruata: vt latius diximus in quarto supradicto notabili. Ad illud autem quod statim subditur ex

eodem Augustino, in filijs hominum nullum fuisse, futurumve esse, qui nullo vnquam peccato fuerit astrictus, & ad iustitiam non ex peccato peruenerit, excepto vno mediatore, &c. dico id ipsum esse quidem verisimum, loquendo de iure communi, & secluso speciali priuilegio, quod Augustinus non denegat sacræ Virgini fuisse concessum. Quod si non id expresse asseruit, fuit propter rationem superius dictam in supradicto secundo notabili, vt ne scilicet ansam praberet hæreticis aliquid asserendi quod in Scriptura sacra non reperiretur expresse. Sed multis in locis quibus non sermo fiebat cum hæreticis, multa ac fere innumera dixit, ex quibus id ipsum facile colligi potest, vt superque satis constat ex superius dictis inter explicandá eiusdem mentem & sententiam.

Ad secundum continens auctoritates Eusebij Emiseni.

Ad secundum continens auctoritates Eusebij Emiseni dico primo, id quod dicit Christum Dominum & seruatorem nostrum, rerū omnium initiatorem, ex Virgine sacra initium sumpsisse: & sanguinē suum pro mundi vita fundendum de corpore suo accepisse, ac de illa assumpsisse vnde etiam pro eadem solueret: verisimum quidem esse: sed non id facit contra nos & sententiam & opinionem nostram, qui plane & constantissime confitemur & profitemur, Virginem sacram per eiusdem Christi Filij sui sanguinem, verissime quidem fuisse redemptam (vt latissime remanet dictum in quæstione 13. huius libri) sed non quidem á culpa quam actu contraxit, sed ab ea quam actualiter contraxisset, nisi ex singulari priuilegio & diuina gratia præseruata fuisset. Ad illud vero quod statim in argumento ex eodem Eusebio adducitur, nempe quod á peccati originalis nexu nullus immunis extitit, nec ipsa Redemptoris genitrix, nisi solus Christus: dico eiusmodi verba tám á Caietano quám á Bandello quammaxime esse deprauata, neque ad verbum citantur, quia demunt ex illis particulā *per se* ibidem positam, cum qua prædicta verba (non quem volunt ipsi) sed eiusmodi efficiunt sensum: quod á peccati originalis nexu per se, nullus immunis extitit, nec ipsa Redemptoris genitrix, nisi solus Christus. In quo quidem sensu verisimum est quod Eusebius dicit, & ipsius verba omninò nihil faciunt contra nos, qui plane confitemur (vt & confiteri tenemur) solummodo Christum Dominum per se, & ex suæ Conceptionis vi, á peccati originalis nexu fuisse liberum, & Virginem sacram per se, & ex naturali suæ Conceptionis vi illi fuisse obnoxiam: sed tamen ex speciali priuilegio & diuina gratia, ab eo diuinitus præseruatam & liberatam. Circa hanc solutionem videatur Suarez in tertiam partem Diui Thomæ disput. 3. sect. 5. & Valentia 4. tomo disput. 2. quæst. 1. puncto secundo, & Ægidius loco supracitato lib. 3. quæstione quarta articulo secundo §. primo, vbi referuntur Sancti Patres pertinentes ad tertiam centuriam, quorum est vnus Eusebius Emisenus prædictus.

Ad

Ad tertium continens auctoritates Diui Ambrosij, dico primo, id quod dicit nullum hominem sine peccato fuisse nisi Christum Dominum, verissimum quidem esse: sed intelligendum ad sensum pluries dictum. Et quod statim subdit de sacræ Virginis carne, quam dicit peccato fuisse obnoxiam, intelligendum etiam est ad sensum dictum in quarto supradicto notabili. Nec maiorem aliquam habent difficultatem verba quæ sequuntur, nempe misisse Deum Filium suum in mũdum in similitudinem carnis peccati, non vero in carne peccati, propter rationem ibidem positam: nam omnia eiusmodi verba intelligenda etiam & explicanda sunt ad sensum pluries dictum: de quo & de differentia quæ versatur inter carnem peccati & similitudinem carnis peccati, quia plura superius sunt dicta, eadem in præsentiarum referre haudquaquam expediens fuit visum. Ad illud vero quod in fine dicit, expiatam fuisse carnem Christi Domini in sacra Virgine, statim fiet satis, cum solutionem adhibuerimus ad argumenta tertij ordinis.

Ad tertium continens auctoritates D. Ambrosij.

Ad quartum continens auctoritatem Diui Chrysostomi, dicentis quod quamvis Christus Dominus non fuerit peccator, naturam tamen humanam de peccatrice suscepit: dico primo eiusmodi verba intelligenda esse de peccatrice natura, ad sensum supradictum, non vero de peccatrice matre. Qui dicẽdi modus non est alienus à modo dicendi Diui Augustini: nam lib. 2. de peccatorum meritis capit. 24. iuxta lectionem emendatam à Platino, vbi antea legebatur de materna carne peccati, nunc legitur de natura carnis peccati. Vel secundo dico, quod quamvis prædicta verba vt sonant sint legenda de Matre peccatrice, in hoc sensu verum habent, quod Christus Dominus humanam naturam suscepit de Matre peccatrice: id est ex Matre quæ ex suæ Conceptionis vi, & in quantum genita fuit à parentibus suis naturali propagatione & per seminalem rationẽ, obnoxia quidem fuit peccato, & obligata ad contrahendam originalis peccati maculam, (iuxta sensum superius dictum in supradicto quarto notabili) non tamen de Matre quæ de facto illam contraxerit, cum ab eo ex speciali priuilegio diuinitus fuerit præseruata.

Ad quartum continens auctoritatem D. Chrysost.

Ad quintum & vltimum continens auctoritatem Erardi Episcopi, dicentis Virginem sacram in peccato conceptam fuisse, & ab eo post modum purificatam, vt Filium sine peccato conciperet: dici potest primo, loquutum fuisse iuxta id quod esse verum credebatur eo tempore, quo propter hæreticos Sancti Patres (licet forsan contrariũ sentirent, aut saltim nimis probabile illud esse crederent) non tamen id audebant expresse asserere, cum in sacra Pagina non haberetur expressum, iuxta id quod diximus in supradicto secundo notabili. Vel secundo possumus dicere, conceptam dictam fuisse in peccato iuxta ius commune, & quantum erat ex vi suæ Conceptionis, & naturalis

Ad quintum continens auctoritatẽ Erardi Episcopi.

propagationis: non tamen per id excludendo priuilegium, si fuisset sibi concessum de præseruatione ab eiusmodi peccato.

Respondetur ad argumenta continentia auctoritates tertij ordinis, quibus sacra Virgo mundata siue purificata dicitur.

Respondeamus etiam oportet ad argumenta tertij ordinis, continentia Sanctorum Patrum auctoritates, quibus interdum sacra Virgo mundata, siue purificata dicitur.

Ad primum continens auctoritatem Remigij.

Ad primum continens auctoritatem Remigij, qua dicit Virginē sacram ab omni peccati maculā fuisse mundatam, vt ex ea sine peccato conciperetur homo Christus Iesus: dico eiusmodi verba & similia intelligenda esse (non quidem de mundatione rigurosa, quæ actualē aliquam maculam presupponat) sed de præseruatiua, vt latissime ostēdimus, & efficaciter probauimus in supraproposito quinto notabili, dicentes multas esse Sanctorum Patrum auctoritates, quæ absque errore, erroris ve suspitione, aliter intelligi & interpretari minime possunt.

Ad secundum continens auctoritatem B. Maximi.

Ad secundum continens auctoritatem Beati Maximi, asserentis Virginem sacram in vtero suæ matris fuisse sanctificatam, & ab omni contagione originalis culpæ antequam nasceretur per Spiritum Sanctum mundatam: respondeo similiter sicut ad prædictum argumentum responsum est, & eiusmodi verba sicut & præcedentia Remigij nihil faciunt contra sententiam & opinionem nostram, nisi supponatur neminem posse sanctificari aut mundari, nisi à culpa quam actu in se habet, & quæ per eiusmodi mundationem siue sanctificationem deleatur: quæ quidem suppositio absolute loquendo falsa est (vt multoties iam diximus) nam carnem Christi Domini in vtero Virginis fuisse sanctificatam, verbis expresis docet Diuus Ambrosius, super epistolam ad Romanos cap. 8. explicando illa verba: *nam quod impossibile erat legi*: qui dicendi modus frequens est apud Sanctos Patres: & tamē nullus est qui dubitet Christi carnem nullum vnquam præhabuisse peccatum à quo posset sanctificari. Simili ergo modo & Virgo sacra dico potuit in vtero sanctificata, & mūdata ab omni contagione originalis culpę (non quidem à culpa quam acta contraxit) sed quam cō traheret ex debito, nisi ex speciali priuilegio & singulari Dei gratia ab eo fuisset præseruata. Videantur quæ ad hoc propositum diximus supra in quinto notabili, & in quæstione 13. agendo de sacræ Virginis Redemptione ab originali peccato quod nunquam actu contraxit: vbi ad hoc propositum reperire licebit multa, eaque notatu dignissima.

Ad tertium continens auctoritatem Bedæ.

Ad tertium continens auctoritatem Bedæ, asserentis Spiritum Sanctum superueniendo in sacram Virginem mentem eius ab omni vitiorum sorde castigasse, & ab omni æstu carnalis concupiscentiæ cor eius temperasse, & mundasse: dico intelligenda esse ad sensum supradictum, nec recte trahuntur ad propositum de contractione originalis peccati: quod necessario videtur dicendum, postquam tàm

Bedæ

Beda quàm Glossa Ordinaria loquuntur de castigatione & mundatione Virginis, non quando ipsa in vtero suæ matris concepta fuit: sed quando in suo sacratissimo vtero Verbum Diuinum concepit, vt legenti verba prædicta clare satis patebit.

Ad quartum continens auctoritatem D. Ildephonsi.

Ad quartum continens auctoritatem Diui Ildephonsi, iam superque satis patet solutio ex dictis. Nam quando dicit Virginem sacram in vtero suæ matris sanctificatam fuisse, intelligendum id est in primo sue Conceptionis instanti, & de sanctificatione ad sensum iam dictum, quæ fuit per preseruationem, illam præseruando vt ne peccatum originale contraheret. Expositio autem quam Diui Ildephonsi verbis ibidem tradit Bandellus, dicendo ea intelligenda esse (non de Conceptione, sed de sacræ Virginis natiuitate) falsa est: vt satis constat ex his quæ dicta sunt supra, dum ageremus de mente & sententia prædicti Diui Ildephonsi, circa puritatem & immunitatem sacræ Virginis, videantur ibidem.

Respondetur ad argumenta quarti ordinis, quibus continentur auctoritates expresse asserentes Virginem sacram in originali peccato conceptam fuisse conceptam.

Nunc superest respondeamus ad argumenta quarti ordinis, quibus continentur Sanctorum Patrum auctoritates (vt videtur) expresse asserentes Virginem sacram in originali peccato conceptam fuisse.

Ad primum continens auctoritates D. Anselmi. Prima solutio.

Ad primum continens auctoritates D. Anselmi, dico quod circa ipsius mentem & sententiam hac in re qualis fuerit, magna est lis & cōtrouersia inter Scholasticos Doctores, & Bustos in suo Morali Sermone, ex his quos fecit de sacrę Virginis Cōceptione, dicit verba quæ in argumento ponuntur, haudquaquam esse Diui Anselmi, sed falso in caput illud fuisse conficta ab aliquo erga sacræ Virginis Cōceptionē parū beneuolo. Sed hæc solutio Salazar libro supracitato, cap. 42. ad sæculum 11. non satis videtur idonea: quinvero illam reprobat & condemnat, quia eiusmodi auctoritates ad suam sententiam probandam & corroborandam, adducuntur à grauissimis & antiquissimis Doctoribus, nempe ab Alberto Magno, Alexandro Alensi, D. Thom. Dino Bonauentura: ex quibus fere illas sumunt Doctores Scholastici, ac propterea (inquit) de earundem fide & veritate haudquaquam ambigere licet. Et similiter reijcit aliàs interpretationes quas Doctores alij eiusdem auctoritatibus solent adducere, vt ipsarum vim declinare possint, prout ipsas etiam reijcit & repellit Vazquez in tertia parte Diui Thomæ disput. 116. cap. 11. num. 128. & vterque concludit prædictum Diuum Anselmum in loco ex quo eiusmodi auctoritates sunt adductæ, expresse sensisse Virginem sacram in originali peccato cōceptam fuisse, sed postea ad meliorem mentem redactum, sententiam mutasse.

Secunda solutio.

Alij vero diuersa alia procedunt via, & dicunt verba in prædictis auctoritatibus contenta, non esse Diui Anselmi docentis, sed cuiusdā sui discipuli interrogantis, cuius verba non ad modum sunt curanda,

cum

cum sæpe interroget ea quæ nec ab Anselmo admittuntur, neque illi se admittenda sunt. Quam solutionem probat Cordoua lib. 2. sui Quæstionarij quæstione 44. §. ad Beatum Anselmum, & Suarez 2. tomo ad tertiam partem, disputatione 3. sectione 5. & Ægidius lib. 3. supra citato pro defensione Virginis à peccato originali, quæstione 4. art. 2. §. 1. à num. 118. cum sequentibus, vbi latissime explicat quæ fuerint verba supradicti discipuli interrogantis, & Diui Anselmi respondentis: ex quibus colligit nihil omninò adduci posse, quod vel probabiliter probet Beatum Anselmum in ea fuisse sententia, vt crediderit Virginem sacram in originali peccato fuisse conceptam.

Tertia solutio

Alij etiam alia procedunt via, & dicunt quod licet verba quæ in argumento adducuntur, sint discipuli prædicti interrogantis, & Magistri Anselmi respondentis, siue cum illo consentientis; adhuc nihil contra sacræ Virginis puritatem & à peccato originali prædicto præseruationem probant: quia (inquiunt) intelligenda sunt (non quidem de Conceptione quæ fuit in vtero, in primo instāti infusionis animæ) sed de Conceptione quæ fuit ante animæ infusionem, in ipsa seminū cōmixtione in vtero. Non quod in semine ipso existere possit peccatum aut culpa (quia ante animæ infusionem, sicut nondum est voluntas, ita nec peccatum aut culpa in esse potest) sed pro eo quod eiusmodi semen trahit secum necessitatem, vt homo ex illo conceptus in prima animæ infusione, in culpa & peccato originali concipiatur, nisi ab eo ex speciali priuilegio per diuinam gratiam præseruetur. Quam solutionem & dicendi modum, tradit & probat Valentia 2. tomo quæstione 12. de peccatis, & expressius in quarto tom. disp. 2. quæst. 1. puncto 2. & Bellar. 4. to. contro. 2. lib. 4. ca. 16. Illam etiā probat Suarez in 3. p. D. Tho. q. 27. a. 1. & 2. disp. 3. sect. 5. §. alia testimonia, vbi ait, quod in hominis generatione oportet duo distinguere, primum ipsa Conceptio seminis, quæ merito à Patribus vocatur immunda ac peccatis subdita, quia fit cum libidine & concupiscentia, & alijs imperfectionibus ex peccato contractis, & quia ex se est veluti origo originalis peccati siue culpæ: alterum vero est corporis animatio, quæ est propria Conceptio, de qua (inquit) in præsentiarum est sermo: & hæc quãquam ex se dici possit peccato obnoxia: si tamen coniunctam sanctificationem habeat, non proprie dicitur immunda: quia per ipsam sanctificationem mundatur. Dicitur autem hæc sanctificatio proprie mūdatio & purgatio (quamvis sit etiam præseruatio) quia non solum habet pro termino à quo simplicem negationem sanctitatis, sed etiam culpam (non quæ præcessit) sed quæ futura necessario erat, nisi gratia præueniret. Propter quam causam etiam dicit, quod Sancti Patres interdum dicunt Virginem sacram fuisse mundatam & purgatam: quāquam Naziancenus non sine mysterio præpurgatam dixerit. Hæc supradictus Suarez vbi supra. Quæ etiam solutio placet Ægidio loco

Nota hoc valde de duplici Conceptione, quæ in hac re potest considerari, vna quæ fit in commixtione seminū, alia vero in fœtus animatione.

supra-

supracitato à num.125.cum sequentibus, & eam dicit non longe esse à mente & sententia D. Anselmi (quidquid in contrarium vellit Vazquez in dicta disputat.116.ca.11.num.129.& 130.) & latissime explicat Ægidius prædictus, qualiter Diui Anselmi prædicta verba accommodari quammaxime possint ad eiusmodi sensum.

Per supradicta plenissime fit satis auctoritatibus adductis ex prędicto Diuo Anselmo, addendo quod si quando in contraria fuit sententia, illam postmodum mutauit, & contrarium omnino dixit, vt latissime à nobis dictum est supra, dum eũdem adduximus ad comprobandam sacræ Virginis puritatem, vbi videri poterunt pulchra & mira quæ ad hoc propositum dixit.

Ad secũdum continens auctoritatem D. Bernardi.

Ad secundum continens auctoritatem Diui Bernardi, dico similiter quod circa eiusdem mentem & sententiam, & quid senserit de sacræ Virginis puritate, & à peccato originali immunitate siue preseruatione, magna etiam est lis & controuersia inter DD. Neq, desunt viri doctissimi qui affirmanter dicant atq; cõstanter teneant, eundem nũquã fuisse in ea opinione & sententia, vt crediderit Virginẽ sacrã in originali peccato conceptam fuisse. Ita affirmat Catherinus in primo tractatu de Conceptione Virginis prima parte cap. 7. quod & multis argumentis conatur ostendere. In eadem etiam sententia est Bellarminus tom. 4. controu. 2. lib. 4. de amissione gratiæ & statu peccati, cap. 16. & Valentia quarto tom. disp. 2. q. 1. puncto 2. & ante illos Enricus de Asia Cartusianus, libro quẽ inscripsit contra disceptationes & contrarias prædicationes quorundam, contra Immaculatã Virginis Conceptionem, qui & adeò huic ad hæsit iudicio, vt librũ etiam scripserit contra maculam, eandem ob causam Sancto Bernardo mendaciter impositam, vt docet Ambrosius Poseuinus in suo apparatu sacro, litt. H. pag. 17. a qua opinione non longe videtur ab esse etiam Cesar Baronius tomo 12. suorum Annalium, ad annum 1136. n. 15. dum dicit D. Bernardum prædictam sententiam protulisse cõtra Canonicos Lugdunenses, ac ideò eam opiniõnẽ tam acriter reprehendisse & infirmasse (licet diuersum senserit) vt quæstio ista dilligentius & accuratius examinaretur, & deferretur ad iudiciũ Sedis Apostolicæ, cui in omnibus se subiecit. Nec desunt qui dicant Epistolam prædictam scriptam ad Canonicos Lugdunenses, non esse Diui Bernardi, sed alterius Bernardi, & falso sibi impositam. E contra vero dicunt alij Doctores grauissimi, Diuum Bernardum in ea fuisse opinione & sententia, quod Virgo sacra in originali peccato fuit concepta, vt constat expresse ex supradicta epistola scripta ad Canonicos Lugdunenses, quam & esse suam fatentur libenter Canisius lib. 1. de Virgine Deipara capit. 7. & Suarez secundo tomo ad tertiam partem disp. 3. sect. 5. §. vltimo, sunt Patres qui manifeste docent hanc sententiam, & § ex Patribus qui vltimo loco refferuntur. Item constanter illud defendit Vazquez 2.

Prima solut.

Secunda solut.

tomo ad tertiam partem, disput. 117. cap. 9 num. 101. & 103. vbi dicit Diui Bernardi verba in argumento contenta pro hac sententia, quod Virgo sacra in originali peccato fuit concepta: adeò esse perspicua, vt miretur ipse quod viri doctissimi illa conentur in alium sensum adducere, siue explicare. Quod similiter dicit Salazar loco vbi supra, cap. 42. inter explicandam prædictam Diui Bernardi sententiam, & latius cap. 35. §. sexto á num. 46. cum sequentibus, vbi multis argumentis probat eiusmodi epistolam vere esse Diui Bernardi: & apertissimam fuisse eiusdem mentem contra sacræ Virginis puritatem: ita vt nullus omninò sit interpretationi locus, quemadmodum nec illam habent alia verba quæ ad idem propositum dixit idem Diuus Bernardus, quodam sequẽti sermone de Virginis Assumptione. Addit tamen prædictus Salazar, in hac tantorum Doctorum differentia & controuersia, tenendam esse prædictum Diuum Bernardum primum fuisse in ea opinione & sententia, vt crediderit Virginem sacrã in originali peccato fuisse conceptam: sed postmodũ illam mutasse, & ad opinionem nostram piam se restituisse. Ad quod propositũ refert, id quod multi auctores haud infimæ notæ narrant, nempe illum post mortem cuidam viro religione conspicuo, visendum se præbuisse candida indutum veste, sed atra turpique macula infecta, & adiecisse maculam illam ex eo sibi adhæsisse, quia in epistola ad Lugdunenses docuerat Virginem sacram non sine originali macula fuisse cõceptam, ac subinde eam quam ibi tradiderat sententiam recantasse. Aduerto tamen quod de huius visionis veritate & fide, multi meritissime dubitant, ac dicunt id prorsus esse falsum, fabulosum atque confictum, quibus & prædictus Salazar assentitur, & ex eo dicit persuasum sibi habere visionem prædictam esse commentitiam, & excogitatam ad adimendam fidem & auctoritatem supradictæ epistolæ, quam ad prædictos Canonicos Lugdunenses scripsit. Nam cum idem Diuus Bernardus viuus & sanus ante mortem suam prædicans & scribens, toties immaculatam sacræ Virginis Conceptionem prædicauerit atque defensauerit, vt certissime ipse credit, satisque constat ex omnibus illis locis quos supra adduximus ad explicandam eiusdem mentem atque sententiam: superuacaneum (inquit) fuit post mortem in angulis tentare, id quod viuus in omnium oculis & auribus adeò clare & aperte ante præstiterat. Sed quidquid sit de visione prædicta, quod Diuus Bernardus nostræ fuerit sententiæ & opinionis, quod Virgo sacra â peccato originali fuit præseruata, certo certius est, & in controuersiam adduci minime potest: nam ex locis â nobis superius adductis, licet aliqui in discrimen adducantur, an vere fuerint Diui Bernardi necne, ille tamen sermo qui de Natiuitate Christi inscribitur (& secundum Doctores Parisienses de Conceptione potius Beatæ Virginis inscribi deberet) item & alius de Beata Maria quem simili titulo decorari

Notentur valde hæc D. Bernardi verba (vt dicitur) re cuidam religione conspicuo, post suam mortem dicta.

opor-

oporteret: item & Sermones super Salue Regina, Sermones etiam de Cœna Domini: opera esse propria & germana Diui Bernardi, negare nullus omninò potest, vt quam efficacissime probat Salazar supradictus in dicto cap.35.§.6. vbi apertissime tenetur id quod dictum est, nempe Virginem sacram ab omni prorsus originalis peccati labe fuisse præseruatam, perpetuamque sanctitatem habuisse. Qua de re qui plura videre voluerit consulat Ægidium loco supracitato lib.3. quæst.4. art.2.§.2. à num.148. cum sequentibus, inter explicandum mentem atque sententiam prædicti Diui Bernardi. Quæ pro hac quæstione dicta sufficiant.

QVÆST. XIX.

An dicere sacram Virginem ab originali peccato fuisse præseruatam, satis consonum sententijs & communi modo loquendi Doctorum Scholasticorum, & expositiuorum? Et sententia quæ modo magis viget in scholis, & vniuersitatibus cunctis?

MAGNAM video aduersarios semper impendisse operam, sed & nunc haud modicum quidem consumunt seu potius perdunt olei, temporis & laboris, in recensendis & ennumerandis Doctoribus Scholasticis & expositiuis, qui suæ assentiant sententiæ & opinioni, dixerintque Virginem sacrã in originali peccato fuisse conceptam. Membranas implentes, nullũ non mouent lapidem id ipsum vt consequantur, persuasum sibi habentes, veritatem sibi magis fauere, si opinionis suæ plures patronos & assertores habuerint: quasi belli huius victoria in militum multitudine, & non potius in eorundem robore & extenuitate consistat: immemores celeberrimi illius dicti Vigetij lib.3. de re militari, asserentis: *quod multum multitudo ad necem prona est: exercitata vero paucitas, victoriam parit*. Quod cum in rebus cunctis bellis corporeis compertissimum sit, in spiritualibus ingeniorum disceptationibus & controuersijs, quammaxime verum habet: in quibus non tam haberi debet respectus ad auctorum siue Doctorum copiosam multitudinem, quam ad eorundem auctoritatem, sapientiam siue dignitatem: rationesque fortissimas solida ac firma fundamenta, quibus in his quæ hactenus determinata aut diffinita non sunt de fide, ipsorum sententiæ & opiniones nituntur. Hæc propterea dixerim, quia Caietanus & omnes com-

Sacra Virginis Conceptionis aduersarij magnam impendunt operam, in recensendis auctoribus, qua vere vel falso sua videantur cõsentire sententia & opinione.

muniter Thomistæ, sed præsertim Bandellus, supra citato illo libro perniciosissimo suo quem contra sacræ Virginis puritatem, & â peccato originali immunitatem siue præseruationem scripsit, â capit. 8. vsque ad 26. plures atque innumeras reffert Sanctorum & Doctorum Scholasticorum & expositiuorum auctoritates, quæ (vt ipse credit) suæ astipulantur sententiæ & opinioni: cum tamen reuera (si bene inspiciantur) nihil minus sit à veritate alienum, vt iam ex parte satis constat ex dictis â nobis in præcedenti quæstione, vbi Sanctorũ omnium Patrum auctoritatibus â Bandello pro sua, contra sententiã & opinionem nostram adductis, plenissime satisfecimus, & congruẽtissimas adhibuimus solutiones, quibus aperte monstrauimus eosdem, hac in re vel in communi & in generali tantum fuisse loquutos, dicẽtes quod tenendum erat stando in iure communi, mentem atque sententiam eorũdem explicantes: aut postmodum ad meliora reductos, mentem & sententiam mutasse, & potius nostræ quam aduersariorũ sententiæ adhæsisse. Gloriatur atque blanditur sibi Bandellus prædictus, quammaxime libro prædicto suo, in Auctorum & Doctorum copiosissimo numero, obruere quasi nos voluerit eorundem multitudine, adeò vt pro re magna habuerit, ac veritus non sit titulum eidem præmittere, *Hic liber ducentorum & sexaginta Sanctorum, ac Doctorum præclarissimorum, Virginem Mariam in originali peccato fore conceptam dicentium, continet dicta: sic cogentia vt quisquis ea sinceriter relegere voluerit, puto (velit, nolit) tantorum virorum potius quam proprias amplecti cogetur sententias. Editus est autem per Reuerendissimum Patrem Fratrem Vincentium Bandellum de Castro Nouo, sacræ Theologiæ professorem egregium, ac totius Ordinis Prædicatorum Magistrum dignissimum.* Expendite (quæso) viri aliàs religiosi, extollentiam, iactantiam & arrogantiam (vt ne seueriori alia illum censura percellam.) Cum autem ipsa me docẽte experientia certo didicerim, quam sint nullius ponderis ac momenti quæ interdum ab eodem Bandello dicuntur: cauteque eundem fore legendum, vtpotè qui Doctorum (quinvero & Sanctorum Patrum testimonia) ad suum ipsius propositum multoties immutare soleat, nec fideliter illa refferat (vt etiam breuitati studeam) in præsenti quæstione Doctorum Scholasticorum & expositiuorum auctoritates quæ ab illo pro prædicta sua sententia & opinione adducuntur, ad litteram haudquaquam adducere volui, contentus ipsorũ numerum retulisse: qui quãvis copiosissimus satis sit, haudquaquam tamen sufficiens, vt sententiam & opinionem nostram mutare valeat, aut in id nos cogere siue compellere possit, cum illorum multi (vt statim dicemus) pallinodiam (vt dicitur) postea recantauerint, & â semel cepta opinione retrocesserint, seu non fideliter â Bandello prædicto referantur: aut potius nostræ faueant sententiæ & opinioni, quam contrariæ, vt amplius constabit ex dicendis in sequenti Conclusione.

Notetur arrogantia & iactantia Bandelli in titulo sui libri, quem contra sacræ Virginis puritatem inscripsit.

Con-

Conclusio.

DICERE Virginem sacram ab originali peccato fuisse præseruatam, multum est consonum sententijs & communi modo loquendi Doctorum Scholasticorum & expositiuorum, & est sententia quæ modo magis viget in Scholis, & Vniuersitatibus cunctis. Hæc conclusio non aliter potest probari, quam afferendo Doctorum eorundem auctoritates, veraque testimonia quæ protulerunt de sacra Virgine, & de sua puritate, & ab omni originalis peccati immunitate.

Dicere B. Virginem à peccato originali præseruatam fuisse, multū est consonum sententijs, & communi modo loquendi DD. Scholasticorum & expositiuorū, & est sententia, quæ modo magis viget in scholis, & vniuersitatibus cunctis.

1. Exeat Sententiarum Magister, pro sua sententia & opinione loco vbisupra, allatus à Bādello prædicto, qui in tertio sentent. distinct. 3. quæst. 1. de Christo Domino & ipsius sanctissima Matre loquendo, huiusmodi profert testimonium. *Sane* (inquit) *dici potest, & credi oportet, iuxta Sanctorum attestationis conuenientiam, ipsam carnem Filij Dei antequam conciperetur peccato fuisse obnoxiam in Maria, sicut reliqua Virginis caro: sed postmodum Spiritus Sancti operatione superueniente, ita mundatam fuisse, vt ab omni peccati contagione immunis vniretur Dei Verbo: pœna tantum (non necessitate sed voluntate assumentis) remanente. Mariam quoque totam Spiritus Sanctus in eam aueniens à peccato prorsus purgauit (vt quibusdam placet) & à fomite peccati liberauit, vel fomitem ipsum penitus euacuando, vel sic debilitando & extenuando, vt ei postmodum peccandi occasio nullatenus extiterit. Potentiam quoque generandi, absque viri semine Virgini præparauit: ita enim verba Euangelij docent, vbi Angelus Virginem alloquens ait. Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, & quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei. Cui sacra Virgo respondit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum. Quod & exponens Ioannes Damascenus ait. Post consensum autem sanctæ Virginis, Spiritus Sanctus peruenit in ipsam secundum Verbum Domini quod dixit Angelus, purgans ipsam, & potentiam Deitatis Verbi receptiuam præparans, simul autem & generatiuam: & tunc obumbrabit ipsam Dei Altissimi per se sapientia & virtus existens, id est Filius Dei Patris, homousios (id est consubstantialis) sicut diuinum semen, & copulauit sibi ipsi ex sanctissimis & purissimis ipsius Virginis sanguinibus, nostræ antiquæ conspersionis carnem animatam anima rationali & intellectiua. Non seminans, sed per Spiritum Sanctum creans. Quare simul caro, & simul Dei caro. Simul caro animata, rationali & intellectiua, simul Dei Verbi caro animata anima rationali, & intellectiua.*

Sententiarum Magister.

Hæc Magister. Post quæ ex proprio suo marte, subdit: *Ex his perspicuum fit quod antea diximus, carnem scilicet Verbi, simul conceptam & assumptam, eandemque, imo totam Virginem, Spiritu Sancto præueniente, ab omni labe peccati castificatam.* Hæc sunt expressa atque formalia, Magistri verba: qui floruit circa annum 1145. Ex quibus verbis Bandellus prædictus,

Probatur efficacissimeque quod prædicto in loco Sententiarum Magister non loquatur de mundatione sacræ Virginis à peccato originali.

cæterique DD. Thomistæ, colligunt de mente ipsius Magistri, Virginem sacrã in originali peccato conceptã fuisse. Sed quod hoc non ita sit, nec ex eiusmodi verbisquidpiam tale inferri possit, probatur (meo quidẽ videri) efficacissime atq; euidẽtissime, ex his quæ à nobis dicta sunt in quinto notabili præcedẽtis quæstionis. Nam Magister loco citato (vt expresse constat ex eiusdẽ verbis) loquitur de mundatione, purgatione siue castigatione sacræ Virginis, facta tẽpore Incarnationis Christi Domini, cum Spiritus Sanctus in eandem superuenit, & Angelus gratia plenam illam esse dixit: & tamen Fides Catholica docet Virginem sacram multo ante Natiuitatem suam, & suum ortum ex vtero fuisse sanctificatam: non igitur Magister ibidem loquitur de mundatione, purgatione siue castigatione ab originali labe, quam Virgo sacra tunc temporis haberet: nec ipsam in originali peccato fuisse cõceptam, de mente & sententia ipsius ex talibus verbis potest colligi. Quod & præterea ex inde colligitur, quia Magister ibidẽ non solum sacræ Virginis carnem, verum & carnem ipsius Christi Domini, mundatam atque castigatam esse dicit: ex quo fit consequẽs, quod non loquitur de mundatione ab originali labe, sed de alio mũdationis, purgationis siue castigationis genere à superius dicto. Alia multa ad idẽ propositũ possem adducere, quæ breuitatis gratia faciomissa, vt videantur apud Salazar libro suo pro Immaculatæ Deiparæ Virginis Conceptione c.41.can.4.n.28.& latius ca.42.in 12. sæculo inter explicandũ mentẽ & sententiã Magistri, vbi & dicit persuasum sibi habere, Sententiarũ Magistrũ piæ nostræ astipulari sententiæ & opinioni, postquã in sequẽti §. ita subdit. *Quod autẽ sacra Virgo ex tunc ab omni peccato immunis extiterit, Augustinus euidẽter ostendit in libro de natura & gratia, inquiens: excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorẽ Domini, nullã prorsus cũ de peccatis agitur habere volo quæstionẽ. Inde enim scimus quod ei sit plus gratiæ collatum, aduincendũ ex omni parte peccatũ, quod concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes Sancti & Sanctæ congregari possent, & quæreretur ab eis, an peccatũ haberent, quid responderetur, nisi quod Ioannes ait: Si dixerimus quia peccatum nõ habemus, nos ipsos seducimus. Illa autem Virgo, singulari gratia præuenta est atque repleta, vt ipsum haberet ventris sui fructum, quem ab initio habuit vniuersitatis Dominum: vt illud quod nascebatur ex propagine primi hominis, tantummodo generis, non criminis origine duceretur.* Quibus in verbis quammaxime ad notandum est, quod aduersarij vt Magistrum prædictũ (quinvero & Diuum Augustinum) in suam trahant sententiam & opinionem, magni momenti esse dicũt verbum illud *ex tunc*, quasi eo innuere & insinuare voluerit Sententiarum Magister, sacræ Virginis immunitatem à peccato à tempore Incarnationis incoatam fuisse. Sed absit à fidelium cordibus, & à cuiuslibet viri sapientis mente, quod talis ac tantus Magister hac in re ita ab scopo aberrauerit, vt putauerit

Virgi-

Virginem sacram, in originali peccato vsque ad illud tempus perstitisse. Quis vnquam tale dixit? aut quomodo id stare potest cum Virginis sanctificatione ante eiusdem natiuitatem facta, quam tota tenet Ecclesia, neque illam aduersarij vllo modo negare possunt? Mens igitur Magistri fuit, dum Diui Augustini auctoritatem adducit, argumentum quoddam conficere, vt dicitur veluti à maiori ad minus, quasi expressius diceret: Virginem *ex tunc* (id est ex quo Spiritus Sanctus in illam superuenit) ab omni peccato immunem fuisse. Certo certius est. Quinvero & Augustinus aliquid maius docet, postquã dixit, quod propter honorem Domini cum de peccatis agitur, nullam prorsus de illa habere volebat quæstionem. Inde (inquit) enim scimus, quod ei plus gratiæ sit collatum aduincendum omni ex parte peccatum, quod concipere acparere meruit, eum quem constat nullum habuisse peccatum. Voluit igitur Magister insinuare de mente Augustini, Virginem sacram ab omni semper peccato (etiam originali) immunem fuisse: ac proinde nihil mirum, si ex speciali ratione tempore incarnationis ab eodem immunis extiterit. Quam etiam fuisse ipsius mentem atque sententiam, satis indicant subsequentia verba, quibus dixit. *Illa autem Virgo sacra singulari gratia est prauenta atque repleta, &c. vsque vt illud, quod nascebatur ex propagine primi hominis, tantummodo generis, non criminis origine duceretur, seu potius originem haberet.* Quod etiam fuit ac si expressius dixisset. Ideò Virginem sacram ad propulsandum peccatum singulari Dei gratia præuentam atque præmunitam fuisse, vt plane constaret Christum ex (illa generis) non vero criminis originem ducere. Sensit ergo Sententiarum Magister, eam ab omni semper peccato immunem fuisse, atque originali culpa omninò caruisse. Nam & hoc necessarium fuit, ad hoc vt plane constaret Christum Dominum ex Virgine, generis (nõ vero criminis) originem duxisse. Neque enim ad id sufficiebat eandem post suam Conceptionem fuisse sanctificatam: nam lex transfusionis originalis peccati à parentibus in filios, nõ tollitur per id quod peccatum eorum originale contractum, postea infusa diuina gratia sit deletum: nam certum est quod quamvis Pater per Baptismum ab originali peccato sit ablutus, filium nihilominus eodem infectum atque maculatum generat. Vt igitur constaret ex Magistri sententia, Christum Dominum ex Virgine sacra generis tãtum, non vero criminis originem duxisse, necessum certe fuit vt & ipse crederet, ac ita recte sentiret, originali peccato (quod solum ad transfusionem est aptum) eandem semper omninò caruisse? Secutus est enim Magister ibidem communem Sanctorum antiquorum Patrum sensum, qui immunitatem à peccato in Christo Domino, non solum ob diuinitatis consortium, & rationem vnionis hypostaticæ ponendam esse diiudicarunt, verum etiam & ex proprio humanitatis iure, vtpote quia ex Matre omni omninò labe carente, originem duxisse

xisset:ita vt nihil omninò in ipso esset, ratione cuius (præcisa etiam diuinitatis sanctitate) originali peccato subiaceret. Hoc argumētum eleganter atque latissime prosequitur prædictus Salazar vbisupra clarissime, id ostendendo & monstrando, ex verbis quæ dicit Magister prædictus in tota illa quæstione tertia, qua quærit de verbi carne, an prius quam conciperetur obligata fuerit peccato, & an vt talis assumta fuerit à Verbo? Vbi aperte negat in carne Christi prædictam præfuisse peccati obligationem. Quod probat sequenti argumento, Quia fundamenta obligationis quibus homines peccato originali astringuntur duo sunt: primum originale peccatū quod in parentibus præfuit. Secundum vero, quod ab illis per naturalem propagationem generatur. Sed (inquit Magister) vtrumque fundamētum in carne Christi Domini non fuit inuentum: bene ergo suum sequitur intentum, nempe quod nullum habuit peccatum originale, neque ipsius caro fuit obligata peccato. Minorem autem argumenti prædicti sic probat. Non primum, quia Virgo sacra (aqua genitus est) ab omni semper peccato originali immunis fuit. Non vero secundum, quia non naturali propagatione, sed de Spiritu Sancto ab ea fuit Conceptus. Bene igitur sequitur, quod Christi Domini caro nulla ex parte fuit obligata peccato. Optima quidem consequentia, & quæ meo videri negari minime potest. Ex quibus omnibus facile cuiuis constare poterit, qualiter sententiarum Magister, prædicto in loco non fuerit contra nos: quinvero nostræ sententiæ & opinioni omninò adhæserit, quidquid in contrarium Aduersarij dicant.

Alexander Alensis.

2. Succedat loco irrefragabilis Doctor Alexander Alensis, qui floruit circa annum Domini 1249. allatus à Bandello prædicto loco supracitato cap. 25. pro sua sententia & opinione, in tertia parte suæ Summæ, seu potius in tertio Sententiarum dist. 3. quæst. 9. vbi agit de sanctificatione Virginis, art. 1. cum sequentibus. Sed quamvis ibidem dixerit Virginem sacram in originali peccato conceptam fuisse, postmodum vero santificatam: postea tamen ad meliorem mentem redactus, ab ea sententia recesit, illamq; retractauit, occasione (vt dicitur) cuiusdam miraculi. Cum enim eandem originalis peccati labe fuisse fœdatam, dictare publice pararet, vi cuiusdam morbi subito ingruentis in contrariam sententiam inductus est, à quo etiam voto emiso de tuenda & defendenda sacræ Virginis Conceptione, diuinitus recreatus, libellum edidit de purissima sacræ Virginis Conceptione, super illa verba Canticorum 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quæ quidem verba (vt dicitur) passim proclamare postea solitus fuit, animamq̀ue sequentia proferendo verba exhalauit. *O Maria Domina mea, tota pulchra & formosa es, & macula originalis aut actualis, in te nunquam fuit.* Cuius miraculi necnon & libri ab Alexandro prædicto editi, mentionem facit Guillermus Borrillonus in 3. sentent. dist. 3. & Pelbartus in lib.

Notetur hoc valde, circa cōuersionē Alexandri Alensis, ad tuendā & defendendam sacræ Virginis immunitatem.

lib.4.sui Stellarum, Mauricius de Villaprobata, libro de corona Virginis sermone 5. Antonius Cucarus in secunda parte sui elucidarij, Ioannes de Zelaya in 3. sent. dist. 3. & Bustos serm. 4. de Conceptione in tertia parte sermonis, vbi & dicit eiusmodi librum etiam nunc reseruari Tolosæ, Cathenatum in choro Ecclesiæ Cathedralis, & quod ibi probat Alexander prædictus Virginem Deiparam ab omni prorsus originalis peccati labe fuisse præseruatam, & rescindit atque retractat, quidquid contra hoc in 3. sent. dist. 3. dixerat. De miraculo prædicto ampliorem facit mentionem idem Bustos, in officio quod composuit de prædictæ sacræ Virginis Conceptione, in octauo die lectione 4. videatur ibidem.

3. Loco succedat Albertus Magnus (vt dicitur D. Thomæ Magister) à prædicto Bandello etiam pro sua sententia & opinione citatus, loco vbi supra, cap. 22. qui floruit anno Domini 1232. sub Celestino Quarto. Qui quidem Albertus Magnus licet in 3. sentent. dist. 3. dixerit, Virginem sacram originale peccatum contraxisse, nec sanctificatam fuisse ante Conceptionem, nec in Conceptione, sed post Conceptionem: & in contrarium sentientes seuere nimis se gesserit: in ea tamen sententia minime constans fuit: quinvero postea à se ipso dissentiens, in libro quem de Mariæ Laudibus edidit, Immaculatam suam Conceptionem fuisse dicit, cuius testimonium reffert Canisius lib. 5. de Maria Deipara cap. 27. & verba ipsius post alia sunt quæ sequuntur. *Hæc enim Virgo sola à communi illa regula excipitur, omnes in Adã peccauerunt.* De quo testimonio videatur Salazar iampluries citatus libro de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione, cap. 42. in 13. sæculo, explicando mentem & sententiam eiusdem Alberti Magni, vbi ait, quod vt testimonio prædicto præstetur fides pro his qui illud minus credunt: ipse testatur & protestatur se illud legisse in libro prędicto, qui asseruatur Murciæ in Bibliotheca Minorum Fratrum. Albert. Mag.

4. Loco succedat Diuus Thomas Angelicus Doctor, à Bandello prædicto etiam pro sua sententia & opinione citatus, qui floruit circa annum 1266. sub Gregorio Decimo: qui quamvis in quampluribus suæ doctrinæ locis, sed præsertim in 3. sent. dist. 3. quæst. 1. artic. 1. & & 2. & in tertia parte quæst. 27. art. 2. & quodlib. 6. quæst. 4. artic. 1. expresse docuerit Virginem sacram in originali peccato fuisse conceptam, haudquaquam tamen in ea sententia perseuerauit, constans ve fuit: quinvero multoties varius repertus (vt dicitur) illam postmodum retractauit. Qua de re à Doctoribus adducitur testimonium cuiusdam Doctoris Ioannis Vitalis, tractatu de pura Conceptione, de quo meminit Bustos sermone 4. de Conceptione Virginis Mariæ, vbi affirmat se vidisse librum retractationis Diui Thomæ, de eo quod dixerat in 3. sententiarum contra Conceptionem Dei Matris. Et idẽ Bustos sermone 7. de Conceptione parte prima, narrat visionem D. Thomas.

quandam factam cuidam Domino Fantino, Episcopo Patauino: nam cum deuotus legeret tertiam partem Diui Thomæ, & articulum illũ in quo Doctor Sanctus Virginem sacram in originali peccato conceptam fuisse dixit, mirarique cœpisset quod tantus Doctor, tamque sacræ Virginis studiosus, de ipsius Conceptione rigidam adeò censuram tulisset, & determinasset quod Beata Virgo in originali peccato fuerit concepta: apparuit ei prædictus Diuus Thomas, dixitque illi. *Scias Domine Episcope, quod quando talem opinionem posui, solum habui respectum ad diuinum statutum, quo Beata Virgo peccatum originale contrahere debuerat, nisi per filium suum præseruata fuisset: sed nunc iam vere scio quod Dei Filius Matrem suam ab originali macula præseruauit.* Et his dictis disparuit visio. Et addit supradictus Bustos, quod ipse Episcopus quoad vixit cum magna solemnitate festum Conceptionis celebrauit, & in Episcopatu suo celebrari præcepit, & quod licet in eius vita hæc ipsius visio non fuerit alijs publicata, tamen post mortem suam Frater Nicolaus de Padua, Ordinis sacri nostri Minorum professus, tunc autem eius Vicarius & Doctor, omnia hæc fidelissime exposuit: asserens se à prænominato Episcopo hanc visionem, non sine magna lachrymarum effusione narrante, proprijs auribus audiuisse. Hæc vbi supra. Sed quidquid sit de visionibus & reuelationibus (nam hæc etiam infra proprium suum habebunt locum) certissimum est, & omni dubio procul, quod prædictus Diuus Thomas in hac materia de Conceptione Beatæ Virginis, haudquaquam semper fuit constans: quinvero multoties varius, & à se ipso discordis & dissentaneus: & in multis suæ doctrinæ locis expresse nostram sententiam & opinionem tenuit. Nam supradictus Bustos in dicto officio quod de sacræ Virginis Conceptione composuit, & per Sixtum Quartum fuit approbatum, in lectione prima diei octaui, ex opusculo octauo Sancti Thomæ de expositione salutationis Angelicæ, in exaltationem sacræ Virginis Conceptionis, sequentia verba producit. *Maria purissima fuit quãtum ad omnem culpam: quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* Quem etiam locum ex eodem Diuo Thoma, reffert Canisius lib. 1. de Maria Deipara cap. 6. & Salmeron super epistolã ad Romanos disput. 51. vbi ait Cardinalem à Turrecremata auctorem nobilissimum inter Thomistas, supradicta verba recognouisse esse Diui Thomæ propria, suoque calculo illis subscripsisse, & id ipsum confirmasse, quamvis modo non reperiantur in loco prædicto: quinvero expresse dicatur Virginem sacram originale peccatum contraxisse. Quapropter non merito existimari potest, opusculum illud temere fuisse postea vitiatum, ab his qui adeò ægre ferunt eandem à prædicto originali peccato præseruatam fuisse. Quod factum reperitur similiter fuisse de alio eiusdem Diui Thomæ loco super epistolam ad Galatas cap. 3. explicando illa verba, *Abraha dicta sunt promissiones Patrum.*

De apparitione D. Thomæ cuidam Episcopo Fantino, & quæ illi dixit.

Adducuntur multa D. Thomæ testimonia quibus Virginem sacram ab originali peccato præseruatam fuisse dixit.

trum, & semine eius. Non dicit & seminibus quasi in multis, sed quasi in vno, & semine tuo qui est Christus. Super quæ dicta verba lectione 6. dicit prædictus Diuus Thomas, *Virum de mille vnum reperi (scilicet Christum) qui esset sine omni peccato. Mulierem autem ex omnibus non inueni quæ à peccato omninò immunis esset, ad minus originali & veniali.* Post quæ addit, *Sed excipitur purissima & omni laude dignissima Virgo Maria.* Hæc Diuus Thomas ibidem, vt constat ex impressione Parisiensi, facta in officina Honesti viri Ponceti Tepreux sub signo Lupi, via ad Diuum Iacobum anno 1541. cuius quidem impressionis originalia habentur multis in locis, & vnum ipsorum seruatur apud nos minores fratres hic Salmáticæ. Aliud vero (vt dicitur) Compostellæ, aliud etiam Hispali. Quinvero Henriquez lib. 3. de Sacramento Confirmationis, capit. 11. in Glossa littera M. affirmat, se in antiquissimis Codicibus supradicta omnia verba, vt posita sunt deprehendisse. Et tamen videmus in Codicibus quibus hodie vtimur esse deprauata & vitiata, & ab ipsis sublata supradicta exceptio, qua dicitur quod ab illa generali regula excipitur purissima & omni laude dignissima Virgo Maria. Quod si id ita est, quid quæso dolendum magis, quàm quod verba expressa è Doctorum Codicibus subtrahantur, vt ne de mente & sententia prædicti Diui Thomæ, sacræ Virginis puritas, & â peccato originali immunitas possit comprobari? O quidem magnum facinus, & res summis lachrymis deploranda!

Sed veniamus ad alia testimonia magis aperta & certa, nulloque modo litigiosa. Idem Diuus Thomas in primo sentent. distinct. 17. quæst. 2. art. 4. nostræ sententiæ & opinioni fauens, cum obiecisset sibi illa Anselmi verba: *Decuit Beatam Virginem ea puritate nitere qua maior sub Deo nequit intelligi:* in solutione ad tertium ita occurrit. *Ad illud quod obijcitur de Beata Virgine, dicendum est, quod differt puritatis & charitatis augmentum: augmentum enim puritatis est secundum recessum à contrario: & quia in Beata Virgine fuit depuratio ab omni peccato: ideò peruenit ad summum puritatis sub Deo tamen, in quo non est aliqua potentia deficiendi, qua est in qualibet creatura quantum inse est.* *Idem D. Tho.*

Idem Diuus Thomas in eodem primo sentent. dist. 45. quæst. 1. art. 3. ad tertium, ita scribit. *Puritas intenditur per recessum à contrario, & ideò potest aliquid creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, & nulla contagione peccati inquinatum sit: & talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ à peccato originali & actuali immunis fuit. Fuit autem sub Deo, in quantũ erat in ea potentia ad peccandum.* Quid (quæso) amplius, clarius expressiusve, dici vnquam potuit? Prædictis Diui Thomæ auctoritatibus dicunt atque respondent aduersarij duo. Primo maiorem fidem mereri Diuum Thomam in summa siue in partibus, quam in sententiarijs: nam summam natu grandior cum esset Doctor siue Magister, rebusque iam penitius consideratis scripsit: commentaria vero in sen- *Idem D. Tho.* *Quid testimonijs prædictis aduersarij respondeant?*

tentiarum libros dum erat iunior, ac dumtaxat baccalareus. Secundò quod id quod prædictus Diuus Thomas dictis in locis, ex primo libro sententiarum adductis dixit: post modum in tertio earundū sententiarum libro, grandior effectus retractauit. Sed è contrario ex nostris haudquaquam desunt qui dicant, maiorem sibi deberi fidem in his quæ in sententiarijs dixit (maxime in fauorem purissimæ sacræ Virginis Conceptionis) quia re vera Angelicus Doctor vtramq; opinionem semper probabilem reputauit, & nunc vni, nunc vero alteri sententiæ adhæsit, prout sese offerebat occasio, & quia in rebus dubijs illa opinio amplectenda est, quæ in fauorem Virginis magis facit: *Iuxta legem semper in dubijs, l. in re dubia, l. quoties dubia, & l. in obscuris, ff. de reg. iuris, & iuxta l. fin. C. qui bo. ce. pos. facit, & cap. fin. de translat, vbi habetur quod in rebus dubijs semper debemus fauorabiliorē partem accipere. Facit, & cap. odia. de regulis iuris, lib. 6. & lege cum quidam, ff. de liberis & posthumis,* vbi dicitur, *odia esse semper restringenda, fauores vero ampliandos.* Et ad id quod dicitur de sententiarum libris, dicunt quòd Diuus Thomas prius commentauit super tertiū sentent. quam sup. 1. & quod in primo multa correxit quæ in 3. sentent. dixerat. Addunt etiam ad idem, quod primum sententiarum librum ratione maioris subtilitatis in eo contentæ, in primum atque secundum diuisit. Atque ita non valet argumentum, quando dicitur quod in tertio libro sententiarum correxit, quod in primo minus conuenienter dixerat: nam è contra res se habuit, & super primum posterius scripsit, & in eo emendauit & retractauit multa quæ dixerat in tertio. Sed quidquid de hoc sit, negari minime potest, quod commentaria quæ fecit Diuus Thomas super prædictam epistolam ad Galatas, quibus sacram Virginem à peccato originali immunem fuisse dixit, non quidem iuuenis aut dū esset Baccalaureus, sed natu grandior, & factus iam Doctor siue Magister scripsit, vt dicunt omnes Doctores communiter. Sicque aduersarij nullum aliud habuere remedium (grande nefas) quam superius citata verba ex ipsis subtrahere: ipsi videant, & certe videbunt qui talia facere ausi sunt, in diuino iudicio.

Reprobatur huiusmodi solutio siue potius euasio.

Notetur hoc valde.

S. Bonauent.

5. Loco succedat Diuus Bonauentura Seraphicus Doctor, qui floruit circa annum 1265. & à Bandello prædicto loco etiam vbi supra cap. 24. pro sua sententia & opinione citatur, in 3. sentent. dist. 3. artic. 2. quæst. 1. & 2. qui quidem quamvis ibidem, necnon & in speculo aliqua dixerit (vt videtur) contra sacræ Virginis puritatem, & decreuerit eandem in originali peccato fuisse conceptam: idque ipsum multis rationibus & argumentis contenderit probare: haudquaquam tamen in eiusmodi sententia diu perseuerauit: quinvero postea illam expresse mutauit: vt constat ex verbis eiusdem Sermone secundo de Beata Maria, qui habetur tomo 3. de Sanctis in communi, vbi post alia in sequentia verba prorupit. *Dico primo quod Domina nostra fuit*

plena:

plena gratia praueniente in sua sanctificatione: gratia scilicet præseruatiua, cōtra fœditatē originalis culpæ, quā contraxisset ex corruptione naturæ, nisi speciali gratia præuenta, præseruataq; fuisset. Solus enim Filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, & ipsa mater eius Virgo. Credendū est enim quod nouo sanctificationis genere in eius Cōceptionis primordio Spiritus Sanctus eam à peccato originali (nō quod infuit, sed quod infuisset) redemit atque singulari gratia præseruauit. Hæc prædictus Diuus Bonauentura. Quibus plane verbis Virginis sacræ libertatem, puritatem atque immunitatem ab originali culpa satis declarauit: quamvis non desunt etiam qui dicant sermonem prædictum non esse Diui Bonauenturæ, sed temere quidem id dicitur, quia styllus est eiusdem, & auctoritas Sixti Quinti qui quam accurate fecit ipsius opera euentilari & purgari, prædictum sermonem esse suum manifeste conuincit. Facio missam apparitionem quandam quæ refertur in libro quodam cui titulus *Dormi secure*, vbi habetur. *Quod cum Parisijs Frater quidam sacri nostri Minorum Ordinis, Deipara Virginis quammaxime studiosus & deuotus, in profundissimo noctis silentio precibus ac mentali orationi in choro vacaret: inter orandum muscæ mussantis dissonum bombum sæpius audiuit, quo perterritus atque adiuratione facta per Deum illi per contatus est, sibi vt diceret qui nam esset qui eiusmodi bombum toties iteraret. Cui ille, ego sum (inquit) Frater Bonauentura. E contra vero ipse. O eximie atque sapientissime Magister, quid hic agis? Enuntia mihi si placet, quid bombus iste à me toties exauditus significet? Cui Diuus Bonauentura: quia doctrinam tradidi quā sustinui ac serio defendi, Virginem sacram in originali peccato fuisse conceptam: ea propter purgatorij angores super hoc Virginis altari sustinere ac tollerare cogor, quas mei delicti pœnas cum exsoluero, ad cœlum excoctus statim euolabo.* Hæc auctor libri prædicti. Quæ an vera, an commentitia sint, iudicem agere nolo. Quamvis ex parte commentitia esse appareant, ac prorsus dicta absque vllo fructu: cum (vt prædictum est) Seraphicus Doctor quæ in tertio sententiarum contra immaculatam sacræ Virginis Conceptionem dixerat, in dicto Sermone secundo de Virgine Deipara, iam prius viuus & sanus libentissime emendauerit atq; retractauerit.

De apparitione facta cuidā Fratri nostro à D. Bonau.

6. Loco succedat noster Subtilis Scotus, qui floruit circa annum 1300. & fuit Maximus atque præcipuus. Immaculatæ Conceptionis sacræ Virginis propugnator & defensor, & sua auctoritate & doctrina, piæ nostræ sententiæ tantam fidem comparauit, quantam nullus alius ante ipsum, neque post ipsum. Qui quidem in tertio sententiarū dist. 3. quæst. 1. & clarius & absque vlla formidine distinct. 18. quæst. vnica §. hoc visso. Et in reportatis, Virginem Deiparam à peccato originali defendit immunem semper fuisse, eamque sententiam & opinionem Parisiensibus ita persuasit, vt censuram quam prius, tempore Alberti Magni Doctoris & Magistri illius Academiæ toto orbe celeberrime, contra ipsam tulerāt, prorsus reuocauerint, rescinderint,

Subt. Doctor Scotus.

& cassam ac nullam esse voluerint. Vt enim inquit Bustos in officio de Conceptione Virginis supracitato, in lectione quarta primæ diei, Scoti tempore religiosi quidam in tantam huius quæstionis altercationem proruperunt, vt Ordinis nostri Minorum Fratres Hæreticos affirmarent, quia Deigenitricem sine originali macula conceptam in suis prædicationibus affirmabant atque protestabant. Qua de re Apostolico iussu in Parisiensi studio publica disputatio indicta est, ad quam cum accusatores cum innumeris pene sui ordinis Doctoribus conuenirent, ad tuendum & protegendum suæ Matris honorem & dignitatem, inquit prædictus Bustos, quod Dominus noster Iesus Christus Scotum prædictum nostri Minorum Ordinis eo tempore Doctorem eximium, ad ciuitatē illam protinus destinauit: qui quidem illic cum aduenisset, aduersariorum argumentis, fundamentisque omnibus inconuencibili sermone confutatis, ita Conceptionis Deiparæ Virginis innocentiam clarissime comprobauit, quod omnes illi Fratres subtilitatem eius plurimum admirati, obmutescentes in disputando defecerunt. Quapropter ex tunc prædicta Parisiensis Academia Scoti eiusdē sententiā approbauit, atque decreuit vt opposita in illis scholis nullo modo publice posset legi. Quæ Scoti sententia breui temporis spatio eo vsque exercuit, tantasque vires suscepit, vt vt paucorum annorum interstitio, Academiæ Parisiensis decreto, nullus gradum siue lauream Doctoris omninò posset accipere, qui non prius iure iurando ad defendendam immaculatā sacræ Virginis Conceptionem se obtrinxisset, & eadem facultas se se huic festo quot annis celebrando voto deuouit. Cuius quidem decreti ac voti causam, fuisse prædictum Scotum Doctorem Subtilem, tradit Antonius Cucarus in Elucidario Virginis, parte secunda, & Pelbartus lib. 2. sui stellarij parte prima artic. 3. vbi postquam, refert eundem Scotum à Parisiensi Academia fuisse accersitum, vt suæ sententię atque opinionis rationem redderet: *Inquit quod cum ducentena argumenta illi fuissent obiecta, ea omnia memoria retinuit, ac singulis tanta verborum & sententiarum vbertate satisfecit, vt omnes astantes in suam sententiam traxerit, & in admirationem commouerit: ita vt & Subtilis ab omnibus cœperit proclamari, ac victoris & Subtilis nomen deinde semper tulerit.* Hæc vbi supra.

Nota valde pro eximia ingenij facundia ac subtilitate nostri Subtilis Scoti.

Guillermus Barro.

7. Loco succedat Frater Guillermus Barro, Maximus Theologus nostri sacri Ordinis Minorum, & Scoti Magister, qui & propterea ante ipsum præmittendus fuerat, sed parum id refert. Prædictus igitur Magister Barro, in tertio sentent. distinct. 3. eandem nostram sententiam docuit, vt refert Bustos sermone quarto de Conceptione parte tertia, nempe sacram Virginem ab omni originalis peccati labe fuisse præseruatam: dicereque erat solitus. *Quod si deberet errare, potius volebat errare in abundantia laudis Virginis Mariæ, quam in diminutione eiusdem.* Prudens quidem atque cordata resolutio.

8 Loco

8. Loco succedat Frater Augustinus de Ancona, Ordinis Heremitarum sancti Augustini Scoti Coetaneus, qui floruit anno 1310. & in commentarijs quæ fecit ad Canticum Beatæ Mariæ Virginis, eandem ab originali peccato immunem fuisse expresse tradit, vt refert Salazar loco supracitato, cap. 42. in 14. sæculo. *Augustin. de Ancona.*

9. Loco succedat Fratar Ioannes Bacchon, insignis etiam Magister & Doctor Carmelitarum Ordinis, qui floruit etiam per id tempus, & in tertio sententiarum dist. 3. quæst. 4. art. 1. 2. & 3. & quodlibeto 3. quæst. 13. eandem nostram sententiam defendit, dicitque eam esse expressam Diui Anselmi, probatque id ipsum multis rationibus & argumentis quæ videri poterunt ibidem. *Ioan. Bachon.*

10. Loco succedat Ricardus ne Media-Villa, Doctor etiam Parisiensis, nostri sacri Ordinis Minorum, qui quamvis à Bandello præ dicto loco vbisupra, cap. 24. pro sua sententia & opinione citetur & afferatur, dicatque ipsum in tertio sententiarum distinct. 3. & in quarto sententiarum distinct. 43. Virginem sacram in sua Conceptione originalē peccatum contraxisse: vt tamen dicit Bustos sermone quarto de Conceptione Virginis, parte 3. in expositione salutationis Angelicæ, reuocauit opinionem quam prius tenuerat, contra sacræ Virginis Conceptionem, & piæ sententiæ & opinioni adhæsit. *Ricard. de Media villa.*

11. Loco succedat Frater Petrus Aureolus, nostri etiam sacri Ordinis Minorum magnum decus & ornamentum, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, qui floruit circa annum 1317. & vt inquit supradictus Bustos sermone quarto de Conceptione Virginis vbisupra, libellum quendam scripsit in eiusdem defensionem, asserendo eam fuisse puram atque immaculatam, & citatur etiam à Ioanne Capreolo in tertio sententiarum distinct. 3. necnon & à Salazar loco vbisupra. *Petrus Aureolus.*

12. Loco succedat Antonius Andreas ex nostro etiam Minorū Ordine, prædicti Ioannis Capreoli Coetaneus & Scoti discipulus, qui puram sacræ Virginis Conceptionem docuit, in tertio sentent. dist. 3. & refertur à supradicto Salazar, loco vbisupra. *Antonius Andreas.*

13. Loco succedat Herueus Natalis Ordinis Prædicatorum Generalis Magister, qui in tertio sententiarum dist. 3. contra immaculatam Conceptionem tenuit: sed deinde re maturius perspecta, penitusque considerata, perpetuam Virginis sanctitatem, & ab omni prorsus originalis peccati labe immunitatem, siue præseruationem asseruit, in epistola secunda ad Corinthios cap. 5. super illa verba: *Ergo omnes mortui sunt.* Cuius sunt sequentia verba. *Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine excepto (dempta Matre Dei) siue originalibus, siue voluntate additis.* Floruit anno 1320. *Herueus Natalis.*

14. Loco succedat Franciscus Mayrones, ex sacro etiam nostro Minorum Ordine, Scoti auditor & illuminatus Doctor communiter *Franciscus Mayrones.*

cæterique DD. Thomistæ, colligunt de mente ipsius Magistri, Virginem sacrã in originali peccato conceptã fuisse. Sed quod hoc non ita sit, nec ex eiusmodi verbis quidpiam tale inferri possit, probatur (meo quidẽ videri) efficacissime atq; euidẽtissime, ex his quæ à nobis dicta sunt in quinto notabili præcedẽtis quæstionis. Nam Magister loco citato (vt expresse constat ex eiusdẽ verbis) loquitur de mundatione, purgatione siue castigatione sacræ Virginis, facta tẽpore Incarnationis Christi Domini, cum Spiritus Sanctus in eandem superuenit, & Angelus gratia plenam illam esse dixit: & tamen Fides Catholica docet Virginem sacram multo ante Natiuitatem suam, & suum ortum ex vtero fuisse sanctificatam: non igitur Magister ibidem loquitur de mundatione, purgatione siue castigatione ab originali labe, quam Virgo sacra tunc temporis haberet: nec ipsam in originali peccato fuisse conceptam, de mente & sententia ipsius ex talibus verbis potest colligi. Quod & præterea ex inde colligitur, quia Magister ibidẽ non solum sacræ Virginis carnem, verum & carnem ipsius Christi Domini, mundatam atque castigatam esse dicit: ex quo fit consequẽs, quod non loquitur de mundatione ab originali labe, sed de alio mũdationis, purgationis siue castigationis genere à superius dicto. Alia multa ad idẽ propositũ possem adducere, quæ breuitatis gratia faciomissa, vt videantur apud Salazar libro suo pro Immaculatæ Deiparæ Virginis Conceptione c.41.can.4.n.28.& latius ca.42.in 12. sæculo inter explicandũ mentẽ & sententiã Magistri, vbi & dicit persuasum sibi habere, Sententiarũ Magistrũ piæ nostræ astipulari sententiæ & opinioni, postquã in sequẽti §. ita subdit. *Quod autẽ sacra Virgo ex tunc ab omni peccato immunis extiterit, Augustinus euidẽter ostendit in libro de natura & gratia, inquiens: excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorẽ Domini, nullã prorsus cũ de peccatis agitur habere volo quæstionẽ. Inde enim scimus quod ei sit plus gratiæ collatum, ad uincendũ ex omni parte peccatũ, quod concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes Sancti & Sanctæ congregari possent, & quæreretur ab eis, an peccatũ haberent, quid responderetur, nisi quod Ioannes ait: Si dixerimus quia peccatum nõ habemus, nos ipsos seducimus. Illa autem Virgo, singulari gratia præuenta est atque repleta, vt ipsum haberet ventris sui fructum, quem ab initio habuit vniuersitatis Dominum: vt illud quod nascebatur ex propagine primi hominis, tantummodo generis, non criminis origine duceretur.* Quibus in verbis quammaxime ad notandum est, quod aduersarij vt Magistrum prædictũ (quinvero & Diuum Augustinum) in suam trahant sententiam & opinionem, magni momenti esse dicũt verbum illud *ex tunc*, quasi eo innuere & insinuare voluerit Sententiarum Magister, sacræ Virginis immunitatem à peccato à tempore Incarnationis incoatam fuisse. Sed absit à fidelium cordibus, & à cuiuslibet viri sapientis mente, quod talis ac tantus Magister hac in re ita ab scopo aberrauerit, vt putauerit Virgi-

Probatur efficacissime quod prædicto in loco Sententiarum Magister non loquatur dè mundatione sacræ Virginis à peccato originali.

Virginem sacram, in originali peccato vsque ad illud tempus perstitisse. Quis vnquam tale dixit? aut quomodo id stare potest cum Virginis sanctificatione ante eiusdem natiuitatem facta, quam tota tenet Ecclesia, neque illam aduersarij vllo modo negare possunt? Mens igitur Magistri fuit, dum Diui Augustini auctoritatem adducit, argumentum quoddam conficere, vt dicitur veluti à maiori ad minus, quasi expresius diceret: Virginem *ex tunc* (id est ex quo Spiritus Sanctus in illam superuenit) ab omni peccato immunem fuisse. Certo certius est. Quinvero & Augustinus aliquid maius docet, postquā dixit, quod propter honorem Domini cum de peccatis agitur, nullam prorsus de illa habere volebat quæstionem. Inde (inquit) enim scimus, quod ei plus gratiæ sit collatum aduincendum omni ex parte peccatum, quod concipere acparere meruit, eum quem constat nullum habuisse peccatum. Voluit igitur Magister insinuare de mente Augustini, Virginem sacram ab omni semper peccato (etiam originali) immunem fuisse: ac proinde nihil mirum, si ex speciali ratione tempore incarnationis ab eodem immunis extiterit. Quam etiam fuisse ipsius mentem atque sententiam, satis indicant subsequentia verba, quibus dixit. *Illa autem Virgo sacra singulari gratia est præuenta atque repleta, &c. vsque vt illud, quod nascebatur ex propagine primi hominis, tantummodo generis, non criminis origine duceretur, seu potius originem haberet.* Quod etiam fuit ac si expresius dixisset. Ideò Virginem sacram ad propulsandum peccatum singulari Dei gratia præuentam atque præmunitam fuisse, vt plane constaret Christum ex (illa generis) non vero criminis originem ducere. Sensit ergo Sententiarum Magister, eam ab omni semper peccato immunem fuisse, atque originali culpa omninò caruisse. Nam & hoc necessarium fuit, ad hoc vt plane constaret Christum Dominum ex Virgine, generis (nō vero criminis) originem duxisse. Neque enim ad id sufficiebat eandem post suam Conceptionem fuisse sanctificatam: nam lex transfusionis originalis peccati à parentibus in filios, nō tollitur per id quod peccatum eorum originale contractum, postea infusa diuina gratia sit deletum: nam certum est quod quamvis Pater per Baptismum ab originali peccato sit ablutus, filium nihilominus eodem infectum atque maculatum generat. Vt igitur constaret ex Magistri sententia, Christum Dominum ex Virgine sacra generis tantum, non vero criminis originem duxisse, necessum certe fuit vt & ipse crederet, ac ita rectè sentiret, originali peccato (quod solum ad transfusionem est aptum) eandem semper omninò caruisse? Secutus est enim Magister ibidem communem Sanctorum antiquorum Patrum sensum, qui immunitatem à peccato in Christo Domino, non solum ob diuinitatis consortium, & rationem vnionis hypostaticæ ponendam esse diiudicarunt, verum etiam & ex proprio humanitatis iure, vtpote quia ex Matre omni omninò labe carente, originem du-

xisset:ita vt nihil omninò in ipso esset, ratione cuius (præcisa etiam diuinitatis sanctitate) originali peccato subiaceret. Hoc argumẽtum eleganter atque latissime prosequitur prædictus Salazar vbisupra clarissime, id ostendendo & monstrando, ex verbis quæ dicit Magister prædictus in tota illa quæstione tertia, qua quærit de verbi carne, an prius quam conciperetur obligata fuerit peccato, & an vt talis assumta fuerit à Verbo? Vbi aperte negat in carne Christi prædictam præfuisse peccati obligationem. Quod probat sequenti argumento, Quia fundamenta obligationis quibus homines peccato originali astringuntur duo sunt: primum originale peccatũ quod in parentibus præfuit. Secundum vero, quod ab illis per naturalem propagationem generatur. Sed (inquit Magister) vtrumque fundamẽtum in carne Christi Domini non fuit inuentum: bene ergo suum sequitur intentum, nempe quod nullum habuit peccatum originale, neque ipsius caro fuit obligata peccato. Minorem autem argumenti prædicti sic probat. Non primum, quia Virgo sacra (aqua genitus est) ab omni semper peccato originali immunis fuit. Non vero secundum, quia non naturali propagatione, sed de Spiritu Sancto ab ea fuit Conceptus. Bene igitur sequitur, quod Christi Domini caro nulla ex parte fuit obligata peccato. Optima quidem consequentia, & quæ meo videri negari minime potest. Ex quibus omnibus facile cuiuis constare poterit, qualiter sententiarum Magister, prædicto in loco non fuerit contra nos: quinvero nostræ sententiæ & opinioni omninò adhæserit, quidquid in contrarium Aduersarij dicant.

Alexander Alensis.

2. Succedat loco irrefragabilis Doctor Alexander Alensis, qui floruit circa annum Domini 1249. allatus à Bandello prædicto loco supracitato cap. 25. pro sua sententia & opinione, in tertia parte suæ Summæ, seu potius in tertio Sententiarum dist. 3. quæst. 9. vbi agit de sanctificatione Virginis, art. 1. cum sequentibus. Sed quamvis ibidem dixerit Virginem sacram in originali peccato conceptam fuisse, postmodum vero santificatam: postea tamen ad meliorem mentem redactus, ab ea sententia recesit, illamq; retractauit, occasione (vt dicitur) cuiusdam miraculi. Cum enim eandem originalis peccati labe fuisse fœdatam, dictare publice pararet, vi cuiusdam morbi subito ingruentis in contrariam sententiam inductus est, à quo etiam voto emiso de tuenda & defendenda sacræ Virginis Conceptione, diuinitus recreatus, libellum edidit de purissima sacræ Virginis Conceptione, super illa verba Canticorum 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quæ quidem verba (vt dicitur) passim proclamare postea solitus fuit, animamq́ue sequentia proferendo verba exhalauit, *O Maria Domina mea, tota pulchra & formosa es, & macula originalis aut actualis, in te nunquam fuit.* Cuius miraculi necnon & libri ab Alexandro prædicto editi, mentionem facit Guillermus Borrillonus in 3. sentent. dist. 3. & Pelbartus in lib.

Notetur hoc valde circa cõuersionẽ Alexandri Alensis, ad tuendã & defendendam sacra Virginis immunitatem.

lib.4. sui Stellarum, Mauricius de Villaprobata, libro de corona Virginis sermone 5. Antonius Cucarus in secunda parte sui elucidarij, Ioannes de Zelaya in 3. sent. dist. 3. & Bustos serm. 4. de Conceptione in tertia parte sermonis, vbi & dicit eiusmodi librum etiam nunc reseruari Tolosæ, Cathenatum in choro Ecclesiæ Cathedralis, & quod ibi probat Alexander prædictus Virginem Deiparam ab omni prorsus originalis peccati labe fuisse præseruatam, & rescindit atque retractat, quidquid contra hoc in 3. sent. dist. 3. dixerat. De miraculo prædicto ampliorem facit mentionem idem Bustos, in officio quod composuit de prædictæ sacræ Virginis Conceptione, in octauo die lectione 4. videatur ibidem.

3. Loco succedat Albertus Magnus (vt dicitur D. Thomæ Magister) à prædicto Bandello etiam pro sua sententia & opinione citatus, loco vbi supra, cap. 22. qui floruit anno Domini 1252. sub Celestino Quarto. Qui quidem Albertus Magnus licet in 3. sentent. dist. 3. dixerit, Virginem sacram originale peccatum contraxisse, nec sanctificatam fuisse ante Conceptionem, nec in Conceptione, sed post Conceptionem: & in contrarium sentientes seuere nimis se gesserit: in ea tamen sententia minime constans fuit: quinvero postea à se ipso dissentiens, in libro quem de Mariæ Laudibus edidit, Immaculatam suam Conceptionem fuisse dicit, cuius testimonium reffert Canisius lib. 5. de Maria Deipara cap. 27. & verba ipsius post alia sunt quæ sequuntur. *Hæc enim Virgo sola à communi illa regula excipitur, omnes in Adã peccauerunt.* De quo testimonio videatur Salazar iampluries citatus libro de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione, cap. 42. in 13. sæculo, explicando mentem & sententiam eiusdem Alberti Magni, vbi ait, quod vt testimonio prædicto præstetur fides pro his qui illud minus credunt: ipse testatur & protestatur se illud legisse in libro prędicto, qui asseruatur Murciæ in Bibliotheca Minorum Fratrum. *Albert. Mag.*

4. Loco succedat Diuus Thomas Angelicus Doctor, à Bandello prædicto etiam pro sua sententia & opinione citatus, qui floruit circa annum 1266. sub Gregorio Decimo: qui quamvis in quampluribus suæ doctrinæ locis, sed præsertim in 3. sent. dist. 3. quæst. 1. artic. 1. & & 2. & in tertia parte quæst. 27. art. 2. & quodlib. 6. quæst. 4. artic. 1. expresse docuerit Virginem sacram in originali peccato fuisse conceptam, haudquaquam tamen in ea sententia perseuerauit, constans ve fuit: quinvero multoties varius repertus (vt dicitur) illam postmodum retractauit. Qua de re à Doctoribus adducitur testimonium cuiusdam Doctoris Ioannis Vitalis, tractatu de pura Conceptione, de quo meminit Bustos sermone 4. de Conceptione Virginis Mariæ, vbi affirmat se vidisse librum retractationis Diui Thomæ, de eo quod dixerat in 3. sententiarum contra Conceptionem Dei Matris. Et idẽ Bustos sermone 7. de Conceptione parte prima, narrat visionem *D. Thomas.*

quandam factam cuidam Domino Fantino, Episcopo Patauino nam cum deuotus legeret tertiam partem Diui Thomæ, & articulum illū in quo Doctor Sanctus Virginem sacram in originali peccato conceptam fuisse dixit, mirarique cœpisset quod tantus Doctor, tamque sacræ Virginis studiosus, de ipsius Conceptione rigidam adeo censuram tulisset, & determinasset quod Beata Virgo in originali peccato fuerit concepta: apparuit ei prædictus Diuus Thomas, dixitque illi, *scias Domine Episcope, quod quando talem opinionem posui, solum habui respectum ad diuinum statutum, quo Beata Virgo peccatum originale contrahere debuerat, nisi per filium suum præseruata fuisset: sed nunc iam vere scio quod Dei Filius Matrem suam ab originali macula præseruauit.* Et his dictis disparuit visio. Et addit supradictus Bustos, quod ipse Episcopus quoad vixit cum magna solemnitate festum Conceptionis celebrauit, & in Episcopatu suo celebrari præcepit, & quod licet in eius vita hæc ipsius visio non fuerit alijs publicata, tamen post mortem suam Frater Nicolaus de Padua, Ordinis sacri nostri Minorum professus, tunc autem eius Vicarius & Doctor, omnia hæc fidelissime exposuit: asserens se à prænominato Episcopo hanc visionem, non sine magna lachrymarum effusione narrante, proprijs auribus audiuisse. Hæc vbi supra. Sed quidquid sit de visionibus & reuelationibus (nam hæc etiam infra proprium suum habebunt locum) certissimum est, & omni dubio procul, quod prædictus Diuus Thomas in hac materia de Conceptione Beatæ Virginis, haudquaquam semper fuit constans: quinvero multoties varius, & à se ipso discordis & dissentaneus: & in multis suæ doctrinæ locis expresse nostram sententiam & opinionem tenuit. Nam supradictus Bustos in dicto officio quod de sacræ Virginis Conceptione composuit, & per Sixtum Quartum fuit approbatum, in lectione prima diei octaui, ex opusculo octauo Sancti Thomæ de expositione salutationis Angelicæ, in exaltationem sacræ Virginis Conceptionis, sequentia verba producit. *Maria purissima fuit quantum ad omnem culpam: quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* Quem etiam locum ex eodem Diuo Thoma, reffert Canisius lib. 1. de Maria Deipara cap. 6. & Salmeron super epistolā ad Romanos disput. 51. vbi ait Cardinalem à Turrecremata auctorem nobilissimum inter Thomistas, supradicta verba recognouisse esse Diui Thomæ propria, suoque calculo illis subscripsisse, & id ipsum confirmasse, quamvis modo non reperiantur in loco prædicto: quinvero expresse dicatur Virginem sacram originale peccatum contraxisse. Quapropter non merito existimari potest, opusculum illud temere fuisse postea vitiatum, ab his qui adeò ægre ferunt eandem à prædicto originali peccato præseruatam fuisse. Quod factum reperitur similiter fuisse de alio eiusdem Diui Thomæ loco super epistolam ad Galatas cap. 3. explicando illa verba, *Abrahæ dictæ sunt promissiones Patrum*

De apparitione D. Thomæ cuidam Episcopo Fantino, & quæ illi dixit.

Adducuntur multa D. Tho. testimonia quibus Virginem sacram ab originali peccato præseruatam fuisse dixit.

trum, & semine eius. Non dicit & seminibus quasi in multis, sed quasi in vno, & semine tuo qui est Christus. Super quæ dicta verba lectione 6. dicit prædictus Diuus Thomas. *Virum de mille vnum reperi (scilicet Christum) qui esset sine omni peccato. Mulierem autem ex omnibus non inueni qua à peccato omninò immunis esset, ad minus originali & veniali.* Post quæ addit. *Sed excipitur purissima & omni laude dignissima Virgo Maria.* Hæc Diuus Thomas ibidem, vt constat ex impressione Parisiensi, facta in officina Honesti viri Ponceti Tepreux sub signo Lupi, via ad Diuum Iacobum anno 1541. cuius quidem impressionis originalia habentur multis in locis, & vnum ipsorum seruatur apud nos minores fratres hic Salmáticæ. Aliud vero (vt dicitur) Compostellæ, aliud etiam Hispali. Quinvero Henriquez lib. 3. de Sacramento Confirmationis, capit. 11. in Glossa littera M. affirmat, se in antiquissimis Codicibus supradicta omnia verba, vt posita sunt deprehendisse. Et tamen videmus in Codicibus quibus hodie vtimur esse deprauata & vitiata, & ab ipsis sublata supradicta exceptio, qua dicitur quod ab illa generali regula excipitur purissima & omni laude dignissima Virgo Maria. Quod si id ita est, quid quæso dolendum magis, quàm quod verba expressa è Doctorum Codicibus subtrahantur, vt ne de mente & sententia prædicti Diui Thomæ, sacræ Virginis puritas, & à peccato originali immunitas possit comprobari? O quidem magnum facinus, & res summis lachrymis deploranda?

Sed veniamus ad alia testimonia magis aperta & certa, nulloque modo litigiosa. Idem Diuus Thomas in primo sentent. distinct. 17. quæst. 2. art. 4. nostræ sententiæ & opinioni fauens, cum obiecisset sibi illa Anselmi verba: *Decuit Beatam Virginem ea puritate nitere qua maior sub Deo nequit intelligi:* in solutione ad tertium ita occurrit. *Ad illud quod obijcitur de Beata Virgine, dicendum est, quod differt puritatis & charitatis augmentum: augmentum enim puritatis est secundum recessum à contrario: & quia in Beata Virgine fuit depuratio ab omni peccato: ideò peruenit ad summum puritatis sub Deo tamen, in quo non est aliqua potentia deficiendi, qua est in qualibet creatura quantum in se est.* *Idem D. Tho.*

Idem Diuus Thomas in eodem primo sentent. dist. 45. quæst. 1. art. 3. ad tertium ita scribit. *Puritas intenditur per recessum à contrario, & ideò potest aliquid creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, & nulla contagione peccati inquinatum sit: & talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ à peccato originali & actuali immunis fuit. Fuit autem sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum.* Quid (quæso) amplius, clarius expressiusve, dici vnquam potuit? Prædictis Diui Thomæ auctoritatibus dicunt atque respondent aduersarij duo. Primo maiorem fidem mereri Diuum Thomam in summa siue in partibus, quam in sententiarijs: nam summam natu grandior cum esset Doctor siue Magister, rebusque iam penitius consideratis scripsit: commentaria vero in sen- *Idem D. Tho.* *Quid testimonijs prædictis aduersarij respondeant?*

tentiarum libros dum erat iunior, ac dumtaxat baccalareus. Secundo quod id quod prædictus Diuus Thomas dictis in locis, ex primo libro sententiarum adductis dixit: post modum in tertio earundē sententiarum libro, grandior effectus retractauit. Sed ē contrario ex nostris haudquaquam desunt qui dicant, maiorem sibi deberi fidem in his quæ in sententiarijs dixit (maxime in fauorem purissimæ sacræ Virginis Conceptionis) quia re vera Angelicus Doctor vtramq; opinionem semper probabilem reputauit, & nunc vni, nunc vero alteri sententiæ adhæsit, prout sese offerebat occasio, & quia in rebus dubijs illa opinio amplectenda est, quæ in fauorem Virginis magis facit: *Iuxta legem semper in dubijs. ſ. in re dubia, l. quoties dubia, & l. in obscura, ff. de reg. iuris, & iuxta l. fin. C. qui bo. ce. pos. facit, & cap. fin. de translat, vbi habetur quod in rebus dubijs semper debemus fauorabiliorē partem accipere. Facit, & cap. odia de regulis iuris, lib. 6. & lege cum quidam, ff. de liberis & posthumis,* vbi dicitur, *odia esse semper restringenda, fauores vero ampliandos.* Et ad id quod dicitur de sententiarum libris, dicunt quod Diuus Thomas prius commentauit super tertiū sentent. quam sup. 1. & quod in primo multa correxit quæ in 3. sentent. dixerat. Addunt etiam ad idem, quod primum sententiarum librum ratione maioris subtilitatis in eo contentæ, in primum atque secundum diuisit. Atque ita non valet argumentum, quando dicitur quod in tertio libro sententiarum correxit, quod in primo minus conuenienter dixerat: nam ē contra res se habuit, & super primum posterius scripsit, & in eo emendauit & retractauit multa quæ dixerat in tertio. Sed quidquid de hoc sit, negari minime potest, quod commentaria quæ fecit Diuus Thomas super prædictam epistolam ad Galatas, quibus sacram Virginem à peccato originali immunem fuisse dixit, non quidem iuuenis aut dū esset Baccalaureus, sed natu grandior, & factus iam Doctor siue Magister scripsit, vt dicunt omnes Doctores communiter. Sicque aduersarij nullum aliud habuere remedium (grande nefas) quam superius citata verba ex ipsis subtrahere: ipsi videant, & certe videbunt qui talia facere ausi sunt, in diuino iudicio.

Reprobatur huiusmodi solutio siue potius euasio.

Notetur hoc valde.

S. Bonauent.

5. Loco succedat Diuus Bonauentura Seraphicus Doctor, qui floruit circa annum 1265. & à Bandello prædicto loco etiam vbi supra cap. 24. pro sua sententia & opinione citatur, in 3. sentent. dist. 3. artic. 2. quæst. 1. & 2. qui quidem quamvis ibidem, necnon & in speculo aliqua dixerit (vt videtur) contra sacræ Virginis puritatem, & decreuerit eandem in originali peccato fuisse conceptam: idque ipsum multis rationibus & argumentis contenderit probare: haudquaquam tamen in eiusmodi sententia diu perseuerauit: quinvero postea illam expresse mutauit: vt constat ex verbis eiusdem Sermone secundo de Beata Maria, qui habetur tomo 3. de Sanctis in communi, vbi post alia in sequentia verba prorupit. *Dico primo quod Domina nostra fuit*

plena:

plena gratia præueniente in sua sanctificatione: gratia scilicet præseruatiua, cõtra fœditatẽ originalis culpæ, quã contraxisset ex corruptione naturæ, nisi speciali gratia præuenta, præseruataq; fuisset. Solus enim Filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, & ipsa mater eius Virgo. Credendũ est enim quod nouo sanctifica tionis genere in eius Cõceptionis primordio Spiritus Sanctus eam à peccato originali (nõ quod infuit, sed quod infuisset) redemit atque singulari gratia præseruauit. Hæc prædictus Diuus Bonauentura. Quibus plane verbis Virginis sacræ libertatem, puritatem atque immunitatem ab originali culpa satis declarauit: quamvis non desunt etiam qui dicant sermonem prædictum non esse Diui Bonauenturæ, sed temere quidem id dicitur, quia styllus est eiusdem, & auctoritas Sixti Quinti qui quam accurate fecit ipsius opera euentilari & purgari, prædictum sermonem essesuum manifeste conuincit. Facio missam apparitionem quandam quæ refertur in libro quodam cui titulus *Dormi secure*, vbi habetur. *Quod cum Parisijs Frater quidam sacri nostri Minorum Ordinis, Deipara Virginis quammaxime studiosus & deuotus, in profundissimo noctis silentio precibus ac mentali orationi in choro vacaret: inter orandum musca mussantis dissonum bombum sæpius audiuit, quo perterritus atque adiuratione facta per Deum illi per contatus est, sibi vt diceret quis nam esset qui eiusmodi bombum toties iteraret. Cui ille, ego sum (inquit) Frater Bonauentura. E contra vero ipse. O eximie atque sapientissime Magister, quid hic agis? Enuntia mihi si placet, quid bombus iste à me toties exauditus significet? Cui Diuus Bonauentura: quia doctrinam tradidi quã sustinui ac serio defendi, Virginem sacram in originali peccato fuisse conceptam: ea propter purgatorij angores super hoc Virginis altari sustinere ac tollerare cogor, quas mei delicti pœnas cum exsoluero, ad cœlum excoctus statim euolabo.* Hæc auctor libri prædicti. Quæ an vera, an commentitia sint, iudicem agere nolo. Quamvis ex parte commentitia esse appareant, ac prorsus dicta absque vllo fructu: cum (vt prædictum est) Seraphicus Doctor quæ in tertio sententiarum contra immaculatam sacræ Virginis Conceptionem dixerat, in dicto Sermone secundo de Virgine Deipara, iam prius viuus & sanus libentissime emendauerit atq; retractauerit. *De apparitione facta cuidã Fratri nostro à D. Bonau.*

6. Loco succedat noster Subtilis Scotus, qui floruit circa annum 1300. & fuit Maximus atque præcipuus. Immaculatæ Conceptionis sacræ Virginis propugnator & defensor, & sua auctoritate & doctrina, piæ nostræ sententiæ tantam fidem comparauit, quantam nullus alius ante ipsum, neque post ipsum. Qui quidem in tertio sententiarũ dist. 3. quæst. 1. & clarius & absque vlla formidine distinct. 18. quæst. vnica §. hoc visso. Et in reportatis, Virginem Deiparam à peccato originali defendit immunem semper fuisse, eamque sententiam & opinionem Parisiensibus ita persuasit, vt censuram quam prius, tempore Alberti Magni Doctoris & Magistri illius Academiæ toto orbe celeberrimę, contra ipsam tulerãt, prorsus reuocauerint, rescinderint, *Subt. Doctor Scotus,*

& cassam ac nullam esse voluerint. Vt enim inquit Bustos in officio de Conceptione Virginis supracitato, in lectione quarta primæ diei, Scoti tempore religiosi quidam in tantam huius quæstionis altercationem proruperunt, vt Ordinis nostri Minorum Fratres Hæreticos affirmarent, quia Deigenitricem sine originali macula conceptam in suis prædicationibus affirmabant atque protestabant. Qua de re Apostolico iusu in Parisiensi studio publica disputatio indicta est, ad quam cum accusatores cum innumeris pene sui ordinis Doctoribus conuenirent, ad tuendum & protegendum suæ Matris honorem & dignitatem, inquit prædictus Bustos, quod Dominus noster Iesus Christus Scotum prædictum nostri Minorum Ordinis eo tempore Doctorem eximium, ad ciuitatē illam protinus destinauit: qui quidem illic cum aduenisset, aduersariorum argumentis, fundamentisque omnibus inconuencibili sermone confutatis, ita Conceptionis Deiparæ Virginis innocentiam clarissime comprobauit, quod omnes illi Fratres subtilitatem eius plurimum admirati, obmutescentes in disputando defecerunt. Quapropter ex tunc prædicta Parisiensis Academia Scoti eiusdē sententiā approbauit, atque decreuit vt oppofita in illis scholis nullo modo publice posset legi. Quæ Scoti sententia breui temporis spatio eo vsque exercuit, tantasque vires suscepit, vt vt paucorum annorum interstitio, Academiæ Parisiensis decreto, nullus gradum siue lauream Doctoris omninò posset accipere, qui non prius iure iurando ad defendendam immaculatā sacræ Virginis Conceptionem se obstrinxisset, & eadem facultas se se huic festo quot annis celebrando voto deuouit. Cuius quidem decreti ac voti causam, fuisse prædictum Scotum Doctorem Subtilem, tradit Antonius Cucarus in Elucidario Virginis, parte secunda, & Pelbartus lib. 2. sui stellarij parte prima artic. 3. vbi postquam, reffert eundem Scotum à Parisiensi Academia fuisse accersitum, vt suæ sententię atque opinionis rationem redderet: *Inquit quod cum ducentena argumenta illi fuissent obiecta, ea omnia memoria retinuit, ac singulis tanta verborum & sententiarum vbertate satisfecit, vt omnes astantes in suam sententiam traxerit, & in admirationem commouerit: ita vt & Subtilis ab omnibus cœperit proclamari, ac victoris & Subtilis nomen deinde semper tulerit*. Hæc vbi supra.

Nota valde pro eximia ingenij facundia ac subtilitate nostri Subtilis Scoti.

Guillermus Barro.

7. Loco succedat Frater Guillermus Barro, Maximus Theologus nostri sacri Ordinis Minorum, & Scoti Magister, qui & propterea ante ipsum præmittendus fuerat, sed parum id reffert. Prædictus igitur Magister Barro, in tertio sentent. distinct. 3. eandem nostram sententiam docuit, vt reffert Bustos sermone quarto de Conceptione parte tertia, nempe sacram Virginem ab omni originalis peccati labe fuisse præseruatam: dicereque erat solitus. *Quod si deberet errare, potius volebat errare in abundantia laudis Virginis Mariæ, quam in diminutione eiusdem.* Prudens quidem atque cordata resolutio.

8 Loco

8. Loco succedat Frater Augustinus de Ancona, Ordinis Heremitarum sancti Augustini Scoti Coetaneus, qui floruit anno 1310. & in commentarijs quæ fecit ad Canticum Beatæ Mariæ Virginis, eandem ab originali peccato immunem fuisse expresse tradit, vt refert Salazar loco supracitato, cap. 42. in 14. sæculo. *Augustin. de Ancona.*

9. Loco succedat Frater Ioannes Bacchon, insignis etiam Magister & Doctor Carmelitarum Ordinis, qui floruit etiam per id tempus, & in tertio sententiarum dist. 3. quæst. 4. art. 1. 2. & 3. & quodlibeto 3. quæst. 13. eandem nostram sententiam defendit, dicitque eam esse expressam Diui Anselmi, probatque id ipsum multis rationibus & argumentis quæ videri poterunt ibidem. *Ioan. Bachon.*

10. Loco succedat Ricardus de Media-Villa, Doctor etiam Parisiensis, nostri sacri Ordinis Minorum, qui quamvis à Bandello prædicto loco vbisupra, cap. 24. pro sua sententia & opinione citetur & afferatur, dicatque ipsum in tertio sententiarum distinct. 3. & in quarto sententiarum distinct. 43. Virginem sacram in sua Conceptione originalē peccatum contraxisse: vt tamen dicit Bustos sermone quarto de Conceptione Virginis, parte 3. in expositione salutationis Angelicæ, reuocauit opinionem quam prius tenuerat, contra sacræ Virginis Conceptionem, & piæ sententiæ & opinioni adhæsit. *Ricard. de Media villa.*

11. Loco succedat Frater Petrus Aureolus, nostri etiam sacri Ordinis Minorum magnum decus & ornamentum, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, qui floruit circa annum 1317. & vt inquit supradictus Bustos sermone quarto de Conceptione Virginis vbisupra, libellum quendam scripsit in eiusdem defensionem, asserendo eam fuisse puram atque immaculatam, & citatur etiam à Ioanne Capreolo in tertio sententiarum distinct. 3. necnon & à Salazar loco vbisupra. *Petrus Aureolus.*

12. Loco succedat Antonius Andreas ex nostro etiam Minorū Ordine, prædicti Ioannis Capreoli Coetaneus & Scoti discipulus, qui puram sacræ Virginis Conceptionem docuit, in tertio sentent. dist. 3. & refertur à supradicto Salazar, loco vbisupra. *Antonius Andreas.*

13. Loco succedat Herueus Natalis Ordinis Prædicatorum Generalis Magister, qui in tertio sententiarum dist. 3. contra immaculatam Conceptionem tenuit: sed deinde re maturius perspecta, penitusque considerata, perpetuam Virginis sanctitatem, & ab omni prorsus originalis peccati labe immunitatem, siue præseruationem asseruit, in epistola secunda ad Corinthios cap. 5. super illa verba: *Ergo omnes mortui sunt.* Cuius sunt sequentia verba. *Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine excepto (dempta Matre Dei) siue originalibus, siue voluntate additis.* Floruit anno 1320. *Herueus Natalis.*

14. Loco succedat Franciscus Mayrones, ex sacro etiam nostro Minorum Ordine, Scoti auditor & illuminatus Doctor communiter *Franciscus Mayrones.*

ter nuncupatus, qui quidem in tertio sententiarum distinct. 3. quæst. 3. per 11. continuos articulos, sed maxime in articulo secundo cumu latissime probat. Virginem sacram ab omni prorsus originalis peccati labe fuisse præseruatã, & ait: *Quod si Christus Dominus Matrem suam originale peccatũ incurrere permisisset, prius sibi fuisset, quã si eã perpetua sensus pœna puniuisset.* Et addit. *Quod Beata Virgo in puris naturalibus constituta, prius pœnam æternam elegisset, quam originale peccatum contraxisse: quia (inquit) magis quis debet fugere odium Dei, & ipsius esse inimicum, quam pœnam æternam.*

Notentur val de hac Mayronis verba.

15. Loco succedat Guillelmus Occham etiam Minorita, quem licet Bandellus pro sua sententia & opinione adducat loco vbisupra, cap. 24. Bustos tamen sermone quarto de Conceptione, loco vbisupra, multique alij nostræ sententiæ & opinionis eundem fuisse dicunt.

Guillelm. Occham.

16. Loco succedat Monaldus, ex nostro etiam Minorum Ordine, Archiepiscopus Bellamentanus, qui piam nostram sententiam expresse tradit, in tertio sententiarum distin. 3. articulo 1. & Sermonem de pura Virginis Conceptione composuit, & vt testatur Posseuinus in apparatu sacro tomo secundo, apud Sarracenos gloriosus obijt Martyr.

Monald. Archiepiscopus Bellamentan.

17. Loco succedat Adamus Goddam Anglicanus, qui floruit circa annum 1330. & in tertio sententiarum distinct. 3. quæst. 1. eandem piam sententiam defendit.

Adamus Goddam.

18. Loco succedat Paulus Venetus, Ordinis Heremitarum sancti Augustini, quem etiam Bustos sermone quarto loco vbisupra, pro eadem nostra sententia adducit, in tractatu quem edidit pro immaculata Conceptione Virginis. Vbi (inquit) reprobat opinionem impugnantem puritatem Matris Dei, & respondens argumentis factis per ipsos contra Conceptionem Virginis, concludit dicens. *In hoc errauit Beatus Thomas de Aquino, credens ipsam conceptam fuisse in originali: cuius vita & si per Ecclesiam fuit approbata, non tamen doctrina eius, & maxime in hoc, sicut manifeste liquet in Vniuersitate Parisiensi, vbi eius opinio est reprobata, quia offendebat pias aures. Est enim magis pium & consonum veritati, credere animam illam benedictam infusam esse carni mundæ, & non infectæ. Ex prædictis ergo sequitur, quod absolute credendum est, Beatam Virginẽ non fuisse conceptam in peccato originali.* Hæc ille vbisupra.

Paulus Venetus.

Notentur quã maxime hæc Pauli Veneti verba in laudem sacræ Virginis.

19. Loco succedat Landulphus Neapolitanus, etiam Minorita, qui in tertio sententiarum dist. 3. eandem sententiam piam nostram tenet, atque defendit.

Landulphus Neapolitan.

20. Loco succedat Hugo de Castro Nouo, in tertio sententiarum distinctione tertia, vbi eandem sententiam tenet atque defendit.

Hugo de Castronouo.

21. Loco succedat etiam Armanus, quem citat Bustos Sermone supra-

Armanus.

ſupradicto quarto de Conceptione, in eleganti tractatu quem edidit de pura Virginis Conceptione, qui incipit. *Sapientia ædificauit ſibi domum.*

22. Loco ſuccedat etiam Ioannes Vitalis, in defenſorio lib. quem fecit pro eiuſdem ſacræ Virginis Conceptione. *Ioan. Vitalis.*

23. Loco ſuccedat Rupertus Linconienſis, in tertio diſtin. 3. vbi eandem ſententiam tenet atque defendit. *Rupert. Linconienſis.*

24. Loco ſuccedat Ioannes de Vaſilea, in tertio ſententia. diſt. 3. vbi id ipſum ſimiliter facit. *Ioannes de Vaſilea.*

25. Loco ſuccedat Gerardus Odonis Patriarcha Antiochenus, in tertio ſentent. diſt. 3. vbi etiam id ipſum ſimiliter facit. Omnes ſupradicti tres fuerunt ex noſtro ſacro Minorum Ordine, & floruerunt circa annum 1340 plus minuſve, & Buſtos vbiſupra ſermone quarto illos citat pro hac ſententia, licet Caietan. Gerardum prædictum ad ſuam conetur reducere, ſed perperam. *Gerard. Odonis Patriarcha Antiochen.*

26. Loco ſuccedat Robertus Holchotth Dominicanus, qui floruit circa annum 1345. & in tertio ſententiarum diſtinct. 3. & in lib. Sapientiæ Salomonis capit. 7. hanc etiam noſtram ſententiam defendit. *Robertus Holchotth.*

27. Loco ſuccedat Thomas de Argentina Auguſtinianus, & Generalis ſui Ordinis, qui floruit circa annum 1350. & in tertio ſentent. diſt. 3. quæſt. 1. hanc etiam ſententiam defendit. *Thom. de Argentina.*

28. Loco ſuccedat Henricus de Aſia Cartuſianus, qui etiam floruit circa prædictum annum 1350. & in tertio ſentent. diſt. 3. quæſt. 1. & in ſerm. quem fecit de pura Virginis Conceptione eandem ſententiam defendit. *Henricus de Aſia.*

29. Loco ſuccedat Alexander Nequàm Minorita, magnus Theologus, quem etiam refert Buſtos ſermone quarto prædicto de Conceptione pro hac ſententia, in tertio ſententiarum diſtinct. 3. quæſt. vnica. *Alexander Nequam.*

30. Loco ſuccedat Petrus de Candia, ex ſacro noſtro Ordine Minorum, qui ad Pontificatũ aſſumptus appellatus eſt Alexander Quintus, de quo Buſtós ſermone quarto prædicto de Conceptione dicit, quod immaculatam Virginis Conceptionem tenuit & approbauit, in tertio ſentent. diſt. 3. atque in Pontificatu exiſtens eandem ſententiam determinaſſe dicitur, in ciuitate Piſana, anno Domini 1411. & ſtatuiſſe vt ab omnibus teneri deberet: qua (inquit) ratione Ioannes Varron in tertio ſentent. diſt. 3. dixit, quod Sanctiſsimus Dominus Papa Alexander Quintus, approbauit opinionem Minorum, quoad immaculatam Virginis Conceptionem. Quæ quidem verba apud Barronem prædictum hodie inueniuntur. Sed (vt iam alibi me dixiſſe memini) non per id exiſtimandum eſt velle nos dicere, Pontificẽ prædictum ſententiam noſtram prædictam definiiſſe aut de termi- *Petrus de Cãdia: aliàs Alexand. V. Põt. Maxim.*

nasse vt tenendam de fide, sed solummodo illam approbasse, Pontificiaque auctoritate sanxisse, illam sustineri & defendi posse absque iniuria & periculo fidei.

Petrus de Aquila Scotellus nuncupatus. 31. Loco succedat Petrus de Aquila Minorita Scotellus nuncupatus: nō solū ob similē ingenij subtilitatē, verū etiam & ob non dissimilem curam atque solicitudinem, in tuenda atque defendenda sacræ Virginis puritate, quam docuit in tertio sententiarum dist. 3. singulari eloquentia.

Michael de Bolonia. 32. Loco succedat Michael de Bolonia Carmelitanus, quem aliqui dicunt esse auctorem illum quem nos incognitum communiter nuncupamus, & in Psalmos præclara edidit commentaria. Qui etiā libellum edidit de pura sacræ Virginis Conceptione, & super Psalmum 29. haudquaquam sibi dissimilis, id ipsum acerrime defendit.

Baptista de Ferrara. 33. Loco succedat Baptista de Ferrara, nostri etiam sacri Ordinis Minorum, in tertio sententiarum distinct. 3. quæst. 1. vbi hanc etiam sententiam tenet.

Franciscus Martinez. 34. Loco succedat Franciscus Martinez Carmelitanus, qui auctor est Tritenius, & volumen quoddam edidit etiam de pura Virginis Conceptione.

Dionysius Cartusianus. 35. Loco succedat Dionysius Cartusianus, vir sanctitate & doctrina celebris, qui piam nostram sententiam defendit, & tradidit in tertio sententiarum dist. 3. quæst. 1. Sed vberius atque splendidius in tractatu quem edidit de laudibus Deiparæ Virginis, libro 1. cuius etiam extant sex sermones de Immaculata eiusdem Conceptione, obijt anno 1471.

Henricus Harpius. 36. Loco succedat Henricus Harpius, nostri sacri Ordinis Minorum, qui in tractatu quem edidit de Mistica Theologia, lib. 2. puram etiam sacræ Virginis Conceptionem defendit.

Ambrosius Camalducensis. 37. Loco succedat Ambrosius Camalducensis, qui (vt dicitur) floruit circa annum 1480. & piam etiam sententiam atque assertionē defendit.

Gabriel Biel. 38. Loco succedat Gabriel Biel, magnus Theologus, nostri etiā sacri Ordinis Minorum, qui floruit circa annum 1490. & in tertio sententiarum dist. 3. puram sacræ Virginis Conceptionem defendit, & de hac materia tres elegantes sermones edidit.

Guillelmus Borrillon. 39. Loco succedat Guillelmus Borrillon, ex nostro etiam sacro Ordine Minorum, qui floruit etiam per id tempus, & in tertio sententiarum dist. 3. quæst. 1. Virginem sacram ab omni prorsus originalis peccati labe immunem fuisse acerrime defendit.

Ioan. Borritō. 40. Loco succedat alius etiā sacri nostri Ordinis Frater, cui nomē Ioan. Borriton, qui floruit eo tempore, & in 3. sentent. dist. 3. de pura Virginis Concepsione nobile monumentum edidit.

41 Loco

41. Loco succedat Marsilius, Doctor etiam celebris, & de Scholastica Theologia benemeritus, qui floruit etiam per id tempus, & in secundo sentent. dist. 20. & in tertio sentent. dist. 3. quæst. 4. art. 1. eandem piam nostram sententiam defendit. *Marsilius.*

42. Loco succedat Franciscus Lychetus, nostri sacri Ordinis Minorum Generalis minister, qui in Subtilem nostrum Scotum fœlicissima edidit commentaria, & in tertio sententiarum dist. 3. purissimam sacræ Virginis Conceptionem pro suo marte defendit. *Franciscus Lychetus.*

43. Loco succedat Ioannes Mayor, magnus etiam illius temporis magister Theologus, qui sacræ Virginis puritatis grandis etiam fuit assertor, in tertio sententiarum dist. 3. quæst. 1. & super Matth. cap. 1. *Ioan. Mayor.*

44. Loco succedat Iacobus Almaynus, Parisiensis Doctor, qui etiam in tertio sententiarum distinct. 3. quæst. 1. sacræ Virginis immaculatam Conceptionem defendit. *Iacob. Almaynus.*

45. Loco succedat Nicolaus de Nissa, ex nostro etiam sacro Ordine Minorum, qui in tertio sententiarum distinct. 3. tractatu 3. parte prima quæst. 2. eandem sententiam defendit, & eadem de re duos sermones edidit. *Nicolaus de Nissa.*

46. Loco succedat Thomas Hilliricus de Auxino, ex nostro etiam sacro Ordine Minorum, qui in tertio sententiarum distin. 3. & in sermone 3. ex his quos de Incarnatione fecit, Virginis sacræ immunitatem à peccato originali defendit. *Thomas Hilliricus.*

47. Loco succedat Christophorus Syluester Carmelita, qui in tertio sententiarum dist. 3. quæst. 1. eandem sententiam defendit. *Christphorus Syluester.*

48. Loco succedat Petrus Tartaretus, ex nostro etiam sacro Ordine Minorum, qui in tertio sentent. dist. 3. eandem nostram sententiam defendit. *Petrus Tartaretus.*

49. Loco succedat Nicolaus de Orbellis, etiam Minorita, qui in tertio sententiarum distinct. 3. quæst. 1. eandem sententiam defendit. *Nicolaus de Orbellis.*

50. Loco succedat Ambrosius Catherinus Polytus, vir doctissimus & eminentissimus, ex ordine Prædicatorum, sacræ Virginis puritatis accerrimus atque indefessus defensor, qui doctissimum tractatum de pura Virginis Conceptione scripsit, illamque docuit super Genes. cap. 3. & in opuscul. de peccato originali, & alibi sæpe. *Ambrosius Catherinus Polytus.*

Isti sunt quinquaginta numero Doctores Scholastici antiqui, qui vere atque intrepide sacræ Virginis puritatem, atque ab originali peccato immunitatem docuerunt: & non solummodo apparēter seu falso, prout eorum quamplurimi à Bandello prædicto citantur. Ex iunioribus autem Scholasticis Doctoribus, pauci atque rarissimi sunt, qui non sententiam prædictam teneant atque defendant: sed præcipue illam tenuit eruditissimus Frater Ludouicus à Carauajal, nostri

sacri Ordinis Minorum, in celebri illa expostulatoria acclamatione quam pro sacræ Virginis immaculata Conceptione, in Concilio Tridentino fecit, edita Parisijs anno 1541. & approbata per celeberrimas Academias, Parisiensem & Complutensem. Item & doctissimus Gaspar Bellosillus à Villalpando Episcopus olim Segobiensis, cuius in Concilio Tridentino prædicto tanta fuit auctoritas. Necnon & doctissimus Magister Frater Dominicus à Soto, Ordinis Dominicani, qui in lib. 1. de natura & gratia, cap. 7. & super epist. ad Romanos cap. 5. Immaculatam sacræ Virginis Conceptionem defendit: eiusdemque exceptionem à communi lege (non solum boni consuluit) verum etiam aperte atq; manifeste docuit. His accedant Andreas de Vega, libro secundo super Concilium Tridentinum cap. 6. Corduba lib. 1. sui Quæstionarij quæst. 44. Castro lib. 12. aduersus Hæreses, verbo *peccatum*, hæresi 9. & lib. 1. de iusta Hæreticorum punitione cap. 8. omnes isti sacri nostri Ordinis Minorum. Item & Ioannes de Medina Complutensis, lib. de Oratione, quæst. 7. & de Pœnitentia, quæst. 6. Michael de Palacios, in tertio sententiarum dist. 3. quæst. 1. & sæpe alibi. Ioannes de Rada, super tertio sententiarum dist. 3. Franciscus de Herrera super eundem tertiũ sententiarum dist. 3. & ibidẽ Frater Franciscus de Obando, & alter Frater Ioannes de Obãdo Germanus eiusdem frater: supradicti omnes nostri sacri Ordinis Minorum, & nostri huius celeberrimi Salmanticensis Conuentus filij & alumni. Melchior Flabius, & Frater Franciscus de Pitigianis, etiam nostri sacri Ordinis, in summa ad tertiũ sentent. Scoti, dist. 3. quæst. 1. artic. 5. Et doctissimus Franciscus à Christo, lib. 6. de Incarnatione, quæst. 1. Ex Iesuitis autem Doctoribus, omnes dempto nemine. Cardinalis Bellarminus, tomo 3. lib. 4. de statu peccati, & amissione gratiæ, cap. 15. & 16. Henriquez libro secundo de Missa, cap. 7. in Glossa littera S. & in tractatu de fine Hominis, cap. 10. littera B. in textu in Glossa. Gabriel Vazquez, in tertia parte Diui Thomæ disputat. 117. Franciscus Suarez in eadem tertiam partem quæst. 27. artic. 4. disput. 2. sectione 5. Gregorius de Valentia, in controuers. fidei. de peccato originali, cap. 3. tomo 4. disput. 2. quæst. 1. puncto secundo. Ioannes de Salas secundo tomo ad primã secundæ Diui Thomæ, quæst. 81. tractatu 3. disput. 11. sectione 5. num. 68. Ioannes Azor lib. 4. institutio. Moral. cap. 34. quæst. 3. vt multiplices alios Doctores sacræ Scripturæ Expositores prætercam, quia statim in suo proprio expositorũ ordine sunt ponendi.

Quid circa hoc mysteriũ sense rint ac dixerint DD. expositiui Nicol. de Lyra.

Sed vt ad expositiuos Doctores veniamus, eandem sententiam primo defendit noster Nicolaus de Lyra, sacræ Bibliæ celebris atq; illustris commentator (quamvis etiam Bandellus falso eundem sibi arroget) qui quidem explicans illa Angeli verba, Lucæ primo: *Spiritus Sanctus super veniet in te:* ita inquit, *Prius Spiritus Sanctus venerat super*

Virg.

Virginem, adhuc in vtero matris existentem, eam ab originali purgando (vt communiter dicitur) vel secundum alios, illam ab originali præseruando (vt etiam communiter dicitur. sed in Conceptione Filij Dei superuenit in eam Spiritus Sanctus, &c. Ex quibus prædictis verbis supradictus Bandellus, vt Lyram in suam sententiam & opinionem traheret, subtraxit illa: *vel secundum alios illam ab originali præseruando*, vt videatur, fiatque perspicuum, quātā in Virginem sacram eiusdem fuerit pia affectio atque deuotio (seu vt rectius loquar) praba affectio & indeuotio.

2. Loco post Lyram succedat Hugo de Sancto Caro, Prædicatorum Ordinis, sanctæ Sabinæ Cardinalis, qui etiam explicans illa Angeli verba Lucæ 1. *Aue gratia plena*, vt sacræ Virginis à peccato originali immunitatem insinuaret. *Aue* (inquit) *sine triplici væ, scilicet corruptionis, grauitatis & doloris, quod incurrit Eua per peccatum, & quod ab ea omnes mulieres (præter Mariam) quasi iure hæreditario cōtraxerunt.* Et paulo infra ennumerat etiam aliud triplex væ, scilicet *væ culpæ, væ pœnæ, & væ concupiscentiæ*: à quo triplici væ Virginem Deiparam liberam prorsus fuisse dicit. Et paulo inferius explicando illa verba: *Inuenisti gratiam apud Dominum: inuenisti* (inquit) *quidquid Eua infœlix amiserat.* Ex quibus verbis, cum Eua originalem gratiam amisserit, satis aperte colligitur de mente & sententia eiusdem, quod Virgo sacra illam recuperauit, seu potius illam nunquam amisit. Et idem Hugo in capit. 10. Lucæ decem sacræ Virginis priuilegia numerando: *primum* (inquit) *Mariæ priuilegium est immunitas à peccato.* Quam sententiam semel & iterum inculcat ibidem.

Hugo de Sancto Caro.

3. Loco succedat Frater Bartholomeus de Pisa, ex prædicto etiā Prædicatorum Ordine, qui floruit circa annum 1340. & in tractatu quem de Virgine Deipara edidit, fructu tertio, hanc etiam sententiā defendit, quod scilicet Virgo sacra ab originali peccato fuit præseruata.

Bartholom. de Pisa.

4. Etiam succedat loco Ioannes Taulerius, similiter Dominicanus, qui floruit circa annum 1350. & in sermone quodam quem de Virginis purificatione fecit, eandem sententiam defendit.

Ioannes Taulerius.

5. Loco succedat Honorius Augustudunensis Episcopus, vetus scriptor, qui explicando illa verba Canticorum 5. *Surge amica mea: iam enim imber abijt & recessit*: sacræ Virginis à peccato originali immunitatem expresse tradit, eamque sæpe ac sæpius in eodem libro inculcat atque repetit.

Honorius Augustudunensis Episcopus.

6. Loco succedat Gilbertus etiam Episcopus, relatus à Bustos sermone octauo de Conceptione, in secunda parte, qui in sermone quodam de Virgine Maria, post alia sequentia verba dicit. *De regali nempe Tribu, & Sacerdotali originem duxit, quæ summum Regem atque Pontificem erat paritura, cuius anima, & caro quam elegit, & fecit habitaculum sibi sapientia Patris, ab omni malitia & immunditia purissima fuit, affirmante Scriptura,* quod

Gilbertus Episcopus.

quod in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Post quæ addit. *Ipsa quoque benedicta Virgo à filio suo præseruata, potest dicere illud Iudith 13. non permisit Dominus me Ancillam suam coinquinari.*

Ioannes Gerson. 7. Loco succedat Ioannes Gerson, Chancellarius Parisiensis, relatus etiam à supradicto Bustos, sermone quarto de Conceptione, parte 3. Qui in secũda parte sui Sermonarij, sermone 47. introducit octo vetulas furibundas, quas ibi describit, impugnantes Festum Conceptionis Beatæ Virginis, & post modum totidem octo Virgines verecundas, in conspectu cœlestis Regis, & totius supernæ Curiæ admirabiles, quas etiam ibi depingit, defendentes Immaculatam Dei matris Conceptionem. Quæ (inquit) sapientissimæ Virgines in fauorem illibatæ Conceptionis, ita subtiliter arguerunt, & vetularum argumẽta confutarunt, quod cœlestis Rex approbauit opinionem de Immaculata Conceptione Matris suæ, & statim festum ipsius ab omnibus debere celebrari decreuit. Hanc eandem sententiam tenuit idem Doctor in quarto tractatu super *Magnificat*, vbi ait. *In Maria fuit necessitas peccatum originale contrahendi, secundum causas inferiores, hoc est secundum legem propagationis ex coniunctione viri cum fœmina: sed lex superior praiudicauit huic necessitati, præueniendo casum per sanctificationem & gratiam. Sicut etiam dicit in alio casu Sanctus Thomas, de occurrentibus tempore iudicij obuiam Christo in aera: quod si non moriantur, hoc non est secundum causas inferiores, quibus habebant necessitatem moriendi: nec est contra Apostolum dicentem: Statutum est hominibus semel mori, & deinde iudicium: quia priuilegium superioris hoc suspendit. Non secus est in proposito, de Maria à necessitate contrahendi originale peccatũ præuenta & priuilegiata, & excellentissime sic redempta: qualiter redimi non egebat Iesus Christus, quia per carnalem concubitum non fuit formatus. Nostra ergo Beata Virgo semper habuit gratiam gratum facientem, qua originali supereminet iustitia, qua primitus ornata fuit Eua, sed illam perdidit.* Hæc vbi supra. Eandem sententiam de innocentia Virginali, tenuit idem Doctor in Sermone de Natiuitate Beatæ Virginis, cuius verba refert supradictus Bustos in quarta parte sui Marialis sermone 12. parte secunda.

B. Raymũdus 8. Loco succedat Beatus Raimundus Lullius, in speciali tractatu quem fecit de pura Virginis Conceptione, vt refert Salazar supra dictus loco vbi supra, cap. 42. circa finem 13. sæculi.

Incognitus. 9. Loco succedat Incognitus, super Psalmum 29. explicando illa verba, *Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.* Vbi sic ait. *Peccatum originale duobus modis contrahitur, scilicet causaliter & formaliter. Causaliter, quando seminaliter quis concipitur: & tunc in re concepta est quadam fœditas & prauitas ad malum, qua est causa quare anima creata, & illi corpori vnita, peccatum contrahit formaliter: ita quod peccatum originale causaliter contrahitur in propagatione seminis, sed formaliter in Conceptione hominis. Modo ad propo-*

propositum. Christus non contraxit illud formaliter, neque causaliter, quia non descendit ab Adam per naturalem propagationem, sed habuit omnimodam innocentiam. Virgo autem Sanctissima Maria contraxit causaliter, quia per seminalem propagationem concepta: sed non contraxit formaliter, quia antequam anima eius esset creata, illud semen fuit purificatum, & sanctificatum: & sic anima illi vnita non fuit maculata. Hæc Incognitus vbisupra.

10. Loco succedat Petrus Apolinaris, nobilis auctor, eximiusque Poëta, vt refert prædictus Salazar loco vbisupra, capite 42. in 15. sæculo, qui in quodam carmine, scribens de Natiuitate sacræ Virginis, ita cernit. *Petrus Apolinaris.*

Salue Virgo parens, labes quam nulla vetusti
Per tot ducta gradus criminis implicuit.
Te, dum conciperis, culpa quicunque negarit
Immunem, brutis nihil sapit ille magis.
Huic aut vipereo mens est infecta veneno,
Aut illum teter spiritus exagitat.

Hæc vbisupra.

11. Loco succedat Alphonsus Tostatus, Abulensis Episcopus, qui in tam immenso suorum librorum spatio, semel & iterum de purissima sacræ Virginis Conceptione grauissime loquutus est, & super prologum Diui Hieronymi, cap. 6. sic scribit. *Beatam Virginem sine originali macula conceptam fuisse nullo modo nego, sed toto animo confiteor: licet oppositum dicere non sit magnus error, nisi pertinaciter dicatur, volendo aliquid de perfectione Virginis detruncare.* Et in cap. 23. super Exodū, quæst. 8. piam sententiam alteri præfert, & cōtentiones ætate sua inter duos præclarissimos ordines (nostrum scilicet Franciscanum, & Dominicanum exortas) venusta oratione sopire contendit. Floruit circa annum 1440. Videatur etiam super Numeros, q. 5. & super Iosue q. 39. & paradoxa 1. cap. 21. & 102. *Alphonsus Tostatus.*

12. Loco succedat Nicolaus Tudescus, Abbas Panormitanus cō muniter nuncupatus, qui puræ etiam sacræ Virginis Conceptioni adstipulatur, quem citat Andreas Barbatius in proœmio Clement. & in cap. *conquæstus*, dicentem se accepisse sententiam nostram Minorum Fratrum, ab Ecclesia esse approbatam. *Abb. Panor.*

13. Loco succedat supradictus Andreas Barbatius Siculus, nobilis Iurisper. qui in proœmio Clementinarū, & in cap *conquæstus*, semel & iterum immaculatam Deiparæ Virginis Conceptionem affirmat. *Andreas Barbatius.*

14. Loco succedat Iacobus de Valentia, Episcopus Christopolitanus, in Canticū Virginis, & super Psal. 13. & 45. vbi hac de re tractat, & constantissime prædictā sententiā defendit, & alibi nō semel. *Iacobus de Valentia.*

15. Loco succedat Aloysius Lypomanus, in catena super Ioannē cap. 15. vbi etiam eandem sententiam defendit. *Aloysius Lypomanus.*

16. Loco succedat Ioannes Driedon, lib. 1. de Gratia & libro *Ioan. Driedō.*

Arbi-

Arbitrio, prima parte cap. 1. & secunda parte capit. 2. & tertia parte cap. 6. & in secundo libro eiusdem operis, secunda parte cap. 2. & lib. 3. de rebus Sacræ Scripturæ, tractatu secundo, parte prima cap. 4. vbi etiam hanc sententiam defendit.

Franciscus Titelmanus. 17. Loco succedat Franciscus Titelmanus, nostri sacri Ordinis, super Ioan. cap. 2. vbi eandem defendit sententiam.

Iacobus Clitoueus. 18. Loco succedat Iacobus Clitoueus Neoportuensis Ecclesiæ Carnotensis Canonicus, in tractatu de Virginis Conceptione, capit. 8. & 9. & in additionibus ad Cyrillum lib. 6. in Ioannem cap. 15. & in Damascen. lib. 3 cap. 2. vbi hanc eandem sententiam tenet.

Galatinus. 19. Loco succedat Galatinus, libro quem in scripsit contra Iudæos cap. 7. vbi etiam eandem sententiam defendit, ac refert fuisse constantem omnium Rabinorum sententiam.

Nicolaus de Cussa. 20. Loco succedat Nicolaus de Cussa Cardinalis, vir valde doctus & ingenuus, qui in libro 8. suarum exercitationum, exponendo illa verba: *Sicut lilium inter spinas*, immaculatam sacræ Virginis Conceptionem defendit, quod & facit libro quinto explicando illa verba: *Cælum & terra transibunt*, & alibi sæpe.

Adrianus Finus. 21. Loco succedat Adrianus Finus, in libro cui titulus, *flagellum cōtra Iudæos*, vbi etiam eandem sententiam defendit.

Robertus Gaguinus. 22. Loco succedat Robertus Gaguinus, ex Ordine Sanctissimæ Trinitatis, eiusdemque Generalis, qui pro sacræ Virginis Conceptione, tàm carmine quàm soluta oratione multa quammaxima cōsideratione digna scripsit. Quod etiam fecit in historia quam texuit de rebus Francorum lib. 9. in Carol. 6.

Dormi Securè. 23. Loco succedat Auctor libri, cui titulus *Dormi securè*, relatus à Salazar loco vbi supra, cap. 42. in decimoquinto sæculo, qui de pura Virginis Conceptione, Sermonem quendam satis elegantem contexuit.

Baptista Mantuanus. 24. Loco succedat Baptista Mantuanus, Carmelitarum nobile decus, & eiusdem Ordinis Generalis prior, qui in libro quem edidit de Sanctorum Festis, de sacræ Virginis Conceptione, & ipsius à peccato originali immunitate multa dixit, quod & fecit etiam alibi venusto carmine.

Rodulph. Cartusianus. 25. Loco succedat Rodolphus siue Rodulphus Cartusianus, qui in libro quem edidit de Vita Christi, prima parte cap. 2. eandem piam sententiam defendit.

Roffensis Martyr. 26. Loco succedat Roffensis, inclytus Martyr, libro quem fecit contra Lutherum, vbi etiam prædictam sententiam defendit.

Albert. Pius 27. Loco succedat etiam Albertus Pius Cartensis, libro quem etiam efficit contra Erasmum, vbi etiam eandem sentētiam defendit.

Rodulphus Agricola. 28. Loco succedat Rodulphus Agricola, tractatu quem hac de re egit.

29. Loco

29. Loco succedat Fredericus Nausea Cartusianus, Episcopus Viennensis 1. cent. homilia 85. de Sanctis. *Fredericus Nausea.*

30. Loco succedat Antonius Cussanus, in suo elucidario de Virginis Conceptione, vbi id ipsum cumulantissime fecit. *Antonius Cussanus.*

31. Loco succedat Vincentius Valuacensis, in suo speculo historiali, lib. 7. cap. 121. vbi etiam hanc sententiam defendit. *Vincent. Valuacensis.*

32. Loco succedat Magister Sanctius à Porta, in libro quem edidit de festis & laudibus Virginis. *Santius à Porta.*

33. Loco succedat Frater Leonardus de Vtino, in suo Sanctorali, sermone de Conceptione Virginis, vbi dicit eam ab originali peccato fuisse immunem. *Leonardus de Vtino.*

34. Loco succedat Ludouicus Blosius, lib. quem fecit de vitis Sanctorum Patrum. *Ludobicus Blosius.*

35. Loco succedat Ioannes Echius, homilia secunda in festo Conceptionis, *Ioan. Echius.*

36. Loco succedat Laurentius Surius, in Appendice Naucleri. *Laur. Surius.*

37. Loco succedat Petrus de Morales, libro quem fecit de Christo Domino, & Virgine Deipara, libro 3. tractatu 1. conclusio 6. *Petrus de Morales.*

38. Loco succedat Martinus Martinez, in suo hypotheposion, libro sexto cap. 3. *Martinus Martinez.*

39. Loco succedat Ioannes Viguerius, in suis institutio Theologicis cap. 18. *Ioannes Viguerius.*

40. Loco succedat Theodorus Peltranus, in disceptatione quam fecit de peccato originali. *Theodor. Peltranus.*

41. Loco succedat Didacus à Payba, Lusitanorum & Conimbricensium Theologorum decus, libro quinto defensionis Tridentinæ Fidei, & in secunda parte Sermonum, Sermone primo de Conceptione Beatæ Virginis. *Didacus à Payba.*

42. Loco succedat Didacus Stella, nostri sacri Ordinis Minorũ, huius Salmanticensis Conuentus filius, libro quem scripsit super Lucam, cap. 11. explicando illa verba *Beatus venter qui te portauit*, vbi hãc sententiam cumulantissime defendit. *Didacus Stella.*

43. Loco succedat Iacobus Genuensis, sermone tertio de Assumptione Virginis, vbi hanc eandem sententiam defendit. *Iacobus Genuensis.*

44. Loco succedat Gundisaluus de la Cerda, libro quem edidit super Paul. in epist. in Roman. cap. 5. *Gundisaluus de la Cerda.*

45. Loco succedat Ioannes de Sancto Geminiano, in sua summa libro 1. cap. 48. *Ioan. de Sancto Geminiano*

46. Loco succedat Iacobus Christopolitanus, super Psalm. 45. vbi hanc etiam sententiam defendit. *Iacobus Christopolitanus.*

47. Loco succedat insignis noster Frater Angelus de la Paz, in libro quem fecit de expositione Symboli lib. 5. cap. 2. vbi immaculatã Virginis Conceptionẽ multis atq; fortissimis rationibus cõprobat. *Angelus de la Paz.*

Rutilius Episcopus.

48. Loco succedat Rutilius Episcopus Lauretanus, libro quem edidit super *Magnificat*, lib. 1 cap. 23. vbi eandem sententiã defendit.

Thomas Bozius.

49. Loco succedat Thomas Bozius, de signis Ecclesiæ lib. 9. cap. 8. vbi eandem sententiam defendit, & Deiparæ Conceptionis festum solemniter esse celebrandum.

Doctor Nauarrus.

50. Loco succedat doctissimus Doctor Nauarro, in tractatu quẽ fecit de oratione Dominica, numero 131. *& in cap. si quis autem de pœnitentia distinct. 7. num.* 74. vbi prædictam sententiam defendit, & dicit se semper idem docuisse contra Glos. *in cap. 1 de consecrat dist.* 3.

Supradictos quinquaginta Doctores Expositiuos, pro prædicta nostra sententia ex varijs ordinibus atque statibus, in medium adduxisse libuit, vt correspondeent totidem quinquaginta Doctoribus Scholasticis superius adductis, & præter ipsos ex sola Religione Iesuitarum eandem sententiam tutãtur atque acerrime defendunt omnes qui sequuntur.

Quinam auctoritates expositiui ex sola religione Iesuitarum, piã nostram sententiam tueantur atque defendant, præter Scholasticos superius adductos.

In primis Petrus Canisius lib. 1. de Virgine Deipara à cap. 5. vsque ad octauum, & in cathecismo cap. 2. de peccato Adæ. Franciscus Turrianus in epistola ad Iacobum Amiotum Episcopum Antisiodorensem, de natura peccati originalis. Theodorus Peltanus, de peccato originali tractatu sexto. Salmeron tomo 3. tractatu 12. in Cantica, & lib. 2. disput. in Paulum, tractatu 49. 50. 51. & 52. Franciscus Toletus Cardinalis in Ioannem, cap. 3. annotatione 9. & in Lucam cap. 1. annotatione 119. & in cap. 5. epist. ad Romanos. Bellarminus tomo 3. lib. 4. de statu gratiæ, & peccati. Ioannes Maldonatus in cap 9. Matthæi ad illa verba, *non veni vocare iustos, sed peccatores*. Benedictus Pererius in Danielem cap 4. ad illa verba *germen radicum in terra sinite*. Martin del Rio in florido Mariano in festo Conceptionis, & lib. 4. magac. disquisitio cap. 1. quæst. 3. sect. 4 & in cap. 2. Canticorum sectione 4. & sæpe alibi. Ioannes Fernandez in thesauro Scripturæ, verbo calcaneus, num. 1. Sebastianus Barradas, tomo 1. lib. 6 concord. cap. 3. Ioannes Lorinus ad Psalmum 95. super illa verba, *Honor Regis iudicium diligit*. Benedictus Iustinianus in cap. 2. & in epist. ad Timotheum, ad ea verba: *Qui dedit Redemptionem suam, &c.* & in cap. 2. epistolæ ad Hebræos ad illa verba: *Quid est homo quod memor es eius?* Cornelius à Lapide, in cap. 5. epist. ad Romanos, ad illa verba: *per vnum hominem, &c.* Ioannes de Pineda in cap. 14. libri Iob, super illud. *Quis potest facere mundum de immundo conceptam semine?* Et in pereleganti sermone quem de hac thesi in vulgus dedit: & in tractatu illo peruenusto quem ita inscripsit: *Aduertentiæ ad priuilegiũ 11. Ioannis primi Aragonum Regis*, ac denique in responsis ad eorum obiectiones, qui prædictas aduertentias arrodentes ac vellicantes, viri doctissimi ad retundendos ipsorum morsus styllum exacuerint. Christophorus de Castro, de vita Deiparæ cap. 2. num. 5. Ioannes Bonifacius in eadem vita, Petrus de

de Ribadeneira in Flore Sanctorum, octauo Decembris. Iosephus à Costa de Christo reuelato capit. 1. num. 18. Carolus Mangotius, in mon. mar. mon. 2. Petrus de Morales in cap. 1. Matthæi, lib. 3. tracta-tu 1. de præseruatione Virginis. Magallanus in epist. ad Timotheum, cap. 2. sect. 4. annotatione 6. Franciscus Costerus, meditatione prima de Conceptione Virginis. Vincentius Brunus tomo quarto medita-tione 1. Ioan. Ossorius in festo Conceptionis. Frãciscus Labata in apa ratu, verbo *Maria*, propositione 3. Messa in sua mensa spirituali, verbo *Maria*, numero 2. & 4. & 34. Iulius Mazarinus in Psalm. 50. disp. 96. Ludouicus à Ponte tomo 1. parte secunda, meditatione 3. puncto 4. Petrus Ojeda in libello quem in scripsit, *informatio Ecclesiastica*, de pu-ra Virginis Conceptione.

Alij diuini verbi concionatores, qui in suis sermonibus Virginis sacra immunitatem, & Immaculatã Cõceptionem semper populo proposuerunt.

Post quos prædictos Societatis Iesu grauissimos atque eruditissimos viros, adducere libuit alios egregios diuini verbi concionatores, qui in suis sermonibus populo semper proposuerunt sacram prædictam Virginem à peccato originali fuisse præseruatam, idque ipsum suis scriptis ad perpetuam suæ mentis & intentionis memoriam typis, ac prælo mandauerunt. Cum tamen pro alia in contrarium sententia & opinione ex iunioribus (quem viderim) nullus omninò reperiatur ausus qui fuerit typis mandatum relinquere eandem in originali peccato fuisse conceptam.

F. Stephanus Mendez.

In quorum prædictorum concionatorum numero, consulto volui vt exeat primus Pater Frater Stephanus Mendez, Ordinis Dominicani, qui in primo tomo de excellentijs Virginis, lib. 3. hac de re tractat, ac dicit prædictam sacram Virginem à peccato fuisse præseruatam.

F. Philippus Diez.

Cui succedat haudminus doctus & religiosissimus Pater Frater Philippus Diez, nostri sacri Ordinis Minorum, qui in suo Mariali in principio idem argumentum latissime prosequitur.

F. Didacus de la Vega.

Quod etiam facit doctissimus Pater, etiam nostri sacri Ordinis Minorum Frater Didacus de la Vega, in eo tomo de Sanctis, cui titulus, *Parayso de los Santos.*

F. Ludouicus de Azeuedo.

Facit etiam idipsum Frater Ludouicus de Azeuedo, Ordinis Augustiniani, in suo Mariali, discursu de Conceptione Virginis, nec non in discursu solitudinis eiusdem Virginis.

F. Petrus de Valderrama.

Id etiam facit Frater Petrus de Valderrama eiusdem Ordinis, libro quem inscripsit de Sanctis, vbi ea de re sex copiosissimos, & doctissimos sermones inuenire licebit.

F. Laurentius de Zamora.

Quod quidem argumentum haudminus docte & luculenter prosequitur, doctissimus etiam Pater Frater Laurentius de Zamora, Ordinis Diui Bernardi, in tertia parte suæ misticæ Monarchiæ, quæ sub alijs verbis inscribitur mariale.

Post quem nec immerito annumerandi veniunt, Pater Frater

Ildephonsus Remon. *Doct. Luzero.* *Doct. Aluar. Pizaño.*

Ildephonsus Remon, Ordinis de la Merced, Redemptionis Captiuorum, & Doctor Gundisaluus Sanchez Luzero, Canonicus Granatensis, ac sacræ Theologiæ Primarius Regens eiusdem Vniuersitatis, & Doctor etiam Aluarus Pizaño de Palacios, Cordubensis Canonicus, Sancti Officij Inquisitionis Consultor, in proprijs tractatibus quos hac de re fecerunt, ac prælo mandauerunt.

F. Vincentius Iustinianus.

Quorum omnium numerum explere ac finire libuit, ad vnguem referendo quædã notabilia verba quæ dixit etiam doctissimus Pater Frater Vincentius Iustinianus Dominicani Ordinis, in additionibus quas fecit ad historiam Sancti Ludouici Beltran, impressis Valentiæ, anno 1593. & in tractatu de Immaculata Virginis Conceptione, excusso anno præterito 1615. vbi testatur se audiuisse quamplurimos famosissimos suæ familiæ & scholæ concionatores, publice prædicãtes Conceptionem Beatæ Virginis fuisse immaculatam, ac sine vlla prorsus originali macula: & in multis sui Ordinis Conuentibus (sed maxime in Prouincia Betica) Conceptionis festum publice fuisse celebratum, sub hoc titulo, quod Virgo sacra in sua Conceptione ab originali macula prorsus fuit immunis. Quo quidem testimonio ad hoc propositum, nescio quid amplius possit aut debeat desiderari.

Quod sententia prædicta sit quæ modo magis viget in Scholis & Vniuersitatibus cunctis.

Quanti sint habenda & æstimanda Academiarum decreta, super re qualibet ab ipsis determinata.

Sed quia in conclusione nostra diximus, sententiam prædictam, necdum esse consonam & conformem sententijs, & communi modo loquendi Doctorum Scholasticorum & Expositiuorum, verum etiã & quæ modo magis viget in Scholis & Vniuersitatibus cunctis: oportet vt id ipsum similiter per singulas aut saltim præcipuas probemus & ostendamus. Ad quod propositum prius præmittere libuit, quanti sint & esse debeant ponderis atque momenti in Ecclesia, Academiarum & Vniuersitatum placita, siue potius testimonia, decreta seu consilia: in his quæ ad fidem & ad diuinum cultum pertinent, quod facere haudquaquam erit difficile: cum ex ipsis (vt experientia ipsa constat semperque docuit) Pontifices Summi consilium soleant exhaurire in rebus dubijs (& quidem neq; immerito) pro earũdem enodatione & explicatione ad ipsas tanquam ad quædam diuina & sacra oracula conueniendo, quo sua auctoritate edocti, maiori cum consilio diffinire atque determinare possint postea tãnquam de fide, quid in re qualibet fit tenendum atque sequendum. Nec dubium est quod Generales Academiæ & Vniuersitates, vt vera quædam Ecclesiæ lumina sint habendæ. Quo præmisso atque præsupposito dico, quod si eiusmodi Academiarum & vniuersitatum iudicium, in præsenti controuersia & quæstione de sacræ Virginis puritate, & à peccato originali immunitate explorandum sit, reperire certe licebit quod ab hinc ducentis & amplius annis, omnes totius orbis Vniuersitates Catholicæ, tàm in Italia quàm in Gallia, Germania & Hispania, vnanimi consensu huic nostræ sententiæ constanter adhæserunt,

illam-

illamque professi sunt publice atque priuatim, & contrariam substineri (saltem publice) nullo modo permiserunt. Ad quod propositũ probandum, quammaxime facit id quod refert Bustos sermone 8. de Conceptione Virginis. *Nempe anno Domini 1385. seu potius & verius 1305. Vniuersitatem Parisiensem, determinasse sacram Virginem Mariam Christi Domini Matrem per nullum instans aut momentum subiectam originali culpæ fuisse, sed speciali priuilegio ab omni macula immunẽ & præseruatam, in cuius quidem rei firmitatem maiorem, statutum fecit, quo neminem ad Doctoratus gradum in Theologia admittit, nisi prius iure iurando se astringat, atque promittat, veritatem hanc semper se defensurum, & vt periuros damnat & punit, eiusmodi iuramenti violatores.* Cuius quidem decreti & statuti, occasionem quammaximam fuisse dicit Bustos prædictus, nostrum Subtilẽ Scotum, vt & nos iam supradiximus agẽdo de eodem, & sua opinione & sententia circa sacræ Virginis puritatem, & à peccato originali immunitatem. Qua de re videatur Pelbartus lib. 4. sui Stellarij, prima parte art. 3. & Ojeda in informatione quam fecit de Conceptionis festi antiquitate cap. 15. §. 6. & Guaguinus in Historia Francorũ, agendo de carolo 6. dicit, quod anno 1408. *quidam Frater Ordinis Sancti Dominici, Doctor Theologus & Magni nominis, nomine Ioannes de Montesono, ausus est prædicare ad populum, Virginem Deiparam instar aliarum mulierum in originali peccato fuisse conceptam, quem alter quidam eiusdem ordinis Theologus est imitatus, cum Rotomagi de re ipsa sermonem haberet, dicens: nisi palam ostendero Christi matrem dum conciperetur, paterni originis labem contraxisse, Imetus non recusso appellari.* Quod nomẽ apud francos est ridiculum, & veluti si apud nos diceretur, *tenedme por vn loco. Qua re discussa in præsentia Summi Pontificis Innocentij Septimi, veritate comperta, procurante ipsa Schola Parisiensi, Montesonus prædictus Parisium redire compulsus fuit, & quæ de Virgine sacra temere prædicauerat, publice retractauit.* Hæc Gaguinus vbi supra. Sicque in calce operum Magistri Sententiarum, quæ excussa sunt Lutetiæ anno 1557. vbi habentur errores prædicti Ioannis de Montesono, quos Theologica facultas Parisiensis damnauit, inter ipsos propositione 10. 12. & 13. continentur illi quos ex decreto Parisiensis Academiæ publice retractare compulsus fuit. Quod etiam refert Salazar libro de Conceptione cap. 42. in 15. sæculo, & Cordoua lib. 1. sui Quæstionarij, quæst. 44. & Ægidius libro etiam superius citato, pro defensione Immaculatæ Conceptionis, lib. 3. quæst. 6. art 4. §. 3. *Referunt eandem Parisiensem Academiam, anno Domini 1499. in Magistrum Fratrem Ioannem à Vers, eiusdem Prædicatorum Ordinis, pro eo quod contra immaculatam sacræ Virginis Conceptionem publice prædicauit, Beneuento comprehensum, lutetiamq; adductum, sententiam tulisse, ipsumq; damnasse, vt quod dixerat retractaret.* Cuius retractationis processus, modus & forma, refertur à supradicto Salazar loco vbi supra, & autentice (vt dicitur) asseruatur Murciæ in carthopilatio Cœnobij Fratrum Minorum. Et dicitur

Quid de hoc altissimo mysterio senserit ab hinc trecentis & amplius annis Parisiensis Academia?

Nota hoc valde.

citur quod prædicta retractatio facta fuit Parisijs apud Sanctū Martinum,& per iuramentum solemniter celebratum, anno supradicto Domini 1499. die 16. mensis Septembris. Qualiter autem Doctores Vniuersitatis Parisiensis prædictæ, obligare possint suos graduatos iureiurando opinionem prædictam vt semper defendant,& nunquā illi se oppugnant, quomodo etiam possint aut potuerint Magistros prædictos punire & damnare, quasi de peccato & doctrina dissona fidei, pro eo quod sacræ Virginis immunitatem impugnauerint, absque eo quod contrauenerint Extrauaganti Sixti Quarti (quæ incipit, *graue nimis*, de qua diximus supra) alterius est negotij & quæstionis, qua de re videndus est Cordoua in suo Quæstionario lib. 1. quæst. 44. pag. 370. notab. 2. & Ægidius loco vbisupra, quæst. 6. art. 4. §. 2. vbi de mente prædicti Corduuæ dicit, prædictum Sixtum Quartum in dicta sua Extrauaganti solummodo excommunicare eos qui dicerent hæresim esse affirmare Beatam Virginem in originali peccato fuisse conceptam, aut mortale esse peccatum illud asserere: quasi dictum eiusmodi assertionis ex suo obiecto sit malum & peccatū mortale, cum Ecclesia hactenus non diffinierit prædictam veritatem tanquam de fide, nec illius propositionis obiectum esse malum. At (inquit) Doctores Parisienses prædicti, punientes Magistros supradictos, non id ipsum fecerunt aut faciunt, quasi hæresim aliquam dixerint: cum & ipsi plane fateantur eiusmodi veritatem hactenus à nullo Summo Pontifice diffinitam esse tanquam de fide: nec etiam illos punierūt, aut punire possunt modo, quasi affirmauerint aliquid quod ex suo obiecto sit malum: sed quia affirmare ausi sunt quod se non affirmaturos iurarunt, & ex totius vniuersitatis decreto id ipsum iureiurando se astrinxerunt, in quo sensu id facere optime potuerunt, vt late probat Corduua, & Ægidius prædictus loco supracitato. Simile statutum factum legitur, ab Vniuersitate siue Academia Coloniensi, anno 1451. & à Maguntina anno 1501. vtraque enim Parisiensem sequuta in Immaculatæ sacræ Virginis Conceptionis defensionem *decreuit: Iurauit atque statuit, neminem ad Magisterij siue Doctoratus gradum admitti, qui non prius ad id ipsum defendendum, iuramento se astrinxerit illudq; deuouerit.* Qua de re videatur Surius in Commentario rerum in orbe gestarum, anno 1501.

Nota qualiter Academiæ & Vniuersitates punire possint contrauenientes statuto facto pro tuenda Deiparæ Virginis Conceptione.

De statuto Coloniensis Academiæ, & Maguntinæ.

Postquam diximus de Academiæ Parisiensis decreto protuenda & defendenda sacræ Virginis puritate, & à peccato originali immunitate, & de Coloniensi & Maguntina, ratio ipsa fert vt de nostræ Hispaniæ Academijs & Vniuersitatibus aliquid etiam dicamus. Ad quod propositū dico in primis cum Ægidio loco supracitato agendo de sua Conimbricensi Academia, quod ipse nunquam vidit per annos plusquam 60. aliquem) qui oppositam sententiam (needum publice in illis scholis, verum etiam nec priuatim, ausus fuerit defendere, & quod

De Academia Conimbricensi quid semper hac de re sencseris?

quod idem testimonium ferunt omnes nostri temporis Scriptores, de omnibus alijs generalibus Academijs, affirmantes ab hinc ducentis & amplius annis, sententiam & opinionem prædictam constantem fuisse omnium Doctorum & Magistrorum doctrinam. Quarum Vniuersitatum multæ, vnanimi eorundem consensu in id ipsum voto & iuramento se astrinxerunt. Qua in re primam omnium esse ferunt Valentinam, & Vrsunensim (vt inquit Salazar loco vbi supra, in 16. sæculo) nam id ipsum votum & iuramentum emisserunt eodem tempore quo & Maguntina, anno scilicet 1501. Optarem quidem de hac re & de alijs Academijs & Vniuersitatibus posse plura in particulari referre, breuitas tamen cui tantopere studeo, id ipsum facere haudquaquam permittit. Quo nihilominus non obstante, decretum celeberrimarum & præcipuarum duarum nostrarum Academiarum, siue Vniuersitatum (Complutensis scilicet & Salmanticensis) haudquaquam in præsentiarum visum fuit prætermittere. De Complutensi dicit prædictus Salazar loco supracitato pro defensione Immaculatæ Virginis Conceptionis, cap. 8. num. 24. quod vt ne suis Academicis deinceps integrum esset de sacræ Virginis originali iustitia dubitare, aut non pie sentire: cum incredibili omnium gratulatione, & sui etiam nominis & splendoris incremento quammaximo, decretum emisit: quo cauit ne cuipiā post hac in eadē Vniuersitate ad cuiusuis facultatis gradum ascendere liceat qui non prius iuramento præstito ad Immaculatam Deiparæ Virginis Cônceptionem tuendā, tenendam atque defendendam se astringeret. Cuius quidem iuramēti forma hic ad litteram refferre libuit, & fuit in modum quo sequitur: *Quoniam gloriosissima Virgo Maria Mater Dei augustissima, his qui elucidant ipsam (hoc est ipsius sanctitatem eximiam, & gratias prope diuinas in lucē proferunt) vitam æternam pollicetur: florentissima Complutensis Academia & eiusdem loci Ecclesia sancta ad grauissimam illam quæstionem quæ de illius Conceptione, sanctificationisq; exordio est, Patrum monumentis diligenter inspectis, perspectisq; matura consideratione Theologiæ momentis, amplam ad modum occasionem nacta elucidendi eius gloriam: doctrinam quæ dixerit gloriosissimam Virginem Mariam, præueniente & operante diuini numinis gratia, nunquam actualiter subiacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali culpa, sanctamq; & immaculatam: tanquam piam & consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & Sacræ Scripturæ hactenus semper summa confessione defendit ac propugnauit: sed quo fælicius tandem eiusdem sanctissima gloriam in lucem proferat, vtq; sit illustrius omnium oculis testata, eandem veram sententiam tenendam, & amplectendam, post hac sub sacrosancta iuramenti religione, tactis Euangelijs promittit, recipit, & spondet.* Hæc vbi supra.

De Academia Valentina, & Vrsunense.

De Vniuersitate atque Academia Complutensi quid semper de hoc mysterio senserit.

Nota formam iuramenti præstiti a Cōplut. Academia pro tuenda immaculata sacra Virginis Conceptione.

Haud minori quidem amoris & deuotionis, affectu & studio, tuendi & in perpetuum defendendi sacræ prædictæ Virginis puritatem.

Decretum Vniuersitatis Salm.

tem.

mâticensis, & iuramentum quod emisit semper tuēda & defendenda sententia pia.

tem, & ab omni prorsus originalis peccati labe immunitatem, nostra hæc Salmanticensis Academia, toto terrarum orbe celeberrima, etiã cum magno fidelium omnium applausu, simile votum siue iuramentum communi omnium Doctorum siue Magistrorum consensu, in suo plenario Claustro emittere decreuit, secunda die mensis Maij anni præteriti 1618. ac de facto illud emisit, tot ac tantis præcedentibus festiuis gaudijs, iubilis, atque solemnitatibus, quæ durauerunt à 27. vsque ad 31. Octobris, vt satis constat de relatione hac de re typis mandata, quæ (vt credo) passim habetur. Cuius quidem iuramenti ac voti formam, vulgari sermone factam facile licet fuisset in latinũ transcribere, non tamen id ipsum facere est visum, neque vero eandẽ immutare, vt transumptum cum suo originali conueniat: vtque omnibus (etiam latinam ignorantibus linguam) constet atque perspicuũ fiat, quali deuotionis effectu eiusmodi votum siue iuramentum à sapientissimis, grauissimisque illis Patribus, Doctoribus & Magistris præstitum fuerit. In celeberrimo igitur conuentu Canonicorum Regularium, cui titulus, *nuestra Señora de la Vega*: expletis missarum solemnijs, coram altari & sacræ Virginis Imagine, consueto Pontificali amictu assistente illustrissimo huius ciuitatis meritissimo Episcopo D. D. Francisco de Mendoza, cum Missali aperto super sitiali, pluribusque alijs ceremonijs in id ipsum concurrentibus, stantibus omnibus Doctoribus & Magistris, flexis genibus, in multorum grauissimorum virorum conspectu & præsentia, omnes vnanimi consensu, quæ sequuntur protulerunt verba.

Forma iuramenti præstiti ab inclita Salmant. Academia, in defensionem immaculatæ Virginis Deiparæ Conceptionis.

Purissima Virgen de las Virgines, santissima Madre de Dios, Emperatriz y Reyna del Cielo: el parecer y sentencia que esta insigne Vniuersidad vuestra muy deuota y humilde aficionada, tiene de vuestra purissima Concepcion, y siempre à guardado en el archiuo de su pecho (segun se puede creer no sin inspiracion diuina) no contenta con auerle professado en sus disputas, la dessea manifestar cõ ceremonia solemne, y dar à entender el afecto y deuocion que os tiene, y lo que siente de la excelencia de vuestros merecimientos y dignidades, y para mayor gloria de vuestra pureza lo muestra por la obra en este sagrado y felice dia, mouida de la gran piedad de nuestro santissimo Padre Paulo Papa Quinto, y del santo zelo del Catolico Rey de las Españas Felipo Tercero nuestro Señor, y de la deuocion que tiene el pueblo Christiano à vuestra inefable y nunca manchada limpieza. Nosotros pues en nõbre, y voz de toda esta insigne Vniuersidad, votamos, prometemos, y juramos firmemente à Dios todo poderoso, y à vos santissima y gloriosissima Virgen Madre suya, de defender, leer, enseñar y predicar, publica y particularmente, que vos de quien todos sentimos y confessamos que soys siempre bienauenturada, santa, immaculada, bendita entre todas las mugeres, por los meritos de Iesu Christo nuestro Señor Hijo vnigenito de Dios y vuestro, desde la eternidad preuistos, fuystes preseruada por singular priuilegio de la mancha del pecado original, de que os libro la gracia diuina, santificandoos desde el dichoso instante

tante de vuestra purissima Concepcion. Y para que con mas cierto y durable sucesso este nuestro parecer se conforme, hazemos ley y estatuto que valga y tenga fuerça para siẽpre, q̃ en ningun tiempo sea admitido à los grados desta Vniuersidad, desde el primero hasta el vltimo, el q̃ no hiziere el mismo juramento, obligãdose à que publica y particularmẽte defendera este parecer. Y este voto, juramẽto y promessa, hazemos todos prostrados humildemente ante vuestra sagrada Imagen, assi Dios nos ayude, y estos sanctos Euangelios. Miradnos pues Virgen purissima, Madre santissima y Reyna poderosissima, desde el supremo assiento de vuestra felicidad: bolued à nosotros los ojos de vuestra acostumbrada misericordia, y à esta nuestra ò por mejor dezir vuestra Vniuersidad, ofrecida y dedicada siempre à vos, y à vuestro seruicio: la qual por singular merced y fauor vuestro, reconocemos auer subido desde los principios de su niñez, à la perfeccion de edad, y con la celebridad de nombre que oy tiene. Cuya dignidad, frequencia y fama, fauorecida de Dios por todo el mundo, à vos como de quien la recibimos, la agradecemos, y os rogamos por la santissima pureza y purissima santidad de vuestra Immaculada Concepcion, concedays vaya siempre en augmento, para gloria de Dios, honra vuestra, defensa de la fe Catolica, y exaltacion de la santa Iglesia Romana. Finalmẽte admitid (Señora) esta pequeña ofrenda, recibilda benigna y faborablemente y permitid se cuelgue de las paredes de vuestro Templo, en testimonio de nuestra piedad y deuocion. Hæc vbi supra.

Qui hac de re plura videre desiderat, quammaxime notatu digna, magna cura atque diligentia excogitata: consulat relectionem quam fecit ad textum celebrem *in cap. firmiter de consecr. dist. 4.* doctissimus Dominus Doctor Ferdinandus Oxeda, insignis Collegij Vrsonensis, immaculatæ Conceptioni dicati, iam olim collega, & in eadem Vniuersitate Decretorum Cathedræ moderator eximius, nunc autem Regius Consiliator, & in perillustri Hispalensi prætorio Senator dignissimus: vbi rem hanc erudite satis tractat, ac multis argumentis & rationibus comprobat, Virginis sacræ à peccato originali immunitatem, necdum vt in iure Canonico quammaxime exercitatus, verum etiam, vt Theologus magnus, & huic studio ex professo deditus. Quod & similiter fecit, haudminus doctus, sapientissimus Dominus Doctor Franciscus de la Cueua, in Curia Regia regalium Consiliorum aduocatus insignis, in informatione quam nuper edidit, ad probandam ex diuino atque humano iure, Virginis prædictæ puritatem, & ex speciali priuilegio immunitatem, ab omni prorsus originalis peccati labe, proposito themate ex Canticorum Canticis, cap. 4. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es: oculi tui columbarum: absque eo quod intrinsecus latet,* typis mandata, anno 1625. Qua etjam in re procedit non solum vt in vtroque iure quammaxime versatus, verum & vt Theologus magnus.

Ex quibus omnibus superque satis colligitur, sententiam nostrã prædictam, necdum esse consonam sententijs & communi modo lo-

quendi Doctorum Scholasticorum atque expositiuorum: verum etiam & quæ modo magis viget in Scholis & Vniuersitatibus cũctis; quæ pro hac quæstione dicta sufficiant.

QVÆST. XX.

De antiquitate festi Immaculatæ Deiparæ Virginis Conceptionis: & an ex ipsius in Ecclesia celebratione, & indulgentijs quæ conceduntur eidem interessentibus, efficax ac firmum argumẽtum desumi possit, ad probandum eandem ab originali peccato fuisse præseruatam?

MVLTA in præsenti hac quæstione se se offerunt discutienda atque disputanda, summa animaduersione dignissima, aduersarijs in id ipsum occasionem nobis præbentibus quammaximam, postquam asserere non verentur, Deiparæ Virginis Conceptionis festum, esse rem nouam in Ecclesia Sancta nostra: non vero antiquam, & multis ab hinc retro sæculis vsitatam, & quod non sub Conceptionis nomine celebrari debeat, sed solummodo sanctificationis seu alio quopiam titulo. Addentes & dicentes, quod quamvis id ita sit quod eiusmodi festũ sub Conceptionis prædicto nomine celebretur, haudquaquam ex eiusmodi celebratione, neq; etiã ex institutione religionis peculiaris in huius mysterij cultum & honorẽ, efficax ac firmũ desumi potest argumentum ad probãdam & confirmandam sacræ Virginis puritatem, & eandem ab omni prorsus originalis peccati labe fuisse præseruatam: quæ quidem omnia falsissima sunt, & hac in quæstione reprobanda & condemnanda. Qua in re vt recto ac congruo procedamus ordine, nonnulla libuit præmittere fundamenta, quæ quammaximam lucem ministrabunt, ad ea quæ postmodum in conclusionibus sunt dicenda.

Primum notabil. De antiquitate nimia festi Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis.

Et primo præmitto, quod circa prædicti festi antiquitatem, non est par omnium consensus, quinvero ea de re magna est lis & controuersia inter Doctores. De qua in primis videndus est latissime Petrus Oxeda Societatis Iesu, libro quem inscripsit, *Informacion Ecclesiastica en defensa de la limpia Concepcion de la Madre de Dios.* Vbi de festi huius antiquitate plura atque innumera dicit, summa animaduersione dignissima. Quod & facit Ægidius Augustinianus supracitatus loco vbi supra.

supra lib.3.quæst.6.art.1. §.4. & breuius atque compendiosius §.13. Videatur etiam ea de re Salazar Iesuita iam pluries citatus, capit.35. per septem parraphos, vbi accurate satis prædictam difficultatem exagitat, & in omni suo constituit puncto: quamvis in resoluendo illam ab aliorum sententia & opinione discedat. Ex quorum omnium lectione, recolligendo quæ rationi ac veritati magis videntur esse consona, vt constet à quo tempore festum prædictum in Ecclesia nostra sancta cœperit celebrari.

Dico primo esse certissimum atque constitutissimum, eiusmodi festum in tota Ecclesia celebrari cœpisse, ad minus à tempore Sixti Quarti, anno scilicet 1466. licet enim etiam antea in Ecclesia Romana, pluribusque alijs ex eiusdem auctoritate (saltim tacita) celebraretur (vt ex statim dicendis patebit) quod tamen ante prædictum Sixtum Quartum in tota Ecclesia celebrari consueuerit, quamvis nimis probabile sit, non tamen ita solidum ac firmum, quod vt tale certo sit tenendum. De celebratione festi prædicti adiucto tēpore Sixti Quarti, reperiuntur in iure duæ seu potius tres constitutiones Extrauagantes, quæ habentur inter communes, *sub titulo de reliquijs & veneratione Sanctorum*. Quibus festi prædicti celebratio, non solum permissa est, & ab Ecclesia roborata & approbata: verū etiam & auctoritate Apostolica, quam plurimæ sunt indulgentiæ concessæ pro his qui eiusmodi celebrationi interessent. Qua de re specialiter agit Extrauagans quæ incipit *cum præexcelsa*, expedita anno 1466.3. Kalend. Martij, Pontificatus sui anno sexto, vbi ea de re loquitur Pontifex, non quidem vt noua, sed vt iam prius in Ecclesia vsitata. Et quod prædictum conceptionis festum in Romana Ecclesia, non à Sixto Quarto primum cœperit celebrari, sed ipso longe sit antiquius, constat expresse ex decreto Concilij Basiliensis, quod celebratum fuit plusquā 30. annis ante ipsum Sixtum Quartum, vbi Sessione 36. dum approbat & renouat festi prædicti institutionem, inquit: *Quod per Romanam & alias Ecclesias antiqua & laudabili consuetudine celebrabantur*. Quibus verbis satis aperte datur intelligi, eiusmodi festum antiqua consuetudine à Romana Ecclesia longe ante præfatum Concilium fuisse celebratum. Et quamvis eo tempore dictum Concilium ab anno 1430. fuerit illigitimum propter rationem & causam superius dictā, nempe quia erat acephalum, & iam à suo vero capite Eugenio Quarto discesserat: non tamen ad hoc propositum censeri debet ita fuisse illegitimum, vt saltim testimonium quod hac de re dedit, non fuerit validum.

Conceptionis festum in tota Ecclesia, ad minus cœpit à tēpore Sixti 4. anno scilicet 1466. licet antea in pluribus particularibus, Ecclesijs celebraretur.

Nota decretū Concil Basiliēsis circa celebrationem festi Conceptionis.

Secundo dico esse nimis probabile eiusmodi Conceptionis festum fuisse publice celebratum in Anglia tempore Diui Anselmi, nēpe ab anno 1060. vel circa. Neque enim desunt qui dicant Diuum Anselmum in Anglia celebritatem hanc primum instituisse, vt teste-

Multū est probabile Conceptionis festum celebratū fuisse à tēpore D. Ansel in Anglia.

Bachonio quodlib. 3. quæst. 13. testatur Concilium Cantuariense, celebratum annno 1328. nam agens Concilium prædictum de celebritate dicta, post alia inquit, *Quod creditur venerabilem Anselmum eam inuenisse*. Vbi quammaxime venit notandum verbum inuenisse, quod idē pollet ac si dixisset, primum ordinasse vt in Anglia celebraretur: forte motus ex quadam reuelatione sibi facta à Beata Virgine de celebranda in Anglia suæ Conceptionis celebritate, tempore Guillermi Normandorum Ducis. Quæ quidem reuelatio (vt scribit Petrus in suo Cathalogo lib. 1. cap. 42.) facta fuit prædicto Diuo Anselmo, aut cuidam Helsimo Abbati Anglo in mari periclitanti, vt ex quodam antiquo Codice refert Cesar Baronius in suo kalendario ad diem 8. Decembris, & colligitur ex epistola eiusdem Anselmi ad Episcopos Angliæ, quam esse ipsius legitimam, multi tenent grauissimi Auctores, quos refert Oxeda in sua informatione pro Conceptione Virginis, cap. 12. Ex quibus omnibus satis colligitur, negari minime posse in Anglia festum Conceptionis prædictum tempore Diui Anselmi fuisse celebratum, quam celebrationem per multas annorum centurias ibidem permansisse, constat etiam ex Concilio Oxomensi, celebrato anno 1200. annis centum post Anselmum, vbi canone primo inter alia festa prædictum enumeratur, vt ex Crespecio refert Oxeda loco vbisupra.

Quo tempore festum prædictum in Gallia celebrari cœperit?

In Gallia vero eiusmodi festum, publice fuisse celebratum in Ecclesia Lugdunensi, tempore Diui Bernardi, qui floruit circa annum 1140. satis etiam constat ex eiusdem epistola 174. scripta ad Canonicos Lugdunenses, vbi eos acriter reprehendit eo quod absque Romanæ Ecclesiæ auctoritate eiusmodi festum celebrarunt.

Multū est probabile Conceptionis festū esse antiquius Bern. & Ansel. & celebratum fuisse tēpore Bedæ an. scilicet 730.

Tertio dico esse etiam nimis probabile, prædictum Conceptionis festum esse longe antiquius Diuo Bernardo & Anselmo, fuisseq; celebratum ante annum millesimum tempore Bedæ, qui floruit circa annum 730. vt constat ex ipsius Martyrologio, in quo eiusmodi festum ad notatum inuenitur: ex quo quidem arguit celebrari cœpisse, statim cum in Anglia Christi fides suscepta est. Quod etiam constat ex Kalendario Græco, quod tribuitur Diuo Damasceno, qui fuit eiusdem temporis cum Beda.

Quo tempore festum prædictum in Hispania celebrari cœperit?

Quinvero addo festum prædictum in nostra Hispania fuisse celebratum ante Bedam & Damascenum, vt satis constat ex kalendario Diui Isidori, quod ex commisione Concilij Toletani 4. composuit, reformando Missale & Breuiarium Hispanum, quod *Mozarabe* nunc appellatur, vt tradit Ambrosius de Morales lib. 12. cap. 19. & Mariana lib. 6. cap. 5. Loaysa in annotationibus ad dictum Concilium cap. 3. & Baronius tomo 8. anno 673. Et certum est quod prędictus Diuus Isidorus floruit circa annum 630. & Concilium Toletanum prædictum fuit celebratum anno 643. In dicto ergo Kalendario prædictū

Con:

Conceptionis festum positum inuenitur tanquam celebrari solitum, & in Missali reperiuntur plura in fauorem Immaculatæ Conceptionis, quæ videri poterunt apud Oxedam supradictum loco vbisupra, cap. 5. vbi & dicit Missale illud In quo Conceptionis Missa continetur, à duobus Summis Pontificibus postea fuisse approbatum, & vsque in hodiernam diem semper permansisse in nostra Hispania.

Quarto dico esse etiam probabile nimis, festum prædictum longo tempore ante Diuum Isidorum in nostra Hispania celebrari solitum. Quod probatur ex Pauli Orosij testimonio, qui floruit circa annum 400. & in epistola quam scripsit ad Eustochium, hac de re egendo sequentia notabilia verba dicit. *Coram Deo noui & in veritate comperi, quod nulla mulier in partu periclitatur, super quam deuoti Maria gratia imploratur, & dies Conceptionis eius celebratur.* Quæ verba referuntur à Bustos Sermone octauo de Conceptione, & ab Oxeda loco vbisupra, ca. 5. Ex quibus satis aperte constat, quod tempore Pauli Orosij prædicti, iam eiusmodi festum in nostra Hispania erat celebrari solitum. Et quod alijs etiam in locis celebraretur, satis etiam constat ex his quæ tradũt viri doctissimi, Cassiodorus libro de institutio. diuinarũ lectio. cap. 32. Beda in retractationibus ad cap. 1. Actuum Apostolorum, & cap. 6. in Euangelium Marci. Calixtus Secundus in prologo libri de translatione Iacobi. Mollanus in annotatio. ad Martyrol. Vsuarti. Baronius in suo Martyrolog. in præfactione cap. 9. nempe Diuum Hieronymum Martyrologium quoddam composuisse, & in eo adnotari prædictum Conceptionis festum, quod satis prosequitur supradictus Oxeda cap. 13.

Nimis est probabile festum prædictum ante Isidorum in nostra Hispania celebrari solitum.

Notentur valde verba Pauli Orosij.

Quinto dico, probabilissimum etiam esse, supradictum Conceptionis festum, adhuc esse antiquius multo, celebratumque fuisse olim à Græcis, & Siris in initio nascentis Ecclesiæ, vt quam latissime prosequitur supradictus Oxeda loco vbisupra, cap. 2. 3. & 4. constatque satis ex Lyturgijs quas (vt dicitur) lingua Græca atque Siriaca composuit Diuus Iacobus Minor, primus Episcopus Hierosolymitanus, in quibus prædicti Conceptionis festi fit expressa mentio, & in quadam rubrica verborum post consecrationem dicendorum, dicit quod Sacerdos exclamando alta & sonora voce, sequentia proferat verba. *Memento præcipue Sanctissima Immaculata super omnes benedicta, gloriosa Domina nostra, Deipara semperque Virginis Maria. Cui & ministri respondere debebant. Dignum est vt te vere Beatam dicamus Deiparam semper Beatam, & omnibus modis irreprehensam Matrem Dei nostri, &c.* Quæ supradicta omnia confirmantur ex Græcorum Martyrologio quod Genebrardus transtulit, in principio commentariorum in Psalmos, vbi festum prædictum ponitur nona die Decembris, quod quidem Martyrologium Ioanni Damasceno tribuitur, vt testatur Galatinus lib. 7. contra Iudæos, cap. 8. & Canisius lib. 1. de Maria Deipara cap. 7. in fine, necnõ

Quod festum prædictũ multo sit antiquius & lõge ante celebratum à Græcis.

& Cesar Baronius in suo Martyrologio Romano ad diem 8.Decembris. Confirmatur id ipsum ex quodam sermone de Cõceptione Virginis manu scripto, Leonis III. Imperatoris, reperto (vt refert prædictus Baronius in dicto Martyrologio) in Bibliotheca Esforciana nu. 63. Floruit autem prædictus Imperator Leo, eodem tempore quo & Damascenus, anno scilicet, 800. plus minusve. Et idem Baronius loco vbisupra refert alium etiam Sermonem eiusdem festi, Auctore quodam Georgio Episcopo Nicomediensi, qui fuit etiam eiusdem temporis. Et cum sermones nullo vnquam tempore fierent, nisi in festis quæ publice celebrabantur, satis aperte & manifeste prædictum nostrum sequitur intentum.

Probabilissimam est, festũ prædictum celebratum fuisse in Hispania à tempore Apostolorum.

Sexto & vltimo dico, esse etiam probabilissimum, nec sine vrgẽtissimo fundamento dici posse, festum Conceptionis prædictum in nostra Hispania à tempore Apostolorum incœpisse, vt luculenter satis probat Oxeda in sua informatione prædicta pro defensione sacræ Deiparæ Virginis Conceptionis cap. 5. afferẽdo in id ipsum verba illa quæ fertur dixisse olim Thesiphon Diui Iacobi Maioris discipulus, nempe: *Sanctos Apostolos diffiniisse atque determinasse, Virginem sacram ab omni prorsus originalis peccati labe fuisse præseruatam à primo suæ Cõceptionis instanti: & quod eandem primi nostri parentis peccatum minime tetigit, nec Angelus Virgini diceret, Aue gratia plena, si in originali peccato conceptafuisset.* Ad quod etiam propositum adducit nobile quoddam testimonium Flauius Destri Barchinonẽsis, in sacro Theodosij Imperatoris consilio olim Chancellarij Maximi, qui floruit anno 392. cuius etiam meminit Diuus Hieronymus, eundemque inter illustres Ecclesiæ scriptores retulit. Qui quidem prædictus Flauius Dester in suo chronico siue historia omnimoda nuncupata, Diuoque Hieronymo prædicto dicata (in cuius retributionem & ipse dicauit eidem librum, cui titulus de scriptoribus Ecclesiasticis) de prædicto Conceptionis festo agendo sequentia verba dicit. *A Iacobi prædicatione celebratur in Hispania festum Immaculatæ & illibatæ Cõceptionis Deigenitricis Mariæ. Et alibi à tempore Apostolorum celebratur in Hispania festum Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ.* Ex quibus verbis satis constat festum prædictum à Sanctorum Apostolorum tempore in Hispania fuisse celebratũ, eiusque solemnem celebrationem etiam tempore prædicti Flauij Destri viguisse. Cui etiam rei quammaximam facit fidem supradictum testimonium Pauli Orosij, positum in quarto dicto huius notabilis, qui per id tempus apud nos Hispanos floruit, anno supradicto 400. quæ cum sint duo adeò præclara testimonia, haudquaquam possunt aut debent inficiari, cum teste Scriptura Sacra, in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Ex quibus omnibus superque satis probata manet antiquitas nimia festi prædicti Immaculatæ Virginis Conceptionis in Hispania, & in omnibus alijs mundi partibus: & videri

Notentur valde verba Flauij Destri viri nobilissimi, & historiographi grauissimi

faci-

facile potest quam prorsus sine fundamento & ratione, aduersarij nō vereantur asserere festum prædictum esse rem nouam non antiquam, neque in sancta nostra Ecclesia vsitatam.

Secundo præmitto, quod Doctores contrariæ sententiæ & opinionis, qui Immaculatam sacræ Virginis Conceptionem non admittunt: quinvero constanter affirmant, eandē in originali peccato fuisse conceptam: cum videant non posse inficiari ea quæ superius sunt dicta & sanctissimæ Conceptiones festum à multis retro annis (quinvero & seculis) in nostra sancta Ecclesia publice celebrari cœpisse: vt argumentum effugiant validissimum atque fortissimum, quod contra ipsos exinde effici potest. ad eiusdem Virginis puritatem, & ab omni prorsus originalis peccati labe immunitatem comprobandam: ad varias solutiones seu potius euasiones confugiunt: vt videre est apud Bandellum libro suo iam pluries citato, quem contra sacræ Virginis Conceptionem Immaculatam scripsit, secunda parte respondēdo ad decimum rationem ex ijs quæ pro nostra sententia & ratione sibi fuerunt propositæ.

Secundum notabile, quid aduersarij dicāt de celebratione festi prædicti Immaculatæ Conceptionis.

Quidam enim dicunt, Conceptionis festum in Ecclesia celebrari, non sub primo dicendi modo, & Conceptionis titulo, quasi illa fuerit sancta: sed sub titulo sanctificationis: ita vt non celebretur sacræ Virginis naturalis siue materialis Conceptio, sed eiusdem sanctificatio, in vtero facta post ipsius Conceptionem: ita quod festi prædicti solemnitatem referri affirmant, non ad sacræ Virginis Conceptionē naturalem siue materialem significandam, sed ad spiritualem: & per Conceptionem spiritualem intelligunt ipsius sanctificationē: in qua Dei gratia veluti parens quædam, animam ipsam concipit ac Dei filiam constituit. Hæc sententia est Caietani in tractatu de Conceptione Virginis cap. 5. §. Ecclesiasticus deinde cultus, & illam desumpsit ex Diuo Thoma tertia parte, quæst. 27. art. 2. ad tertium, vbi sequentia verba dicit *Nec tamen per hoc quod festum Conceptionis celebratur, datur intelligi quod in sua Conceptione fuerit sancta: sed quia quo tempore fuerit sanctificata ignoratur, celebratur festum sanctificationis eius, potius quam Conceptionis, in die Conceptionis eius.* Quod antea dixerat idem Diuus Thomas in tertio d st. 3. quæst. 1. art. 1. questiuncula prima, & quodlib. 6. art. 7. Quam solutionem communiter probant Thomistæ, sed præsertim Capreolus in tertio dist. 3. quæst. vnica art. 3. ad septimum, Aureolus fol. 16. colum. 1. vbi refert Ioannem de Neapoli. Idem sentit Hispalens. ibidem quæst. vnica 2. 4. ad decimumtertium Aureolus pag. 18. col. 4. in fine. Eandem etiam sententiam approbarūt Richardus in tertio dist. 3. art. 1. quæst. 1. ad tertium, D. Bonauent. ibidem art. 2. quæst. 1. num. 14. Durand. quæst. 1. num. 14. & communiter alij. Ad eandem opinionē accedit Medina ad tertiam partem Diui Thom quæst. 27. art. 2. §. ad hoc dicendum pag. 508. colum. 2. & inferius ad secundam

Primus dicendi modus.

partem

partem, pag. 508. columna 1. vbi dicit in celebrando Conceptionis festo, hanc esse celebrantium intentionem, vt celebrent illum punctũ in quo Virgo sacra in vtero sanctificata fuit, abstrahendo, an fuerit concepta cum originali peccato, an vero sine illo. Cuius sententiæ fundamentum est, quia (inquit) qui in hoc sensu eiusmodi festum celebrat, nulli errandi periculo se exponit: cum certissimum sit Virginem sacram in vtero fuisse sanctificatam, incertum autem an ab originali peccato fuerit præseruata (hac enim de re adhuc sub iudice lis est.) Postque subdit hanc ob causam abolitũ fuisse officium antiquũ, in quo dicebatur Beatam Virginem ab originali peccato fuisse præseruatam, & iussum in Breuiario Romano, vt celebraretur officium instar officij Natiuitatis, mutato Natiuitatis nomen in nomen Conceptionis, vt supradictæ expositioni daretur locus; ita vt per Conceptionem intelligatur Virginis sanctificatio: sub quo titulo à plerisque Ecclesijs hoc festum adhuc celebrari testatur Caietanus vbisupra.

Secundus dicendi modus. Alij volunt, celebrari quidem in Ecclesia materialem sacræ Virginis Conceptionem, non ratione sanctitatis quam in illo instanti habuerit, & quasi eiusmodi conceptio fuerit sancta, sed in ordine ad futuram sanctitatem, quam postea erat habitura in illo instanti quo fuit sanctificata. Ita vt quando dicimus, hodie Beata Virgo concepta est secundum gratiam, illud *hodie*, ad diem sanctificationis referatur. Ita dicit Ægidius Romanus in quodlibeto 6. quæst. 20. ad finem, §. distinguemus ergo. Quæ expositio fere coincidit cum præcedenti. Et probat eam Ægidius à simili de eo qui Ecclesia dicit in tota octaua Natiuitatis Christi Domini, *hodie Christus natus est*, cum tamen ipse nõ in singulis diebus natus sit, sed referendo prædicta verba ad diem in qua natus est. Nam (inquit) si satis est illa relatio ad diem Natiuitatis Christi, ad hoc vt vere dicere possimus, *hodie Christus natus est*, cur & non satis erit eiusmodi relatio, ad diem Conceptionis Virginis secundum gratiam, ad hoc vt in primo die corporalis suæ Conceptionis, celebremus eiusmodi diem Conceptionis secundum gratiam? Aliud exemplum adducit de depositione sancti cuiuslibet quando est incerta, quæ vere potest celebrari in aliquo certo & determinato die, cum relatione ad diem in quo vere fuit mortuus, & in sepulcro positus. Hæc Ægidius vbisupra. Cuius dicendi modum probat Bandellus etiã vbisupra, & coincidit cum alio quorundam quos ibidem refert Ægidius, asserentium quod dies Conceptionis materialis sacræ Virginis, bene potest celebrari ratione futuræ sanctitatis, quia licet tunc ipsa non fuerit sancta, futurum tamen erat vt in vtero esset sanctificanda, & valde sancta, eo modo quo & primogenito Regis exhibetur excellentior honos & reuerentia quam alijs, ex eo quod postea futurus est Rex.

Tertius dicendi modus, Alij autem alia procedunt via, & dicunt, materialẽ sacræ Virginis

Con-

Conceptionem ab Ecclesia celebrari, non ratione sanctitatis, & quasi in eo instanti fuerit sancta, sed in gratiarum actionem, pro eo quod concepta fuerit, illa quæ futura erat Mater Dei, & principium redéptionis generis humani, & totius Ecclesiæ vniuersalis gaudij: ita vt Conceptionis festum, sit festum exultationis & gratiarum actionis, pro eo quod fuerit concepta illa, ex qua totius mundi remedium debebat exoriri. Hoc tenet Capreolus in tertio dist. 3. ad septimũ aureoli fol. 16. col. 1. & idem dixit Paludanus ibidem, q. 1. & fuit sententia Ioannis de Neapoli, quem refert & probat D. Antoninus prima parte tit. 8. cap. 2. ad sextum, nec desunt qui hunc dicendi modum tribuant Bellarmino, tomo 2. lib. 3. de Sanctorum cultu cap. 16. ad secundũ de festo Conceptionis, & probat valde illum Bandellus loco vbisupra.

Quartus dicẽdi modus.

Tandem alij alia procedunt via, & dicunt quod quamvis ita sit quod ab Ecclesia reuera sacræ Virginis Conceptionis materialis celebretur festum, adhuc ex eo ad eiusdem puritatem, & à peccato originali immunitatem comprobãdam, nullum efficax aut firmum colligi potest argumentum, quia (inquiunt) ipsum Ecclesia non vniuersaliter celebrat; sed solummodo permittit vt à quibusdam particularibus Ecclesijs celebretur. Quæ solutio fuit Turrecrematæ in tract. de Concept. Virg. cap. 3. & addit in eo non esse laudandas (quin vero reprehendendas) eo modo quo & olim Diuus Bernardus epistola 174. reprehendit Canonicos Lugdunenses, eo quod eiusmodi festum celebrarent absque consensu Romanæ Ecclesiæ. Ita nonnullos respondisse refert Capreolus loco vbisupra, nec illos reprobat. Qui dicendi modus ex eo etiam confirmatur, quia licet modo Ecclesia Romana eiusmodi festum Conceptionis celebret, ita illud celebrat, vt vnumquemque in suo sensu abundare permittat, & vt aliquæ Ecclesiæ illud celebrent, non sub titulo Conceptionis, sed sub titulo Sanctificationis: quod est argumentum mentem ipsius in celebranda eiusmodi solemnitate, non esse celebrare Conceptionem prædictam tanquã certam, sed tanquam probabilem, & cum formidine ad oppositum. Quo fit vt ex eiusmodi celebratione (etiam sub titulo & nomine præseruationis) argumentum desumi non possit, nisi tantum de eo quod probabile sit Virginem sacram in originali peccato non fuisse conceptam, quæ probabilitas satis est ad hoc vt tale festũ celebrari possit, non excludendo probabilitatem alterius opinionis, quæ illud celebrat (non sub titulo Conceptionis) sed sub titulo Sanctificationis. Ex dictis omnibus colligit Bandellus vbisupra, quod licet Virgo sacra in originali peccato fuerit concepta, potuit nihilominus Ecclesia celebrare festum suæ Conceptionis, non quidem carnalis sed spiritualis, illius scilicet diei in qua sanctificata fuit, quæcumque illa fuerit. Potuit etiam celebrare festum suæ Conceptionis carnalis, non pro eo quod sancta fuerit conceptio ipsa, sed ratione sanctitatis futuræ,

seu sanctificationis in eadem breuissimo tempore faciendæ: aut etiã ad agendas Deo gratias, pro eo quod concepta fuit illa fœmina quæ futura erat Mater Dei, & principium nostræ redemptionis, & totius vniuersalis nostri gaudij. Hæc Bandellus vbi supra. Sed his nihilominus non obstantibus in contrarium est veritas: & quod hac in re tenendum est explicabitur per sequentes Conclusiones.

Prima Conclusio.

FestumConceptionis, & si nõ generaliter in omnibus Ecclesijs, in quam pluribus tamẽ est antiquissimum, & in tota Ecclesia celebrari cœpit à tempore Sixti 4 anno 1466

FESTVM Conceptionis sacræ Virginis, si non generaliter in omnibus Ecclesijs, in quam pluribus tamen est antiquissimum, neque improbabiliter, quinvero nimis probabiliter dici potest, quod incepit à tempore Sanctorum Apostolorum: & in tota Ecclesia auctoritate Sedis Apostolicæ, à tempore Sixti Quarti anno 1466. Hæc conclusio satis constat ex dictis in primo notabili, neque vlla alia indiget probatione. Solummodo est aduertendum, eiusmodi festum à tempore quo in Ecclesia Romana celebrari cepit, quinvero toto tempore quo in qualibet Ecclesia cœpit celebrari, semper fuisse celebratum sub titulo sanctæ & Immaculatæ Conceptionis, præseruatæ ab omni prorsus labe, & macula originalis peccati, & non sub titulo Sanctificationis, aut sub alio quopiam titulo. Quod vt notum fiat recurramus oportet ad superius dicta in primo notabili, & ad tẽpus quo eiusmodi solemnitatis festum in tota Ecclesia cœpit celebrari, nempe à tẽpore prædicti Sixti Quarti, & videamus qualiter, & quibus verbis de celebritate prædicta fuerint loquuti, qui de ipsa verba fecerunt.

Extrauagans Sixti 4. qua incipit cum præexcelsa de indulgentijs concessis festi huius celebrationi interessentibus.

Sixtus igitur Quartus in prima sua Extrauaganti *de Reliquijs & veneratione Sanctorum*, posita inter communes, quæ incipit, *cum præexcelsa*, volens concedere his qui Conceptionem immaculatæ Virginis deuote celebrauerint, & in eiusdẽ festo & per octauam, eiusmodi celebrationi interfuerint, easdemmet indulgentias quas consequuntur Christi fideles in celebratione solemnitatis Corporis Christi, post alia in sequentia verba prorupit. *Hac igitur consideratione inducti, eiusdem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, eius auctoritate cõfisi, auctoritate Apostolica, hac in perpetuum valitura constitutione Statuimus & ordinamus, quod omnes & singuli Christi fideles vtriusque sexus, qui Missam & Officium Conceptionis eiusdem Virginis gloriosæ, iuxta piam, deuotam, & laudabilem ordinationem dilecti filij Magistri Leonardi de Nagarolis Clerici Veronensis notarij nostri, & quæ desuper à nobis emanauit, Missæ & Officij huiusmodi institutionem in die festiuitatis Conceptionis eiusdem Virginis Mariæ, & per octauas eius deuote celebrauerint, & dixerint, aut illis horis canonicis interfuerint, quoties id fecerint, eandem prorsus indulgentiam, & peccatorum remissionem consequantur, quam iuxta felicis recordationis Vrbani IIII. in Concilio Viennensi approbata, ac Martini V. & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum constitutiones, consequuntur illi qui Missam & horas Canonicas*

dicas in festo Corporis & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi, à primis Vesperis & per illius octauas, iuxta Romanæ Ecclesiæ constitutionem celebrant, dicunt, aut Missæ officio, & horis huiusmodi interfunt, præsentibus perpetuis temporibus valituris. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1476. 3. kalend. Martij, Pontificatus nostri anno sexto. Idem etiam Pontifex in alia sequenti Extrauaganti, quæ incipit, *Graue nimis*, excommunicare volens quosdam, asserentes quod prædictæ Conceptionis festum celebrantes, & illi qui tenebant eandem Gloriosam & Immaculatã Virginem, absque originalis peccati labe fuisse conceptam, mortaliter peccabant, vel hæretici erant: post alia etiam in sequentia verba prorumpit. *Sane cum Romana Ecclesia de Intemeratæ semperq; Virginis Mariæ Conceptione publice festum solemniter celebret, & speciale ac proprium super hoc officium ordinauerit, nonnulli (vt accepimus) diuersorum ordinum prædicatores, in suis sermonibus ad populum, publice per diuersas ciuitates, & terras affirmare hactenus non erubuerant, & quotidie prædicare non cessant, omnes illos qui te nent aut asserunt, eandem Gloriosam & Immaculatam Deigenitricem, absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse hæreticos eiusdem Immaculatæ Conceptionis officium celebrantes, audientesque sermones illorum, qui eam sine huiusmodi macula conceptam esse affirmant, peccare grauiter. Sed & præfactis prædicationibus non contenti, confectos super his suis assertionibus libros in publicum ediderunt: ex quorum assertionibus, & prædicationibus non leuia scandala in mentibus fidelium exorta sunt, & maiora meritò exoriri formidantur in dies. Nos igitur huiusmodi temerarijs ausibus, ac peruersis assertionibus, ac scandalis quæ exinde in Dei Ecclesia exoriri possunt (quantum nobis ex alto conceditur) obuiare volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & certa scientia, huiusmodi assertiones prædicatorum eorumdem, & aliorum quorumlibet quia affirmare præsumerent eos qui crederent, aut tenerent eandem Deigenitricem ab originalis peccati macula in sua Conceptione præseruatam fuisse, propterea alicuius hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare: aut huiusmodi officium Conceptionis celebrantes, seu huiusmodi sermones audientes alicuius peccati reatum incurrere, vtpotè falsas & erroneas, & à veritate penitus alienas, editosq; desuper libros prædictos id continentes, quo ad hoc auctoritate Apostolica tenore præsentium reprobamus & damnamus. Ac motu, scientia, & auctoritate prædictis statuimus & ordinamus, quod prædicatores verbi Dei, & quicunque alij cuiuscunque status, gradus, aut ordinis, ac conditionis fuerint, qui de cætero ausu temerario, præsumpserint in eorum sermonibus ad populũ, seu alias quomodolibet, affirmare, huiusmodi sic per nos improbatas, & damnatas assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere vel habere, postquam de præsentibus scientiam habuerint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, à qua ab alio quàm à Romano Pontifice (nisi in mortis articulo) nequeant absolutionis beneficiũ obtinere. Item motu, scientia, & auctoritate similibus, simili pœna ac censura subijcientes eos, qui ausi fuerint asserere, contrariã opinionem tenentes,*

Extrauagant. Sixti IIII. quæ incipit, Graue nimis, qua approbatur celebratio prædicti festi, & explicatur inquo sensu celebretur.

tenentes, videlicet, gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen vel peccatum incurrere mortale, cum nondum sit à Romana Ecclesia, & Apostolica sede decisum. Non obstantibus, &c. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ 1483. pridie nonas Septembris, Pontificatus nostri anno decimotertio. Ex quibus duabus Sixti Quarti constitutionibus Extrauagantibus, satis clare & manifeste constat, Conceptionis festum quod Ecclesia tunc celebrari permisit (vt ne dicamus iusit atque præcepit) fuisse vt celebraretur sub titulo Sanctæ & Immaculatæ Conceptionis, præseruatæ ab omni prorsus originalis peccati labe siue macula, iuxta piam, deuotam, atque laudabilem ordinationem Magistri Leonardi de Nogarolis, & officium ab eodem compositum. Quod quidem officium si inspiciatur, aperte reperire licebit, nihil aliud inibi contineri, nisi quod prædicta sacra Virgo in primo suæ Conceptionis instanti, ab omni prorsus originalis peccati labe, siue macula fuit præseruata, id enim expresse sonant omnes Antiphonæ ibidem positæ, sed illa præsertim: *Tota pulchra es Maria & macula originalis non est in te.* Item illa: *Hæc est virga in qua nec nodus originalis, neque cortex actualis culpa fuit*, & in Oratione eiusdem diei officij habetur id ipsum, postquam dicuntur sequentia verba. *Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, dignum filio tuo habitaculum præparasti, quæsumus, vt sicut ex morte eiusdem Filij tui præuisa eam ab omni labe præseruasti, ita nos quoque mundos eius intercessione ad te peruenire concedas.*

Resolutio eorũ quæ in prædictis constitutionibus Extrauag. Sixti 4. continẽtur.

Quid Medina respondeat Extrauagãtibus prædictis, circa celebrationes festi Conceptionis?

Reijcitur Medina prædictus.

Sed Medina, vt ne huius argumenti pondere premeretur, loco vbi supra, dicit: eiusmodi officium iam esse reiectum, abolitum & antiquatum editione noui Breuiarij Romani, editi iussu Pij V. Pontificis Maximi, in quo festum Conceptionis sub officio Natiuitatis celebrari statuitur. Sed fallitur Medina quammaxime, dum dicit eiusmodi officium editione noui Breuiarij, fuisse reiectum aut prohibitum, & enim cum auctoritate Sedis Apostolicæ fuerit institutum, & ab eadẽ sacra sede ad diuinum cultum approbatum & ordinatum, audaciæ atque temeritatis arguendus videtur prædictus Medina, in eo quod prolibito & absque vllo prorsus fundamento, dicit Ecclesiam reijcisse & prohibuisse, quod semel tanquam pium, verum & ad diuinum cultum pertinens approbauit. Quod & ex eo confirmatur, quoniam idem Pius Quintus post editionem noui prædicti Breuarij Romani, idem officium toti nostro Minorum Ordini recitandum concessit, & vt sub eodem Leonardi officio Conceptionis festum publice à nobis celebraretur. Falsissimum igitur est id quod dicit Medina, officium prædictum fuisse reiectum, abolitum & antiquatum, vt ne etiã modo possit à quolibet in Ecclesia recitari. Etenim si rubricę Breuiarij noui Romani expendantur, in cap. 1. de officio duplici, vbi hac de re agit, non per ipsas abolentur propria officia quorumcunque festorum auctoritate Romanæ Ecclesiæ approbata, sed dumtaxat præcipi-

cipitur vt reducantur ad normam Breuiarij Romani tunc de nouo editi. Et quando prædictus Pius Quintus præcepit, vt Conceptionis festum celebraretur sub Natiuitatis officio, solummodo mutato nomine Natiuitatis, in nomen Conceptionis, haud quidem mutauit mẽtem & intentionem quam iam antea habuit Ecclesia in eiusmodi celebratione, vt recte aduertit Vazquez secundo tomo ad tertiam partem disput. 117. cap. 5. num. 70. & Valentia quarto tomo disputat. 2. quæst. 1. puncto 2. neque vero propterea vllo modo concessit, vt prædictum Conceptionis festum celebraretur sub titulo Sanctificationis. Sed prætermisso Medina, quod festum Conceptionis sub eodem titulo, atque in eodem sensu præseruationis ab omni prorsus originalis peccati macula, ante Sixtum Quartum, & generalem prædictam Ecclesiæ Romanæ approbationem fuerit celebratum, cõstat expresse ex verbis Concilij Basiliensis, celebrati anno 1430. Sessione 36. quibus declarat: *Ecclesiam Romanam ab antiqua & laudabili consuetudine eiusmodi Conceptionis festum instituisse, & celebrasse sub titulo præseruationis à peccato originali.* Quinvero vt refert Gaguinus Generalis olim Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, lib. 9. historiæ Gallorum, Innocentius VII. anno 1430. puniuit quendam Prædicatorem Ordinis Dominicani, pro eo quod publice populo prædicauit, sacram Virginem fuisse immundam, & in peccato originali conceptam, iubens vt eiusmodi assertionem publice retractaret. Quibus omnibus addo, quod anno Domini 1390. ex decreto Ioannis primi Aragoniæ Regis, præceptum atque statutum fuit, vt prædictum Conceptionis festum in Aragonia, sub eodem titulo preseruationis, & immunitatis ab omni prorsus originalis peccati macula celebraretur. Et quod in Gallia eiusmodi festum sub eodem titulo anno Domini 1140. fuerit celebratum, constat expresse Diuo Bernardo in epistola 174. scripta ad Canonicos Lugdunenses. Quinvero & in Anglia celebratum legitur â tempore Diui Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, ab anno 1081. tempori Vrbani II. Pontificis, vt satis constat ex epistola quam Anselmus prædictus ad Angliæ Episcopos scripsit: de qua ampliorem mentionem faciemus infra in quæstione sequenti. Addo etiam in Græcia eiusmodi festum sub eodem sensu fuisse institutum & celebratum, â tempore Diui Damasceni, anno 760. vt satis colligitur ex Galatino lib. 7. contra Iudæos cap. 8. & Canisio lib. 1. de Maria Deipara cap. 7. & ex Genebrardo in præfatione ad librum Psalmorum in Kalendario Græco, vbi festum prædictum intitulatur, *Conceptio Annæ, Dei & Domini Auiæ.* Vtque omnia vnico concludam verbo, id ipsum reperire licebit in omnibus Martyrologijs, Missalibus atque Breuiarijs antiquis, tam Latinis quam Græcis, in quibus Missa de Virginis Conceptione facienda, & officium pro eadem Conceptione persoluendum de mãdatur, semper sub prædicto titulo Conceptionis, Sanctæ & Immacu-

Conceptionis festum multo ante tempora Sixti Quarti, in quam pluribus Ecclesijs celebrabatur sub eodem titulo, & in eodem sensu.

latæ, præseruatæ ab omni prorsus originalis peccati labe, siue macula. Qua de re qui plura videre voluerit, consulat Ægidium loco iam supracitato, lib. 3. quæst. 5. art. 6. §. 5. à num. 23. cum sequentibus latissime, necnon & Salazar loco etiam supracitato, cap. 33. nume. 2. vbi multa ad idem propositum reperire licebit notatu dignissima.

Secunda Conclusio.

Omnes supradicta Thomistarum solutiones & interpretationes sūt falsæ nec modo sustineri possunt.

SOLVTIONES, interpretationes siue explicationes quas tradunt Thomistæ, dicendo Ecclesiam non celebrare naturalē, materialem, siue carnalem Virginis Conceptionem, sed spiritualem dūtaxat, seu potius eiusdem sanctificationem in vtero: sunt falsæ & minime modo sustineri possunt, & idem dico de alijs superius dictis. Probatur hæc conclusio, & primo quoad illud quod dictum fuit à Caietano de spirituali Conceptione, seu potius Virginis sanctificatione in vtero. Nam eiusmodi explicatio atque interpretatio iam est dānata & reprobata ab Ecclesia sub excommunicationis anathemate, à supradicto Sixto Quarto, in quadam alia priori sua Extrauaganti quę incipit *Graue nimis*, quæ quamvis non reperiatur loco vbi supra inter alias communes, habetur tamen in Monumentis nostri sacri Ordinis primæ impressionis fol. 34. & secundæ fol. 117. concef. 257. & refertur in Compendio Priuilegiorum, verbo *Conceptio Virginis*, nume 6. Cuius quia tanti refert exactam haberi notitiam, & vt ne quis possit ignorantiam prætendere, libuit illam hic ad litteram transcribere. *Sixtus Episcopus, &c. Graue nimis gerimus, &c. Sane sicut accepimus, nonnulli diuersorum ordinum professores, ad prædicandum Verbum Dei in diuersis ciuitatibus & locis partibus Lombardiæ deputati, non ignari quod Sancta Romana Ecclesia de intemerata semperq; Virginis gloriosæ Mariæ Conceptione festum celebrat, & speciale ac proprium officium ordinauit, in eorum prædicationibus ad populum publice affirmare hactenus non erubuerunt, & quotidie prædicare non cessant, astante populi multitudine, omnes illos qui tenent & affirmant eandem gloriosam & immaculatam Dei genitricem Virginem Mariam, absque peccati originalis macula fuisse conceptam, hæreticos esse, & ipsam Romanam Ecclesiam solam spiritualem Conceptionem, seu sanctificationem eiusdem Virginis Mariæ celebrare, ac huiusmodi eorum prædecationibus non contenti, confectos super his suis assertionibus libros in publicum ediderunt: ex quorum prædicationibus, & assertionibus huiusmodi, non leuia scandala in partibus illis in mentibus Christi fidelium sunt exorta & maiora exoriri formidantur in dies. Nos igitur huiusmodi temerarijs ausibus, & peruersis à veritate penitus alienis assertionibus, & scandalis quæ exinde in Dei Ecclesia exoriri possunt, quantū nobis ex alto conceditur obuiare volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiā, sed de nostra mera deliberatione, huiusmodi assertiones prædicatorum eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumserant eandem*

Alia Extrauang. Sixti 4. quæ etiam incipit graue nimis, contra asserentes nō celebrari Conceptionis festum, sed sanctificationis.

sanctam

Sanctam Romanam Ecclesiam de spirituali dumtaxat Conceptione, & sanctificatione eiusdem Virginis gloriosæ festum celebrare: & eos qui crederent & tenerent eandem Deigenitricem ab originalis peccati macula in sua Conceptione præseruatam fuisse, propterea alicuius hæresis labe pollutos fore: vtpote falsas & erroneas, ac à veritate alienas, editosq; desuper libros prædictos id continentes, auctoritate Apostolica præsentium tenore reprobamus & damnamus, &c. Et ponit subinde excommunicationis sententiam, pro his qui præcitatas, damnatas & reprobatas assertiones asseruerint. Fuitque expedita supradicta Bulla, Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1482. Pontificatus sui anno vndecimo. Ex quibus Sixti IIII. verbis satis aperte colligitur, sustineri nunc minime posse Caietani explicationem, & interpretationem superius dictam, qua dixit Ecclesiam non celebrare naturalem, siue materialem Virginis Conceptionem, sed dumtaxat spiritualem: intelligendo per ipsam eiusdē sanctificationem: nam eiusmodi assertionem vti falsam atque erroneā reprobat & condemnat prædictus Sixtus Quartus, & eam proferentes configit sententia excommunicationis, à qua non ab alio quam à Romano Pontifice, & illius proprio ore expressa huiusmodi causa propter quam censuras prædictas incurrerint (nisi in mortis articulo constituti) possint absolutionis beneficium obtinere. Quæ quidem Sixti Quarti constitutio in suo nunc etiam permanet vigore, & ea de re dubitare nullus potest, cum à nullo Summo Pontifice reperiatur abrogata siue reuocata, quin potius expresse confirmata & renouata, à Concilio Tridentino, Sessione 5. de peccato originali capite vltimo, in vltimis verbis *quibus obseruari præcipit constitutiones Sixti IIII. prædictis, sub pœnis in eisdem cōstitutionibus contentis, quas innouat.* In quibus verbis, notandumque maxime est, quod vtitur Concilium constitutionum plurali numero, quo satis insinuatur quod eiusmodi constitutiones absque dubio fuerunt duæ, quarum quælibet incipit *Graue nimis*, quamvis nescio cuiusnam diligentia atque industria, hæc vltima modo non reperiatur inter alias in iure. Nam illa constitutio quæ incipit *cum præexcelsa*, qua Sixtus prædictus officium Conceptionis approbauit, & illud recitantibus festum & agentibus, indulgentias & gratias concessit: cum nullas ibidem inobedientibus imponat pœnas, non potest ad prædictum duarum constitutionum redigi numerum: quod multum est notādum, & memoriæ commendandum: vt fiat liquidum Sixti Quarti constitutionem prædictam, in suo nunc permanere vigore, & confirmatam atque innouatam esse à Concilio Tridentino, quamvis (vt dixi) ex alicuius diligentia & industria factum fuerit, vt non poneretur aliâs in corpore iuris. Sed quid obstat cum habeatur in nostri sacri Ordinis Monumentis loco vbi supra, & ipsius verba fideliter referuntur à Corduba loco vbi supra, in suo Quæstionario, lib. 1. quæst. 44. pag. 380. §. sed contra hanc euasionē arguitur.

Nullo modo nunc sustineri potest sententia quæ asserit non celebrari ab Ecclesia naturalem, siue materialē Virginis Conceptionem, sed spiritualem, & eiusdem sanctificationem.

Nota esse duas Extrauagātes quarum quælibet incipit graue nimis, quāuis in corpore iuris modo nō reperiatur nisi vna sola.

Sed præterea quod expositio & interpretatio Caietani sit in se falsa, & à mente & intentione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ aliena, exinde patet: nam cum Ecclesia (vt superque satis constat ex dictis in primo notabili) à principio institutionis & celebrationis festi prædicti, siue in tota Ecclesia, siue vero in particularibus Ecclesijs, semper intenderit celebrare sacræ Virginis præseruationem, ab omni prorsus originalis peccati labe, asserendo quod minime contraxit originalem maculam in primo suæ Conceptionis instanti: quonam pacto id ipsum transferri potest ad ipsius spiritualem Conceptionem, seu potius sanctificationem post modum factam in vtero (cum quoad effectum) adeò longe diuersæ sint gratia sanctificatiua & præseruatiua: & præseruatiua minime cõuenire potuerit sacræ Virgini, nisi in primo suæ Conceptionis instanti, tunc scilicet cum primũ sanctissima ipsius anima corpori infusa est: ita vt primũ illius esse, sit etiã primũ esse præseruationis, & sanctificationis sacræ Virginis: quod gratia solũmodo sanctificatiua (quatenus talis est) ex sui ratione minime prærequirit.

Non etiam sustineri potest modo sententia quæ dicit celebrationem festi Conceptionis intelligendam esse de celebritate abstractiua.

Nec valet quidquam additio quam adducit Medina supracitatus, de celebratione festi prædicti abstractiua, ita vt Conceptio siue sanctificatio celebretur referendo illam ad punctum in quo facta est, abstrahendo an in hoc vel illo tempore, aut momento fuerit facta. Hæc inquam solutio seu potius euasio, nihil etiam valet: nam si Ecclesia celebrat illud instans in quo ex speciali priuilegio, & diuina gratia Virgo sacra præseruata & liberata fuit à peccato originali, quod contraxisset de facto si præseruata non fuisset, quomodo abstrahit ab eo quod celebrat & celebrari intendit? Non igitur Caietani siue Medina expositio hoc tempore vllo modo etiam sustineri potest, cum tanquam falsa, erronea, & à veritate aliena damnata, & reprobata sit per Sixtum Quartum in Extrauaganti prædicta: quod latissime & euidentissime prosequitur Corduua loco vbi supra. Neque etiam sustineri potest alia Ægidij Romani expositio, qua dixit celebrari quidem ab Ecclesia materialem, siue naturalem sacræ Virginis Conceptionem, non ratione sanctitatis quã habuit in illo instanti, quasi eiusmodi Conceptio fuerit sancta: sed in ordine ad futuram sanctitatem, quam habitura erat in illo instanti quo fuit sanctificata (qui fuit secundus dicendi modus.) Hæc etiam solutio nihil valet, & clare coincidit cum priori (vt bene notat Suarez secundo tomo ad tertiam partem Diui Thomæ, disp. 3. sect. 5. pa. 39.) postquam sentit & dicit, primum instans Conceptionis sacræ Virginis, non celebrari ab Ecclesia tanquam sanctum, ac proinde censurã & pœnas Extrauagantis prædictæ minime excludit. Sensus enim Ecclesiæ & mens atque intentio Pontificis prædicti, sumenda est ex illa Extrauaganti, qua celebrationem festi prædicti, & eiusdem officium cõfirmauit, & pro ipsum celebrantibus indulgentias concessit, quæ (vt supradiximus) incipit

Neque etiam dici potest quod prædicta festiuitas celebretur in ordine ad sanctitatẽ futuram.

cipit, *cum praeexcelsa*, in cuius initio (ex quo ipsius mens & intentio de sumenda est) sequentia in substantia habentur verba. *Dignum (quin potius debitum) reputamus, vniuersos Christi fideles vt omnipotenti Deo de ipsius immaculatæ Virginis mira Conceptione gratias & laudes referant, & institutã in Dei Ecclesia Missam, & alia diuina officia dicant, & illis intersint, indulgentijs & peccatorum remissionibus inuitare.* Quibus verbis plane asserit Pontifex, Virginis Conceptionem quam Ecclesia celebri cultu colit, esse immaculatam & miram, nimirum propter nouitatem rei, & quia ex his qui ab Adam naturali propagatione descendunt, ea sola processit munda, & prorsus sine peccato (admiratio enim non nisi ex nouis atque insolitis solet cõcipi.) Quod etiam expressit in officio quod pro celebritate prædicta auctoritate Apostolica, approbauit & confirmauit, vbi sæpe ac sæpissime Virgo sacra in sua naturali Conceptione vocatur immaculata, pura & munda, & ab omni originalis peccati macula immunis, vt satis constat ex dictis in primo notabili.

Notentur hæc verba Extrauagantis, quæ incipit, cũ præexcelsa.

Neque etiam quidquam valet alia expositio, quæ adducta est in tertio supradicto dicendi modo, qua dicitur celebrari quidem ab Ecclesia, naturalem & materialem sacræ Virginis Conceptionem, non ratione sanctitatis quam habuerit, & quasi in eo instanti fuerit sancta: sed in gratiarum actionem. Etenim licet pro tali ac tanto beneficio debitæ Deo sint exhibendæ & referendæ gratiæ, expedit tamen vt expendatur quale fuerit beneficium: nam si fuit (vt revera nos credamus & profitemur) quod Virginem sacram à peccato originali prædicto præseruauerit, & ex speciali priuilegio diuina gratia peccatum preueniente, illam sanctam effecerit, iam habemus intentum. Si vero id ipsum negent, eiusmodi interpretatio & solutio plane coincidit cum prædictis, & eiusdem subijcitur censuræ & pœnis, & omninò id alienũ est à mente Ecclesiæ, & prædicti Summi Pontificis. Neque ex hoc quod festũ prædictũ in gratiarum actionẽ institutũ dicitur, colligi & inferri vllo modo potest, quod Virgo sacra in primo suæ Conceptionis instanti non fuerit sancta: nam maiores atque vberiores Ecclesia exhibere debet Deo gratias ex eo quod contra communẽ cursum ex speciali priuilegio illam à peccato præseruauit, & puram & sanctam efficeret in primo suæ Conceptionis instanti, quam si post contractum peccatum eandem mundauerit, purificauerit, siue sanctificauerit. Quibus omnibus accedit, quod ex communi Sanctorum Doctorum doctrina, dies festi in Ecclesia non instituuntur nisi ratione alicuius sanctitatis, quæ sit in re ipsa quæ celebratur, ratione cuius Deo debitæ gratiarum actiones referantur, & hucusque nunquã legimus ab Ecclesia celebritatem aliquam fuisse institutam ob solam sanctitatem futuram, vt recte aduertit Corduua loco vbi supra, pag. 361, vbi expositionem prædictam vocat, non solum friuolam, verum

Non etiam sustineri post sententia quæ dicit festum Conceptionis sacræ Virginis celebrari non propter ipsius sanctitatem, sed solummodo in gratiarum actionem.

etiam erroneam, & contrariam determinationi Sixti Quarti prædicti.

Non etiam valet solutio, asserentium celebrationem festi Conceptionis nõ esse præceptam, neque vniuersalẽ in Ecclesia.

Neque etiam valet expositio, & interpretatio superius adducta, posita in quarto dicendi modo, qua dictum fuit celebrationem prædictam in Romana Ecclesia non fuisse vniuersalem, sed particularem, & permissam particularibus Ecclesijs: nec vllam reperiri constitutionem qua expresse eiusmodi festum celebrari fidelibus demandetur: nam & supradicta Extrauagans *cum præexcelsa*, non præcepit prædictum Conceptionis festum celebrari, sed tantummodo hortatur vt celebretur: nam quamvis id ipsum sit, & hoc gratis aduersarijs concedamus, nullum hactenus de festi prædicti celebratione ab Ecclesia editum esse præceptum, sufficit superque satis est, diuturna temporis consuetudo, communi omnium fidelium applausu confirmata, quæ iam in legem transijt: quinvero addo, quod quamvis nulla esset lex neque consuetudo ad nostrum propositum comprobandum, sufficit Ecclesiæ permissio, qua permisit prædictum Conceptionis festum sub titulo Immaculatæ & præseruatæ Virginis celebrari, & in id ipsum inuitatio & exhortatio, vt inde eliciamus efficacissimum ac fortissimum argumentum, ad probandum eandem ab omni peccato originali fuisse immunem à primo suæ Conceptionis instanti: Præterquam quod Episcopi olim in suis Diœcesibus, potuisse sanctos canonizare, & pro illis festa instituere, & populo celebranda proponere: expresse docet Thomas Vualdensis de sacramentalibus, titulo 14. cap. 122. & Bellarmin. secundo tomo lib. 1. de Sanctorum Beatitudine capit. 8. Suarez tomo 1. de Religione lib. 2. de Sanctorum festis, capit. 11. Quod etiam constat expresse ex verbis Diui Cipriani lib. 3. epist. 6. vbi iubet *ad se scribi cum aliquis martyr de vita exit, vt statim post eius memoriam sacris officijs celebrari, & illi talem diem singulis annis celebrandum institueret.* Constat id ipsum ex cap. 1. de consecratione dist. 1. ex illis verbis: *& illas festiuitates quas singuli Episcopi in suis Episcopatibus cum populo collaudauere* Ex quo textu Bernardus citatus à Glossa verbo, *festiuitates*, docet Episcopum in sua Diœcesi, Sanctum posse canonizare, quem plures ex Canonistis sequuntur, quamvis ibidem Glossa oppositum doceat, mota ex cap. 1. *de reliq. & venerat. Sanctorum.* Quæ differentia concordanda est dicendo, quod opinio Bernardi tenuit vsque ad tempora Alexandri III. qui iustis motus de causis voluit potestatem prædictam soli sedi Apostolicæ esse reseruatam: vt constat ex dicto cap. 1. *de reliq. & venerat. Sanctorum.* quod est eiusdem Alexandri III. & ex capit. secundo eiusdem tituli, quod est Innocentij III. post quorum constitutionem (sed maxime prædicti Alexandri III. qui floruit circa annum 1160.) Episcopi iam non possunt sanctum aliquem, etiam pro sua Diœcesi canonizare, & per consequens nec de nouo illi fe-

Quod Episcopi olim ante constitutionẽ Alexandri 3. sanctos canonizabant, & pro illis instituebãt festa, & populo colẽda proponebant, quã vis id modo facere non possint.

li festum instituere, nisi à Sede Apostolica fuerit iam canonizatus, quod tamen ante Alexandrum prædictum poterant. Quæ omnia ad prædictum nostrum propositum applicantes, dico quod cum Episcopi antiqui, qui tot retro sæculis ante Alexandrum III. præcesserunt, in suis proprijs Diœcesibus Conceptionis festum instituerint, & solemniter celebrandum populo proposuerint, quod (vt prædictū est) potuerunt iure facere, aut saltim ex Romanæ Ecclesiæ consensu tacito, Papa vidente & approbante, vel non impediente, satis aperte concluditur, quod ex eiusmodi celebratione facta tot retro annis in Græcia, Gallia, Anglia, atque Hispania, satis efficax sumi potest argumentum ad prædictam veritatem confirmandam. Nam licet Ecclesiæ essent particulares, accedente Romanæ Ecclesiæ cōsensu (saltim tacito) vix videtur quod in eo potuerint errare, quinvero quod assistentiam habuerint Spiritus Sancti, vt errare non possent. Qua quidem ratione difficultati propositæ directe respondendo, sequens statuitur Conclusio, quæ sit tertia in ordine.

Tertia Conclusio.

Ex celebratione festi immaculatæ Conceptionis facta auctoritate Romanæ Ecclesiæ & indulgentiarum concessarum, efficax ac firmum argumentum sumitur ad veritatem eandem comprobādam quāuis ea modo non sit de fide.

EX prædicta celebratione festi, sanctæ & immaculatæ Virginis Conceptionis, & indulgentijs quæ eidē interessentibus conceduntur, satis efficax ac firmum sumi potest argumentum, ad probandum eandem ab originali peccato fuisse præseruatam: quamvis id ipsum non sit de fide, quousque per Ecclesiam diffiniatur & determinatur. Probatur conclusio primo ex auctoritate Diui Ildephonsi lib. de Virginitate & Parturitione Mariæ, vbi simili argumento vtitur, ad probandum Virginem sacram ante natiuitatem in vtero suæ matris sanctificatam fuisse, ait enim: *Beata Virgo Maria nisi in vtero matris sanctificata fuisset, minime eius natiuitas colenda esset. Nunc autem quia ex auctoritate totius Ecclesia veneratur, constat eam ab omni peccato originali fuisse immunem.* Ex quibus verbis ad nostrum propositum sic colligo argumentum in simili forma. Sacræ Virginis Conceptio ab Ecclesia solemniter celebratur, ac celebrari permittitur (quinvero & modo præcipitur) dicendum igitur est quod fuit sancta & immaculata: & consequenter ab omni originalis peccati labe præseruata. Quantam etiam vim habeat prædictum argumentum, satis constat ex sententia Diui Bernardi in epist. 174. qui ad Canonicos Lugdunenses scripsit, cuius sunt verba quæ sequuntur: *Fuit* (inquit) *proculdubio Mater Domini ante sancta quam nata: nec fallitur omninò sancta Ecclesia, sanctum reputans ipsum natiuitatis eius diem, & omni anno cum exaltatione vniuersa terra votiua solemnitate suscipiens.* Hæc Bernardus vbisupra. Et si penitus inspiciatur mēs & intentio eiusdem in tota illa epistola, & ratio ob quam pro illo tēpore censuit Deiparæ Conceptionis festum non esse celebrandum,

Bbbb 2 nulla

nulla alia omnino fuit, nisi quia auctoritate Romanæ Ecclesiæ non erat approbatum. *Nulla* (inquit in dicta epistola) *ratione placebit Deo, cōtra Ecclesiæ ritum præsumpta nouitas. Nam si sic videbatur consulēda erat prius Apostolicæ Sedis auctoritas, & non ita præcipitanter atque inconsulto paucorū sequenda simplicitas, siue imperitia.* Et in fine prædictę epistolę cōcludendo dicit. *Quæ autem dixi absque præiudicio sane dicta sint sanius sapientis, Romanæ præsertim Ecclesiæ, auctoritati atque examini, hoc totum sicut & cætera quæ huiusmodi sunt vniuersa reseruo: ipsius si quid aliter sapio, paratus sum iudicio emēdare.* Ex quibus sane verbis satis plane colligitur quid senserit D. Bernardus de Ecclesiæ auctoritate Romanæ, ad hoc vt celebretur vel non celebretur aliquod festum, & quid ipse modo diceret, si vidisset prædictum Conceptionis festum, non modo sanctæ Apostolicæ Sedis auctoritate celebrari, verum etiam & fideles omnes ab eadem sancta sede, ad illud celebrandum indulgētiarum largitionibus, & peccatorum remissionibus inuitari. Haudquidem dubiū est quòd huius argumenti vi atque efficacia prorsus conuictus, relicta priori sententia, si non illam prius iam mutasset (vt diximus supra) toto animi conatu ac summa deuotione, non solum piam nostram sententiam & opinionem amplecteretur, verum etiam publice & indubitanter eandem defenderet, & coram omnibus prædicaret. Quod & idem faceret Diuus Thomas, postquam secunda secundæ quæst. 10. art. 12. tanti facit auctoritatem Romanæ Ecclesiæ, vt dicat magis esse standum illi, quam auctoritati Diui Augustini, Hieronymi, vel cuiuscunque alterius Doctoris. Quod intelligendum est, non solum de Ecclesiæ Romanæ auctoritate, qua aliquid diffinit siue determinat vt tenendum tanquam de fide (in hoc enim nullo modo est comparanda Augustini, Hieronymi, & quorumcunque Sanctorum Patrū sententia, cum auctoritate Romanæ Ecclesiæ, si forte (quod absit) aliquando docerent oppositam) sed intelligendū est, de eiusdem auctoritate veritatis alicuius approbatiua, etiam absque diffinitione & determinatione, quæ præferenda & anteponenda est cuiuscunque Sancti Patris auctoritati, imo vero Sanctorum omnium Patrum, si forte (quod non est admittendum) communi calculo in oppositam aliquam sententiam conuenirent. Cum igitur Romana Ecclesia festum Conceptionis prædictum celebrare permiserit (vt ne dicam præceperit) non spiritualis tantum, verum etiam & corporalis, sub titulo sanctæ & immaculatæ, & ab omni peccato originali præseruatæ, dicendum proculdubio est, ex prædicta doctrina Diui Thomæ, quod si id ipsum suo tempore fieri videret, sententiam & opinionem quam prius habuit mutaret, & piæ nostræ cui Romana Ecclesia tantopere fauet, firmiter adhæreret. Nam præcipua seu potius totalis ratio, ob quā illi à principio nō adhæsit (vt satis colligitur ex sua doctrina 3. p. quæst. 27. art. 1. & 2. in solut. ad tertium) ea nimirum fuit, quia prædi-

Quanti faciat D. Thom. Ecclesiæ auctoritatem, pro sanctorum festis celebrandis.

ctum

ctum Conceptionis festum suo tempore, non auctoritate totius Ecclesiæ celebratur, hac ratione volens ostendere natiuitatem sacræ Virginis celebrandam esse, hoc vtitur argumento. Ecclesia non agit festum nisi de re sancta, sed celebrat festum Natiuitatis, ergo Beata Virgo in sua Natiuitate fuit sancta. Idem ergo omnino modo diceret, de immaculatæ sacræ Virginis Conceptione. Et quod de Diuo Thoma est dictum, dicendum est etiam de Diuo Bonauentura, post quam in tertio sentent. dist. 3. art 1. quæst. 1. num. 3. dixit: *Ideò non audeo approbare solemnitatem Conceptionis, quia Sancti Patres, quia aliàs eiusdē Beata Virginis festiuitates Spiritu Sancto docente statuerunt, hanc illius festiuitatem non docuerunt.* Quibus verbis satis dedit intelligi, se libentissime Beatæ Virginis immunitatem Prædicaturum, si Ecclesia Romana suo tempore huiusmodi festum sub titulo sanctæ & immaculatæ Cóceptionis instituisset, approbasset, & celebrandum populo fideli proposuisset: vtpotè qui plane sciret, Ecclesiam Romanam Sanctorum festiuitates, non nisi Spiritu Sancto dictante instituere.

Cum prædicto dicendi modo conueniunt omnes fere Scholastici DD. quando agunt de Natiuitate sacræ Virginis, auctoritate totius Ecclesiæ celebranda: nam ex eo principio colligunt, eandem in sua Natiuitate fuisse sanctam, etenim si in sua Natiuitate sancta non fuisset, & in vtero suæ matris sanctificata: minime ipsius natiuitas colenda esset, vt dixit Diuus Ildephonsus. Simili ergo modo nos argumentari possumus, ac dicere: quod ex eo quod sacræ Virginis Conceptio ab Ecclesia solemniter celebrari permittitur, seu potius præcipitur, satis efficax ac firmum argumentum est, ad probandum eandem in sua Conceptione fuisse sanctam, & immaculatam, quamvis (vt in calce cōclusionis dictū est) illud huiusque non sit de fide, quousque per Ecclesiam diffiniatur atque determinetur.

QVÆST. XXI.

Vtrum ad confirmandam, & comprobandam sacræ Virginis immunitatem, efficax ac firmum argumentum desumi posſit, ex eo quod Sedes Apostolica approbauit & confirmauit Religionem Monialium, sub titulo sanctæ & immaculatæ Conceptionis?

PRO huius quæstionis pleniori intelligentia supponendum est, quod Iulius Secundus, anno 1511. decimoquinto Kalend. Octobris.

bris, Pontificatus sui anno octauo, vt constat ex Monumentis nostri Ordinis, confirmauit Regulam Monialium, sub titulo sanctæ & immaculatæ Virginis Conceptionis, in cuius primo capitulo continetur: *Quod eiusmodi regulam vouentes, id ipsum faciunt in venerationem immaculatæ Deigenitricis Conceptionis.* In secundo vero statuitur, vt Moniales professiones emittentes faciant id ipsum, subsequentibus verbis. *Ego Soror N. ob amorem & seruitium Domini nostri, & immaculatæ Conceptionis eiusdem Genetricis, voueo & promitto, &c.* In tertio autem, agendo de forma habitus, præscribitur: *vt tunica siue habitus cum scapulari sint albi coloris, quatenus candor huius indumenti exterior Virgineæ puritatis mentis, & corporis testimonium pretendat. Et subditur. Pallium sit grossi panni, seu staminea iacintini coloris, propter mysticam significationem: videlicet quod Gloriosa Virginis anima à creatione sua tota fuit cœlestis, & singularis Regis æterni thalamus.* Et tandem in decimo capitulo præcipit idem Pontifex: *Vt singulis festis simplicibus, & Dominicis non primo ponendis, Moniales dicant Conceptionis officium, secundū quod sibi moris est, in quo sæpe ac sæpissime, sacra Virginis Conceptio, sancta & immaculata dicitur.* Quam Iulij II. regulam postmodum approbauit & confirmauit Leo X. concedendo prædictis Monialibus omnia priuilegia, gratias & indulgentias quas habent Moniales sanctæ Claræ, & easdem nominando sub titulo sanctæ & immaculatæ Conceptionis, vt constat ex Priuilegiorum compendio, verbo *communicatio priuilegiorum*, §.18. Quo præmisso atque præsupposito, non immerito quæritur in præsentiarum, vtrum ex institutione siue confirmatione, Religionis Monialium prædictarum, auctoritate Apostolica facta, sub titulo sanctæ & immaculatæ Cōceptionis, efficax ac firmum argumentum desumi possit, ad sacræ Virginis immunitatem confirmandam & comprobandam? Cui difficultati breuiter ac resolutiue respondetur per sequentem Conclusionem.

Quo tempore fuit facta, & approbata Religio Monialium sub titulo sanctæ & immaculatæ Conceptionis.

Conclusio.

EX institutione seu confirmatione Religionis Monialium prædictarum, sub præmissa forma, satis efficax ac firmum argumentum desumitur, ad sacræ Virginis puritatem, & ab omni peccato originali immunitatem, confirmandam & comprobandam. Hæc Conclusio est communis resolutio omnium Doctorum, qui prædictam nostram tuentur sententiam & opinionem. Et in primis eo argumento vtitur noster Corduua in suo Quæstionario lib. 1. quæst. 44. in tertia ratione ad probationem sextæ conclusionis, §. tertio principaliter probatur conclusio. Id ipsum facit Bellarminus tom. 4. lib. 4. de amissione gratiæ & statu peccati, cap. 15. littera D. & Suarez secundo tomo ad tertiam partem, quæst. 27. disp. 3. sect. 5. §. *Quarto maxime hoc cōfirmat esse in Ecclesia Religionem institutam, & approbatam in honorem Immaculata*

Ex institutione & confirmatione Religionis Monialium, sub titulo & nomine immaculata Conceptionis, satis efficax argumentum desumi potest, ad ipsius immunitatem cōprobandam.

culata Conceptionis. Id ipsum facit Valentia, tomo 4. disput. 2. quæst. 1. puncto 2. littera A. & Frater Franciscus de Pitiguianis, in sua Summa Theologiæ ad tertium sentent. dist. 3. quæst. 1. art. 5. §. *secundo arguitur*, & Ægidius lib. 3. pro defensione immaculatæ Virg. Concept. quæst. 6. art. 2. & Vincentius Iustinianus in tractatu de Conceptione Virg. §. 4. Et nunc nouissime Gundisaluus Sanchez Lucero, in primo discursu ex his quos etiam fecit pro defensione Immaculatæ Conceptionis fol. 38. Omnes enim ad idem probandum sequenti vtuntur argumento. Summus Pontifex errare non potest in instituendis, approbandis & confirmandis Religionibus, saltim quo ad ea quæ spectant ad veritatem doctrinæ, & eiusmodi instituti, & ad diuinum cultum: sed Iulius Secundus (vt præmissum est) instituit, approbauit & confirmauit Religionem Monialium Conceptionis quæ in Hispania viget hodie, sub titulo sanctæ & Immaculatæ, & in earundem regula aliqua dicit ad propositum suæ præseruationis ab originali peccato: & eundem viuendi modum approbauit & confirmauit postea Leo X. ergo ex eiusmodi institutione, approbatione & confirmatione, efficax ac firmum desumi potest argumentum ad eiusmodi veritatem confirmandam, & comprobandam. Consequentia legitima est, nam certe eiusmodi institutio, approbatio & confirmatio, prædicto modo facta, qua damnatione esse videtur, quasi quædam eiusdem determinatio. Solummodo restat expendamus maiorem (cum minor satis de se constet ex dictis) & videamus an Summus Pontifex errare possit in instituendis, approbandis & confirmandis Religionibus. Et certe quod non possit, tenent communiter omnes Doctores Scholastici, etiam ex his qui piæ nostræ aduersantur sententiæ & opinioni, qualis est Dominicus Bañez super secundā secundæ Diui Thomæ, quæst. 1. art. 10. dubio 8. conclusione 3. & 4. Nam licet aliās contra sacræ Virginis immunitatem senserit, in hoc cum omnibus alijs conuenit, quod Summus Pontifex errare non possit in instituendis, approbandis, & confirmandis Religionibus, ad sensum superius dictū. Id ipsum tenet Aragon super eandem secundā secundæ, quæst. 1. art. 10. §. & est aliud dubium in fine, & Bellarminus to. 4. lib. 4. de amissione gratiæ, & statu peccati, cap. 15 littera D. Suarez 2. tomo ad tertiam partem, quæst. 27. disp. 3. sect. 5. & expresius in sua lectura ad secundā secundæ, quæst. 1. art. 10. disput. 5. sect. 8. Valentia 3. to. disp. 1. quæst. 1. puncto 7. in fine, Azor tomo 2. institut. moral. lib. 5. cap. 7. quæst. 2. Qui omnes maiorem prædictam adeò censent esse veram & certam, vt quidam dicant oppositam esse hæreticam: alij vero admittis temerariam & erroneam, impiam, siue errori proximam: nam omnia quæ conuincunt damnari debere, asserentem Summum Pontificem errare posse in canonizatione Sanctorum, etiam conuincunt esse damnandū, qui dixerit posse errare in instituendis, approbandis, &

Quod Sūmus Pontifex errare nō possit in instituendis, approbandis, & confirmandis Sāctorum festis, siue Religionibus.

&

& confirmandis Religionibus. Quod intelligendum est ad sensum supradictum, nempe in his quæ pertinent ad veritatem doctrinæ, instituti, ac diuini cultus sub quo instituuntur. Nam cum Summus Pontifex dum Religionem aliquam instituit, approbat siue confirmat, sub aliquo titulo ad virtutem, & diuinum cultum spectante, eandem sub illo cultu pie & Religiose seruandam publice proponat, tamquam bonam: & salutarem vitæ regulam & normam, fieri non potest vt erret in veritate doctrinæ, & morum rectitudine: cum in id ipsum assistentiam Spiritus Sancti habeat, eandem quam habet pro canonizandis Sanctis. Vnde merito Doctores omnes supracitati, arguūt & reprehendunt Magistrum Canum, contrarium sentientem libro tertio de locis canonic. cap. 5. prope finem, §. *nunc illud breuiter dici potest*. Ex quibus omnibus satis colligitur ad prædictum propositum, quanta sit vis & efficatia argumenti, sumpti ex eo quod Ecclesia approbauit & confirmauit, prædictarum Monialium Ordinem, sub titulo sanctæ & Immaculatæ Conceptionis, ab originali peccato prædicto præseruatæ, vt in ipsa sacræ Virginis puritate Deus coleretur, & prædictę veritatis deuotio, in fideli populo magis ac magis cresceret & augeretur. Nam cum Ecclesia asserat expresse se ordinem eiusmodi approbasse & confirmasse, in honorem & laudem sacræ Virginis, approbet etiam quod Moniales, in ipsa habitus susceptione expresse dicant, se illum suscipere in honorem & venerationem Immaculatæ Conceptionis: & in professione ipsa expresse declarent, se vota solemniter emittere in eundem honorem, & Beatæ Virginis seruitium, cũ cæteris quæ dicta sunt supra: dubium certe esse non potest, Romanam Ecclesiam sentire, & docere Virginis eiusdem Conceptionem fuisse sanctam & puram, & ab omni prorsus originalis peccati labe immunem. Quod etiam cum Spiritu Sancto dirigente, fidelibus tanquam verum proponat (non vero falsum) minime etiam negari potest, quod ex hoc efficax ac firmum argumentum desumatur, seu desumi possit, ad veritatem eandem confirmandam, & comprobandam: & adeò efficax ac firmum, vt dicat Corduua loco vbi supra in fine quod non videt quid possit (vel apparenter) à viro catholico in oppositum responderi.

Nota hoc valde ex Corduua loco vbi supra.

QVÆST.

QVÆST. XXII.

Vtrum ex miraculis quæ in comprobationem Immaculatæ Virginis Conceptionis sunt patrata, efficax etiam ac firmum argumentum desumatur ad eandem veritatem confirmandam?

HAC de re est specialis opinio seu potius temeritas Caietani, in suo Opusculo seu tractatu de Conceptione Virginis, cap. 5. in fine, vbi ait miracula quæ in confirmationem puritatis sacræ Virginis afferuntur, indigna esse vt de illis verba fiant, & mulierculis potius quam viris sapientibus esse proponenda. Asserit preterea ea minime vera esse, sed apparentia. Cuius positionis fundamentum est, quia (inquit) non sunt admittenda etiam vera miracula contra Doctores sanctos, & maxime antiquos. & contra id quod habetur expresse in Sacra Scriptura. Eandē sententiam tribuit Corduua loco vbi supra, lib. 1. quæst. 44. in 4. probatione ad sextam conclusionem, §. *ad hoc respondet Caietanus*, Diuo Antonino de Florencia, prima parte suæ Summæ titulo octauo capit. 2. vbi ait, quod prædicta miracula non sunt authentica, nec recepta per Ecclesiam, & quod istæ nouæ propheтiæ seu reuelationes, nouaque miracula cōtra tot Sanctorū, Doctorumque antiquorum doctrinam, potius sunt phantasiæ aut figmenta pro muliercularum deuotiunculis inflammandis: neque sunt digna vt inter sapientes memorentur, aut ab his Pontifex Summus moueri debeat, ad hoc vel illud determinandum, aut decernendum, contra ordinariam viam Sacræ Scripturæ, quia vt inquit Diuus Paulus 1. Corinth. 14. *Miracula non fidelibus sed infidelibus data sunt*: & quia ad Galat. 1. ait, quod si Angelus de cœlo aliud dogmatizauerit anathema sit. Sed prædictus Corduua paulo inferius, §. *sed certe*, ait quod hæc euasio non valet quidquam: quinvero temeraria est, & speciem impietatis habet, & acriter contra Caietanum prædictum inuehitur, & semel atque iterum eundem temeritatis, & impietatis notat, ac multis probat quanti faciendasunt miracula, similiter & reuelationes, quæ communiter à Doctoribus adducuntur, in huius veritatis comprobationem. De reuelationibus dicemus in sequenti articulo: nunc autem de miraculis contra Caietanum sequens statuitur

Opinio seu potius temeritas Caietani, negātis & spernentis miracula, quæ in comprobationem immaculatæ Conceptionis Virginis sunt facta.

Conclusio.

Conclusio.

Ex miraculis quæ in comprobationem Immaculatæ Virginis Conceptionis sunt facta, efficax ac firmum argumentum desumi potest, ad hanc veritatē confirmandā. Quod mendacium pro nulla re, neque ad excitandā populi deuotionem est dicendum.

EX miraculis quæ in comprobationem Immaculatæ Virginis Conceptionis patrata sunt, efficax ac firmum argumentum desumi potest, ad eandem veritatem confirmandam. Pro huius conclusionis intelligentia, & vt magis ac magis elucescat, contra Angelum de Clauasio, & Rosela, præmisso ex Syluestro in sua Summa verbo *mendacium* n. 4. mendacium omne adeò esse de se malum, maxime in prædictorum miraculorum materia, vt pro re nulla mundi asserendum siue dicendum sit, etiam ad excitandam populi totius deuotionem, neque ipsum vllo modo cedere posse in Dei siue Sanctorum suorū honorem. Quod satis colligitur ex doctrina Diui Pauli 1. Corinth. 15. vbi de sacra Christi Domini resurrectione agendo, inquit vera se protulisse, & addit, quod si ea in re mēdaciū aliquod dixisset, falsus testis inueniretur, falsumque testimonium aduersus Deum dixisse. Quod satis etiam confirmatur ex doctrina Diui Augustini, qui agendo de eodem mendacio, dixit. *Per horrendum esse aliquid falso de Deo dicere, etiam si ad laudem eius pertinere videatur: quia non minori sed maiori fortassis scelere laudatur in Deo falsitas, quam vituperetur veritas.* Facit & ad id quod dixit olim Iob cap. 13. *Quod non indiget Deus nostro mendacio, vt pro ipso dolose loquamur.* Diuus etiam Bernardus in epistola 144. quam scripsit ad Canonicos Lugdunenses, ad idem propositum dixit loquendo de Virgine Deipara: *Quod Virgo Regia falso non eget honore, veris cum sit honorum cumulata titulis.* Hoc itaque est certissimum atque constitutissimum. Quod & consulto apponere libuit pro prædictæ conclusionis fundamento, vt fiat omnibus perspicuum, me in presenti quæstione, haudquaquam in sententiæ nostræ comprobationem falsa aliqua in medium adducturum miracula, sed solummodo ea quæ visa fuerint vera esse & certa: quinvero verissima atque certissima, iuxta grauissimorum Doctorum sententiam, adeò vt citra quammaximam temeritatis & impietatis notam, haudquaquam possint ab aliquo pio & catholico viro inficiari vel negari. Quod si talia fuerint, meam hanc legentem quæstionem monitum volo, illis vt fidem faciat, aduertens

Quid censuerit olim Parisiensis Academia, de veritate miraculorū & fide facienda ipsis, contra Erasmum titulo 7.

ac memoria retinens, inter alios olim Erasmi errores à Parisiensium Academia titulo septimo, sequentem etiam fuisse damnatum. Dicebat Erasmus. *Quod Sanctorum historia, & similes narrationes non sunt magnificandæ, neque ea quæ de eorū miraculis scripta sunt.* Quam propositionē Doctorū Parisiensiū cēsura sic qualificauit: *Quod licet non omnia quæ de sanctis leguntur pari gradu certitudinis sint amplectenda: ipsa tamen propositio quoad eius primam partem pias aures offendit, & ad irreuerentiam in sanctos, & Ecclesiastici officij contemptum prouocat, & Vuicleph istarum insania est conformis, & si quid in officijs diuinis minus dignum Christiana pietate compertum fuerit:*

fuerit, non quorum vis, sed illorum tantum auctoritate id corrigendum est, ad quos potissimum spectat. Secunda vero pars ex Porphyriano trahitur errore. Hęc vbisupra. Quam Parisiensium censuram siue qualificationem, refert Corduua loco vbisupra, §. *secundo, temeritas & impietas supradicta inde liquet*. Quod etiam & exinde confirmatur, quia vt inquit Scotus in Prologo primi sentent. quæst. 2. miracula à Deo fiunt, ad inducendum homines ad credendum ea quæ credere tenentur, & ad quorum notitiam naturaliter peruenire non possunt. Quæ doctrina desumpta est ex Augustino libro 22. de Ciuitate Dei. Diuus etiam Gregorius super Lucam cap. 18. rationem reddens ob quam Christus Dominus ad fidem suam stabeliendam, interdum faciebat miracula dixit, quia carnales adhuc Discipuli nullo modo valebant capere verba mysterij, venitur ad miraculum. Ante eorum oculos cęcus lumen recipit, vt qui cœlestis mysterij verba non caperent, ad fidem ipsius facta ipsa solidarent. Nam cum vera miracula fieri non possint nisi à Deo, vel virtute Dei (vt dicit Diuus Augustinus libro de vtilitate credendi prope finem) vbicumque pro aliqua re, & in comprobatione alicuius veritatis factum fuerit aliquod miraculum, credendum est illud esse verum, cum Deus testis esse non possit alicuius falsitatis, vt dicit Scotus loco vbisupra.

Ex quibus omnibus, superque satis colligitur nostræ conclusionis veritas, & quanta sit miraculis fides facienda, si fuerint authentica, & tanquam vera adducantur ab Ecclesia, & quanto nos cum fundamento diximus, ex miraculis quæ in comprobationem Immaculatæ Virginis Conceptionis sunt patrata, efficax firmium etiam argumentum desumi posse, ad eandem veritatem confirmandam. Quod argumentum ex miraculis, communi fidelium consensu approbatis, dicit prædictus Corduua loco vbisupra, folio 365. columna 1. in medio, ad vltimum veritatum catholicarum gradum spectare, non quidem vt credendæ sint de necessitate fidei; sed vt probabiliores, & pertinentes magis ad fidei pietatem, & ad Dei honorem, populique deuotionem nutriendam. Cuius generis cum sint miracula quæ adducuntur ad Immaculatam Deiparæ Virginis puritatem confirmandam: cum adducantur in confirmationem veritatis quam Romana colit Ecclesia, & celebrandam atque colendam proponit, & communi fidelium consensu recipiantur; nullus profecto absque ingenti temeritate ea negare potest; nam ad hoc vt authentica censeantur, satis est quod in officio Conceptionis à Romana Ecclesia approbato ponantur & adducantur. His igitur sic præmissis, ad nostrum propositum accedamus, & aliqua miracula referamus. Exeant primo in præfacti mysterij comprobationem, tria miracula quæ refert Diuus Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, in epistola quam scripsit ad Coepiscopos Angliæ. Et ne de huius epistolæ auctoritate, & veritate

De tribus miraculis relatis à B. Anselmo in epistola quam scripsit ad Coepiscopos Angliæ.

 quis-

quispiam audeat dubitare, dico quod eius meminit Concilium Cátuariense celebratum anno 1320. & Henricus de Gandauo, quodlib. 25. quæst. 23. sub annum salutis 1290. Ioannes Bachon in quarto dist. 2. quæst. 4. art. 2. anno 1340. & in quodlibet. quæst. 13. Thomas de Argentina, qui floruit an. 1350. Ioannes itẽ Capreolus anno 1410. & Petrus Paludanus, qui vixit anno 1330. omnes supradicti tres, in tertio sentent. dist. 3. & Marsilius in secundo quæst. 20. art. 1. eius etiam meminit Gerson, qui floruit anno 1430. sermone de Conceptione quorum nullus ex his grauissimis auctoribus de prędictæ epistolæ auctoritate & veritate dubitauit. Ipsius etiã meminit Petrus Episcopus, lib. 1. sui Cathalogi c. 52. & lib. 6. c. 56. & Bosius lib. 9. de signis Ecclesię, c. 8. & Masseus cap. 16. suæ Chronicæ. Et nunc nouissime acerrimus antiquitatis censor, Cesar Baronius in notis Martyrologij Romani, ad diem octauum Decembris, & Oxeda in informatione quam fecit pro Beatæ Virginis Conceptione, cap. 12. vbi ostendit eam â grauissimis viris prædicto Diuo Anselmo tribui, insertamque haberi in antiquissimis Breuiarijs, & in Bibliotheca Ecclesiæ Maioris Cordubensis, & Collegij suæ Societatis Iesu his nostris temporibus reperiri. In prædicta ergo Diui Anselmi epistola, tria referuntur miracula, quæ per ordinem breuiter referuntur, vtendo verbis Fratris Bernardini â Bustos, qui ipsa fideliter refert, in officio quod de Beatæ Virginis Cõceptione fecit, & per Ecclesiam est approbatum.

Primum miraculum de Abbate Elsino.

Primum miraculum est de Elsino Abbate Remensi, de quo Beatus Anselmus sequentia profert verba. *Tempore illo quo diuinæ placuit pietati Anglorum gentem de malis suis corrigere, & suę seruitutis officijs arctius adstringere, gloriosissimo Normandorum Duci Guillelmo eandem patriam debellando subegit. Audientes autem hoc Dati grauiter indignati, se suo quasi hæreditario iure priuari, arma præparant, classesque aptant, vt Normãdos à data sibi diuinitus expellant patria. Hoc comperto Rex prudentissimus Guillelmus Elsinum quendam Remensis Cœnobij Abbatem in Daciam dirigit, vt huiusce rei inquirat veritatem. Elsinus vero vir admodum sagacis ingenij, strenue Regis negocium executus, ad Angliam reuerti cupiens, mare ingreditur, cumque non modicam maris partem prospero cursu transisset, subito densis vndiq; surgentibus ventis, horrida tempestas mare commouit & vndas. Fatigatis itaque Nautis, nec vltra obniti valentibus, fractis remis, funibus ruptis, cadentibus velis; spes salutis amittitur, nihil nisi submersionis suæ iudiciũ miserabiliter expectatur. Cũ igitur de salute corporum desperati, animarum solummodò curam magnis clamoribus Domino commendarent, & Beatissimam Dei genitricem, miserorum refugium, ac desperatorum spem, deuote reclamarent: ecce subito quendam venerabilem virum Pontificali insula decoratum, inter medias vndas, naui proximum conspexere, qui talibus Abbatem verbis interpellans, vis (inquit) periculum euadere? Vis ad patriam sanus redire? Cumque ipse cum fletu id se toto mentis affectu appetere responderet: scias (inquit) me ad te à Domina nostra Dei genitrice Maria directũ.*

quam

quam dulciter reclamaſti, & ſi dictis meis obtemperare volueris, ſanus cum comitibus tuis euades ſequentis periculum maris. Promitte ergo Deo & mihi, quod Conceptionem puriſsimæ Virginis Mariæ ſolemniter celebrabis, & celebrandam prædicabis. Cumq; ſe in omnibus obtemperaturum Helſinus ſpopondiſſet, protinus ille diſparuit, ſtatimq; ſedatis rugientis pelagi fluctibus, Abbas cum ſuis omnibus incolumis anglicis applicuit littoribus. Recepta ergo non immemor ſalutis, de Conceptione Immaculatæ Virginis annuatim prædicans, eius quoque officium, nõ modo ipſe deuoto celebrauit affectu, ſed etiam in Remenſi Cœnobio omnibus ſuæ ditioni ſubiectis indixit. Hæc vbi ſupra, & referuntur à prædicto Buſtos in dicto Conceptionis officio, in 4. die lect. 5. & 6.

Secundum miraculum eſt de quodam Sacerdote, qui ab adulterio rediens, in fluuio ſecano à diabolo fuit ſubmerſus, & ſacræ Virginis interceſsione liberatus: quod etiam refert Buſtos loco vbi ſupra, in quinto die, lectione 4. & 5. ſub tenore ſequenti. *In Pago Gallico erat quidam Canonicus ordine Sacerdos, Beatæ Virginis horas nocturnas non paruo mẽtis affectu ſolitus decantare. Hic autem in Villa quadam cum alterius vxore fornicario miſcebatur amplexu. Cum igitur ſacrilega ſaciatus libidine, ſemel in medio noctis ſilentio ad oppidum in quo morabatur redire feſtinaret, Pelagius quoddam tranſmeare cupiens, ſolus nauem ingreſſus, Dominicæ Matris horas nauigando canere cœpit. Cumque inuitatorium, Aue Maria gratia plena, Dominus tecum, diceret, & iam vſque ad medium fluminis pertranſiſſet: Ecce Dæmonum turba illum cum nauicula in pelagi profundum præcipitem dedit, eiuſq; ſicut promeruerat, animam rapuit ad tormenta. Tertia autem die ad locum in quo maligni ſpiritus varijs illum cruciabant tormentis, Beata Deigenitrix Maria innumeris Sanctorum vallata fulgoribus acceſſit: eſtq; talibus iniquos Dæmones conuicijs alloquuta. Vt quid mihi famulantis animam iniuſte affligitis? Et Dæmones. Nos (inquiũt) illam habere debemus, quia noſtris in operibus occupatum deprehendimus. Si illius (inquit Virgo pia) eſſe debet cuius opera peragebat, mea profecto eſſe cognoſcitur, quoniam matutinas meas horas dum vos eum peremiſtis decãtabat. Vnde magni rei eſtis criminis, quia erga me inique egiſtis. His itaque dictis, Dæmonibus huc illucq; fugientibus, ſanctiſsima Virgo animam illius ad corpus detulit, hominemq; ab vtroq; funere ſuſcitatum arripiens, de profundo pelagi ad portum incolumem adduxit. At ipſe gaudio & exultatione perfuſſus ad eius pedes proſtratus: Chariſsima (inquit) Domina mea, & Virgo gratiſsima, quid tibi retribuam propter tanta quæ mihi beneficia contuliſti? Præter te (ait Deigenitrix Maria) ne amplius in adulterina corruas fœditate, feſtumque Immaculatæ Conceptionis meæ fidelibus populis annuncians, annuatim ſolemniter celebrare procures. Hæc poſtquam Beatiſsima Virgo loquuta eſt, ad æthereas polorum ſedes Angelis comitata perrexit. Canonicus autem ille heremiticam ac cœlibem vitam ducens, quod ſibi acciderat cunctis audire cupientibus enarrauit: totoq; vitæ ſuæ tẽpore intemeratum Virginis conceptum, ſpecialibus non deſtitit celebrare ſolemnijs.*

Secundum miraculũ de quodam Sacerdote adultero.

Tertium miraculum eſt de quodam Diacono Germano, Regis *Tertium mira*

raculũ de quodam Diacono Germano Regis Hungaria.

Hungariæ, qui cum sacris esset initiatus, de consilio parentum nubere voluit: quod etiam refert Bustos loco vbi supra, in sexto die, lectione 4. & 5. & est tenoris sequentis. *Temporibus Caroli Regis Francorum, clericus quidam ordine Leuita, Hungariæ Regis Germanus, Beatam Dei genitricem Mariam toto corde diligens, eius deuotissime horas decantabat. Hic Parentum suorum consilio nubere volens, adolescentulam quandam valde pulchram accepit in sponsam. Facta igitur à presbytero nuptiali benedictione, sacrisq; missarum expletis mysterijs, recordatus est se eiusdem Beatæ Virginis Mariæ horas die illa iuxta morem non cantasse. Quapropter omnes ab Ecclesia discedere mandans, ipsam sponsam vero suam domum deduci faciens, ipse solus iuxta Domini altare remansit. Cumque Beatæ Virginis horas decantans, antiphonam illam, pulchra es & decora filia Ierusalem diceret, apparuit ei Dei genitrix Virgo pijssima, benignaq; illum facie talibus est alloquta. Si ergo pulchra sum & decora, quid est quod me dimittis, & aliam sponsam, me derelicta ducere concupiscis? Num quid ego non sum pulchrior illa? Num quid non ego sum optime formosa? Num quid non ego sum valde decora? Vbi vidisti tam pulchram? Ad hæc Clericus ille defixis in terram oculis. Domina (inquit) mea similitudo tua omnem mundi pulchritudinem excedit. Tu es super choros Angelorum eleuata, tu es super cœlos cœlorum exaltata. Quid vis ergo vt faciam? At illa. Si carnalem sponsam amore mei dimiseris, me in cœlesti regno sponsam habere gaudebis. Et si Conceptionis meæ festum à cunctis Christi fidelibus celebrandum prædicabis, mecum in filij mei palacio laureatus triumphabis. Talibus exorsa dictis ad cælestia regna Virgo se benedicta recepit. Clericus vero domum redire contemnens, ad quandam protinus extra patria sua terminos Abbatiam properans, Monachali habitu decoratus est. Post exiguũ autem tempus Domina nostra intercedentibus meritis, ad Aquileia Patriarchatum assumptus, Immaculata Conceptionis festum à cunctis celebrandum prædicans cum proprijs etiam octauis solemnibus, annuatim exornauit officijs.*

Prædicta tria miracula, continentur in dicta epistola Diui Anselmi. Quibus permotus Conceptionis festum in Anglia, summa cum celebritate instituit, cuius celebrationem Ecclesia Lugdunensis præcipue recepit. Nec dictis obstat quod Diuus Bernardus in epist. 174. quam ad Canonicos Lugdunenses scripsit, epistolam prædictam vt parum authenticam non receperit: quoniam dici potest, quod illa epistola vel non fuit Diui Bernardi legitima (vt multis probat Oxeda in informatione quam fecit pro Beatæ Virginis Conceptione capit. 14.) vel etiam si ipsius fuerit, non fuit sufficienter de veritate dictæ epistolæ informatus, & tractu temporis illius veritas ita confirmata fuit, vt à tota Anglia & Gallia vnanimiter fuerit recepta, tanquam vere authentica, & (vt diximus) grauissimi Auctores de eadem mentionem faciunt, & illam dicunt esse authenticam: quod satis est ad hoc vt pro tali ab omnibus habeatur: vt enim dicunt omnes Iurisperiti Doctoris communiter, antiqua non nisi antiquorum scriptorum testimonijs possunt comprobari.

Sit

Sit quartum miraculum de libro Beati Dominici, qui per ter ignem missus illessus euasit. Quod quidem miraculum Bustos in officio quod de B. Virginis Conceptione composuit, & per Sixtum IIII. fuit approbatū (vt constat ex breui posito ante ejusdem principiū) in 3. die lect. 4. sic illud refert. *Legitur in quodam B. Dominici opusculo, quod cum regularis esset Canonicus, in Episcopatu Tolosano contra hæreticos quosdam disputando contendit, qui multas veritati contrarias conclusiones asserebant. Sed inter alias hanc populis prædicabant, Beatam scilicet Virginem non fuisse ab originali vitio præseruatam: cuius contrarium tenebat Beatus Dominicus. Cum vero se non posse illis veritatem persuadere conspiceret, taliter cum eis conuenit: vt suas pariter conclusiones in ardenti fornace deponerent: quæ autem ignis ardore non deficerent, putarentur veridicæ. Deposuere igitur hæretici suas in medio ignis conclusiones, inter alia multa dicentes, originali macula contaminata fuit Virgo Maria. In contrarium vero Beatus Dominicus affirmauit: Beata Virgo ab originali peccato fuit præseruata. Et statim falsas hæreticorum conclusiones vorax flamma consumpsit: Beati vero Dominici verissima dicta, in medio ardentis flammæ sine vlla penitus lesione, nulloq; in eis signis apparente indicio, per tres continuos dies perstitere.* Hæc supradictus Bustos vbisupra in substantia.

Quartum miraculum, de libro B. Dominici, qui per ter in ignem missus, illessus euasit.

Quod quidem miraculum aduersarij negant, præsertim Bandellus, qui perniciosissimo illo libro suo iam supra citato, in vndecima ratione ex his quæ pro pia sententia & opinione, contra suam fuerunt adductæ, folio 89. pag. secunda, obstinate negat fuisse aliquando aliquem Beati Dominici librum, in quo de præseruatione sacræ Virginis quid piam fuerit conscriptum. Sed certe id negare minime potest, aut possunt sacræ Virginis aduersarij: cum (vt supra diximus) agendo de eo quod circa immaculatam Virginis eiusdem Conceptionē, dixit ac sensit prædictus B. Dominicus, de eiusmodi libro grauissimi auctores fidem faciant. Vincentius Belluacensis, lib. 25. ca. 96. Theodorus de Apoldia in vita eiusdē S. P. Dominici, Sanctus Antoninus 3. par. tit. 19. cap. 1. §. 4. alij quã quãplures. Qui omnes dicunt librū prædictū per ter inflãmas missum, & inde illesum euasisse. Quã etiã de re videatur Oxeda in defensione pro Immacul. Virg. Concep. fundamēto 1. cap. 7. & Pineda in serm. eiusdem Conceptionis §. 7.

Quintum sit miraculum de conuersione Magistri Alexandri Alensis, ad tuendam Immaculatam sacræ Virginis Conceptionem, quod etiam refert supradictus Bustos loco vbisupra, in die octauo lectione 4. sub sequētibus verbis. *Dum Magister Alexander de Ales, adhuc sæcularis existens, in Vniuersitate legeret Parisiensi, nolletq; Immaculatum purissimæ Virginis celebrare conceptum, volens illum gloriosa Deigenitrix Maria ad sanam reuocare sententiam, dum quadam Conceptionis die prædictus Doctor suis legere cœpisset Discipulis, tantis illum percussit infirmitatibus, vt omnibus veluti mortuus videretur. Cum autem Alexander in sua permanens sententia B. Virginis innocentiam adhuc confiteri despiceret; alio quoque anno dum in eodem Conceptio-*

Quintum miraculum, de conuersione Magistri Alexandri Alēsis, ad tuēdam Immaculatã sacra Virginis Conceptionem.

ceptionis die perlegeret, easdem protinus infirmitates incurrit. Sicq; frequentatis vicibus in eodem festo, in horribiles annuatim infirmitates incidebat. Quam ob rem à suis monitus discipulis, ne gloriosa Virginis intemeratam Cõceptionem impugnares, ad se ipsum in eadem existens infirmitate reuersus, deuote vt potuit Reginæ Cœli vouendo promisit, si optatam illi dignaretur afferre salutem, pulcherrimum se aliquod opus ad sua gloriam Conceptionis editurum. Emisso igitur voto ad pristinam protinus rediјs sanitatem. Tanti ergo non immemor beneficij, egregium quoddam volumen melsflua Conceptionis inscripsit, Immaculatumq; benedicta Virginis conceptum multis comprobans rationibus, & totum fuisse falsum prædicauis quidquid contra illibata Virginis Conceptionem, suis vnquam in operibus affirmauit. Hæc vbisupra.

Quod amplius idē Bustos prosequitur, sermone nono ex his quos fecit de sacræ Virginis Conceptione, parte 3. lit. O. vbi inquit quod prædictus Doctor composuit pulcherrimum librum, siue sermonem de Conceptione Matris Dei, accipiendo pro themate illud, Cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. In quo sequentia verba habentur. Festum Conceptionis Beatæ Mariæ consecratæ Virginis, honoratur propter reuelationem quæ facta fuit Abbati Elsino, vt talem diem quæ signanter fuit sibi expressa, celebrari faceret ad honorem Virginis Matris Dei, sub interminatione mortis sibi infligenda. Cum ergo reuelatio facta illi sancto Abbati non debeat discredi, sicut nec reuelationes antiquis Patribus facta, pie credendum est quod iuxta dictam reuelationem præfata solemnitas debeat celebrari. Ad quod stimulamur, quia natiuitas Beatæ Virginis celebratur propter reuelationem cuidam viro solitario factam: quare ergo Conceptio non debeat celebrari iuxta reuelationem factam illi sancto Abbati? Ego igitur doceo, & assero & credo, illos esse commendandos, qui pie & deuote festum Conceptionis celebrandum dixerũt, & hoc præcipue, nam cum Magister Theologiæ existens, in scholis publice contrarium docerem, & isto die sicut in alijs diebus officium Doctoris in scholis exercere vellem, teste Sole iustitiæ, arripuit me tam repentinus morbus, quod eodem die, & annis singulis me excæcauit: ita quod tali die Conceptionis, officium Magisterij exercere nunquam valui. Vnde auditores consocij mei, existimantes istum morbũ euenire mihi quia impugnabam festum Conceptionis, me corripuerunt, & sanum consilium habui ab eisdem, vt de illo festo crederem contrarium, ac illud festum celebrandum annuatim forte sentirem, & hoc doceo faciendum, & hoc assero.* Hæc vbisupra. Fertur que de prædicto Alexandro Alensi (vt refert idem Bustos loco vbisupra sermone 1. in fine) referuntque id ipsum alij multi, deinceps ita passim clamare solitum. *O Maria tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Exhalasseq; animam dicendo, sequentia verba. O Maria Domina mea, tota pulchra es & formosa, & macula originalis nec actualis in te nunquam fuit.* Prædicti miraculi, necnon & libri ab Alexãdro editi, mentionem facit Guillelmus Borrillonus, in tertio sentent. dist. 3. vbi de dicto libro sic dicit. *Tractatus irrefragabilis Doctoris à Tolesano Magistro Loe de Garrim eiusdem Ordinis, contra nonnullos Virginide*

nouo

minigarantes, in Vniuersitate Tolosana citra octo annos productus est. Et Bustos serm. 4. de Conceptione tertia parte dicit, eiusmodi librum haberi Tolosæ Cattenatum in choro Ecclesiæ Cathedralis, quod etiam dicit Ioannes de Zelaia in tertio sentent. dist. 3. & de eodem libro meminit Pelbartus in lib. 4. sui stellarij. Mauricius de Villaprobata, de corona, sermone 5. & Antonius Cucarus in secunda parte sui elucidarij.

Sextum miraculum de Scoto, & Deipara Virginis imagine, qua illi caput inclinauit.

Sextum miraculum fit de Scoto, & Deiparæ Virginis imagine quæ illi caput inclinauit. Quod quidem refert supracitatus Bustos, in dicto officio de Conceptione, in prima die lectione quarta, referuntque illud aliqui alij Auctores, & fuit in modum quo sequitur. *Quodam tempore quidam Religiosi in tantam Conceptionis altercationem proruperunt: vt Ordinis Minorum Fratres hæreticos affirmarent; quia Deigenitricem sine originali macula conceptam in suis prædicationibus protestabãtur. Quapropter eadem re Apostolico iussu in Parisiensi studio publice disputatio peracta est, ad quam accusatores prædicti, cum innumeris pene sui ordinis Doctoribus conuenerunt. Dominus vero noster Iesus Christus ad protegendam dilectæ suæ Matris dignitatem, Scotum Ordinis Minorum Doctorem eximium, ad illam ciuitatem protinus destinauit, qui cum ex Franciscano Cœnobio ad Sorbona Collegium (locum disputationi prædicta destinatum) magno cum comitatu accederet, imaginiq; Deiparæ Virginis quæ supra ianuam prædicti Collegij extat, humiliter flexis genibus dixisset: Dignare me laudare te Virgo sacrata, da mihi virtutem contra hostes tuos (mirabile dictu) imago ipsa caput illi inclinauit, in cuius signum modo sic vsque ad præsentem diem perseuerat, durante apud Parisienses miraculi prædicti traditione, & Virginei capitis inclinatione, quæ alias contra rectas architectura regulas esset, nisi eiusmodi dispositio à prædicto miraculo initium habuisset. Neque hoc solummodo eo die miraculosum atque portentosum fuit, sed id etiam quod refert Pelbartus lib. 2. sui stellarij parte 1. art. 3. nempe quod cum ducentena argumenta ab aduersarijs illi fuissent obiecta, tacens audiuit, eaq; omnia memoria retinuit, ac singulis tanta verborum & sententiarum vbertate satisfecit vt omnes astantes in suam sententiam traxerit, tantamq; sui admirationem mouerit, vt ab omnibus victor fuerit proclamatus, Doctorq; Subtilis exinde appellatus, accusatoribus obstupescentibus recedentibus.* De dicto miraculo præter Bustum & Pelbartum prædictum, videatur reuerendissimus ... Episcopus Oxomensis in approbatione libri Doctoris Lucerii ad illustrissimum Toletanum Antistitem fol. 8. & Lezana in suo apologetico pro Immaculatæ Mariæ Conceptione cap. 15.

Septimum miraculũ de quodam qui se simulauit mortuum, vt postea irrideret Deiparæ Virginis Conceptionem.

Sit septimum miraculum, de quodam qui se simulauit mortuum, vt postea irrideret Deiparæ Virginis Conceptionem, quod etiam refert Bustos in prædicto Conceptionis festo officio, in prima die lect. 5. & 6. verbis sequentibus. *In Ciuitate Parisiensi fuerunt quidam Sacerdotes Dominæ nostræ innocentiam non credentes: qui vt suam melius opinionem populo intimarent, quendam nobilem virum eorũ communicantem operibus obsecrarunt*

runt, vt pro confirmanda ipsorum sententia, se postquam aliquandiu finxisset infirmum, mori postremo simulans, ad eorum Ecclesiam quasi pro sepultura, magno cum apparatu, turbis comitantibus faceret deportari Depositoq; in medio Ecclesiæ feretro secundum patria morem, eorum vnus ad populum perorat. Ad medium vero sermonis veniens, sic illi qui mortuus videbatur, ex parte omnipotentis Dei præcepit, vt si Beata Virgo Maria originali vitio fuerat maculata, protinus à mortuis rediret ad vitam. Præbuit assensum nobilis prædictus suggestionibus iniquis, omnibusq; iuxta quod ordinatum fuerat peractis, innumeris ferè scholaribus ciuibusq; ac diuersorum Ordinum Fratribus ad exequias conuocatis: prædictus Sacerdos nobilem illum per Dei virtutem ac potentiam coniurauit, præcepitque vt si gloriosa Deigenitrix Virgo originalem contraxerat maculam, protinus à mortuis euigilaret. Cum autem iteratis iussionibus sæpius præcepta repeteret, nobilis ille immobilis persistebat. Qua de re mirum in modum admiratus Presbyter, cum sequacibus suis intremuit. Coniux vero simulatoris illius, tã nefandæ nõ inscia fraudis, cum vsque ad Ecclesiam virum suum comitata, dolorem lacrymis simulans peruenisset, illum post Sacerdotis iussa videns immobilem, pertimuit Beatam Virginem mariti sui malignam fictionem debitis mulctasse supplicijs. Illico ad feretrũ currens, inuenit virum suum mortuum, qui viuus in Ecclesia fuerat deportatus. Propter quod magno cum eiulatu exclamans, talibus Sacerdotem conuitijs impetijt. O sceleratissime, virum meum occidisti. Omnibus igitur per ordinem fraudibus astantibus enarratis, mulier illa coniuge orbata lacrymans recessit. Sicque gloriosa Virgo puritatem & integritatem suam, hoc insigni miraculo cum maxima aduersariorum confusione demonstrauit. Hæc vbi supra.

Octauum miraculũ, de Archiepiscopo Tolosano, qui à Virgine sacra mundissimam quandam planetã accepit.

Aliud etiam refert miraculum prædictus Bustos loco vbi supra, in secunda die, lectione quarta, de quodam Archiepiscopo Tolosano, qui ob eximiam sacræ Virginis deuotionem, ab eadem mũdissimam quandam planetam accepit: refert autem illud sequentibus verbis. *Alijs etiam indicijs puritatem & innocentiam suam Virgo gloriosa monstrauit. Beato enim Gundisaluo Archiepiscopo Tolosano, qui propter singularem erga Dominam nostram deuotionem eius Capellanus nuncupatus est, & legitur quod quotiescunq; celebrabat, aderat ei Virgo benedicta. Cum autem in die Conceptionis eiusdem se ad sacrosancta Missarum solemnia præpararet, apparuit illi Deigenitrix Maria, eiq; vnam mundissimam planetam niueo candore radiantẽ tradidit, dicens: scias Gundisalue me sine originali macula fuisse conceptã. Reuerenter igitur festũ intemeratæ Conceptionis meæ celebrare procura. Archiepiscopus vero non surdus auditor, composuit pulcherrimum de Conceptione Virginis tractatum, ordinauitq; Festum Immaculatæ Conceptionis per totam Hispaniam solemniter celebrari: totoq; vitæ suæ curriculo annuatim publice de Conceptione Beatæ Deigenitricis, omni qua potuit eloquentia perorauit.* Huius miraculi mentionem facit etiam Pelbartus lib. 4. sui stellarij, prima parte art. 3. quamvis non ipsum tribuat Gundisaluo, sed Ildephonso (vt ipse inquit) Archiepiscopo Tolosano. Tritemius autem libro quem scripsit de scriptoribus Ecclesiasticis, ipsum tribuit Beato Ildephonso Ar-

chie-

chiepiscopo Toletano. De qua differentia componenda videndus est Salazar cap. 35. §. 7. nam ad præsens nostrum propositum parum refert, quod Archiepiscopus cui prædictum miraculum contigit, sit iste vel ille, dum tamen constet ipsum reuera fuisse patratum.

Nonum sit miraculum seu potius simul tria referrentur miracula, de tribus acriter à Deo punitis, pro eo quod Immaculatæ Deiparæ Virginis Conceptioni aduersabantur. Referuntur autem à Bustos in prædicto Conceptionis officio, tertia die lect. 5. & 6. sequentibus verbis. *In Regno Hungariæ quidam in Theologia Magister, contra Virginis intactæ Conceptionem coram Rege prædicauit, illam sanctificatam asserens, non autem sine macula fuisse conceptam, qui talibus irreuerenter dictis, audacia sua pœnas perferens, protinus expirauit.*

Nonum miraculum, de tribus acriter à Deo punitis, pro eo quod Immaculatæ Deiparæ Virginis Conceptioni aduersabantur.

In Tolosana etiam Ciuitate, frater quidam idem prædicare non timuit. Finita vero prædicatione ad Capellam quandam Missam celebraturus accessit. In illa autem erat imago gloriosæ Virginis in marmore sculpta. Cum ergo ad altare frater ille ascendere præsumpsisset, Beata Deigenitrix Virgo, vultum valde terribilem ei ostendit & iratum, suamq; ab illo faciem reuoluit, & sic (vt dicitur) vsque in hodiernum permanet diem. Huius miraculi facit etiam mentionem Pelbartus, in suo stellario lib. 4. parte secunda art. 3. addens quod eo miraculo stupefactus, & cæcus factus concionator prædictus, continuo votum emisit retractandi quæ dixerat, sicque ex Virginis clementia est sanatus.

Inducatu subaudiensi iuxta montem Sancti Bernardi, frater quidam videns mulieres ad Conceptionis prædicationem pergentes, increpauit eas, dicens purissimam Virginem non fuisse à dilecto filio suo in Conceptione præseruatam, additq; si non ita est hoc, in me obsecro à Beata Virgine fieri miraculum, vt ante vesperas emittam spiritum. Ita igitur factum est, hora etenim illa inuenerunt eum alij fratres suspensum per pedes, & mortuum. Hæc vbisupra.

Sit decimum miraculum, de duobus alijs à Deo eandem ob causam punitis, quod etiam refert Bustos loco vbisupra in 4. die lect. 4. *In Tolosana Ciuitate quidam disertissimus frater, contra Conceptionis Immaculatæ Virginis puritatem prædicauit: quapropter in negata testimonium veritatis, statim finita prædicatione, quidam ex insperato lupus adueniens eum suffocando ac dilacerando occidit.*

Decimum miraculũ, de duobus alijs à Deo eãdem ob causam punitis.

Quidam etiam alius frater, Dominæ nostræ Innocentiã Conceptionis impugnans, in ipsa prædicatione cæcus effectus est, quo ad sanam mentem conuersus miraculo, Beatæ Virgini vouendo promisit, si eum illuminaret oppositum prædicare, quod & factum est. Hæc vbisupra.

Vndecimum sit miraculum, de alio Magistro Tolosano, à Deo eandem ob causam punito. Quod etiam refert Bustos loco vbisupra, in 5. die lect. 6. *Tempore quo Martinus Quintus Romanæ Vrbis Pontificatum tenebat, quidam Theologiæ Magister Tolosani studij Rector, determinare ausus est Beatam Virginem originali fuisse peccato corruptam. Qua de re in furore populi*

Vndecimũ miraculũ, de alio Magistro Tolosano, à Deo eãdem ob causam punito.

puli de eadem expulsus ciuitate, Romam veniens apud Summum Pontificem de illata sibi iniuria conquestus est, conclusionem suam asserens publica velle disputatione tutari. Audiens autem hoc memoratus Antistes, diem fiendæ disputationis indixit. Collectoq; maximo Doctorum Conuentu, cum frater ille non veniret, missus est qui eum nuncius aduocaret. Fratres igitur apud quos gloriosæ Virginis inimicus hospitatus fuerat, ad eius cellam pergentes, ipsum mortuum reperere interiora ventris non habentem. Sicq; Beatissima Virgo hostis sui argutias debita mulctatione confudit.

Omnia prædicta miracula quæ à supradicto Bustos allata sunt (vt intuenti patebit) ad litterã sunt extracta, ex officio quod de Deiparæ Virginis Conceptione ipse composuit, quod (vt semel atque iterum dixi) à Sixto Quarto fuit approbatum: vt constat ex breui quod extat ante ipsum, expeditum Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die quarto Octobris, anni 1480. Pontificatus sui anno decimo. Quod dixerint omnibus vt notum fiat, quod eiusmodi miracula absque ingenti temeritate, à pijs & catholicis Viris (Religiosis quammaxime) haudquaquam possunt negari. Præterquam quod vt ex supradictis constat, à pluribus etiam alijs grauissimis viris referuntur & approbantur.

Duodecimum miraculũ, de quodam puero, à morte mirabiliter liberato à sacra Virgine.

Duodecimum miraculum sit, de quodam puero à morte mirabiliter à sacra Virgine liberato. Quod refert supradictus Bustos in prima parte sui Marialis, serm 6. part. 3. per sequentia verba. *Miraculoso etiam exemplo Mariæ Conceptio veneratur, nam cum in ciuitate Aquilena Reuerendus Pater Frater Bernardinus Feltrinus Ordinis nostri, prædicasset atque populum hortatus fuisset, vt in omni tribulatione sua Beatam Virginem deprecaretur, vt eum liberaret ad reuerentiam suæ Immaculatæ Conceptionis: quadã mulier finita prædicatione ad domum reuersa inuenit puerum suum cum gladio in manu sua. Cum autem mater exclamaret timens ne aliquid sibi mali faceret, ille cœpit cum gladio aufugere. Cum ergo curreret, gladium ad pectus casu posuit, & super eum cecidit. Quod videns mater eius statim eleuauit mentẽ ad Beatissimam Virginem Mariam, rogans eam vt ad reuerentiam suæ purissimæ Conceptionis, filium suum a tanto periculo defensaret. (Mirabile dictu) cum gladius omnes pannos dicti pueri pertransisset, atque vsque ad carnem nudã peruenisset, statim se reflexit, ac si esset cera mollis, & in nullo puerum lesit.* Hæc vbi supra.

Decimumtertium miraculum, de quodam etiam à sacra Virgine à morte mirabiliter liberato.

Decimumtertium miraculum sit, de alio quodam etiam à sacra Virgine mirabiliter à morte liberato, quod etiam refert Bustos loco vbi supra, per sequentia verba. *Aliud quoque mirabile accidit Patri cuiusdã fratris nostri scilicet fratris Clemẽtis de Claris, qui eundo ad festũ Cõceptionis celebrandum, equo in præcipuum molendini cadente, ipse mirabiliter incolumis euasit cum fiuo ad culmen: cum tamen præ magnitudine casus, Scella per medium scissa esset in duas partes.* Post quæ prædicta miracula idẽ Bustos serm. 7. part. 2. quam appellat operationis miraculorũ, postquam aliqua dicit:

cit de eorundem credulitate (si sint authentica, & maxime per Ecclesiam approbata) inquit quod potest non immerito dicere illud Ouid. lib. 2. de remedio amoris: *Quid moror exemplis, quorum me turba fatigat?* Et refert ad idem propositũ 13. miracula, quammaxima consideratione digna, & in sequenti serm. 8. parte etiam 3. alia septem refert miracula satis notabilia. Quod similiter facit in serm. 9. parte etiã 3. vbi ponit alia 6. quæ omnia sciens & prudens referre omitto, vt breuitati studeam, & vt veniamus ad quædam nostris temporibus viciniora, quæ breuiter etiam referentur.

Quartumdecimum miraculum, de Rege Hispaniæ in expugnatione vrbis Granatæ.

Quartumdecimum sit miraculum, de Rege Hispaniæ in expugnatione Vrbis Granatensis, quod refert supradictus Bustos post alia in dicto serm. 9 part. 3. sub sequentibus verbis. *Nouissime viro aliud innocentiæ suæ stupendum indicium gloriosa Virgo Maria demonstrauit. Nam cum serenissimus Hispaniarum Rex, per multos annos elaborasset pro captione inclytæ & inexpugnabilis Vrbis Granatæ, tandem ad purissimæ Virginis adiutoriũ confugiens, deuote vouit cum serenissima consorte sua Regina, quod si eis de prædicta Vrbe victoriam præstaret, primũ ciuitatis illius templum, ad honorem suæ Immaculatæ Conceptionis dedicari facerent atq; consecrari. Quo facto voto gloriosam de ipsa ciuitate Victoriã Virgo illis intemerata concessit. Vnde in præfata Vrbe solemniter intrantes, cum magno Episcoporum numero, suorumq; procerũ atque militum potenti exercitu, votum prædictum protinus compleuerunt.* Hæc vbi supra.

Decimumquintum miraculum Complutí factum, interuentu Conceptionis B. Virginis in Monialí quadam incredibili paralipsi grauata.

Quintumdecimũ miraculũ sit, illud quod refertur à Frãcisco Peña Hispano, sacri Palacij Apostolici olim Auditore, in vita sancti Didaci Cõplutensis, lib. 2. cap. 73. quod dicit fuisse vnũ ex his, quæ Sedem Apostolicã ad Canonizationẽ sancti prædicti quammaxime instigarunt, cõmouerunt & cõpullerunt, factum media imagine Conceptionis Deiparæ. *Fuit* (inquit) *Cõpluti Virgo quadam nomine Maria de la Penuela, Petri Hernandez ciuis Cõplutensis filia, quam horribilis & deformis quadam paralipsis, tanta neruorum dissolutione, & membrorum laxatione inuaserat, brachijs & cruribus distortis, totoq; corpore conuulso: vt non tam mulier quam monstrum esse videretur, & Medici omnes nihil se vnquam tale vidisse profiterẽtur. Accedebant febres vehementes, & capitis dolores peracres & assidui, quibus misera grauissime affictabatur, quæ ad corpus Beati Didaci delata, & ipsius intercessione, Dei ac suæ sanctissimæ Matris, ante cuius Conceptionis imaginem orauerat, misericordiam consequuta, magna cum omnium astantium admiratione, ab acri, terribiliq; illa infirmitate mirabiliter est liberata.* De prædicto miraculo mentionem facit Vincẽtius Iustinianus, in tractatu quem fecit annotationum ad vitam sancti Patris Ludonici Beltram. Vbi etiam refert aliud miraculum factum eiusdem sacræ Virginis intercessione, & sub immaculatæ suæ Conceptionis inuocatione, in oppido quodam nostræ Hispaniæ, vulgò dicto Cañauete, de quibus duobus miraculis videatur Lezana in suo Apologetico cap. 15.

Decimum sextum miraculum, de quodã puero adhuc vbera sugente, qui immaculatam Deiparæ Conceptionem multis videntibus, & admirantibus proclamauit.

Decimumsextum sit miraculum, illud quod anno præterito Hispali, non sine quammaxima omnium admiratione contigit, typisque fuit excusum, & ab eiusdem Episcopatus Prouisore approbatum. *Nam cum mulier quadam cantilenas in Conceptionis Beatæ Virginis laudem à pueris publicè decantari audiret, mysterij prædicti zelo ducta, filio suo infanti quatuordecim mensium, vix adhuc verba promenti, quem brachijs vbera sugentem habebat, subridens præcepit, vt ipse etiam in laudem Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis cantilenam eandem decantaret: quod & puer infans statim fecit, illam distinctè proferens, alteq; decantans mirantibus cunctis: quo miraculo illius celeberrimæ vrbis incolæ excitati, in publicas etiam sacræ Virginis laudes proruperunt, ipsius puritatem, & Immaculatam Conceptionem deuotissimè acclamãtes & decantantes.* Quod miraculum refert Ægidius, tractatu suo iam pluries citato pro defensione Immaculatæ Virginis Conceptionis ad quæstionem 7. art. 5. & vltimo num. 6. Et quid moror hac in re plura dicere, cum etiam pro magno miraculo (quin vero miraculorum omnium maximo) haberi posit & debeat, quod contrariam sententiam & opinionem tenentes, in omnibus totius mundi partibus, tam Italiæ, quam Germaniæ, Galliæ & Hispaniæ, in circulis, Gymnasijs & disputationibus cunctis, semper succubunt, & exinde ratione suæ impugnationis quammaximam confusionem patiuntur, nostra vero sentẽtia pia, quo magis impugnata & exagitata, eo semper magis fuerit exaltata, & per totum orbem venerata? Quod quammaximum argumentum est, non eam prodijsse ex hominum inuentione, sed ex Dei voluntate & diuina reuelatione, adimpletúque fuisse illud Actuũ quinto: *Si consilium hoc ex Deo est, haudquaquam poteritis illud dissoluere.* Hæc dicta sufficiant de hac quæstione, & qui plura videre voluerit consulat Doctores superius citatos, vbi ad idem propositum reperire licebit multa, eaque notatu dignissima.

QVÆST. XXIII.

An ex reuelationibus hac de re factis, efficax ac firmum argumentum etiam desumi posit?

Primum notabile. Temeritas Caietani in tractatu de Concep. Virg.

CIRCA hanc quæstionem aliqua sunt notabilia præmittenda, summa obseruatione dignissima, pro pleniori eiusdem resolutione. Et primo præmitto, quod etiam specialis sententia seu potius temeritas Caietani, in tractatu de Conceptione Virginis, cap. 5. vbi in principio §. *sed hæc probabilitas*, inquit probabilitatem

litatem ex reuelationibus esse valde exiguam. Et in fine eiusdem capitis, §. *noua autem reuelationes*, asserit reuelationes in hac materia, cum sint contra tot Sanctos & antiquos Doctores, factas esse per Angelũ Sathanæ in lucis Angelum transformatum, aut esse phantasias, siue figmenta: ac proinde adducendas esse mulierculis, non vero viris sapientibus & prudentibus, nec dignas esse de quibus verba fiant. Eãdem sententiam ante Caietanum, tenuit Sanctus Antoninus prima parte suę summæ, tit. 8. §. 4. in fine. Cuius fundamentum est, quoniam pro vtraque parte referuntur reuelationes contrariæ: nam Beatæ Brigittę fertur reuelatum fuisse, Virginem sacram originale peccatũ nõ contraxisse: cuius oppositum fertur fuisse reuelatum Beatæ Catherinæ Senensi, ex quo concludit nullum esse inconueniens dicere, eiusmodi reuelationes non fuisse à Deo, sed somnia quædam humana. In qua sententia fuit etiam Medina, tertia parte, quæst. 27, artic. 2. in solutione ad quintum.

Sed hæc sententia falsa est, nulloque modo ferenda. Et Corduua in suo Quæstionario lib. 1. quæst. 44. in quarta probatione ad sextam Conclusionem, §. *sed certe hac euasio non valet*, dicit eam esse temerariã, & speciem impietatis habere. Quod multis probat, & latissime respondet omnibus per Caietanum in contrarium adductis. Et vera sententia est, quod reuelationes (si debitas habeant conditiones & circũstantias) á Sanctis Patribus, & viris Theologis annotatas, haudquaquam sunt spernendæ aut contemnendæ: quinvero magni faciendæ, si sint authenticæ, & præsertim si per Ecclesiam sint qualificatæ & approbatæ: & oppositum asserere absque dubio, magnam haberte meritatis atque impietatis speciem, & suo modo est consentire cum hæreticis, reuelationes predictas deridentibus, & asserentibus insulsa esse atque innania quædam argumenta, de quibus conquærebatur olim Diuus Ciprianus lib. de lapsis cap. 10. qui & reuelationes antiquas, quæ suo tempore factæ fuerunt libentissime recipiebat. Qua de re videndus est Canisius lib. 1. de Maria Deipara cap. 8. littera A. & B. vbi refert sanctissimum Amadeum Episcopum, lib. 4. epistola 9. ad hoc propositum sequentia verba dicentem. *Sciendum certissime est, quod creberrima miracula, spirituales visiones, cælestes reuelationes, sublimes consolationes, alma parentis Domini, orbi terrarum assidue corruscabunt, donec finem mundus iste senescens inueniat.* Ex quibus verbis satis certe colligitur, quam ab scopo ab errauerit Caietanus, asserendo reuelationes prædictas esse spernendas & contemnendas.

Reuelationes si sint ornatæ debitis conditionibus & circunstantijs, non sunt sperņandę sed venerandę, & contrarium dicere est temerariũ, & magnam temeritatis habet speciem.

Sed vt ne hac in re quispiam decipiatur, aduertendum est, nec laudandos esse qui reuelationes quasdam amplectuntur improuide, neque approbandos (quinvero reprehendẽdos) qui precipitanter quascunque, non solum non recipiunt: verum etiam damnant atque condemnant. Etenim sicut Ecclesiastici 19. habetur, *quod qui cito credit, leuis*

Quanta cum prouidentia, & prudentia reuelationibꝰ sit fides dãdai

nis est corde, & Ioannis 1. cap. 4. dicitur, *nolite omni spiritui credere*: ita Paulus 1. ad Tesalonicens. 5. ait: *Spiritum nolite extinguere: prophetias nolite spernere, omnia probate, quod bonum est tenete*. Ex quibus verbis satis colligitur, nec reuelationes omnes incaute atque improuide esse recipiendas: neque omnes præcipitanter, & obstinate damnandas: quinvero probandas, an ex Deo sint, necne? sed ex Dæmone, aut ex vano aliquo somno? Qua de re videatur Canisius vbisupra, lib. 1. de Maria Deipara cap. 8. & lib. 6. cap. 2. per totum; & Corduua loco vbisupra, quæst. 44. in quarta probatione ad sextam Conclusionem. Turrecremata in prologo ad reuelationes Beatæ Brigittæ. Solitarius in epistola posita in eodem reuelationum libro, ante lib. 8. Gundisaluus Durandus à Sant Angelo, in annotationibus ad eundem librum: Diuus Bonauentura, in Opusculo de processu Religionis cap. 18. & Sanctus Bernardinus Senensis tomo 3. sermone 3. de inspirationum discretione, cap. 4. in principio. Gerson 1. p. Alphabeto 16. littera L. & M. & Alphabeto 17. littera R. S. & T. & Alphabeto 19. littera N. cum sequentibus, & Alphabeto 20. littera B. Petrus Morales lib. 4. de Deipara & Sancto P. Ioseph, tract. 8. Firmianus in speculo interno cap. 11. per totũ, & Ioannes de Auila in lib. audi filia c. 50. Ex quibus omnibus ad cõprobandas, & venerandas reuelationes, sequentes quatuor constituuntur Regulæ. Prima vt videatur an id quod reuelatur conforme sit, & consentiens cum diuina Scriptura, & cum Ecclesiæ traditione siue ordinatione. Secunda, an reuelatio illa sit vtilis ad aliquam spirituale ædificationem, siue deuotioné. Tertia vt videatur cui nam eiusmodi reuelatio fiat. Quarta & vltima, an illa magnorum virorũ iudicio probetur? Quibus quidem concurrentibus, reuelatio vt authẽtica recipienda & veneranda est, maxime si assensu Sedis Apostolicę comprobetur. Neque huic resolutioni obsistere potest Caietanus, aut quilibet alius absq; temeritate, & magna impietatis specie, quod multum est notandum, ac memoriæ commendandum.

Regula obseruanda ad sciẽdum quænam reuelationes sint authentica.

Secundo quia inter reuelationes quæ ad præsens propositum de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione afferuntur, magnum (seu vt quibusdam placet) præcipuum tenent locum, quæ Beatæ Brigittæ factæ referuntur (de quibus postea dicemus) præmittere etiam libuit, quod Caietanus prædictus loco vbisupra illas non admittit, & paruam aut nullam ipsis fidem facit: quia (inquit) contrarium omnino reuelatum fuit Beatæ Catherinæ Senensi, vt refert Diuus Antoninus, prima parte suæ Summæ, titulo 7. cap. 2. ad finem. Qua ratione cum eodem Antonino, dicit eiusmodi reuelationes non fuisse à Deo, & si alicui standum foret, potius esset credendum reuelationi sanctæ Catherinæ, quæ vere est per Ecclesiam canonizata, quam reuelationi Beatæ Brigittæ, quæ canonizata fuit tempore schismatis, quando nullus habebatur certus & indubitatus Papa. Sed certe in hoc Caietanus male

Secundum notabile, quid di xerit Caietanus prædictus de reuelationibus factis B. Brigitta?

Reprehendi-

male loquitur, & communiter non admittitur. Nam licet prædicta Beata Brigitta canonizata fuerit tempore schismatis à Bonifacio IX. qui non fuit indubitatus Papa, anno secũdo sui Pontificatus qui fuit 1391. nonis Octobris, vt patet ex Bulla suæ Canonizationis, quam refert Cardinalis Turrecremata in prologo reuelationum eiusdem B. Brigittæ: tamen ex eadem Bulla, & ex registro Gregorij II. & Vrbani VI. constat prædictos Pontifices qui fuerunt ante præcitatũ schisma, & ante Bonifaciũ IX. de huius sanctæ canonizatione plura egisse. & vtrunque eam incepisse, licet neuter illam perfecerit, vt constat ex prædicto Turrecremata in præcitato prologo cap. 1. post mediũ. Et quamuis Bonifacius IX. prædictus tempore schismatis illam perfecerit, postea tamen Innocentius VII. qui fuit legitimus Pontifex, canonizationem eandem approbauit & confirmauit, kalend. Iunij Pontificatus sui anno secundo, qui fuit 1406. vt patet ex Bulla quam refert prædictus Cardinalis Turrecremata loco supracitato. Qua ratione immerito Caietanus de prædictæ Beatæ Brigittæ canonizatione dubitauit; nam quoad hoc equalis est auctoritatis cum canonizatione Beatæ Catherinę Senensis. Nec vero dubitare potuit Caietanus prædictus, de fide & auctoritate reuelationum prædictarum Beatæ Brigittæ: nam (vt inquit Turrecremata loco vbi supra) nõ solum eiusmodi reuelationes in ipsius vita accurate examinatæ, & approbatæ fuerunt, à Prælatis virisque doctißimis, verum & post illius mortem à multis Summis Pontificibus fuerunt receptæ & confirmatæ, prævio accuratißimo per sanctæ Ecclesiæ Cardinales, & Theologos doctißimos examine. Nam Gregorius II. post obitum Beatæ Brigittæ anno 1377. eas sibi præsentatas, tribus Cardinalibus & quatuor peritißimis Theologis reuidendas, & expendendas tradidit, qui communi consensu iudicarunt totũ quod in illis continebatur, & veritate esse conspicuum & sanctitate plenum, perlucidum atque perfectum. Illis autem à prædicto Gregorio II. approbatis, quia eiusdem sanctæ canonizationem perficere non potuit, rursus fuerunt præsentatæ Vrbano VI. qui Gregorio II. immediatè succeßit, anno Domini 1378. à quo quinque doctißimis Cardinalibus, & septem Theologis & Iurisperitis secundo loco fuerunt commissæ, qui omnes diligenti examinatione præmissa, & vera relatione de earum veritate & sanctitate ad eundem Vrbanum delata, idem Vrbanus eas vt authenticas & veritate plenas, & à Dei spiritu veraciter traditas, & ad vtilitatem legentium, & audientium pro saluberrima fidelium dogmate, in Dei Ecclesia in perpetuum cum deuotione, & reuerentia studiosius obseruãdas approbauit. Quorum vestigia imitatus Bonifacius IX. easdem reuelationes tertio examinandas viris doctißimis proposuit: & easdẽ approbans, cum Beata Brigitta loquens dixit illa verba, quæ Ozias cũ Presbyteris ad Iudith sunt loquuti vt habetur in sua historia cap. 8.

tur supradictus Caietanus, & dicuntur multa in laudem B. Brigittæ, & suarum reuelationum.

Omnia quæ loquta es, vera sunt. Item & illa quæ habentur 13. Reg. 17. *Verbum quidem Domini in ore tuo verum est.* Qui Pontifex quamvis non fuerit indubitatus Papa, tamen dum iudicium Gregorij II. & Vrbani VI. est sequutus, in hoc errare non potuit, & ipsius approbatio magni facienda est. Ex quibus omnibus constat Beatæ Brigittæ reuelationes, non posse non censeri authenticas, & debere haberi ab omnibus in quammaxima veneratione. Et de reuelationibus sanctæ Catherinæ Senensis, quamvis magni etiam sint faciendæ, & peritorum iudicio (vt dicitur) sint approbatæ: non tamen constat quod à Sede Apostolica sint confirmatæ. Et quidquid de hoc sit, licet quoad alias reuelationes sint authenticæ, quoad tamen illam qua dicitur sacram Virginem in originali peccato fuisse conceptam, nullo modo censetur authentica; quinvero ab omnibus communiter reprobatur, & dicitur post ipsius obitum, à quibusdam sui ordinis fratribus fuisse confictam in discreto quodã zelo, & superadditam alijs, ad infirmandã fidẽ reuelationum Beatæ Brigittæ, quæ Deiparæ Virginis puritatem, & immunitatem ab omni originali peccato confirmant. Hoc dicit Catherinus, quem sequitur Suarez, secundo tomo ad tertiam partem, disp. 3. sect. 5. §. tertio augetur, & Vazquez secundo tomo ad eandem tertiam partem, disp. 117. num. 79. & Lezana in suo Apologetico, capit. 14. neque id quidem sine fundamento magno, quia nec Sanctus Pater Raymundus, neque Stephanus Cartusiensis, nec Frater Thomas Senensis, nec Diuus Antoninus, nec vllus alius qui Beatæ Catherinæ vitam scripsit, aut reuelationes eius collegit, reuelationis prædictæ mentionem facit. Qua de re præter supradictos, videatur Corduba loco vb supra, & Ægidius loco etiam supracitato lib. 3. quæst. 6. art. 4. §. 2. vbi ad hoc propositum reperire licebit, multa eaq; notatu dignissima. Quibus sic præmissis atq; præsuppositis, pro propositæ quæstionis resolutione, sequens statuitur conclusio.

Conclusio.

Ex reuelationib⁹ quæ multis retro sæculis aliquibus sanctis factæ sunt, efficax ac firmum sumi potest argumentũ, ad sacræ Virginis puritatem, & immunitatem à peccato originali confirmandam.

EX reuelationibus quæ multis retro sæculis aliquibus sanctis factæ sunt, efficax etiam ac firmum argumẽtum sumi potest, ad sacræ Virginis puritatem, & immunitatem a peccato originali confirmandam. Hæc conclusio probatur. Nam alias si eiusmodi reuelationibus fides non esset facienda, & omnes tanquam incertæ omninò essent reijciendæ: nihil esset ex quo aliquid probabiliter, ac de fidei pietate crederetur: cum tamen dicat Apostolus primo ad Thessalonicen. quinto: *Prophetias non esse spernendas, & omnia esse probanda, & quod bonum est tenendum.* Quod & confirmatur ex eo, quia vt dicitur Marci vltimo, Christus Dominus Discipulos suos corripuit & increpauit, pro eo quod mulieribus sanctis quæ primæ eum resurrexisse à mortuis.

tuis viderant, non crediderunt: vt vel sic nosmetipsos instrueret, sanctarum etiam fæminarum cœlestes reuelationes, haudquaquam esse spernendas & contemnendas. Quod & confirmatur secundo. Nam Actuum 21. legitur, Philippi filias fuisse prophetantes siue Prophetissas, & Ioel cap. 2. loquendo de futuris Ecclesiæ temporibus, etiam habetur: *Filij vestri, & filiæ vestræ prophetabunt*, id quod, & adimpletum fuisse refertur. Actuum 2. Probatur præterea id ipsum: nam Pius Papa, Paschæ celebrationem die Dominica ab omnibus obseruari instituit, nihil ob aliud nisi quia fidei & scripturarum Doctor, ita se admonitum fuisse ab Angelo, in habitu Pastoris sibi apparente testatus est, vt habetur in cap. *nosse vos de consecratione, dist. 3.* quod & Victor eius successor, in cap. ibidem sequenti, eadem de causa, confirmauit & probauit. Non igitur reuelationes cœlestes, sunt spernendæ aut contemnendæ, debitas si habuerint circunstantias & conditiones, iuxta quatuor supra positas regulas in primo notabili.

Solùmmodo superest modo, vt afferamus reuelationes quæ habentur authenticæ, in comprobationem prædicti mysterij, sanctæ & Immaculatæ Deiparæ Virginis Conceptionis.

Prima reuelatio facta Abbati Elsino. In quibus primum teneat locum ea quæ facta est Abbati Elsino, vt constat ex epistola Diui Anselmi quam scripsit ad Coepiscopos Angliæ, & de qua diximus in præcedenti quæstione. In qua duæ etiã aliæ cõtinentur reuelationes (de quibus ibidem diximus) quibus permotus prædictus Diuus Anselmus, Deiparæ Virginis Conceptionis festum, summa cum celebritate in Anglia celebrandum instituit, vt satis constat ex supradicta sua epistola.

Secunda reuelatio seu apparitio, facta à D. Bernardo, cuidã de suis Monachis. Secundo succedat loco reuelatio facta (vt dicitur) à Diuo Bernardo cuidam de suis Monachis, quam refert Bustos iampluries citatus, in officio quod fecit de Conceptione Deiparæ Virginis Mariæ, quod (vt diximus) per Ecclesiam est approbatum, in secunda die lect. 5. per sequentia verba. *Beatus Bernardus Abbas post mortem suam totus lucidus cuidam de suis fratribus apparuit Cum autem omne eius indumentum candidum esset, solo in pectore quædam nigerrimi caloris videbatur macula. Quærenti autem fratri vbi illam maculam recepisset, respondit. Cùm tali macula volui tibi apparere, quia dum viuerem in quadam extiti non vero opinione, existimans matrem Domini nostri originalem maculam contraxisse Dicas ergo fili mi fidelibus populis quæ vidisti.* Hæc vbi supra. Vera ne an falsa sint, aliorum est iudicium.

Tertia reuelatio facta à Virgine Deipara, cuidam in sacra Theologia Magistro. Aliam reuelationem refert Bustos supradictus, serm. 6. de Conceptione, part. 3. factam à Virgine Deipara cuidam in sacra Theologia Magistro, sequentibus verbis. *In ciuitate quoque Parisiensi vt refert Franciscus de Mairones in serm. de Concept. Virginis, quidã Magister in Theologia cum deberet in Cõceptionis die sermocinari, & vellet in mane prædicare quod concepta fuit in peccato originali: in nocte sibi studenti, apparuit turba Sanctorum*

 Docto-

Doctorum pariter & Angelorum. & sedes parata est super quam sedit nobilis Regina, quæ iussit pro illo Magistro dicens. O Magister, quid ego vnquam tibi feci, quia hoc mane vis contra meum honorẽ prædicare? Et iussit eum flagellari. Quo facto ipse genuflexus veniam postulabat. Tunc Beata Virgo dixit Angelo Gabrieli: vade & doce huic sermonem quem mane faciat Vniuersitati Parisiensi. Cui Gabriel ait, aperi os tuum, & implebo illud. Statim igitur Magister sensit in corde suo sermonem pulcherrimum, in quo demonstrabatur quod Regina cæli concepta fuit sine peccato originali, & illum prædicauit populo Parisiensi mane sequenti. Hæc vbisupra supra dictus Bustos, & addit, quod in omnium præsentia, dictus Magister reuocauit sententiam quam antea contra Immaculatam Conceptionem tenuerat.

Quarta reuelatio siue apparitio, facta à D. Thoma Fantino Episcopo.

Aliam etiam reuelationem refert Bustos prædictus loco vbisupra, sermone 7. de Conceptione parte 1. factã à D. Thoma Fantino Episcopo subsequentibus verbis. *Aliam quoq; reuelationem fecit Deus per Beatum Thomam de Aquino, non multis annis elapsis. Nam cum Dominus Fantinus Episcopus Patauij deuotus Beatæ Virginis, legeret tertiam partem Summæ Beati Thomæ, & miraretur quod determinasset ibi quod Beata Virgo concepta fuit in originali peccato: apparuit ei Beatus Thomas & dixit ei. Scias Domine Episcope, quod quando talem opinionem posui, solum habui respectum ad diuinum statutũ, quo Beata Virgo peccatum originale contrahere debuerat, nisi per filium suum fuisset præseruata. Sed Dei filius matrem suam ab originali macula præseruauit, & his dictis disparuit.* Postquæ addit supradictus Bustos. *Ipse vero Episcopus quoad vixit cum magna solemnitate festum Conceptionis celebrauit, & in Episcopatu suo celebrari præcepit. Et licet in eius vita hæc ipsius visio non fuerit alijs publicata, tamen post mortem suam Frater Nicolaus de Padua, nunc professus Ordinis Minorum, tunc autem eius Vicarius & Doctor, omnia hæc fidelissime exposuit, asserens se à prænominato Domino Episcopo hanc visionem non sine magna lacrymarum effusione narrante, proprijs auribus audiuisse.*

Reuelationem prædictam ex eodem Bustos, tanquam veram & authenticam, refert Oxeda in informatione quam fecit pro Deiparæ Virginis Conceptione, cap. 4. vbi & refert Magistrum Ioannem Vitalem in tractatu de Conceptione, asserentem proprijs oculis se vidisse librum huius reuelationis. Qua ratione tanquam authentica, & quammaximæ auctoritatis & veritatis, minime negari potest aut debet.

Quinta reuelatio, facta B. Brigittæ.

Quinto loco statuenda est reuelatio, seu potius reuelationes quæ hac de re factæ referuntur Beatæ Brigittæ, de quibus Bustos loco supracitato, in officio quod fecit de Conceptione Beatæ Virginis, in secunda die lect. 6 sequentia verba dicit. *In reuelationibus Beatæ Brigittæ habetur, quod quidem capellanus eius sacræ Theologiæ Doctor eximius, Matthias nomine, Beatam Brigittam exorauit dicens. Te deprecor filia vt mihi reuelare digneris, si benedicta Virgo Maria ab originali fuit vitio deturpata. Beata autem Brigitta dixit. Semel Virginem rogaui purissimam, vt modum mihi sue sanctissi-*

mæ Conceptionis aperiret. Ipsa vero respondit. Ex Ioachim & Anna parentibus propagatam, scias me ab omni peccatorum sorde fuisse præseruatam. Hæc vbi supra Idem Bustos sermone 7. de Conceptione Virginis, secunda parte idipsum continuando, refert Virginem sacram prædictæ Beatæ Brigittæ dixisse per sequentia verba. *Sicut si alicui volenti ieiunare, qui desiderium comedendi haberet, sed voluntas resisteret desiderio, præciperetur à superiori cui obediendum esset quod per obedientiam comederet: illa comestio maiori remuneratione digna esset, quam ieiunium: sic per talem modum coniunctio parentum meorum fuit, quando ego concepta fui sine peccato originali, quod sicut filius meus & ego nunquam peccauimus: ita nullum coniugium fuit quod honestius esset, quam illud de quo ego processi. Et quando Pater meus & Mater mea conuenerunt matrimonialiter, plus fecit hoc obedientia, quam carnalis voluntas: quia alij coniuges conueniunt ex voluptate carnali: mei vero parentes conuenerunt ex obedientia & præcepto Dei. Sed scito quod mea Conceptio non omnibus fuit nota: quia voluit Deus, quod sicut ante legem scriptam præcessit lex naturalis, & electio voluntaria boni & mali, vt postea veniret lex scripta quæ cohiberet omnes motus inordinatos: sic placuit Deo quod amici mei pie dubitarent de Conceptione mea, vt quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas claresceret in tempore ordinato.* Hæc Virgo gloriosa loco vbi supra: quæ quàm maxima sunt consideratione digna. In eisdem etiam reuelationibus habetur, quod eadem Virgo sacra dixit eidem Beatæ Brigittæ: *Caro mea ex patris matrisque congressu procreata est, sed haud sine singulari diuinæ charitatis virtute compaginata fuit.* Et alibi etiam dixit: *Veritas est quod ego sine peccato originali concepta fui.* Plura alia ad idem propositum habentur in eisdem reuelationibus, de quibus dubitare minime licet, propter ea quæ supradicta sunt in secundo notabili.

Sexto & vltimo loco succedat reuelatio de Immaculata Virginis Conceptione, facta Beato Amadeo, quam refert in libro quem scripsit, cui titulus *noua Apocalipsis*, & asseruatur (vt dicitur) in Regali Bibliotheca sancti Laurentij el Real, alio nomine *del Escurial*, in quo ponuntur nonnullæ reuelationes sibi factæ à sancto Gabriele Archangelo, in quarũ octaua referuntur quæ gesta sunt ab Apostolis in transitu Beatæ Mariæ Virginis, & quæ singuli in eius laudem dixerunt, & testimonia quæ Beatus Andreas, Sanctus Thomas, Sanctus Matthæus, & Beatus Matthias de eiusdem Immaculatæ Conceptione tulerunt, asserentes eandem sine vllo peccato originali fuisse conceptã. De quibus quamvis iam supradiximus in quæstione octaua, libuit tamen eadem hic iterum ad literam refferre, vt reuelationes omnes hic simul præmanibus habeantur. Sanctus Andreas loco citato, de Virgine sacra sequentia verba cum ea loquendo dixit. *Tu sola ab vniuersali omnium damnatione præseruata fuisti, non tu mortua in Adam fuisti: vnica es, immaculata, recessisti à quocunque peccato, recedere tum longe à peccato nemo potest.* Sanctus vero Thomas Apostolus cum eadem etiam loquendo, dixit

Sexta reuelatio facta Sancto Amadeo.

Quæ dixerint Apostoli Beatæ Virgini, in depositione sui sacratissimi corporis.

xit. O *quam fœlix es, quam fortunata: in initio viarum Dei ab ipso electa fuisti: & Adæ peccato præuisso non fuisti cum alijs omnibus condemnata: sed veluti ut merita filij tui tibi super omnes prodessent. Itaque pro minimo momento voluit te esse sibi inimicam, sed semper amicam purissimam.* Sanctus autem Matthæus de eadem loquendo, etiam dixit: *Niuei candoris es, ô Maria immaculata, scirpus sine nodo, Spiritus Sanctus qui est æternum donum, te sanctificauit: præseruauit, purgauit, illuminauit, & singularibus priuilegijs decorauit.* Tandem S. Matthias de eadem etiam loquendo dixit: *Quod in peccato non fuit concepta, sed omni gratia & omni scientia impleta.* De sanctitate prædicti Beati Amadei, & veritate prædictarum suarum reuelationum, dubitare minime licet, cum ab omnibus recipiantur, vt authenticæ ac veræ. Quæ de hac quæstione breuiter dicta sufficiant.

QVÆST. XXIIII.

Vtrum ex communi omnium fidelium applausu, & consensu, efficax etiam ac firmum desumi possit argumentum, ad veritatem prædictam comprobandam & confirmandam?

Refertur sententia seu potius temeritas Caietani.

CIRCA hanc quæstionem fuit etiam specialis opinio, seu potius (vt pluries iam dixi) temeritas Caietani, in supradicto opusculo de Conceptione cap. 5. vbi haudquaquam concedere vult, ex prædicto communi fidelium omnium applausu & consensu, efficax etiam ac firmum argumentum desumi posse, ad veritatem prædictam comprobandam & confirmandam. Admittit quidem innumeros, seu potius infinitos esse Doctores, qui Virginem sacram à peccato originali immunem esse dicant: ait tamen eiusmodi opinionem, & ipsius probabilitatē esse exiguam: quia (inquit) solummodo inter modernos viget, & ex antiquis à paucis approbatur: inter sanctos vero nullus pro ea afferri potest; neque aliquis antiquus Doctor illustris, ni forsan à falsarijs citetur & adducatur (verba eiusdem sunt expressa.) Ex quo infert sententiam prædictam parum vel nihil habere probabilitatis, & Academias & Vniuersitates quæ ipsam sunt amplexatæ, præsumptuosas fuisse atque temerarias, contra tot Sanctorum antiquorum dicta, in materia ad fidem & Sacram Scripturam pertinente, talem opinionem tenentes. Neque his contentus addit, quod modernorum Doctorum auctoritas, vulgi auctoritatem non excedit, quæ (inquit) paruipendenda est, neque probabilitatem facit in veritate, sed solummodo in apparentia: quia probabile in veritate

ritate (secundum Aristotelem) illud tantū est, quod videtur pluribus sapientibus: non autem quod vulgo, aut pluribus minus sapientibus apparet. Hæc in substantia Caietanus vbi supra. Qua de re videatur Corduua lib. 1. sui Quæstionarij quæst. 44. §. *ad hanc rationem respondet Caietanus.* Vbi dicit eiusdem sententiam pradictam esse falsam, temerariam, irreuerentem atque iniuriosam, quod multis probat. Primo: quia falsum est id quod dicit, ex Doctoribus sanctis antiquis nullū hác sententiam & opinionem sustinuisse, Virginem sacram ab originali peccato fuisse præseruatam. Nam vt facile videri potest (& nos latissime ostendimus supra, in quæstione 18.) Sanctorum quamplurimi, quinvero fere innumeri, id ipsum senserunt, & Doctores sancti quos ipse Caietanus, sed expressius Bandellus pro sua sententia & opinione affert, libro & capitibus supracitatis, Augustinus nempe, Hieronymus, & alij, nihil expresse contra prædictum præseruationis priuilegium scripserunt, sed tantum generaliter & communiter sunt loquuti, dicentes omnes ab Adam naturali propagatione, & per rationem seminalem descendentes, peccatum contrahere originale: quod etiam nos libenter concedimus, secundum communem & ordinariam legem, nisi in contrarium ex diuina gratia aliquod obstet speciale priuilegium: quod singulariter soli sacræ Virgini dicimus fuisse concessum. Secundo temerarium, irreuerens atque iniuriosum est, id quod dicit Caietanus de Doctoribus modernis, & de Academijs & vniuersitatibus: nam quod ipsi ex Romanæ Ecclesiæ consensu oppositam sententiam teneant, & non quam ipse tenet: haudquaquam præsumptuosum potest aut debet diiudicari, credendum cum sit eosdem nō id ipsum fecisse, nisi cum magna deliberatione, & quammaximo fundamento, propter innumeras, fortissimas, & vrgētissimas rationes quæ illos in id ipsum compulerunt. Nec probabile apparet, quod tot tantique Doctores, vno sensu & vno ore simul, in eam sententiam quæ Doctorum antiquorum opinioni aduersaretur conuenissent, nisi ad id Spiritus Sanctus eosdem compulisset. Tandem tertio Caietani sententia est temeraria, irreuerens atque iniuriosa: in eo quod dicit opinionem prædictam, quæ tantorum Doctorum auctoritate, & adeò plurium Academiarum & Vniuersitatum approbatione fulcitur & roboratur, spernendam & nihili pendendam esse: nec de illa maiorē rationem habendā, quam de quadam vulgari opinione nulla fide, & auctoritate digna. Hoc certe Caietanum dixisse, quàm maximæ temeritatis fuit, & eiusdem assertio nimium ineuerens, & iniuriosa est. Sed illius reprehensionem ad Corduuam prædictum remittentes loco vbi supra. Caietani sententia (seu potius temeritate) prætermissa, propositæ quæstioni breuiter atque resolutiue respondetur per sequentem Conclusionem.

Conclu-

Conclusio.

Ex communi fidelium omnium consensu & applausu, satis etiã efficax ac firmum argumẽtum desumi potest, ad sacræ Virginis puritatem cõprobandam.

EX communi fidelium omnium consensu & applausu, satis etiã ac firmum argumentum desumi potest, ad sacræ Virginis puritatem, & ab omni originalis peccati labe immunitatem confirmandã. Probatur hæc conclusio. Primo auctoritatibus, secũdo vero rationibus. Et quantum ad primum, ex eo ad idem probandum argumentũ desumunt, in primis Catherinus lib. 3. de Concept. Virg. post principium, §. *attestatur & quarto*, Canisius de Maria Deipara lib. 1. capit. 7. Corduua lib. 1. sui Quæstionarij quæst. 44. argumento 8. §. tandẽ, & §. ad idem etiam valde, & Bellarminus tom. 4. lib. 4. de amissione gratiæ cap. 15. in principio §. adde vltimo, Suarez secundo tomo ad tertiam partem Diui Thomæ, quæst. 27. disp. 3. sect. 5. §. secundum fundamentum, Valentia tomo quarto disp. 2. quæst. 1. puncto 2. §. 6. Petrus Morales lib. 3. de Christo & Beata Virgine, tract. 1. num. 53. pag. 295. Vazquez secundo tomo ad tertiam partem, disp. 117. num. 80. Salmeron super epist. ad Roman. cap. 5. disput. 52. §. quarto, & pro hac sententia, Ægidius de præsentatione, in tractatu quam edidit pro defensione Immaculatæ Virginis Conceptionis, lib. 3. quæst. 6. art. 3. §. 1. cum sequentibus. Omnes supradicti ex prædicto communi omnium fidelium applausu & consensu, argumentum desumunt ad sacræ Virginis puritatem, & ab omni originalis peccati labe immunitatem comprobandam: dicuntque illud satis esse efficax ac firmum. Quod ex iunioribus similiter faciunt, Vincentius Iustinianus in speciali Conceptionis tractatu, à §. 9. cum sequentibus. Pineda in sermone quem fecit de Immaculata Virgine, etiam à §. 7. cum sequentibus, vt innumeros alios præteream, qui eodem argumento ad idem vtuntur.

Sed probatur secundo conclusio, rationibus quas affert supradictus Corduua loco vbi supra. Quarum est prima. Nam prædictus cõmunis fidelium omnium consensus, & generalis atque vniuersalis in Immaculatam sacræ Virginis Conceptionem deuotio, probabilissimum & fere euidentissimum est signum diuinæ reuelationis, seu potius inspirationis, dum ex hoc populus Christianus magis ac magis ad diuinum cultum inflammatur, & ad inseruiendum Deo cum maiori conscientiæ puritate per pœnitentiam & sacramenti Eucharistiæ susceptionem, & per alia pia opera quæ communiter fiunt, in honorem & reuerentiam Immaculatæ Virginis Conceptionis. Quibus in rebus cum in tali cultu & deuotione nihil mundanum, aut propriæ affectionis prætendatur siue prætendi possit, nisi diuinus honor & sanctissima Deigenitricis gloria, quammaximum indicium est, signumque fortissimum & probabilissimum, quod non ad id fideles ducuntur

cuntur

cuntur, nisi ex prædicta diuina inspiratione. Et etiam sicuti in naturalibus commune naturæ intentum, & in moralibus communis hominũ & maxime prudentum & bonorum consensus, validum est argumentum ad quamlibet rectitudinem & veritatem comprobandam: ita & in proposito prædictus communis fidelium omnium consensus, & sapientium atque prudentium (non quidem malorum, sed bonorum) feruens, vehemens atque perseuerans deuotio, quæ ex diutina antiqua experientia comprobatur: validissimum quidem atque fortissimum est argumentum, ad veritatem prædictam comprobandam. Quod probatur vlterius speciali alia ratione. Nam nullo modo est credendum, Deum Optimum Maximum, qui in tot tantisque Sacræ Scripturæ locis, dilectæ Ecclesiæ sanctæ suam præsentiam & assistentiam repromisit, per illa verba quammaxime quæ habentur Iosue primo, & referuntur à Diuo Paulo ad Hebræos 13. *Non te deseram neque de relinquam*, permisurũ eandẽ decipi, & in errore tamdiu detineri, nisi ab eo inspirata fuisset prædicta pia feruens, ac vehemens deuotio, communisque prædictus omnium fidelium consensus: reuelatus aut saltim inspiratus ad ipsius diuinum cultum, & sanctissimæ suæ matris, eiusdemque Immaculatæ Conceptionis honorem. Vt enim dixit olim Gamaliel antiquæ legis venerabilis Doctor, ad aliud simile propositum, de quo infra: *Si hoc consilium siue opus ex hominibus est, statim dissoluetur: si vero ex Deo, haudquaquam poteritis illud dissoluere.* Cum igitur constet experientia testante, à tam pluribus annis apud tot doctissimos atque grauissimos homines, sententiam & opinionem prædictam, tamdiu vigere, in diesque maiores vires sumere, & in eandem communem fidelium omnium consensum conspirare, fortissimum profecto, efficax atque vrgentissimum argumentum est, ad sacræ Virginis puritatem, & ipsius ab omni originalis peccati labe immunitatem comprobandam.

Probata iam Conclusione prædicta, solummodo superest in præsentiarum, vt probemus atque ostendamus prædictum communem fidelium omnium consensum: quod & faciendum est loquendo per singula de omnibus Ecclesiæ nostræ sanctæ membris, siue statibus id ipsum prosequendo (vt dicitur à capite vsque ad pedes) hoc est, ab ipsis Romanæ Ecclesiæ Summis Pontificibus, per Reges, per Doctores, Vniuersitates, & viros sapientes & prudentes, & per Religiosas quasque Respublicas & Congregationes, vsque ad omnium fidelium virorum vltimum. Qua de re multa certe forent dicenda, nisi in præcedentibus quæstionibus eorum aliqua latissime maxima ex parte à nobis fuissent dicta. Nam de Summis Pontificibus, quam ad sacræ Virginis puritatem & immunitatem tuendam, & ipsius Immaculatam Conceptionem defendendam, fuerint affecti & propensi, iam superque satis diximus supra quæstione 17. inter inuestigandum

Probatur communis fideliũ cõsensus in fauorem Immaculatæ Virginis Conceptionis, & primo ex Summis Põtificibus.

an dicere Virginem sacram ab originali peccato fuisse præseruatam, satis sit consonum sacrorum Conciliorum diffinitionibus, ac Summorum Pontificium decretis. Postquam enim quæstione 14.15.& 16. luculenter ostendimus, sententiam & opinionem prædictã haudquaquam sacris litteris, fideique principijs repugnare, neque obstare quominus Virgo Deipara per Christi filij sui sanguinẽ, vere & proprie dici possit redempta: & hunc dicendi modum sacris litteris magis esse consonum, quam oppositum, in dicta quæstione 17. aperte monstrauimus, Apostolicam Sedem, omnesque fere Pontifices Summos, immunitatem Virginis sacræ ab originali peccato cognouisse, & prędictam nostram sententiam atque opinionem approbasse (non quidem eam deffiniendo, & determinando tanquam tenẽdam de fide) sed vt certissimam, vere piam, fidei principijs quammaxime consonam, & multum probabiliorem quam oppositam. In cuius rei signum ad Conceptionis festi celebrationem fideles cunctos exhortarunt, & quamplurium indulgentiarum largitionibus inuitarunt, quibus ibidem dictis de nouo nihil dicendum occurrit.

Probatur idē communis consensus ex Regibus, cunctisque Principibus,

De Regibus vero, sed quammaxime nostræ Hispaniæ loquẽdo, multa etiam ac fere innumera forent dicenda, nisi breuitati tantopere studeremus, minimeque liberet in recensendis historijs in præsentiarum detineri. Videantur ea de re quæ latissime dicunt, Pineda in suis aduertentijs ad priuilegium Ioannis Aragoniæ primi Regis, & Oxeda in informatione quam pro defensione sacræ Virginis Conceptionis fecit. At breuiter præterire non potui, quanta cum deuotione Sisenandus Hispaniæ Rex, qui regnauit anno 630. tempore sancti Isidori, Virginis sacræ immunitatẽ fouerit, sententiam & opinionẽ nostram, totis præcordijs fuerit amplexatus, atq; pro viribus defenderit cuius rei apertum satis testimonium reddit Concilium Toletanum IIII. vbi agendo de celebratione festi Immaculatæ Conceptionis sacræ Virginis, & de Rege prædicto loquendo dicit, eiusdem precibus in id ipsum motum fuisse Concilium, per illa notabilia verba: *cuius deuotio nos ad hoc salutiferum decretum faciendum conuocauit*. Post quæ Sindasuindus eius succesor præcepit etiam, vt quæ ab Isidoro de celebratione festi prædicti fuerant instituta, summa cum deuotione obseruarentur. De famosissimo Rege Bamba refert Rodericus Archiepiscopus Hispalensis, lib. 2. cap. 21. sub anno 670. quod huius festiuitatis fuit etiam deuotissimus & obseruantissimus, neque id solum, verum etiam defensor, propugnator & reparator. Quod etiam de eo testatur Concilium Toletanum 11. cap. 6. anno 1180. De Imperatore autem Emanuele refert Theodorus Balsanus Patriarcha Antiochenus in suis commentarijs, titulo 7. cap. 1. quod Immaculatæ Conceptionis festiuitatem quammaxime fouit, & de eo & alijs videantur quæ dicit supradictus Oxeda loco vbi supra, cap. 4. §. 2. vbi ait, quod eandem deuo-

tio-

tionem in Hispania, quammaxime auxit Dominus Rex Iaymus, circa annum 1200. plus minusve. Successit in Hispania Rex Aragoniæ Ioannes I. circa annum 1386. qui etiam id ipsum similiter fecit, vt satis constat ex statuto, siue lege ab eo lata, de qua latissime agit supradictus Pineda, in aduertentijs quas fecit ad eiusmodi legem. Cui aliã similem in fauorem festiuitatis eiusdem edidit Ioannes Secundus Aragoniæ Rex, anno 1451. vbi expresse dicit & declarat, Aragoniæ Reges à Regibus suis maioribus & prædecessoribus, à multis retro sæculis, quasi hæreditario iure in Virginis sacræ honorem deuotionẽ prædictam accepisse. Sed quid dicam de Catholicissimis nostris Hispaniæ Regibus Ferdinando & Elisabetha? quanta cum deuotione celebrationem & festiuitatem prædictam fouerint, auxerint, defenderint atque propugnauerint? Id cum per tempus minime vacet dicere lectorem remitto vt videat quæ latissime dicunt supradictus Oxeda loco vbisupra, cap. 8. & 9. cum sequentibus, & Pineda in iam dictis aduertentijs ad priuilegium Ioannis Aragoniæ Regis, aduertentia 17. in fine, vbi concludendo dicit: *Quod à primis Ecclesiæ temporibus, nullus fuit Imperator, nullus Rex, nullus Princeps, nullus vir sanguine clarus & statu illustris, qui festiuitatem sanctæ Immaculatæ Conceptionis prædictam, magna cum deuotione, obseruantia atque pietate publice, non fuerit professus, summoq; amore prosequutus.*

Probatur idẽ consensu ex DD. & sanctis Ecclesiæ Patribus.

De Doctoribus autem & sanctis Ecclesiæ Patribus loquendo, iam etiam per centurias in quæstione 18. latissime ostendimus, quod omnes fere (paucissimis demptis) in hanc nostram sententiam & opinionem conuenerunt, si non expressis verbis, saltim nimis probabiliter, & eisdem æquipollentibus: quod etiam ostendimus in sequenti quæstione 19. de Doctoribus Scholasticis & Expositiuis. Vbi etiam diximus, eandem esse opinionem quæ modo magis viget in Scholis & Vniuersitatibus cunctis. Quibus in locis cum tot ac tanta à nobis fuerint dicta, de nouo dicendum haudquaquam quicquam occurrit.

Id ipsum probatur ex Religionibus omnibus, vna aut potius nulla dempta.

Sed veniamus iam ad Catholicæ Ecclesiæ Religiones, omnes vna, seu potius nulla prorsus excepta. Et breuiter dicamus qualiter plusquam 200. quinvero 300. & 400. annis, summo studio, diligentia deuotione quammaxima, atque pijssimo zelo, Virginis sacræ puritatem, & à peccato originali immunitatem, tueri atque defendere fuerint conatæ, & sententiam & opinionem nostram, vt magis certam, piam atque veram sint amplexatæ. In quorum numero Ferreolus Locrius qui hac de re agit, à militaribus incipiendo, adducit Religiones omnes Monachales, sancti Benedicti, Camaldulenses, Cartusianos, Cluniacenses, Cistercienses, Præmostratenses, Minorum, Heremitarum sancti Augustini, sanctæ Mariæ de Mercede, sanctissimæ Trinitatis, Carmelitarum, Seruitarum, Minimorum, ac denique Societatis Iesu. Quod quidem argumentum in totum prosequi, quia longissimũ

& molestissimum esset, de earum aliquibus contentus ero pauca in præsentiarum dicere.

De Religione Seraphica B. P. N. Francisci,

Et incipiendo (nec immerito) à sacro nostro Minorum Ordine, cuius omnes Theologi DD. qui scripta sua typis mandarunt, cũ suo Duce & Antesignano Subtilissimo atq; doctissimo Scoto, adeò sacræ Virginis puritatem & ipsius ab omni originalis peccati labe immunitatem, semper defenderunt & propugnarunt, & tanto studio, cura atque vigilantia, vt propterea Iulius Secundus Pontifex Maximus, in approbatione & confirmatione quam fecit Regulæ sanctæ atque Immaculatæ Conceptionis Monialium, veluti in eius rei remunerationem & gratificationem quandam, statuerit atque ordinauerit, prædictæ Moniales semper vt degerent sub cura & gubernatione eorundem fratrum, dicendo sequentia notabilia verba, cap. 4. *Ex quo Fratres Minores tam in defensio studio atque vigilantia, puritatis & innocentia Deigenitricis defensores existunt, volumus & ordinamus, quod Vicarij Generales in suis Vicarijs, & Prouinciales & Custodes, in suis Prouincijs & Custodijs, sint visitatores huius sanctæ Religionis, quibus firmiter teneantur obedire, in omnibus quæ promiserunt Domino obseruare, & quæ non sunt contraria, animæ & huic Regulæ.* Cui prædictæ nostræ Religioni Seraphicæ, vt vel ex hoc etiam debitus honor accrescat, haudquaquã volui præterire, & simul hic enumerare ac dicere, quot ac quanti eiusdem Fratres, Doctores atque Magistri, suis scriptis sententiam & opinionem prædictam tenuerint, pro viribusque defenderint atque propugnauerint. Et præter Scotum & Guillelmum Barronem eiusdem Magistrũ & Alexandrum Alensem, iam supra numeratos in quæstione 19. ex nostris tenent illam Seraphicus Doctor D. Bonauentura, Sanctus Bernardinus, Beatus Ioannes de Capistrano, Ricardus de Mediauilla, Petrus Aureolus & Capreolus, Antonius Andreas, Franciscus Mairones, Guillelmus Occam, Monaldus, Landulphus Neapolitanus, Rupertus de Rusia, Rubertus Linconiensis, Ioannes de Basilea (siue de Bassolis) Gerardus Odon, Alexander Nequam, Petrus de Candia (qui fuit Põtifex Alexander Quintus nuncupatus) Petrus de Aquila (dictus Scotellus) Baptista de Ferrara, Enricus Harpius, Gabriel Biel, Guillelmus Borrillonus, & alter etiam Magister, cui nomen Borriton, Lichetus, Nicolaus de Nisa, Thomas Hyllerieus de Augino, Tartaretus, Orbellus, Pelbartus Themesuar, & ex nouissimis, Fr. Ludouicus à Carauajal, Castro, Vega, Corduua, Rada, Herrera, vterque Frater Ioannes & Francus de Ouando, Melchior Flauus, Francus de Pitigianis. Prædicti omnes ex sacro nostro Minorum Ordine, sunt Doctores Scholastici & Magistri grauissimi atque sapientissimi, qui scriptis suis (quæ typis mandarunt) hac de re egerunt, & sacræ Virginis puritatem & ipsius à peccato originali immunitatem pro viribus defenderunt, prætermittendo innumeros alios Auctores Expositiuos, ac diuini verbi

con-

concionatores, quos supra in prædicta quæstione 19. retuli, qui suis etiam scriptis, sermonibus & concionibus (quæ etiam in lucem prodierunt) id ipsum semper constantissime fecerunt.

De Religione sacræ Patris Dominici siue Prædicatorum Ordinis.

Secundo succedat loco, illustrissimus Diui Dominici, seu Fratrũ Prædicatorum Ordo. Ex quibus quamvis aliqui (qui vt crediderim paucissimi numero sunt) prædictæ nostræ piæ aduersentur sententiæ & opinioni: haudquaquam desunt alij quamplurimi familiæ eiusdem viri, litteris & sanctitate illustrissimi atque præstantissimi, non solum in præteritis sæculis, verum etiam & in præsenti, qui sacræ Virginis puritatem, & eiusdem ab omni originalis peccati labe immunitatem, summa cum deuotione suscipiunt, & sententiam nostram cum magna cura & diligentia defendunt. In quorum numero præterquam quod Beatissimus Pater Dominicus hoc ipsum tenuit (vt supradiximus) quinvero & ipse Diuus Thomas, & Albertus Magnus: quammaxima laude digni sunt, illustrissimus Hugo Cardinalis, Ioannes Taulerius, Rupertus Holcoth, Leonardus de Vtino, Herueus Natalis (ordinis prædicti olim Generalis Prior) Petrus de Tarantasia, Bartholomeus de Pissa, Ambrosius Catherinus, Sanctus Vincentius Ferrer, & (vt multis placet) Sanctus etiam Antoninus de Florentia, Ioannes de Turrecremata Cardinalis, Guillelmus Pepinus, Viguerius, Santius á Porta, Vincentius Iustinianus, Stephanus Mendez, Fr. Ludouicus de Granada (vir nostro sæculo sanctitate, & diuini verbi prædicatione insignis) Frater Dominicus de Soto, Frater Ioannes de la Peña, in celebri hac Salmanticensi Vniuersitate sacræ Theologiæ Cathedræ, Primarij dignissimi: & multos alios præter eam quos per tempus referre non licet. Sed prætereire non libuit, id quod de sanctissimo Fratre Ludouico Beltran refert frater Vincentius Iustinianus, ex eodem Prædicatorum Ordine vir quidem summæ auctoritatis & Religionis, eiusdem sanctissimi Ludouici Beltran contemporaneus, & quammaxime familiaris: in tractatu quem fecit de Immaculata Conceptione B. Virginis, §. nempe sæpius dixisse prædictum F. Ludouicum Beltran, omnes antiquos DD. qui oppositam sententiam olim probauerunt, opinionem suam absque dubio mutaturos, & nostræ piæ adhæsuros, si hoc tẽpore vixissent. Et de suo addit atque testatur Iustinianus prædictus, audiuisse se quãplurimos ex eodem ordine & familia Prædicatores, publice populo prædicasse sacræ Virginis Conceptionem, puram & immaculatam fuisse, absque vlla prorsus originalis peccati labe. Et affirmat quod in quampluribus sui ordinis Conuentibus (sed maxime in Prouincia Bethica) Conceptionis festum solemniter celebratur, sub hoc titulo & nomine, quod Virgo sacra in vtero sanctissimæ suæ Matris Annæ, concepta fuit absque vlla prorsus macula peccati originalis. In cuius discursus fine etiam adijcere visum est, grauissimum quoddam testimonium in veritatis prædictæ

dictæ confirmationem adiicere etiam vissum est, grauissimum quoddam testimonium desumptum ex libro quodam antiquo, cui titulus, *Manuale Fratrum Prædicatorum*, impresso Hispali anno 1524. sed reperto Toleti mense Maij præteriti anni 1614. inruina cuiusdã parietis Monasterij sancti Dominici el Real, in quo post alia, sequentia habentur verba: *Quia Ordo Prædicatorum solitus est Sanctorum doctrinæ adhærere, sustinuit hucusque opinionem, quod Beata Virgo fuit Concepta in originali: sed iam de hoc non est curandum, cum sit materia nullius vtilitatis, & valde scandalosa, præsertim cum tota fere Ecclesia, cuius vsus & auctoritas secundum Beatum Thomam praualet dicto Diui Hieronymi, & cuiuscunque alterius Doctoris, iam asserat quod fuit præseruata, &c.* Hæc dixerim ac refero, vt & relata accepi apud Oxedam in informatione quam fecit, in defensionem puræ & immaculatæ Conceptionis Virginis, cap. 10. non vero vt oppositam sententiam scandalosam nuncupare vellim, seu in aliquo Pontificum decretis & constituti onibus, hac de re factis contraire.

Notentur valde verba huius manualis, in fauorem & laudem immaculatæ Conceptionis B. Virginis Mariæ.

De Religione sacra Heremitarum D. Augustini.

Quod argumentum prosequendo, non etiam immerito, tertio succedat loco, illustrissima Augustiniensium, seu potius Heremitarũ sancti Augustini sancta & veneranda Religio. Cuius Doctissimi Doctores & Magistri, quamvis Ægidij Romani sapientissimi sacri sui Ordinis Doctoris doctrinam, summa veneratione semper habuerint, quantum vero attinet ad hanc de sacræ Deiparæ Virginis immaculata Conceptione controuersiam, eiusdem zelo ducti, ab hinc plusquam 300. annis ab eo recesserunt, & doctissimus Thomas de Argentina, etsi Ægidij eiusdem accerrimus fuerit defensor, in hoc tamen duce suo & Magistro relicto, Deiparæ Virginis puritatem, & Conceptionis suæ ab omni prorsus originali macula immunitatem, constantissime semper defendit. Quod & fecit Paulus Venetus, Augustinus de Ancona, Iuo Carnotẽsis Episcopus, Iacobus de Valentia Episcopus etiam Christopolitanus, multique alij ordinis eiusdem Doctores & Magistri grauissimi & sapientissimi, necnon & celeberrimi Verbi Diuini concionatores, quibus eadem nobilis abundat familia, quorum opera & scripta temporum incuria seu potius iniuria sunt sepulta. Et vt inquit Ægidius ex prædictis Augustinianis nouissimus scriptor, loco tampluries citato, lib. 3. quæst. 6. art 4. §. 3. ex omnibus suæ Religionis Scriptoribus antiquis atque iunioribus, præter Ægidium Romanum prædictum, & Gregorium de Arimiano, nullus reperitur omnino qui prædictam Beatæ Virginis puritatem impugnauerit: quinvero à quampluribus annis in omnibus totiusmundi vniuersitatibus, Italię, Gallię, Hispanię atque Lusitaniæ. omnes sui Ordinis Magistri, piam prædictam sententiam semper approbarunt, atque prouiribus defenderunt. Quod & in Conimbricensi Academia præ alijs specialiter fecisse dicit, doctissimum Fratrem Ludouicum

Mon-

Montoya Lusitanę Prouinciæ olim Generalem Vicarium,& post ipsum doctissimum etiam Preceptorē suum Fratrem Franciscū à Christo, Fratrem Augustinum de Trinitate, Fratrem Antonium Galuaō, qui omnes in eadem celeberrima Vniuersitate, sacræ Theologiæ celeberrimi Magistri & professores extiterunt, & præcipuarum cathedrarum, tam primariæ quàm vesperariæ præmia per quamplurimos annos obtinuerunt:& idem omnino dicit de sapientissimis huius nostræ Salmanticensis Academiæ Magistris.

De Religione etiam sacra S. Mariæ de Monte Carmelo.

Post quos quarto succedat loco, Carmelitanę familiæ egregius Ordo. Cuius quidem Ioannes Baconius;eiusdem illustris ad modum Doctor,quamvis ab aduersarijs pro alia in contrarium parte adducatur,vt tamen supra iam dixi,si bene ipsius doctrina perpendatur,immaculatæ sacræ Virginis Conceptionis acerrimus fuit propugnator. Quod etiam fecit Franciscus Martini,insignis olim apud Cathelanos Theologus,Michael Ayguanus Boloniensis,Ordinis eiusdem Generalis Prior,sub alio nomine Incognitus nuncupatus. Christophorus Syluester, Sanctissimus Petrus, Martyr illustrissimus, toto mundo celeberrimus (Christianus Poeta, seu Virgilius Christianus nuncupatus)Baptista Mantuanus,Ordinis etiam eiusdem olim Generalis Priori multique alij prædictę familiæ Doctores & Magistri,grauissimi & sapientissimi.In quorum Carmelitanorum ad Deiparę Virginis immaculatam Conceptionem antiquę deuotionis signum,teste Paleonidoro lib,3.cap.10. in Capitulo Generali olim apud Galliam celebrato,anno 1306.ordinatum statutumque fuit, vt hoc festū solemniter & cum octaua celebraretur. Quod & confirmat satis & maioris antiquitatis specimen habet,id quod dicit supradictus Ioannes Bacon in quarto dist.2.quæst.4.nempe,quod ab antiquis tēporibus,festum prædictum in Romana Curia,præsentibus Cardinalibus in Carmelitarū Conuentu celebrabatur: quinvero (vt credo) modo etiam celebratur. Ad quam veritatem confirmandam, præter adductos,nonnulli etiam ex eodem ordine afferunt(& quidem nec immerito) antiquissimos Patres,Cyrillum Alexandrinum,& Ioannem Patriarchā Ierosolymitanum(de quibus supradiximus)necnon & grauissimum inter Theologos atque laudatissimum Thomam Valdesem,& inter Gallos doctissimos Thomam de Beuxamis,& Ioannem Mariam Verratum, sub alio nomine Amatorem veritatis nuncupatum,Guidonem Episcopum,& Paulum de Perusio(quamvis prædicti duo ab aduersarijs,pro cōtraria opinione adducantur) ac demum ex eodem ordine hanc sententiam & opinionem defendunt n[illegible]ssime,Magister Sobrinus,& Presentatus Losysa ex Bethica Carmelitana familia in specialibus libris seu potius tractatibus quos pro defensione Immaculatę Mariæ Conceptionis fecerunt. Et non minori

studio (quinvero longe maiori cura & diligentia) Pater Frater Ioannes Baptista de Lezana, eiusdem Ordinis Carmelitarum apud Complutenses sacræ Theologię Lector, libro suo Apologetico pro Immaculata Deiparę Virginis Conceptione: quo constanter defendere conatur eandem, non modo originali peccato caruisse, sed neque in Adamo peccasse, aut originaliter peccandi proximum debitum habuisse.

De Religione sacra Iesuitarum,

Quinto succedat loco, insignis (non solum sanctitate, verum & eruditione) Religiosissima Iesu Societatis Religio. Cuius alumni & professores in suis semper scriptis, lectionibus atque prędicationibus, acerrime tutati & defensati sunt Virginis Deiparę puritatem, & ab omni prorsus originalis peccati labe immunitatem. In cuius (vt dicitur) generali quinta congregatione cap. 55. publico decreto statutū fuit, vt omnes sequantur sententiam quę hoc tempore magis viget, magisque recepta atque communis est, nempe Virginē sacram â peccato originali prædicto fuisse præseruatam. De qua illustrissima, splēdidissimaque familia, speciale hoc refert Pineda, in sermone de Conceptione, §.9. nullum scilicet ex ea hucusque prodijsse, qui Immaculatæ Virginis Conceptionis aduersarius extiterit: & quod neque in modicam eiusdem laudem vergit, quadraginta, quinvero quinquaginta & amplius celeberrimos habet Magistros, & Doctores Theologos, qui pro hac sententia & opinione extrenuissime militarunt, & suis scriptis hoc mysterium illustrarunt. In quorum numero meritissime enumerandi veniunt, doctissimi & sapientissimi Patres Gregorius de Valentia, Franciscus Suarez, Gabriel Vazquez, qui inter sacræ Theologiæ Scholasticos professores, mirifice hoc argumentum sunt prosequuti. Inter Expositiuos autem Cardinalis Toletus, Cardinalis Bellarminus, Alphonsus Salmeron, Sebastianus Barradas, Ioannes Maldonatus, Canisius, Turrianus, Martinus del Rio, Ioannes Bonifacius, Christophorus de Castro, Carolus Mangotius, Iustinianus, Lorinus, Cornelius â Lapide, Magallanes, alijque quamplurimi, quos longum esset nimis velle in præsentiarum recensere, & consulto illud facere omitto, quia iam ex parte â me relati fuerunt, in quæstione 19. Quorum nouissimi (licet non merito & eruditione) sunt iampluries citati, Pineda, Oxeda, Salazar, in dicta quæstione adducti. Ex quibus plane constabit in dictam sententiam & opinionem, doctissimorum prædictorum Patrum, quam fuerit communis consensus.

De alijs etiam sacræ nostræ Ecclesiæ Religionibus, plura atque innumera cum possem etiam dicere: idque ipsum facerē si per tempus liceret: at breuitati tantopere cum studeam, consulto illud prætermitto, quia ea de re longissimum feci discursum, in libro quem de

hoc

hoc argumento feci hispano sermone, vt non ipsorum meritis minora dicens, illos offendam, quibus tantopere optarem inseruire: & vt veniamus ad vltimam huius nostri mistici corporis partem, & agamus de fidelium omnium communi consensu, & quæstioni huic imponamus finem.

Quanti habẽdus sit communis fideliũ omnium consensus, in recipiẽdis & approbandis hisque ad diuinũ cultum pertinẽt.

Quanti habendus sit generalis & communis fidelium omnium consensus, populique applausus, in recipiendis & approbandis his quæ ad Dei mysteria & diuinum cultum spectant, nemo non videt: sicuti neque quemquam nunc ignorare credo, quãta cum affectione & deuotione, quo feruenti zelo, vniuersus populus Christianus propendatur in prædictam nostram sententiam & opinionem piam. Quo gaudio, qua exultatione, audiat dicere sacram Deiparam Virginem puram semper fuisse, & ab omni prorsus originalis peccati labe præseruatam. E contrario vero quanto cum scandalo sententiam oppositam in Ecclesijs, alijsque locis publice siue priuatim videat prædicari? Per tempus si liceret, plura atque innumera hac de re â nobis forent dicenda, quæ sciens & prudens in præsentiarum prætereo, quia non sunt præsentis speculationis. Nam & ad approbãdum communem prædictum fidelium omnium consensum siue applausum (de quo est sermo) sufficit superque satis est scire, quãmaximum scandalum in cunctis retro sæculis, & vniuersis totius mundi regnis, Regionibus & Prouincijs, tàm in Hispania, quàm in Gallia, & Germania, & in omnibus fidelium omnium animis fuerit semper excitatum, dicere cum audiunt Virginem sacram in originali peccato fuisse conceptam, & quam hoc ægre & moleste ferunt: quod vel satis testatur id quod diebus elapsis in Prouincia Bethica factum vidimus, referuntque Pontifices Summi Sixtus Quartus, Alexander Sextus, & Pius Quintus in suis constitutionibus Extrauagantibus, loquendo de his quæ suo tempore contigerunt. Quod & similiter facit sanctissimus noster Paulus Quintus, in sua constitutione nuperrime edita, de quo & alijs in sequenti quæstione dicemus. Ex quibus omnibus superque satis aperte constat, prædictus communis fideliũ consensus & applausus, & consequenter qualiter ex hoc etiam efficax ac firmum argumentum desumi posſit, ad veritatem prædictam confirmandam. Quæ pro hac quæstione dicta sufficiant.

QVÆST. XXV.

In quo certitudinis gradu tenendum sit, Virginem sacram ab originali peccato fuisse præseruatam: & an hæc sententia sit pia, secura & probabilis, & magis probabilis quam opposita: & dici & affirmari possit, nec dum esse certam & veram, verum etiam ita certam & veram, vt a parte rei, siue moraliter loquendo, non possit esse falsa: & contraria vix opinionis promereatur nomen?

DIFFICVLTAS præsentis quæstionis latissima est, & quàplurimas in se difficultates continet: quam & proinde certa & indubia, ab incertis & dubijs separantes, per sequentes Conclusiones & resolutiones, paulatim explicare libuit: pedem figentes in vltimis propositæ quæstionis verbis, quæ quammaximam difficultatem habent. Sit igitur prima Conclusio.

Prima Conclusio.

Sententia quæ dicit Virginē sacram ab originali peccato fuisse præseruatam, nō est tenenda de fide, interim quod Ecclesia aliud non determinat.

SENTENTIA & opinio quæ dicit Virginem sacram ab originali peccato fuisse præseruatam, interim quod Ecclesia aliud diffinit atq; determinat, nullo modo dici siue affirmari potest, quod sit de fide, ita vt contraria censenda sit hæretica. Hæc Conclusio superque satis constat ex his quæ latissime diximus supra questione 20. conclusione secunda, expendendo sententiam & opinionē D. Thomæ, circa propositam ibidem difficultatem, an tenendum sit de fide Virginem sacram originale peccatum cōtraxisse? Vbi ad hoc propositum adduximus constitutionē, quinvero constitutiones Sixti IIII. incipientes, *Graue nimis*, quibus sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, Sedi Apostolicæ reseruata prohibetur ne quis harum sententiarum aliquam dicat esse de fide, aut vnam vel alteram tanquam hæreticam condemnet. Quas Sixti IIII. constitutiones, approbatas, confirmatas atque innouatas, postmodum etiam fuisse diximus per Alexandrum VI. in quadam alia constitutione quæ incipit, *illius qui se:*

se, & deinde per Concilium Tridentinum Sessione quinta, de peccato originali capite vltimo, necnon & per Pium V. in quodam alio suo motu proprio, qui incipit, *Super speculam*, vbi quamdiu per Apostolicam Sedem altera pars diffinita non fuerit, & opposita sententia condemnata: liberam cuique cōcedit facultatem, opinandi huius cōtrouersiæ quamlibet partem, prout vel magis piam, vel magis probabilem esse diiudicauerit. Quas etiam suprad. ctas constitutiones Extrauagantes, longius & expressius ad litteram retulimus, in quæstione 14. illam expendentes difficultatem, an dicere sacram Virginem à peccato originali fuisse præseruatam, sacris litteris & fidei principijs repugnet? Vbi in prima conclusione diximus, haudquaquam sacris litteris, fideive principijs repugnare, dicere Virginem sacram ab originali peccato fuisse præseruatam, nec vero contrarium affirmare, ac subinde prædictarū sentētiarum neutram esse de fide, nec hæreticum posse dici, aut mortaliter peccare, qui illarum quamlibet defenderit. Quod probauimus per expressa constitutionum prędictarum verba. Et in secunda conclusione, egimus etiam de pœnis quibus plectendi & puniendi sunt contrarium asserentes & dicentes, & multa alia ad hoc propositum pertinentia diximus, quæ facile cum videri possint ibidem, haudquaquam est cur à nobis iterum in præsentiarum repetantur.

Ex quibus omnibus (vt dixi) superque satis constat nostræ conclusionis veritas, & quod quamvis iuxta ea quæ dicta sunt in præcedentibus quæstionibus, sententia quæ Virginem sacrā à peccato originali liberat, & illam dicit ab eodem in primo suæ Conceptionis instanti fuisse præseruatam, omni ex parte sit qualificata, pia & secura, probabilis (quinvero & longe probabilior quam opposita vt dicemus statim) in ipsiusque comprobationem plurima fortissima atque efficacissima desumi possint argumenta, ex tot ac tantis miraculis, diuinisque reuelationibus, sed præsertim ex festi Conceptionis antiquitate, solemnique eiusdem in Ecclesia celebratione: ex approbatione etiam atque confirmatione regulæ Monialium, sub titulo & nomine sanctæ & Immaculatæ Conceptionis: nihilominus tamen, interim quod sancta Romana Ecclesia aliud non decreuerit, diffinierit atque determinauerit, haudquaquam dici seu affirmari potest, quod sententia prædicta tenenda sit de fide, & contraria hæretica. Cuius hæc potissima & præcipua ratio est. Quia (vt dictum est) eadem Romana Ecclesia quæ festi prædicti celebrationem præcepit, siue permisit, & Regulæ Monialium approbationem & confirmationem sub eo titulo ac nomine instituit, expresse declaratū habet, neutrā huius controuersiæ partem esse de fide diffinitam atque determinatam, ac liberam cuique facit facultatem opinandi eiusdem quamlibet partem, prout magis piam seu magis probabilem esse diiudicauerit, in-

terim quod per Sedem Apostolicam, altera pars non fuerit diffinita, & opposita sententia condemnata. In hoc igitur firmiter est stãdum: quo facto atque præmisso fundamento, vt ad vlteriora procedamus sit secunda Conclusio.

Secunda Conclusio.

Sententia quæ dicit sacrã Virginem ab originali peccato fuisse praeseruatam est pia, secura, & probabilis, & contrarium non potest dici absque quammaxima impietatis, & temeritatis nota.

Nota valde cõtra Bandellũ, & alios eundem sequentes.

SENTENTIA & opinio quæ asserit Virginem sacram ab originali peccato fuisse præseruatam, est pia, secura & probabilis, & contrarium minime potest dici & affirmari, absque quammaxima impietatis & temeritatis nota: eritque valde scandalosum & piarum aurium ofensiuum, ac forsan sęueriori & rigidiori censura dignum. Hæc Conclusio specialiter statuitur contra Bandellum iampluries citatum, in pernicíosissimo suo illo libro: *Cui titulus disputatio solemnis de Conceptione Beatæ Virginis capite.* 33. Nam post quam in primo capitulo primam conclusionẽ apposuit, qua dixit, quod prædicta Beata Virgo sicuti cæteri homines in peccato originali fuit concepta (id quod varijs Sanctorum Doctorum auctoritatibus, & rationibus per 32. capita conatus est probare) in dicto cap. 33. secundam conclusionem apposuit, & per septem etiam capita probare contendit, quod dicere illam in originali peccato non fuisse conceptam, non est pium: quinvero impium (verba ipsius sunt expressa) quæ sciens & prudens refero, vt videatur quanta fuerit hominis istius cæcitas, & temeritas, vt ne dicam impudentia. Cui etiam sententiæ & opinioni fauere visus est Caietanus tomo secundo opusculorum, quodlibeto de Conceptione cap. 5. §. ex omnibus autem dictis, vbi de prædicta nostra sententia & opinione loquendo, audacter dicit, quod opinio quæ Virginis immunitatem ab originali defendit, non continet veram pietatẽ, sed existimatam solummodo, aut esse quidem pietatem, sed non secundum scientiam. Et vtramque prædictarum sententiarum suo modo qualificando, postquam dixit neutram esse tenendam de fide, suã asserit esse quidem probabilem, nostram vero censeri posse tolerabilem, & solummodo probabilem apud sic affectos, vel assuetos, & vere Theologiæ Sanctorum, parum vel nihil habentes. (Verba sunt expressa etiam eiusdem Caietani) quod etiam dico, vt videatur quam omnes isti auctores à ratione absint. Contra prædictos igitur & omnes eisdem assentientes & consentientes, secunda nostra hæc statuitur conclusio, qua dicimus opinionem quæ asserit Virginem sacram ab originali peccato fuisse præseruatam, esse piam, securam atq; probabilem, & quod contrarium dici non potest, absque quammaxima impietatis & temeritatis nota, & est scandalosum & piarum aurium offensibum, & forsan seueriori atque rigidiori censura dignum. Pro cuius conclusionis probatione aliquot notabilia adducere libuit.

Primo

Primo præmitto ex D. Augustino libro 1. de Ciuitate Dei, cap. 1. tomo quinto, quod pietas (quam Græci eusebiam, siue religionem vocant) proprie loquendo est cultus Dei, & honor qui illi exhibetur, propter reuerentiam illi debitam, in quantum nobis est essendi & gubernationis primum principium, & propter diuersa innumera beneficia ab eodē accepta. Ex quibus verbis plane colligitur, quod summa pietas & summa religio consistit in hoc quod Deo debitū cultū, honorē & obsequium exhibeamus, rebusq; diuinis propter ipsum. Nam licet de mente & sententia Tulij lib. 2. de inuentione, pietas etiā se extendat ad parentes, & cunctos sanguine, patriæque beneuolos, idque verum sit dummodo illorum honor cultui diuino non contrarietur; eiusmodi tamē pietas non est præsentis speculationis, & aliquid de ea dicere consulto in præsentiarum omittitur, quia non adpræsens nostrum attinet propositum.

Primum notabile. Quid sit pietas, & quanam ratione ei debeatur?

Secundo præmitto, quod Pontifices Summi, sed maxime Sixtus Quartus, in prima Extrauagan ti quæ incipit, *cum præexcelsa, de reliq. & veneratione Sanctorum*, inter communes: necdum fidelibus cunctis concessit vt Immaculatæ Conceptionis festum ad Dei Optimi nostri Maximi cultum, & sanctissimæ suæ matris honorē celebrare possent, verum etiam & ad id faciendum pluribus concessis indulgentijs eosdem inuitauit, & quod eas consequantur, quas consequuntur Christi fideles in solemnitate sanctissimi Corporis Christi Et vt ne quispiam dicere posset, indulgentias prædictas fuisse concessas celebrantibus (non quidem corporalem, sed spiritualem prædictæ sacræ Virginis Conceptionem) supradictus Sixtus Quartus, in alia sua Extrauaganti, quæ incipit *Graue nimis, la primera* (sunt enim duæ vt supra dixi, quæ eiusmodi habent principium) edita anno 1482. Pontificatus sui anno vndecimo: id ipsum stricte prohibuit sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, & soli Sedi Apostolicæ reseruata, vt satis constat ex supradictis. Quibus præmissis notabilibus, probatur modo conclusio, & quod hęc nostra sententia & opinio ad minus sit pia, secura atque probabilis. Et primo argumento desumpto à pietatis definitione prædicta. Etenim si (vt inquit Diuus Augustinus pietas est cultus Dei, & honor qui illi exhibetur propter reuerentiam sibi debitam, &c. & sancta nostra Mater Ecclesia Dei ipsius zelo ducta, Conceptionis festum in eiusdem cultum, & honorem sanctissimæ suæ Matris & suæ Conceptionis (necdū spiritualis verum & corporalis) sub titulo Immaculatæ, in Ecclesia præcepit, aut saltim permisit celebrari, & ad ipsum faciendum propositis indulgentiarū præmijs fideles cunctos inuitauit: bene ergo sequitur, quod sententia & opinio quæ eiusmodi cultum & honorem profitetur, pia est; secura, atque probabilis: alioquin concedēdum esset (quod absit) & quod nec dici potest absque quammaxima impietatis, & temeritatis

Secundum notabile. Pontifices Summi Cōceptionis festum sub titulo Immaculatę celebrari instituerunt, & dixerunt eiusdem celebrationem esse rē piam.

tatis nota) quod Ecclesia nobis præciperet aut saltim permitteret, suaderetve atque inuitaret, ad colendam & celebrandam rem non piam, non tutam, neque probabilem.

Sicuti Ecclesia errare non potest in canonizatione Sanctorum, ita neque in institutione & celebratione festorum.

Secundo probatur eadem conclusio. Et pro probatione suppono ex communiori Doctorum omnium resolutione, quod sicuti Ecclesia errare non potest in Sanctorum canonizatione, & in eo quod est canonizare aliquem Sanctum, & præbere sanctitatis honorẽ illi qui non sit vere Sanctus: propter assistentiam continuam Spiritus Sancti sibi repromissam (qui non eam errare permittit) ita nec errare potest in his quæ ad diuinum cultum pertinent, & festorum institutionem, & in eo quod est præbere honorem rei alicui, quæ ex se non sit pia, & in diuinum cultum ordinata: ita saltim quod ipsum facere ad minus non sit tutum, nimiumque probabile. In quo conueniunt omnes fore Scholastici DD. Diuus Thomas secunda secundæ quæst. 1. art. 10. in solutione ad primum & secundũ, & quodlibeto 9. art. vltimo, quem in omnibus sequitur Diuus Antoninus tertia parte, titulo 12. cap. 8. §. 2. Turrecremata in summa de Ecclesia, lib. 1. quæst. 51. & 73. & lib. 2. quæst. 110. Et idem tenet VValdensis secundo tomo de Sacramentalibus, cap. 14. per totum. Ioannes de Neapoli, quodlibet. 11. Catherinus in tractatu de Canonizatione Sanctorum. Corduua lib. 4. sui Quæstionarij, quęst. 12. Et Couarrubias lib. 1. Variarum cap. 10. num. 12. Aragon secunda secundæ quæst. 1. art. 10. in tractatu de Summo Pontifice, in dubio de Canonizatione Sanctorum. Bañez in dicto articulo 10. dubio 7. conclus. 2. Bellarmin. tomo 2. controuers. lib. 1. de Sanctorum Beatitudine cap. 9. Viguerius in institutionibus Theolog. cap. 10. vers. 13. Valentia tomo 2. super secundã secundæ D. Thomæ disp. 1. quæst. 1 puncto 7. §. 41. littera C. Azor in suis institutionibus moralibus, parte secunda lib. 5. cap. 6. per totũ. Et ex Summistis Syluester, verbo *Canonizatio*, num. 2. & Tauiena num. 4. Peña secunda parte sui directorij quæst. 17. coment. 42. ad finem, qui omnes constantissime tenent id quod à nobis est dictum, adeò vt contrariam sententiã dicant erroneam, & in hoc haudquaquam esse audiẽdos, asserere qui voluerint contrarium. Quod specialiter probatur ex auctoritate Diui Leonis Papæ, in epistola 4. cap. 2. ad finem, vbi de festorum celebratione agendo, post alia sequentia verba habentur: *Verum quia Spiritus sapientia, & intellectus, ita Apostolos, & totius Ecclesiæ magistros erudiuit, vt in Christiana obseruantia nihil in ordinatum, nihil confusum esse pateretur, discernenda sunt solemnitatum causæ.* Hæc vbi supra. Quo præmisso fundamento probatur modo prædicta conclusio. Ecclesia sancta Spiritu Sancto ducta, quæ (vt præmissum est) propter continuam eiusdem assistentiam, errare minime potest in his quæ ad diuinum cultum pertinent, & in festorum celebratione, nec præbere honorem rei alicui quæ nõn sit pia, & in diuinum cultum ordinata, & quod facere non

sit

sit tutum, nimiumque probabile, præcepit aut saltim permisit atque propositis indulgentiarum præmijs fideles cunctos inuitauit ad celebrationem festi Conceptionis, & declaratum habet id non esse solummodo intelligendum de Conceptione spirituali, verum etiam de corporali: ergo nullatenus negari potest, quod sententia & opinio quæ id ipsum profitetur, sit pia, tuta & probabilis, & contrarium nō potest affirmari aut dici, absque quammaxima nota impietatis & temeritatis. Quis enim qui non amens, impius, temerariusve sit, dicere audebit sanctissimam nostram Romanam Ecclesiam, Ecclesiarum ac fidelium omnium magistram, filijs suis præcipere aut permitere celebrationem rei, quam non piam, tutam atque probabilem diiudicauerit, aut id ipsis persuasisse, & in id ipsum eosdem pluribus indulgētiarum præmijs inuitasse? Non (inquam) hoc vllo modo dici potest aut debet. Ex dictis superque satis probata manet nostra prædicta Conclusio.

Tertia Conclusio.

Ecclesia in celebratione festi Immaculata Conceptionis, hanc sententiam probabiliorem explicauit & declarauit, neq; hoc vllo modo potest negari.

NVLLO modo potest negari, quod dum sacra Romana Ecclesia præcepit, aut saltim celebrari permisit prædictum Conceptionis festum, sub titulo Immaculatæ, & in id ipsum fideles cunctos propositis indulgentiarum præmijs incitauit, facto suo (quamvis nō sententiam & opinionem nostram vt tenendam de fide, diffinierit atque determinauerit) saltim multo veriorem & probabiliorem, quā contrariam ostendit, diiudicauit & declarauit. Hæc conclusio etiam statuitur contra supradictos Bandellum & Caietanum, & omnes illis assentientes & consentientes. Pro cuius conclusionis intelligentia simul atque probatione, aliqua sunt præmittenda, quæ quammaxime oportet aduertere.

Primo nota. Quod ad Pontifices Sūmos non solum spectat sententias ad fidem siue mores pertinētes diffinire, & determinare; verum etiā & quæ nam sint probabiliores explicare & declarare.

Primo præmitto, quod ad Pontifices Summos, non solum spectat diffinire & declarare quæ nam sententia sit certa & tenenda de fide, verum etiam quæ sit magis vel minus probabilis, ita vt in eiusmodi declaratione haudquaquam posint errare. Quam sententiam tenet Soto libro 2. de natura & gratia cap. 17. & 18. & in quarto dist. 1. quæst. 3. art. 1. Cano de Sacrament. quarta parte, post conclusionem 5. & lib. 7. de locis cap. 2. & Vazquez in primā secundæ Diui Thome disp. 86. Ludouicus de Torres in 2. 2. Diui Thomæ, disput. 14 dub. vltim. & disp. 56. dub. 5. pluresque alij DD. quos breuitatis causa omitto. Cuius quidem rei plura licet exempla possem adducere, vnum tamen tantum adducam quod sufficiat promille. Et illud est *ex Clemētina vnica de summa Trinitate, & fide Cathol.* vbi Summus Pontifex approbauit tanquam probabiliorem, illorum doctrinam & opinionem, qui dicunt paruulis in baptismo habitus Fidei, Spei, & Charitatis infundi. Post quam Summi Pontificis declarationem, qui asseruerit oppositum

positum, temeritatis nota redarguendus certe erit, non quidem ob aliud, nisi quia ob Spiritus Sancti assistétiam quam Pontifices Sũmi in his quæ ad fidem pertinent, cum consilio procedendo habent, haudquaquam possunt errare, siue sit diffiniendo, siue rem aliquam vt magis piam atque veriorem declarando: nam in quo certitudinis gradu illam reposuerint, illud est firmiter tenendum.

Secũdo nota, quod Pontifices Summi in his quæ ad fidem siue diuinum cultum pertinent semper cum consilio procedunt & sequuntur opinionem magis probabilẽ.

Secundo præmitto, quod Pontifices Summi in rebus tanti ponderis ac momenti, quales sunt festorum institutiones, indulgẽtiarum concessiones, officiorum recitandorum approbationes, & id generis alia quæ ad diuinum cultum pertinent, semper cum consilio procedunt. Et hoc modo absque dubio processerunt, in his quæ constituta sunt pro celebranda Immaculata sacræ Virginis Conceptione, semper sequendo opinionem (necdum piam, tutam atque probabilem) verum & magis piam, magis tutam, & magis probabilem. Quod tanquam certum & indubitatum supponunt omnes vnanimiter Doctores, & ratio ipsa id ipsum suadet. Etenim perniciosissime errarent prædicti Pontifices Summi, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Patres, si in re tam graui, tantique ponderis ac momenti, humano aliquo respectu sinerent se duci, & non semper sequerentur id quod magis pium, tutum atque probabile diiudicarent. Quo fit vt hac ratione ductus D. Thomas, secunda secundæ quæst. 10. art. 12. standum magis esse dicat Ecclesiæ auctoritati, quam auctoritati Diui Augustini, Hieronymi, vel cuiuscunque alterius Doctoris, quinvero & omnium simul. Quæ quidem doctrina (vt dixi) intelligenda est non solum de auctoritate Ecclesiæ rem aliquam diffinientis (de hoc enim nulli dubium) sed etiam de auctoritate, absque diffinitione vlla, veritatis alicuius approbatiua, in qua Ecclesiæ auctoritas anteponenda est auctoritati Patrum, si forte (quod absit, & quod vllo modo est admitẽdum) communi calculo in contrariam sententiam conuenirent. Hac enim ratione Innocentius I. in epistola 1. ad Decentium Episcopum satis esse censuit certos quosdam ritus in Romana Ecclesia obseruari, vt Episcopus prædictus ad eum modum & ritum, suam etiam Ecclesiam componeret.

Tertio nota, quod sententiarum probabilitas, quam maxime depẽdet ex asserentium auctoritate.

Tertio præmitto ex principijs Philosophiæ, quod opinionum probabilitas quammaxime dependet ex auctoritate asserentium, & illa sententia & opinio, simpliciter & absolute censenda est probabilior, quæ assertores maioris auctoritatis habet, seu vnum aliquem ita summæ atque indubitatæ auctoritatis, vt cum eo multorum Doctorum auctoritas, minime valeat aut possit comparari. Quibus propositis notabilibus, probatur modo efficacissime atque euidentissime prædicta conclusio sequenti ratione. Sancta Ecclesia Romana (quæ omnium Ecclesiarum atque fidelium est magistra) præcepit aut saltim permisit filios suos prædictum Conceptionis festum, sub titulo Im-

maculatæ

maculatæ celebrari, & in id ipsum magnis propositis indulgentiarũ præmijs eosdẽ incitauit & inuitauit, cuius auctoritas (vt expremissis constat) maior est, & præualet auctoritati Diui Augustini, Hieronymi, & cuiuscunque alterius Doctoris: quinvero & omnium Doctorum simul, si (quod absit) quidpiam in contrarium diiudicarent, neque hac in re errare potest, cum (vt dictum est) Spiritu Sancto, & nõ pro suo libito ducatur: ergo quamvis præfactam sententiã non diffinierit atque determinauerit de fide esse tenendam, saltim ipso suo facto diiudicauit, & declarauit probabiliorem esse quam oppositam. Alias enim sequeretur supradictum quammaximum inconueniens, nempe quod Pontifices Summi, & totius Ecclesiæ Patres errarent, & in re tam graui, tantique ponderis atque momenti, pro suo libito sinerent seduci, & innitereutur opinioni minus tutæ & minus probabile, quod nullo modo est dicendum. Et quis quæso sine ingenti temiritate & quammaxima audacia, affirmare audebit vnquam maioris esse auctoritatis Bandellum, Caietanum, aliosque Doctores similes sacræ Virginis aduersarios, & qui piæ nostræ opinioni contradicunt, quam sit auctoritas Romanæ Ecclesiæ (non etiam diffinientis) sed sine diffinitione simpliciter affirmantis, Virginem sacram in sua Conceptione fuisse immaculatam, & absque omni prorsus originalis peccati labe conceptam? Si igitur id non est dicendum, manifeste profecto sequitur, quod nostra prædicta sententia longe est probabilior, & quod Pontifices Summi ipso suo facto, & festi prædicti celebrationis decreto, id ipsum diiudicarunt & declararunt. Quod & confirmatur quammaxime ex his quæ dixit Diuus Bernardus in epistola ad Canonicos Lugdunenses, quæ est numero 174. vbi rationem reddens, ob quam pro illo tempore suo videri secundum quosdam prædictum Immaculatæ Conceptionis festum celebrari nõ deberet, ea omnino fuit, quia tunc non erat Romanæ Ecclesiæ auctoritate approbatum: etenim approbatum si illud vidisset, haudquaquam eiusdem celebrationem disuasisset: cuius sententiam semper est secutus, & probabiliorem diiudicauit, & eiusdem auctoritati in omnibus & per omnia se subiecit. Diui Bernardi verba expressa libuit referre. *Ego (inquit) quod ab Ecclesia Romana accepi, securus & teneo & trado, quod non scrupulosius fateor admisserim, &c.* Et infra. *Nulla ratione placebit Virgini, contra Ecclesiæ ritum præsumpta nouitas: nam si sic videbatur consulenda erat prius Apostolicæ Sedis Auctoritas, & non ita præcipitanter atque in cõsulto paucorum imperitorum sequenda simplicitas.* Et in fine. *Quæ autem dixi absque præiudicio sane dicta sunt sanius sapientis. Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati atque examini, totũ hoc sicut & cætera quæ eiusmodi sunt vniuersa reseruo, ipsius si quid aliter sapio, paratus sum iudicio emendare.* Perpendantur obsecro prædicta Diui Bernardi verba, & videatur quanti fecerit Romanæ Ecclesiæ iudicium & auctoritatem, & quid etiam mo-

Quanti facienda sit Ecclesiæ auctoritas, in Sanctorum festis celebrandis.

Notentur vade verba Diui Bernardi.

do faceret, si sciret atque vidisset, non modo auctoritate Sedis Apostolicæ, Conceptionis festum ita solemniter celebrari: verum etiam & Pontifices Summos, ad eiusmodi celebrationem tot indulgentiarum largitionibus fideles inuitare? Omni proculdubio huius argumenti vi & efficacia conuictus, priori relicta, sententiam & opinionẽ nostram, eo ipso probabiliorem diiudicaret, eamque toto animi conatu & deuotionẽ, non solum amplecteretur, verum etiam & ab omnibus amplectendam publice doceret, & indubitanter proclamaret. Quod & fecisset etiam Seraphicus noster Doctor Bonauentura: nam in tertio sentent. dist. 3. art. 1. quæst. 1. num. 13. ideò non est ausus Cõceptionis prædictæ solemnitatem approbare: *Quia* (inquit) *Sancti Patres, qui alias Virginis eiusdem festiuitates Spiritu Sancto docente statuerunt, hanc illius festiuitatem non docuerunt.* Quibus verbis satis aperte significauit, libentissime se Virginis sacræ immunitatem amplexurum atq; prædicaturum, si Ecclesia Romana suo tempore festum prædictum sub titulo Immaculatæ Conceptionis instituisset & approbasset. Omni proculdubio propria sententia deposita, hanc piam nostram à principio sustinuisset & approbasset: probabilioremque multo diiudicasset, vtpotè qui certo sciret Romanam Ecclesiam Sanctorum festiuitates, nõ nisi Spiritu Sancto edocẽte instituere & approbare, & in his haudquaquam posse errare. Quod & similiter fecissent quamplurimi Scholastici Doctores, qui olim contrariæ sententiæ adhæserunt, non quidem ob aliud, nisi quia non videbant festum Immaculatæ Conceptionis prædictum, à Romana Ecclesia fuisse approbatum. Etenim si illud vidissent, tantum eiusdem auctoritati tribuerent, vt eam solũmodo ob causam nostram sententiam probabiliorem diiudicarent. Satis igitur ex his probata manet prædicta tertia Conclusio, nempe quod pia nostra sententia & opinio, est longe probabilior quam opposita.

Difficultas quàmaxima. Hinc insurgit nunc magna difficultas, quinvero maxima ex his quæ pro nunc possunt occurrere, circa sententiæ prædictæ veritatẽ: an scilicet simpliciter sit certa & vera, & ita vera & certa, vt contraria, opinionis non promereatur nomen, & moraliter loquendo, siue à parte rei, nostra non possit esse falsa?

Circa quam difficultatem Doctores Scholastici, quammaxime sunt inter se diuisi, & hac de re quatuor (nec minus) versantur opiniones. *Prima opinio.* Prima opinio dicit, piam prædictam sententiam, necdum probabiliorem esse (vt dictum est) verum tot tantisque titulis esse ornatã atque condecoratam, & testimonijs comprobatam ex miraculis, ex diuinis reuelationibus, ex communi fidelium omnium consensu, & præcipue ex solemni festi prædicti celebratione, sub titulo Immaculatæ Conceptionis Ecclesiæ auctoritate facta, vt non iam opinio, sed absolute & simpliciter sine aliquo addito, vera & certa sentẽtia dicẽda sit.

da sitsita vt opposita(ne opinionis quidem)promereatur nomẽ. Hãc sententiam & opinionem tenet Pater Iacobus de Granados Iesuita, in libro quem edidit de Immaculata Virginis Conceptione, discursu 2. capit. 30. Cui & consentire videtur noster Emanuel Rodericus tom. 1. Quæstion. Regul. quæst. 57. ar. 2. vbi inquit, satis indiserte (seu potius indiscrete) agere Verbi Diuini concionatores, qui ex suggesto cum hac de re agunt, hanc sententiam vocant opinionem, cum potius absolute & simpliciter, vera sentẽtia, ac verum dogma sit appellandum.

Secunda est aliorum sententia & opinio, asserentium prædictam piam sententiam (moraliter saltim) esse certam & euidentem: nihilq; prohibere, quominus dici possit esse impossibile, moraliter loquendo, vt falsa existat: & de opposita dicunt affirmari posse, quod moraliter loquendo est impossibile vt vera sit. Hanc sententiam tenet supradictus Pater Iacobus Granados loco vbisupra, cui & ad stipulatur Doctor Gundisaluus Lucero, in discursibus quos fecit pro defensione Immaculatæ Virginis Conceptionis: quam etiam ex recentioribus tenent multi alij graues Theologi. Cuius sententiæ probationem petunt ex supradicto principio, quia nempe pia sententia prædicta est, tot tantisque titulis exornata atque condecorata, ex miraculis, ex diuinis reuelationibus, ex communi fidelium omniũ consensu, & præcipue ex festi prædicti solemni celebratione (eo modo quo dictum est) vt moraliter loquendo esse videatur impossibile, vt doctrina quam tot ac tanta argumenta & rationes confirmant, aliquo modo falsa existat, eique veritatem non inesse.

Secunda opinio.

Tertia opinio est Ægidij Augustiniani, cuius iampluries mentionem fecimus, in suo tractatu pro defensione Immaculatæ Virginis Cõceptionis, lib. 3. q. 6. art. 2. §. 9. propositione quinta, vbi non cõtentus prædicta certitudine morali, addit & dicit, piam prædictam sententiam physice etiam esse certam & indubitatam, ita vt à parte rei nullo modo sit falsa, & existimat id ab Ecclesia satis esse diffinitũ, & declaratum. Verba eiusdem expressa libet referre: & sunt quæ sequuntur: *Ecclesia Romana dum ex certa scientia Conceptionem B. Virginis sub titulo Immaculata, & ab omni labe originali immunem celebrat, statuit & declarat, sententiam qua tenet Beatam Virginem sine originali fuisse conceptam, non solum simpliciter esse veram, sed ita esse certam vt à parte rei nullo modo sit falsa.* Aduersus suæ sententiæ probationem, plura ac fere innumera adducit, quæ per tempus referre non licet. Dicam tamen breuiter atque præcise, quæ magis pertinere visa fuerint ad hoc propositum. In primis tanquam certum & constans Theologiæ principium præmittit, sanctam Dei Ecclesiam (sicuti iuxta veriorem & communiorem opinionem, in canonizatione Sanctorum errare minime potest) ita etiam nec errare potest in festorum celebratione, & in exhibẽdo Deo reli-

Tertia opinio.

Notentur valde verba Ægidij Augustiniani Doctoris grauissimi.

religioso cultu: nam & hoc (inquit) canonizationis cuiusdam vim obtinet. Quod probat auctoritate Diui Leonis Papæ in epistol.4. de qua diximus supra cap.2. & ex auctoritate Diui Thomæ secunda secundæ, quæst.93. artic.1 ad tertium, quem sequuntur omnes communiter Doctores super hunc locum. Hac veritate supposita ex ea colligit, quod licet ex celebratione Conceptionis auctoritate Ecclesiæ Romanæ instituta, sub titulo Immaculatæ puritas Conceptionis non inferatur esse de fide (quia eadem Romana Ecclesia explicauit se neutram partem de fide hactenus diffinijsse) ex eadem tamen deduci dicit efficacissimum argumētum, Ecclesiam Romanam non solum declarasse, opinionem quæ Beatam Virginem ab originali liberat, esse longe veriorem quam oppositam: verum & eam ita esse certam, vt falsa esse non posit.

Probatque id ipsum Ægidius prædictus, argumento deducto ex celebratione festi Natiuitatis Beatæ Virginis Mariæ, ex quo cuncti Theologi efficacissimum etiam summunt argumentum, ad dicendū esse certo certius, Virginem eandem in sua Natiuitate fuisse sanctam & Immaculatam, & adeò certam & infallibilem putant argumenti prædicti probationem, vt plures dicant eiusmodi dogma ad fidem debere referri, & nullus sit qui non afferat, saltim esse computandum inter ea quæ sunt proxima fidei, & quibus subesse non potest falsum. Cuius etiam probationis certitudinem colligit, ex verbis Diui Ildephonsi libro de perpetua Virginitate Virginis, qui habetur in tomo nono Bibliothecæ Patrum, pag.681. vbi sequentia verba habentur. *Beata Virgo Maria nisi in vtero matris sanctificata fuisset, minime eius Natiuitas colenda esset. Nunc autem quia auctoritate totius Ecclesiæ digne veneratur, constat eam ab omni peccato originali fuisse immunem.* Quibus in verbis quammaxime notanda sunt illa, *constat ex auctoritate Ecclesiæ*; quæ omninò idem sonare videntur ac si dixisset, id ipsum ita esse constans & certum, vt inficiari nullo modo liceat. Eandem certitudinem colligit Ægidius ex supradictis verbis Diui Bernardi, in epistola 174. ad Canonicos Lugdunenses, quando dixit: *Ego quod ab Ecclesia accepi securus & teneo & trado, quod non scrupulosius fateor, admisserim. Accepi sane ab Ecclesia illum diem cum summa veneratione colendum, quo assumpta est de sæculo nequam, sed & ortum Virginis didici in Ecclesia, & ab Ecclesia indubitanter haberi festiuum ac sanctum, firmissime cum Ecclesia sentiens, in vtero eam accepisse vt sancta prodiret.* Et paulo inferius de eadem Virginis Natiuitate alloquens addit: *Non fallitur omninò sancta Ecclesia, sanctum reputans ipsum Natiuitatis eiusdē diē, & omni anno cum exaltatione vniuersa terra votiua celebritate suscipiens.* Ex quibus verbis colligit Ægidius prædictus, quòd si Ecclesia non fallitur (vt reuera non fallitur) celebrando Natiuitatem Beatæ Virginis: ex ipsa celebritate efficaciter colligitur verissimum esse, & omnino certū, quod Beata Virgo sine vllo omninò origi-

originali peccato fuit orta: sicut & id ipsum collegit Diuus Thomas tertia parte, quæst. 27. art. 1. in argumento sed contra, vbi ex eo quod Ecclesia Natiuitatem Beatæ Virginis celebrat: infert certum esse illius natiuitatem fuisse sanctam. Quod applicando ad præsens propositum dicit Ægidius prædictus, nullam rationem discriminis posse assignari cur ex festo Natiuitatis Beatæ Virginis efficaciter deducatur immunitas Natiuitatis ex vtero: ex festo autem Conceptionis efficaciter non deducatur immunitas Conceptionis in vtero: in hoc sensu, vt eam fuisse sine originali, non solũ sit magis probabile, verum & à parte rei certissimum, & omninò tenendum, ita vt non possit esse falsum.

Quarta opinio, est aliorum asserentium ex prædicta festi Conceptionis celebratione, omnibusque alijs quæ pro pia nostra sententia adducuntur, interim quod sancta Romana Ecclesia aliud non determinat, nullam ipsam habere certitudinem, quam maioris probabilitatis, ne alium certitudinis gradum sibi posse concedi. Hanc sententiam & opinionem tenet Bellarminus, lib. 4. de amissione Gratiæ, cap. 15. 16. & 17. & Valentia tertia parte disp. 2. quæst. 1. puncto 2. Suarez secundo tomo ad tertiam partem, disp. 3. sect. 6. §. dico secundo, & Vazquez secundo tomo ad eandem tertiam partem, disp. 117. cap. 5. num 57. quod & probant a destructione fundamentorum præcedentis opinionis. Nam ad illud quod dicunt de festorũ celebratione (inquiũt prædicti Doctores) illud esse quidem verum, & in eo Ecclesiam errare non posse, quando simpliciter & absolute festum aliquod instituit, & vt celebretur præcipit: tunc enim eiusmodi celebratione ipsius sanctitatem indicat, & tanquam indubitatam decernit. Secus vero est quando festum prædictum, non simpliciter & absolute instituit, neque vt celebretur præcipit, sed solummodo permitit, aut si forsan instituit, illud solummodo est tanquam aliquid magis pium, magisque probabile: tunc enim ex tali celebratione non infertur indubitata certitudo, sed solummodo certitudo quædam pia, & & probabilis, cui tamen falsitas non repugnat. Quod ad præsens applicando propositum dicunt: quod quando Romana Ecclesia Conceptionis festum sub titulo Immaculatæ celebrari permisit, aut forsan instituit: non quidem id fecit illud diffiniendo tanquam veritatem indubitatam, & absolute tenendam, sed vt rem magis piam, magisque probabilem. Cuius quammaximum indicium est, quoniam eadem Romana Ecclesia quæ eiusmodi festum instituit, celebrarive permisit sub præ citato titulo: contrariam etiam sententiam teneri posse permisit, vt constat ex Extrauaganti Sixti Quarti, *Graue nimis de Reliq. & venerat. Sanctorum*, & ex constitutione Pij Quinti, *super speculam* (vbi expresse liberam cuique fecit facultatem opinandi huius controuersiæ quamlibet partem, prout vel magis pium, vel magis

Quarta opinio.

probabile diiudicauerit: dummodo appositam sententiam non damnet. Ex quo inferunt Doctores prædicti, Romanam Ecclesiam instituendo prædictum Conceptionis festum, etiam sub dicta forma, non ipsius sanctitatem absolute canonizasse, sed solummodo vt rem magis piam, magisque probabilem: & consequenter ex eiusmodi celebratione non deduci absolutam certitudinem, qualis infertur ex absoluta canonizatione alicuius festi: nam certitudo absoluta, non infertur ex canonizatione, quæ solum festum canonizat, vt magis pium & magis probabile.

Ad secundum vero quod adducunt de celebritate Natiuitatis B. Virginis, dicunt similiter non valere consequentiam, à Natiuitatis festo, ad festum Conceptionis, quoniam Ecclesia Romana Natiuitatis festum instituit simpliciter & absolute, citra vllam controuersiã, credens & docens Virginẽ sacram in vtero sanctissimæ suæ Matris fuisse sanctificatam, & sine peccato originali ex eodem vtero natam: ex qua festiuitatis prædictæ institutione facta simpliciter & absolute, bene infertur Natiuitatem prædictam fuisse sanctam & immaculatã: at (inquiunt) non sic est in præsenti proposito, quoniam Ecclesia Romana, sicut non simpliciter credit aut docet, Virginis Conceptionem fuisse sanctam & immaculatam (cum id nondum diffinierit vt tenẽdum de fide) ita neque eiusmodi festum instituit, aut celebrare permittit, tanquam certum & indubitatum, sed vt magis pium, magisq; probabile. Vnde fit vt à Natiuitatis celebratione, certo & infallibiliter colligatur, eam sine originali peccato fuisse natam, à celebritate vero Conceptionis, inferri non possit eiusmodi certitudo infallibilis, quod fuerit sancta & immaculata: sed solummodo quod hoc credere est magis pium, magisque probabile quam oppositum.

Hæc sunt opiniones quæ circa prædictam quammaximam difficultatem versantur. Quibus paulatim satisfacere vissum est per sequẽtes adducendas conclusiones, & sit quarta in ordine.

Quarta Conclusio:

Quamvis sententia quæ dicit Virginem sacram ab originali peccato fuisse præseruatam, pia sit, secura atque probabilis ac legepro

QVAMVIS sententia pia quæ Virginem sacram ab originali peccato liberat, omni ex parte (vt præmissum est) adeò existat qualificata, opposita tamen sententia iuxta præsentem statum, per Theologorum censuras opinionis nomine minime fraudari potest. Probatur hæc conclusio, nam & id ipsum expresse præcipiunt Summorum Pontificum constitutiones, non solum illæ quæ olim à Sixto Quarto, Alexandro Sexto, & Pio Quinto prodierunt (de quibus latissime diximus supra in quæstione 14.) verum etiam & illa quæ nuper à S.D.N. Paulo Quinto omnibus denuntiata est (de qua in sequenti quæstione dicemus statim) qua omninò cauetur, ne quispiam eorum

eorum qui piam prædictam sententiam defendunt atque propugnãt, oppositam grauiori aliqua censura: hæresis, erroris, aut temeritatis denigrare audeat. Et certum est quod si res hodie eo deducta fuisset, vt piæ, opposita sententia, opinionis saltim non promeretur nomen, & nec tanquam opinio defendi possit: in re adeò graui, tantique ponderis ac momenti, illam tenere aut defendere, erroris aut temeritatis notam declinare minime posset. Etenim sicut in naturalibus, quidquid opinione est maius aut dignius, euidentia dicitur, & in his quæ ad fidem protinent certitudo fidei: ita & in his quidquid opinione est minus, error siue temeritas nuncupatur. His omnibus accedit, quod sanctissimus Dominus noster Paulus Quintus, in nouissima sua constitutione, sententiam oppositam non priuat opinionis nomine: imo vero illam opinionem vocat. Quo fit vt eiusmodi titulo eam defraudare aut priuare minime liceat. Consulerem ego Prædicatoribus cunctis in suis concionibus cum his de rebus agunt, omninò vt abstineant ab opinionis nomine, & piam prædictam sententiam, simpliciter & absolute, & absque aliquo addito sententiam piam proferant, vt non ex contrario facto, imperitorum exasperentur aures, & piorum & deuotorum animi exulcerentur: attamen iuxta præsentem statum quem vtraque sententia, tam pia, quam quæ illi aduersatur, hodie in Ecclesia habent, habueruntque hactenus ex declarationibus editis à Summis Pontificibus, secundum quam de illis est iudicandum, & Theologi suas censuras ferre possunt, piæ oppositam sententiam, opinionis nomine fraudare minime licitum existimo. Sed procedamus vlterius, & videamus, an de pia nostra sententia aliquid ampliusdicere posimus, quam quod magis piæ, tutioris, atque probabilioris opinionis sortiatur nomen? & an dicere posimus moraliter loquendo, eandem esse certam & euidentem? De quo sit quinta Conclusio.

babilior quã opposita, imo tametsi quod Ecclesia aliud non determinat, opposita opinionis nomine non debet fraudari.

Quinta conclusio.

Non improbabiliter potest dici, quod prædicta pia sententia, moraliter loquendo est certa, & euidens.

NON improbabiliter potest dici & affirmari, quod pia prędicta sententia, moraliter loquendo est certa & euidens. & sic loquendo moraliter, imposibile esse vt falsa existat: de opposita vero simili modo loquendo, imposibile esse vt vera sit. Hanc Conclusionem teneo nimis probabiliter, cum Doctoribus secundæ prædictæ opinionis. Et præter illos tenet ipsam Salazar libro suo iamplurIes citato pro Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione cap. 43. §. 2. cuius sunt quæ sequuntur verba. *Huic sententiæ libens acquiesco, & ego in ea etiam per suasione sum, vt putem ea omnia quæ ad piam sententiam comprobandam accedunt, moraliter loquendo falsitati subiacere nõ posse.* Post quæ addit *Sed quid est moraliter aliquid esse certum? Dicam libenter. Morale dicitur id quod de more est, mos autem ex similiũ comparatione aucupari debet. Quapropter illa doctrina*

Notentur val de verba Doctoris Magistri Salazar virigrauissimi & doctissimi.

dici potest moraliter certa, quæ si conferatur cum alijs quæ certitudinem atque infallibilitatem habent, nec minora, nec infirmiora fundaméta habet. atque adeò similem certitudinem præfefert, nihilominus tamen physice loquendo, non repugnat falsitatem illi subesse. Eiusmodi igitur est sententia quæ tradit sanctissimã Deiparam ab originali culpa immunem. Nam si conferatur cum alijs fidei dogmatibus, quæ post definitionem Ecclesiæ certa & infallibilia sunt, non videtur habere minores aut imbecilliores probationes, vt proinde moraliter infallibilis & indubitata haberi posit, quamvis physicè & à parte rei non repugnet illi falsitatẽ inesse.

Arguitur cõtra conclusionem, & respõdetur ad argumentum.

Sed dices. Omnis certitudo opinionem excludit: ergo si prædicta pia sententia moraliter loquendo est certa & euidens, alia sibi opposita, opinio minime dici poterit. Huic obiectioni respondetur negando consequentiam, neque enim (vt cum Dialecticis loquamur) consequentia valet à dicto secundũ quid, ad dictũ simpliciter. Quod vt plenius notum fuit, dico. Quod sicuti in rebus physicis, & naturalibus, certitudo quæ est euidentia naturalis, excludit opinionem physicam & naturalem, in rebus autem supernaturalibus (quales sunt res fidei) earum certitudo quæ est fides, excludit etiam opinionem circa easdem, illamque nullo modo sustinet: sic etiam & in rebus moralibus, certitudo moralis excludit etiam opinionem moralem, non vero physicam, aut supernaturalem cognitionem quæ habetur per fidẽ. Ex quo constat qualiter cum certitudine & euidentia morali prædicta, stare optime posit quod sententia opposita adhuc retineat opinionis nomen, ad hunc sensum, quod non pugnat cum naturali euidentia, neque cum his quæ sunt tenenda de fide.

Sexta Conclusio.

Ecclesia hactenus non diffinit, determinauit aut declarauit, piam de puritate Conceptionis sententiam ita esse veram vt à parte rei non posit esse falsa.

ECCLESIA non hactenus diffiniuit, determinauit, aut declarauit, piam de puritate Conceptionis sententiam, ita esse veram, vt à parte rei non posit esse falsa. Hæc conclusio statuitur contra supra dictam tertiam opinioné quæ fuit Ægidij: existimauit enim Ægidius loco ibidem citato, piam sententiam prædictam, quamvis simpliciter & absolute loquendo non sit de fide, interim quod Ecclesia aliud determinauerit, esse tamen fidei quammaxime consentaneam, & obtinere illum certitudinis gradum, cui falsitas sub esse non potest: idque ipsum Ecclesiam explicasse & declarasse, dum ex certa scientia statuit, & decreuit Conceptionis festum sub titulo Immaculatæ celebrari. Cum quo (inquit) stat quod opposita sententia ab Ecclesia tolleretur. Sed nihilominus loquendo de eo quod Ecclesia hactenus declarauit, prædicta Ægidij sententia haudquaquam satis placet mihi. Concedimus quidem Ægidio Ecclesiam haudquaquam errare posse, in institutione solemnitatum, & festorum celebratione, & alijs

quæ ad diuinum cultum pertinent,& quod eiusmodi cultus sancto ali cui ex auctoritate Ecclesiæ exhibitus, est tacita quædam declaratio & diffinitio sanctitatis eiusdem, quando talis cultus exhiberi præcipitur à Summo Pontifice,tanquam rei certa & indubitata: attamen quando eiusmodi cultus exhiberi præcipitur (non tanquam res certa & indubitata)sed tanquam pia,tuta, aut magis pia,& magis tuta, siue magis probabilis: tunc per eiusdem cultus delationem non reponitur res in maiori aliquo certitudinis gradu quam piæ, tutæ, & magis probabilis. Quod & facere posse Pontifices Summos,iam diximus supra in primo notabili,ad probationem tertiæ conclusionis.Per destructionē præcipui fundamenti Ægidij,satis manet probata prædicta conclusio, maxime cum tot ac tantæ exierint Summorum Pontificum constitutiones,quibus opposita sentētia tanquā probabilis sustineri permittitur, & ab omni alia grauiori nota & censura vindicatur. Etenim si quod contendit,concederemus Ægidio,nempe per delationem religiosi cul tus, Virginis sacræ ab originali peccato immunitatem,tanquam rem certam, & indubitatam ab Ecclesia fuisse explicatam & declaratam, quonam modo opposita sententia tollerari posset, & à grauiori alia censura liberari? Nam si ex eo quod Ecclesia festum Natiuitatis Beatæ Virginis colit, & colendum atque venerandum tanquam rem certā, & indubitatam profitetur,ac toti Ecclesiæ tradit: affirmantes eandem in originali peccato fuisse natam, haudquaquam tolleraret: quinvero acriter puniret, & graui hæreseos aut erroris censuraret nota: id ipsum si factum fuisset circa celebrationem festi Conceptionis Immaculatæ, contrarium asserentes,simili pœna puniri deberent,& eidem hęreseos aut erroris notæ & censuræ subijcerentur:quod cum non fiat, satis vel ex eo colligitur id quod dictum est in conclusione, nempe quod ex his quæ hactenus Ecclesia diffiniuit & declarauit,haudquaquam constat prædictam piam nostram sententiam de Virginis sacræ puritate, ita esse veram vt à parte rei non possit esse falsa,neque in ratione certitudinis excedere,aut habere aliquem vltiorē gradum, quam opinionis magis piæ, magis tutæ,& magis probabilis. Quibus nihilominus non obstantibus,in prædictæ sententiæ fauorem,& sacræ Virginis honorem maiorem, sequentem septimam adijcere libuit Conclusionem.

Cōsiderato præsenti statu quē modo pia sentētia habet, non improbabiliter potest dici, ita esse veram, vt à parte rei non possit esse falsa.

Septima Conclusio.

CONSIDERATO præsenti statu quem modo pia sententia habet, non in probabiliter etiam potest dici, ita esse verā vt à parte rei non possit esse falsa. Hanc sententiam tenet doctissimus Pater Luduuicus Turrianus super 2.2.disp.56.dub.5.quē sequitur haud quidē minus doctus Pater Ferdinādus à Salazar iāpluries citatus,loco vbi supra,cap.43.§.4.vbi de mente eiusdem dicit,Pontificem Summum

etiam cum diffinit aliquod dogma esse magis probabile, circa veritatem illius errare non posse, pro eo quod ad summam Dei prouidentiã pertineat, vt doctrina illa quam Pontifex præfert alteri, & tanquam magis probabilem Ecclesiæ vniuersali amplectendam proponit: à parte rei non sit falsa. Verba expressa prædicti Ludouici de Torres libet referre, & sunt quæ sequuntur.

Notentur val de hæc verba doctissimi viri Ludouici de Torres.

Existimo non posse Pontificem errare, circa veritatem propositionis quam declarat esse probabiliorem (loquimur autem de materia qua possit ad mores vel ad fidem pertinere) licet res non sit de fide. Nam si in hoc posset Pontifex errare, magnum detrimentum posset sequi in Ecclesia: omnes enim amplecterentur & defenderent eam opinionem, & putarent veram, & eius probabilitas in dies cresceret, ac proinde tota Ecclesia falleretur, quod nulla ratione admittendum est. Verba sunt expressa. Itaque Doctor ille non solum putat Summum Pontificẽ, cum declarat propositionem aliquam esse probabiliorem, non posse errare in qualificatione huius probabilitatis, præferendo eam partem quæ ad iudicium suum, fortiora & robustiora habet fundamenta: verum etiam neque in ipsa physica veritate: ita vt quod magis probabile sua censura declarauerit, à parte rei possit non esse verum, quamvis ad fidem non pertineat. Ex quibus verbis colligit etiam prædictus Salazar, piam dictam sententiam hodie, ad eum venisse certitudinis gradum, vt non solum moraliter, verum etiam physice & à parte rei, non possit esse falsa, pro quo sequens argumentum facit. Pontifices Summi in institutione Conceptionis festi sub titulo Immaculatæ, & approbatione sui officij, & in alijs quæ in fauorem puræ Conceptionis fecerunt, omninò explicarunt & declararunt, seu potius diffinierunt, piam sententiam esse tutiorem atque probabiliorem: sed eiusmodi Pontifices declarantes aliquam sententiam esse magis probabilem, circa ipsius veritatem (vt dictum est) errare non possunt, nec fieri potest vt quod probabilius ipsi decreuerunt, à parte rei falsum sit: ergo per eiusmodi declarationem & diffinitionem maioris probabilitatis, consequẽter effectum est, vt pia prædicta sententia, ita vera sit hodie, vt falsitas illi subesse nullo modo possit, quamvis ad fidem non pertineat, & Ecclesia eos qui oppositum sentiunt merito hactenus sustineat. Quod & sequenti ratione confirmat. Nam hæc veritas est ex illis, quæ partim ad mores, partim ad fidem pertinent. Etenim quatenus ex ea fit vt tota Ecclesia Conceptionem Virginis tanquam sanctam & ab omni labe mundam collat & veneretur, ad mores spectat: quatenus vero in causa est, vt Theologi ad eam defendendam de originalis peccati transfusione, & alijs ad id ipsum spectantibus, aliter & aliter sentiant: ad fidẽ pertinet. Quo fit vt si Pontifex declarans atque diffiniens prædictam sententiam piam, esse magis probabilem, in eiusmodi declaratione & diffinitione posset errare, & possibili ad effectum perducto, in re ipsa de facto errasset, maximam tàm in moribus quàm in his quæ ad fidem perti-

pertinent, errandi occasionem omnibus fidelibus praebuisset, postquã ipsi eum sequi tenerentur, vt ne membra à suo capite dissentirent, & suam sententiam oppositae praeferentes, in veneratione rei non sanctę errarent: & pari ratione quamplures errores è Summis Pontificibus ebibissent. Ex quo proinde sequeretur, quod nõ solum maior, verum etiam & quammaxima Ecclesiae pars, in assensu plurium dogmatum deciperetur & illuderetur: quod cum non sit dicendum, sed quammaxime modis omnibus vitandum, manifeste profecto supradictum sequitur intentum. Quae certe ratio est fortissima, & magna consideratione digna, multumque efficax & accomodata ad defendendam piae praedictae sententiae maiorem certitudinem, imo & certitudinem cui à parte rei falsitas subesse non possit. Quod dictum sit sine praeiudicio & iniuria sententiae oppositae: nam his non obstantibus (vt dixi) quamdiu in contrarium non aliud fuerit determinatum tanquã de fide, opinionis nomine fraudari minime debet, vt non contraueniatur Summorum Pontificum constitutionibus. Videatur supradictus Salazar loco quo supra vsque ad finem parraphi, vbi ad hoc propositum reperire licebit, plura eaque notatu dignissima.

In calce huius questionis adducere libuit, qualificationem quam praedictus Salazar in dicto capitulo 43. in fine parraphi 1. tribuit mul tis propositionibus quae communiter proferuntur ab his qui in contraria sunt sententia & opinione, & dicunt Virginem sacram in originali peccato fuisse conceptam. Vbi constituto ac supposito, quod Summi Pontifices ex celebratione festi Conceptionis praedicti, sub titulo Immaculatae, saltim diffinierunt piam nostram sententiam (nec dum esse tutam atque probabilem) verum etiam & magis piam, magis tutam, & magis probabilem: omnes sequentes propositiones dignas esse dicit temeritatis censura & nota. In primis: *Doctrina qua tradit Virginem in peccato fuisse conceptam, est magis probabilis vel magis pia, aut magis tuta.* Item & illi aequipollentes, vt si quis dicat: *Quod habet fortiora fundamenta, aut efficatiores rationes.* Nam hae propositiones non differũt à prima. Item si quis dicat: *Quod doctrina qua tradit Virginẽ in peccato fuisse conceptam, est magis honorifica Virgini, aut Christo Domino, magis pia, magis religiosa, aut quod huic opinioni inest minus periculum erroris.* Omnes praedictas propositiones Salazar vbi supra, dignas esse dicit temeritatis cẽsura, ac simili censurae subijcit propositiones Caietani superius dictas, & positas in initio huius quaestionis, nempe: *Quod sententia docens Virginem sine originali peccato fuisse conceptam, continet pietatem non veram, sed existimatam.* Item & illam: *quod habet pietatem, sed non secundum scientiam.* Similiter & illam, *quod pia sententia est tantum tollerabilis.* Omnes enim istae propositiones Caietani, cum maiorem probabilitatem excludant temeritatis censura dignas esse dicit. Et quod consultissime facerent Sanctę Inquisitionis censores, si eiusmodi assertiones omnes

Nota hoc valde.

Qua censura digni sint, asserentes Virginem sacrã in originali peccato fuisse conceptã, sententiam esse magis piam, magis tutam, aut magis probabilem?

tam in concionibus, quàm in priuatis & familiaribus colloquijs compertas, tanquam temerarias & scandalosas coercerent, & illas retractari, reuocari, & recantari cogerent. Et ad arcenda scandala quammaxima quæ ex illis subsequuntur, consultissimum atque expedientissimum credit, vt de hisdeferendis, quemadmodum & de alijs, in edicto sacro fideles omnes commonerentur. Idem omninò diuersis licet verbis, dicit Ægidiusloco vbisupra, quæstione sexta, articulo 1. §. 7. 9. & 10. Quæ pro ac quæstione dicta sufficiant.

QVÆST. XXVI.

Quænam sententiarum prædictarum, populo sit proponenda & prædicanda?

PRO quæstionis huius resolutione, vtque in ea ordinate atque iuridice procedamus, cum (vt dicitur) exfacto oriatur ius, oportet breuiter in memoriam recolere, ea quæ iam supra semel & iterum me dixisse memini, nēpe Sixtum Quartum Pontificem maximum occurrere volendo, temerarijs ausibus ac peruersis quorundam assertionibus & scandalis quæ in nostra sancta Dei Ecclesia exoriebantur, ex eo quod de mysterio hoc Immaculatæ Virginis Conceptionis, non vti par erat loquebantur, anno Domini 1483. pridie nonas Septembris Pontificatus sui anno decimotertio, controuersiam omnem hac de re habitam extinguere ac dirimere cupiens, constitutionem quandam edidit, quæ incipit *Graue nimis*, & habetur inter alias Extrauagantes communes sub titulo *de reliq. & veneratione Sanctorum*, qua sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Sedi Apostolicæ reseruatæ, stricte præcepit atque prohibuit, ne quis vnam vel alteram sententiarum prædictarum tanquam hæreticam condemnet, aut moraliter peccare asserat qui illam defendit. Cuius quidem constitutio innouata, & confirmata postmodum fuit per Alexandrum Sextum, anno 1502. decimo kalend. Martij, vt constat ex Monumentis nostri sacri Ordinis primæ impræssionis, folio 74. & secundæ folio 158. concessione 376. & refertur in Compendio, verbo *Conceptio Virginis*, § 9. inserendo illam de verbo ad verbum, & dando desuper iudices cum magnis clausulis & non obstantijs. Et postea etiam confirmata est per sancti Concilij Tridentini Patres, sessione quinta, decreto de peccato originali, capite vltimo in fine, per illa verba: *Sed obseruandas esse constitutiones fœlicis recordationis Sixti Papæ Quarti, sub pœnis in eisdem contentis, quas innouat Concilium.* Quæ prædicta constitutio innouata, approbata, & confirmata fuit per Pium Quin-

Quid circa hanc difficultatem à Summis Pontificibus sit ordinatum atque dispositum?

uintum, anno Domini 1570. septima die Decembris, in alia sua cõtitutione Extrauaganti, quæ incipit *super speculam*, & habetur inter os motus proprios siue constitutiones eiusdem. Quas quidem cõtutiones omnes, quamuis ad verbũ & expresse iam supra in quæst. retulerimus, pro præsentis tamẽ pleniori resolutione, verba prędi i Pij Quinti, post prædictarum constitutionum approbationem & nfirmationem, iterum oportet referre, & sunt quæ sequuntur. *Auritate Apostolica tenore præsentium, per hac Apostolica scripta perpetuo statmus, ordinamus atque mandamus, quatenus nemo cuiuscunque ordinis, gra is, conditionis vel dignitatis existat, popularibus concionibus, vel vbicunque omiscua virorum & mulierum multitudo conuenire solet, de huius controuer alterutra parte disputare, rationibus vel Doctorum auctoritate, asserendo pro tam sententiã, & contrariam refellendo aut impugnando, vel de hac ipsa quaone, cuiusuis pietatis aut necessitatis prætextu, vulgari sermone scribere vel clare præsumant. Qui contra fecerit suspensionis pœnam à diuinis, absque noua claratione ipso facto incurrat, si modo fuerit in sacris constitutus, & quocunq; aterea gradu siue dignitate, vel administratione fungatur, illis omnibus sit ip ure priuatus, & ad eadem vel similia munera obtinenda, perpetua inhabilitis censura ipso etiam facto sit obnoxius, super quibus nisi à Romano Pontifice o tempore existente, dispensari siue absolui non possit. Et nihilominus alijs pœ, si opus fuerit, à proprio Prælato pro delicti mensura infligendis subijciatur, out subijcimus. Cæterum quandiu per Apostolicam Sedem altera pars diffinita nfuerit, oppositaq; sententia condemnata, liceat viris doctis in Academiæ dispu tionibus, siue Generaliũ siue Prouincialiũ Capitulorum, vel vbi alias intersunt i rem capere possunt, nec scandali vlla subest occasio, de illa quæstione disserere, argumentis vtramlibet partem vel asserere, vel impugnare, dum tamen neu a veluti erronea prædicetur, seruenturq; illa omnia quæ à dicto Sixto prædessore nostro statuta sunt, quorum singulare præfertur, etiam quantum ad aliàs mas duximus innouanda, & innouamus per præsentes.*

Nota constitu tionibus Pij V qua incipit super speculam.

Prædictam Pij Quinti constitutionem, confirmauit & innouait postea S. D. N. Paulus Quintus in prima sua constitutione edita ie vltima Iulij, anno 1616. Pontificatus sui anno vndecimo. Sed viens post modum, quod prædicta omnia haudquaquam sufficerent, fidelis populi deuotio ægre atque molestissime ferebat, quod pulice in concionibus siue disputationibus diceretur, Virginem sacrã originali peccato fuisse conceptam, & ex eo præsertim in nostra Hispania quammaxime innumera exoriebantur scandala, de nouo uandam aliam constitutionem fecit, tenoris sequentis.

Nota constitu tionem Pauli V. circa modũ loquẽdi de hac Immaculata Conceptionis materia.

Feria quinta die 31. Augusti, anno à Natiuitate Domini 1617. in generali ongregatione Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico in monte Quirinali, coram S. D. N. Paulo, diuina prouidentia Papa V. anctissimus Dominus noster post longam & maturam discussionem, auditis vo s Illustrissimorum & Reuerendissimorum Dominorum Cardinalium, contra hæ reticam

reticam prauitatem Generalium Inquisitorum, re accurate ac diligenter perpensa, proinde considerans, quod quamuis in constitutione fœlicis recordationis Sixti Quarti, super Conceptionem Beatæ Virginis Mariæ, pro submouendis inter Christi fideles scandalis, rixis, & contentionibus edita, à sancta Tridentina Synodo innouata, ac deinde in alia constitutione SS. Pij V. super eadem re, quã similiter sanctitas sua innouauit, cum quibusdam prouisionibus, & adiectionibus pœnarũ, pro efficatiori eorum obseruatione: relinquatur vnicuiq; libera facultas tenendi, & etiam asserendi vtranlibet partem, quod scilicet fuerit vel non fuerit concepta cum peccato originali. dum tamen neutra veluti erronea, aut hæretica damnetur, nihilominus occasione ex assertione affirmatiua in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus & actibus publicis, quod eadem Beatissima Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo Christiano cum magna offensa Dei scandala, iurgia, & dissensiones: Propterea volens huiusmodi scandalis ex debito sui muneris prouidere, decreuit & præcepit, ac præsentis virtute mandat, & præcipit, omnibus & singulis cuiusuis conditionis status, gradus, ordinis aut dignitatis, tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus, etiamsi specialis, specifica, & indiuidua eorum esse mentio necessariò facienda, vt in posterum donec articulus huiusmodi à sancta Sede Apostolica fuerit definitus, vel per sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum: non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & alijs quibuscunque actibus publicis, asserere quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali: contra facientes autem eadem sanctitas sua voluit & declarauit, subiacere debere & subijci pœnis, & censuris contentis in supradictis constitutionibus suorum prædecessorum, & sua ipso facto incurrendis. Per huiusmodi autẽ prouisionem sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei vllum prorsus præiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis in quibus de præsenti reperitur, præterquam quoad supra disposita. Vlterius sub eisdem præceptis & pœnis mandans, quod negatiuam opinionem (videlicet quod non fuerit concepta cum peccato originali) in prædictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent. Insuper voluit & expresse mandauit, vt quod extra hos casus expressos publicorum actuum, in reliquis omnibus supradictæ constitutiones firmæ & illæsæ permaneant, & exactè obseruentur, perinde ac si præsens decretũ non emanasset, & ita decreuit & mandauit, vbique inuiolabiliter obseruari, non obstantibus in hac parte supradictis constitutionibus, & alijs omnibus contrarium facientibus, volens & decernens pro obseruatione, & executione præsentis decreti, & omnium in eo contentorum, quod contra huiusmodi transgressores (etiã Regulares) cuiusuis ordinis & instituti (etiam quomodolibet exemptos) & alias quascunq; Ecclesiasticas & sæculares personas, cuiuscunq; status & cõditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis, tàm Ecclesiasticæ quàm sæcularis, tàm Episcopi & Prælati superiores, aliiq; ordinarij locorum, quàm hæreticæ prauitatis, vbiq; locorum deputati Inquisitores procedant, & in eos seuere animaduertant, tribuens eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & auctoritatem contra eosdem transgressores procedendi, & pœnis coercendi & puniendi,

bol-

voluit autem ne præmissorum à ignorãtia aliquoquam prætendi possit, quod præsens decretum siue illius exemplar ad Valuas Basilicæ Principis Apostolorum, & in acie campi Floræ affixum, omnes ita arctet & afficiat, perinde ac si vnicuiq; personaliter intimatum fuisset, quodq; præsentium transumptis, etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibita vel ostensa. Data Romæ anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi 1617. indictione 15. die vero 12. mensis Septembris. Andreas de Petini, S. R. E. vniuersalis inquisitionis Notarius. Quibus sic præmissis, propositæ quæstionis resolutione quibusdam propositis conclusionibus, breuiter atque resolutiue, dicere libet, quid hac in re quo vis tẽpore à Sixto Quarto, facere fuit licitum, vel illicitum, liceatve hodie.

Prima Conclusio.

Sixti Quarti tempore, quid fuerit prohibitum asserere de sententia prædicta?

TEMPORE Sixti Quarti excõmunicati erant excõmunicatione maiori, latæ sententiæ ipso facto incurrenda, a qua ab alio quã Romano Pontifice (nisi in mortis articulo) non poterant absolui, omnes diuini verbi Prædicatores, & quicunque alij cuiuscunque status, gradus, ordinis, aut conditionis fuissent, qui ausu temerario in sermonibus ad populum, seu alias quomodolibet affirmare præsumerent, eos qui crederent aut tenerent Virginem sacram ab originali peccati macula in sua Conceptione fuisse præseruatam, propterea alicuius hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut eiusdem Conceptionis officium celebrantes, seu eiusmodi sermones audientes, alicuius peccati reatum incurrere. Et omnes prædictæ assertiones, vtpote falsæ & erroneæ, & à veritate penitus alienæ, auctoritate Apostolica damnatæ & reprobatæ sunt: similiter & libri id ipsum continentes, & excommunicati qui illos pro veris legerent, tenerent, seu haberent. Item & simili excommunicationis pœnæ subijciebantur, qui ausi fuissent asserere, contrariam opinionem tenentes (videlicet sacram prædictam Virginem cum originali peccato fuisse conceptam) hæresis crimen, vel mortale peccatum incurrere, cum id ipsum nondum fuerit à Romana Ecclesia, & Sede Apostolica decisum. Hæc conclusio satis constat ex expresis verbis supradictæ Extrauagantis *Graue nimis*, de qua & ipsius explicatione, cum plura & quæ meo videri cognitu fuere necessaria, supra in quæst. 17. dixerimus, haudquaquam conueniens diiudicaui eadem nunc de nouo iterum referre. Solummodo dico (vt etiam dixi) Sixti Quarti Extrauagantem prædictam, confirmatam & approbatam fuisse postmodum per Alexandrum VI. & per sancti Conc. Trident. Patres, & Pium V. loco vbi supra. Sed quia prædictus Pius V. aliqua noua de suo addit, quorum quàmaxime oportet habere notitiam, sit secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

Pij V. tempore quid etiam fuerit prohibitum asserere, licitumve facere, circa sententiam prædictam?

TEMPORE Pij Quinti, liberam cuique faciendo facultatem interim quod Ecclesia aliud non determinat, opinandi prædictæ controuersiæ quamlibet partem, prout vel magis piam, vel magis probabilem esse iudicauerit, auctoritate Apostolica ordinatũ & statutum fuit, vt nemo cuiuscunque ordinis, gradus, conditionis, vel dignitatis existeret, in popularibus concionibus, vel vbicunque promiscua virorum, & mulierum multitudo conuenire solet, de huius controuersiæ alterutra parte disputare, rationibus vel Doctorum auctoritate, asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo aut impugnando, vel de hac ipsa quæstione cuiusuis pietatis aut necessitatis prætextu, vulgari sermone scribere, vel dictare præsumeret. Sed post hæc sequentia verba addita sunt. Cæterum quandiu per Apostolicam Sedem altera pars diffinita non fuerit, oppositaque sententia condemnata, liceat viris doctis in Academiæ disputationibus, siue Generalium aut Prouincialium Capitulorum, vel vbi alias inter sunt qui rem capere possunt, nec scandali vlla subest occasio: de illa quæstione disserere, & argumentis vtramlibet partem, vel asserere, vel impugnare, dum tamen neutra veluti erronea prædicetur: seruenturque illa omnia quæ à dicto Sixto prædecessore nostro statuta sunt, quorum singula vt præfertur, etiam quantum ad alias pœnas duximus innouanda, & innouamus per præsentes. Hæc vbisupra. Circa quam conclusionem, & inferius apposita verba, aliqua occurrunt notanda, quammaxima consideratione digna.

Primo nota. Quid semper fuerit licitum siue prohibitũ concionatoribus, circa sententiam prædictam, dum sermocinantur?

Et primo, nullo vnquam tempore fuisse prohibitum diuini verbi concionatoribus, in suis sermonibus & locis publicis, populo proponere Virginem sacram in sua Conceptione ab originali peccato, fuisse præseruatam. Nam cum à tẽpore prædicti Sixti Quarti, Ecclesia sancta celebret ac celebrare permisserit Immaculatæ Conceptionis festum, ipsumque fidelibus populis celebrãdum proponere, haudquaquam Prædicatoribus eisdem interdici debuit, explicare & declarare, ac publice docere id quod Ecclesia celebrat, cum in eum finẽ festorum celebrationes ab Ecclesia sint institutæ, vt fidelis populus instruatur de eo quod celebrat, & ipsius deuotio augeatur. Qua quidem ratione absque vllo prorsus dubio, licitum ipsis fuit (quin vero & quammaxime meritorium) id ipsum facere, ac populo exponere & declarare festa, & mysteria quæ celebrat, & fideles ad eorundem maiorem cultum, & deuotionem allicere, doctrinam suam confirmãdo ex sacris litteris, vel Sanctorum Patrum testimonijs, & auctoritatibus. Quibus addo, semper fuisse licitum Prædicatoribus prædictis, dum ad populum verba faciunt, rationibus & argumentis vt cumque

forti

fortissimis, sacræ Virginis puritatem & eiusdem à peccato originali immunitatem probare & confirmare: dum tamen oppositam sententiam non damnent, rationibusve impugnent aut refellant, asserendo hæresis crimen committere, aut mortaliter peccare qui eam tenent, aut dicendo mysterium hoc esse tenendum de fide, & tanquam ad salutem necessarium: sed proponendo populo sententiam quæ Virginem sacram à peccato liberat, esse piam, tutam, securam, atque probabilem: quinvero magis piam, magis tutam, securam, & magis probabilem, ab Ecclesia Spiritus Sancti instinctu approbatam, miraculis & reuelationibus confirmatã. Hæc & his similia licitũ est Diuini verbi Prædicatoribus dicere, dum tamen (vt prædictũ est) oppositã sententiam rationibus non impugnent aut refellant. Quod satis constat necdum ex supra dicta Sixti Quarti constitutione (qua solummodo fuit prohibitum contrariam sententiam hæresis damnare, vel asserere peccatum mortale incurrere qui eam sustinet) verum etiam ex prędicta Pij V. qua solummodo prohibetur de alterutra huius controuersiæ parte disputare, rationibus vel Doctorum auctoritate, propriã sententiam asserendo, & contrariam refellendo aut impugnando. Quorum priora verba, per subsequentia explicanda & declaranda sunt: & cum sint coniuncta, vtrumque reperiri debet vt prohibitioni contraueniatur. Vnde ille solummodo propriam sententiam dicetur asserere, contrariam refellendo aut impugnando, qui suam sententiã ita rationibus siue argumentis confirmat, vt contrariam expresse & positiue impugnet, & illius argumenta dissoluat. In hoc enim posita est formalis rei alicuius disputatio, vt in propriæ sententiæ confirmationem argumenta afferantur, & alia ad contrariæ impugnationem cum suorum argumentorum solutione. Nam qui duntaxat sacræ Virginis immunitatem ab originali peccato, rationibus & argumentis vtcumque fortissimus confirmat, nihil de contraria sententia dicendo, quamvis tacite & implicite eandem refellat, non tamen expresse & formaliter, ac proinde nec dici potest comprehendi in supradicta constitutione. Quam sententiam antiqua iam concionatorum omniũ consuetudo comprobauit à multis retro sæculis, neque in eo aliquis esse potest scrupulus, vt satis probat Ægidius, loco iam pluries citato quæst. 9. articulo vnico, in tertia & quarta assertione, in id afferendo illud Diui Petri prima cap. 3. quod parati esse debemus ad reddendam rationem omni poscentinos, de ea quæ in nobis est fide & spe: vbi inquit haudquaquam fuisse Summorum Pontificum mentem, prohibere prædictas simplices mysterij huius probationes, & confirmationes, absque vlla specie concertationis & disputationis, sed solummodo eas quæ (vt testatur Gerson) olim in concionibus fiebant, quando Prædicatores ita concionabantur, vt nec dum suam opinionem probarent & confirmarent, verum etiam contrariam impugna-

 rent

rent atque reprehenderent. Cui abusui tanquam seditionum, rixarũ & tumultuum causatiuo, sapientissime (inquit) atque prudentissime obuiare voluerunt. Qua quidem ratione damnandum minime esse dicit, qui inter prædicandum de prædicto mysterio, in eiusdem confirmationem aliquam seu aliquas adducit rationes, & respondet solutionibus quibus solui possent: dum tamen non explicet eiusmodi solutiones esse aduersariorum, sed simpliciter dicat, non est quod dicatur hoc vel illud, &c. Similiter dicit non esse damnandum, vt statutas pœnas incurrat, qui in discursu concionis aliquod aduersariæ sententiæ fundamentum proponit, & simpliciter illud soluit: dum tamen non explicet ab aduersarijs adduci, quia in hoc non vera & propria atque formalis reperitur impugnationis species. Quod est multum notandum, ac memoriæ commendandum.

Secũdo nota. Quid fuerit licitum prohibitumve in Academijs ac publicis disputationibus facere, circa sententiam prædictam?

Secundo circa id quod dicitur de disputationibus in Academijs, & Capitulis Generalibus siue Prouincialibus, est etiam multum notandum, quod si in eiusmodi disputationibus adsit etiam rudis populus, simplicesq; mulieres, ita vt probabilis immineat ratio scandali, non etiam hac de re publice potest fieri disputatio, & maxime si pars aduersa sustineatur, qua asseratur Virginem sacram in originali peccato fuisse conceptam: nam quocunque id modo fiat, si occasio imminet scandali, grauissimum quidem erit peccatum eiusmodi assertionem sustinere: non quidem ratione rei assertæ, sed ratione scandali quod ex eo sequitur: quæ fere est communis Doctorum resolutio, quamvis ab aduersarijs dicatur eiusmodi scandalũ non esse actiuum, sed solummodo passiuum insipientis populi: quod dicit Caietanus in quodlibeto de Cõceptione Virginis, cap. 5. Sed quammaxime in eo fallitur, vt quam doctissime probat Pater Fr. Philippus de Ayala, nostri sacri Ordinis Prouinciæ Castellæ, sacræ Theologiæ Lector, postmodum vero eiusdem bis Prouincialis Minister, & totius nostri Ordinis Pater, ac causarum sancti Officij Qualificator, libello illo suo hispano sermone conscripto; cui titulus: *Caso mayor y punto de conciencia, a cerca de como se ha de predicar, tratar y hablar en publico en estos nuestros tiempos, de la purissima Concepcion de la Virgen Maria nuestra Señora.* Vbi latissime & cumulatissime docet, & ex multorum sententia probat, eiusmodi scandalum (non quidem esse passiuum) sed revera actiuum. Quod & ex re ipsa patet, satisque illud tanquam verum & certũ præsupponunt Pontifices Summi Sixtus Quartus, Alexander Sextus, Pius Quintus, & S. D. N. Paulus etiam Quintus, dum in prædictis suis Constitutionibus Extrauagantibus, ad easdem edendas & promulgandas, tot iteratis vicibus dicunt, in id ipsum fuisse motos, ad sedandas seditiones & tumultus, cum tanto fidelium omnium scandalo. Et quomodo scandalum non erit actiuum, sed solummodo passiuum, quod tot Romani Pontifices in suis Constitutionibus ita damnant

nant, & tot pœnis impositis euitare procurant? Quomodo non scandalum erit actiuum, populum docere contra id quod Ecclesia publice celebrando religiose colit, colendo docet: & nec dum docet verum & quam magnis propositis indulgentiarum præmijs, fideles omnes ad id ipsum faciendum inuitat & persuadet? Quis non videat, ex tali publica assertione, Romanæ Ecclesiæ auctoritatem in celebrandis festis, apud rudem & nec bene instructum populum quamplurimum diminui, & quod inde non sine magno fundamento fideles simplices & rudes, ansam & occasionem possunt summere, & nec leue motiuum ad suspicandum aut forsan credendum, Ecclesiam Romanam in celebratione festorum errare posse? Exindeque similiter inferre, quod errare etiam potest in canonizatione Sanctorum, cum (vt supra in præcedenti quæstione dictum est) festorum publica & solemnis institutio, nihil sit omnino aliud, quam vera quædam ipsorum canonizatio. Nulla igitur ratione negari potest quod scandalum prædictum sit vere actiuum, & quod ex se & ex sua ratione, scandali prebet occasionem, & non tantum passiuum. Neque enim Ecclesia eiusmodi assertiones publice coram simplici & rudi populo sustinere vt scandalosas prohiberet, nisi ipsæ ex sua ratione generatiuæ essent scandali. Dicendum est igitur quod vbicunq; eiusmodi scandali occasio imminet, ad minus sub peccati mortalis pœna, tàm in concionibus quàm in disputationibus, abstinendum est ab eiusmodi assertionibus (si non ratione rei assertæ) saltim ratione circunstantiæ scandalosæ.

Tertio nota. Quid vulgari sermone scribere vel dictare liceat, de sententia prædicta.

Tertio circa id quod dicitur, quod cuiusuis pietatis siue necessitatis prætextu, de prædicta hac quæstione nullus vulgari sermone scribere vel dictare præsumat, notandum est etiam de mente & sententia Patris Suarez, tomo secundo in tertiam partem, quæst. 27. art. 2. §. *vltimo tandem aduerto*, quod per supradicta verba non prohibemur vulgari sermone veritatem prædictam simpliciter edocere, persuadere atque confirmare, sed dumtaxat omnis disputatio, controuersia & contentio interdicitur. Quod etiam quamdoctissime ostenditur in solutionibus, & responsionibus quas fecit doctissimus Pater Ioannes Pineda è Societate Iesu, ad priuilegium Domini Ioannis Aragoniæ Regis I. vbi de mente Caietani secunda secundæ quæst. 10. art. 7. §. *ad euidentiam*, agendo de alijs similibus verbis, quibus prohibitum est laicis disputare de rebus fidei, dicitur quod ille solus proprie & formaliter dicitur disputare de fide, qui afferre intendit propriam rationem de fide, pro vel contra. Nam disputare (inquit) formaliter de aliqua re, est diuersa proferre argumenta de illa, siue in id ipsum afferre diuersitatem rationum: nam aliud non est disputare nisi materialiter. Et parum infra § *ex his autem*, dicit Caietanus prædictus, difficultati solutionem adhibendo, quod iura non prohibent personis laicis disputationem de fide, nisi formaliter intellectam. Sic igitur di-

cendum est in proposito de supra dictis verbis, quando prohibetur nequis cuiusuis pietatis siue necessitatis prætextu, vulgari sermone de quæstione prædicta scribere vel dictare præsumat. Quam explicationem & declarationem amplectuntur Gregorius de Valentia, & Frater Petrus de Lorca super prædictam 2. 2. Diui Thomæ quæst. 10. artic. 7, explicando ibidem difficultatem propositam, quod & facit Fr. Petrus de Ledesma in sua Summa, & Thomas Sanchez alios referendo, in suo opere morali primo præcepto, lib. 2. cap. 6. num. 9. Cui resolutioni fauent omnes communiter Iurisperiti, inter explicādum quid sit disputare, sed quammaxime Rebufus *in lege rei appellatio, titulo de verborum significatione*, vbi inquit, quod disputatio est in vtrāque partem: afferens in id ipsum exemplum à Iurisconsulto *in l. 2. §. quæsitum. ff de quor. legato.* vbi quadam quæstione proposita, rationes ad vtranque partem adducuntur, vltimoque deciditur. Et quidem id ipsum satis colligitur, ex verbis quæ præcedunt ad superius dicta in dicto Motu proprio Pij Quinti, quando dicitur, de eiusmodi controuersiæ alterutra parte disputare, rationibus vel Doctorū auctoritatibus, asserendo propriam sententiam, & cōtrariam refellendo aut impugnando, vel de hac ipsa quæstione cuiusuis pietatis prætextu, vulgari sermone scribere, vel dictare præsumat. Quæ vltima verba referenda sunt ad superius dicta, & similiter explicanda. Videatur hac de re Paulus Comitollus lib. 6. responsionum moral. quæst. 40. vbi dicit id ipsum fuisse diiudicatum Perosæ, à magnis quibusdam Doctoribus Theologis & Iurisperitis, coram quodam hæreticæ prauitatis Inquisitore, & absolutum fuisse insignem quendam concionatorem, qui ad eundem fuerat delatus, pro eo quod publice de prædicta quæstione egerat, asserendo incursum fuisse pœnas in prędicto Motu proprio contentas. Ad hoc propositum inquit: *Quod prædicta lex quæstionem hanc in alterutram partem disputare permittit, in vtramq; vero non sinit, & addit, quod quamuis qui vnam partem confirmat, contrariam virtualiter impugnet, oportet tamen rationes probandi, & refellendi esse diuersas, & à confirmatione refutationem distinctam, neque apud Christianæ fidei iudices, contraria consuetudo concionatoribus fraudi vlli vnquam esse consueuit.*

Notentur valde hæc verba.

Tertia Conclusio.

S D. N. Pauli V. tempore, quod facere vel non facere licet, circa sententiam prædictam?

TEMPORE Sanctissimi D. N. Pauli Quinti & in virtute fecūdæ suæ Constitutionis, iam nulli cuiusuis conditionis, status, gradus, ordinis, aut dignitatis extiterit licet in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & alijs quibuscunque actibus publicis, interim quod ab Ecclesia aliud non fuerit diffinitum, asserere quod Virgo sacra fuerit cum peccato originali concepta, & contrarium facientes subijciuntur omnibus pœnis, & censuris in supradictis Constitutioni-

tionibus contentis ipso facto. Hæc conclusio satis etiam constat ex expressis verbis prædictæ secundæ Constitutionis Pauli V. Addit tamen, quod per huiusmodi prouisionem non intendit reprobare alteram opinionem, neque ei vllum prorsus præiudicium inferre, eam relinquẽs in eisdem statu & terminis, in quibus de præsenti reperitur, præterquam quoad supradicta, mandans sub eisdem pœnis, quod negatiuam opinionem tenentes (videlicet quod non fuerit cum peccato originali concepta) in prædictis publicis actibus aliam opinionẽ non impugnent, nec de ea aliquo modo agant seu tractent. Et insuper voluit, quod extra hos expressos casus publicorum actuum, in reliquis omnibus supradictæ Constitutiones suorum prædecessorum, firmæ & illæsæ permaneant, & exacte obseruentur, perinde ac si præsens decretum non emanasset, atque ita decreuit & mandauit vbiq; inuiolabiliter obseruari, non obstantibus, &c. Circa quam prædictam Conclusionem nihil dicendum occurrit: quinvero ad litteram intelligenda & practicanda est vt iacet. Et quantum ad id quod in vltima parte dicitur, nempe quod negatiuam opinionem tenentes (videlicet quod Virgo sacra non fuerit cum originali peccato concepta) in publicis actibus opinionem aliam non impugnent, nec de ea aliquo modo agant seu tractent, dico intelligenda esse eiusmodi verba ad modum quo & in secunda conclusione diximus intelligenda esse quæ posita sunt in supradicta Constitutione Pij V. ita vt etiam nunc prædicatoribus & concionatoribus liceat, dum concionantur, rationibus argumentis vt cumque fortissimis, sententiam suam confirmare cõprobare, ostendẽdo Virginẽ sacram sine originali peccato fuisse conceptam, dũ modo sententiã oppositã rationibus, & argumentis non impugnẽt aut refellãt, nec de ea aliquo modo agant seu tractẽt, quod intelligi debet per expressa verba ad sensum superius explicatum.

Post omnia superius dicta, exijt alia constitutio Gregorij XV. qui est tenoris sequentis.

Feria tertia die 24. Maij, Anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi 1622. In Generali Congregatione sancta Romana, & vniuersalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico in monte Quirinali, coram S. D. N. D. Gregorio diuina prouidentia Papa XV. ac Illustrissimis & Reuerendissimis DD. S. R. E. Cardin. aduersus hæreticam prauitatem Inquisitoribus Generalibus, à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis. Sanctissimus D. N. auditis votis Illustrissimorum Reuerendissimorum DD. Cardinalium contra hæreticam prauitatem Generaliũ Inquisitorum, Decretum aliàs editum à fœlicis recordationis Paulo V. eius prædecessore, tenoris sequentis, videlicet. Sanctissimus Dominus noster post longam, & maturam discussionem, auditis votis Illustrissimorum & Reuerendissimorum Dominorum Cardinalium, contra hæreticam prauitatem Generalium Inquisitorum, re accurate ac diligenter perpensa, proinde considerans, quod quamvis in Constitutione fœlicis recordationis Sixti IIII. super Conceptione Beatissimæ Virginis

Maria, pro submouendis inter Christi fideles scandalis, rixis, & contentionibus edita, à Sancta Tridentina Synodo innouata, & deinde in alia Constitutione SS. Pij V. super eadem re (quas similiter sanctitas sua innouauit) cum quibusdam prouisionibus & adiectionibus pœnarum, pro efficaciori earum obseruatione, relinquatur vnicuiq; libera facultas, tenendi & etiam asserendi vtramq; partem, quòd scilicet fuerit vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamẽ neutra veluti erronea aut hæretica damnetur: nihilominus ex occasione assertionis affirmatiuæ in publicis Concionibus, Lectionibus, Conclusionibus, & actibus publicis, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriũtur in populo Christiano cum magna Dei offensa, scandala, iurgia, & dissensiones: propterea volens huiusmodi scandalis ex debito sui muneris prouidere, decreuit & præcepit, ac præsentis Decreti virtute mandat, & præcepit omnibus, & singulis cuiusuis Ordinis, & instituti Regularibus, & alijs quibuscumque, tàm Ecclesiasticis quàm sæcularibus personis, cuiusuis conditionis, status, gradus, ordinis aut dignitatis, tã Ecclesiastica, quã sæcularis, etiãsi specialis, specifica, & indiuidua earum esset necessariò mentio facienda, vt in posterum, donec articulus huiusmodi à Sancta Sede Apostolica fuerit diffinitus, vel per sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & alijs quibuscunque actibus publicis asserere, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Contrafacientes autem eadem sanctitas sua voluit, & declarauit subiacere debere, & subiecit censuris, & pœnis contentis in supradictis Constitutionibus suorũ prædecessorum, & sua ipso facto incurrendis. Per huiusmodi tamen prouisionem sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei vllum prorsus præiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis in quibus de præsenti reperitur, præterquam quoad supra disposita. Vlterius sub eisdem censuris, & pœnis mandans, quòd negatiuam opinionem, videlicet, quod non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem nõ impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent. Insuper voluit & expresse mandauit, vt extra hos casus expressos publicorum actuum, in reliquis omnibus supradicta Constitutiones firma, & illæsa remaneant, & exacte obseruentur, perinde ac si præsens decretum non emanasset. Et ita decreuit, & mandauit vbiq; inuiolabiliter obseruari, non obstantibus in hac parte supradictis Constitutionibus, & alijs omnibus in contrarium facientibus, &c. Hoc suo præsenti Decreto, ex eisdem causis, euitandi scandala, dissensiones atque discordias, in populo Christiano, quæ pari ratione oriri possunt, & vt accepit in aliquibus regionibus iam orta sunt, ex sermonibus priuatis occasione assertionis affirmatiuæ, extendit, & ampliauit etiam ad priuata colloquia & scripta, mandans & præcipiens omnibus, & singulis supradictis, ne de cætero donec articulus huiusmodi à Sede Apostolica diffinitus, vel per sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatũ, neque etiam in sermonibus, & scriptis priuatis, audeant asserere, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere, seu tractare, exceptis tamen quibus à

Sancta

Sancta Sede Apostolica fuerit super hoc specialiter indultum. Per hoc tamen sanctitas sua non intendit reprobare alterā opinionem, nec ei vllum prorsus præiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus reperitur, præterquam quoad in supradicta sulic. recordat. Pauli V. & hoc suo decreto disposita. Eademq; sanctitas sua voluit, & expresse mandauit, vt in reliquis omnibus, vbi huiusmodi Decretis non aduersantur, Constitutiones Sixti Quarti, Alexandri Sexti, & Pij Quinti ac Pauli Quinti, eius prædecessorum super Conceptione Beatissimæ Virginis, firma & illibata remaneant ac exacte obseruentur, perinde, ac si huiusmodi Decretum non emanasset. Et insuper eadem sanctitas sua, cum sancta Romana Ecclesia de Beatissima Virginis Conceptione Festum solemniter & Officium celebret, omnibus & singulis personis, tàm Ecclesiasticis, quàm sæcularibus, cuiusuis ordinis, & instituti regularibus, mandat, ac præcipit, vt in sacrosancto Missæ sacrificio, ac diuino Officio celebrandis, tàm publice, quàm priuatim, non alio quàm Conceptionis nomine vti debeant. Contrauenientes autem sanctitas sua voluit, & declarauit subiacere debere, & subiecit censuris, & pœnis contentis in supradictis Constitutionibus, ac præfato Decreto suorum prædecessorum ipso facto incurrendis. Et ita decreuit, & mandauit vbiq; inuiolabiliter obseruari, non obstantibus in hac parte Constitutionibus suprascriptis, Decreto præfato Pauli Quinti, consuetudinibus etiam immemorabilibus, necnon omnibus, & singulis, quæ prædecessores prædicti voluerunt non obstare, ac alijs quibuscunq; in contrarium facientibus. Volens, & decernens pro obseruatione, & executione præsentis Decreti, & omnium in eo contentorum, quod contra huiusmodi transgressores, etiam Regulares, cuiusuis Ordinis, & instituti, etiam quomodolibet exemptos, & aliàs quascunque Ecclesiasticas, & sæculares personas, cuiuscunque status, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis, tàm Ecclesiasticæ quàm sæcularis, tàm Episcopi & Prælati superiores, aliiq; ordinarij locorum, quàm hæreticæ prauitatis vbiq; locorum deputati Inquisitores procedant, & in eos seuere animaduertant, tribuens eis & eorum cuilibet liberam facultatem, & auctoritatem contra eosdem transgressores procedendi, ac pœnis coercendi, & puniendi. Voluit demum, ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit; quòd præsens Decretum, seu illius exempla ad Valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiant, perinde, ac si vnicuiq; personaliter intimata fuissent, quodq; præsentium transumptis, etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Andreas de Pettinis sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis Not.

Añ. à Natiu. Domini nostri Iesu Christi, millesimo sexcentesimo vigesimo secundo. Indict. quinta, die vero secunda mensis Iunij, Pontificatus sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Gregorij diuina prouidentia Papa XV. Anno secundo supradictū Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valuas Basilicæ Principis Apostolorū de Vrbe, & in acie Campi Floræ, vt moris est, per me Brandimartem Latinum, S. D.N.P. Curs.

Octauius Spada Mag. Curs.

QVÆST.

QVÆST. XXVII.

Vtrum prædicta de Immaculata Virginis Conceptione controuersia, sit res quæ possit & debet diffiniri?

CIRCA difficultatem præsentis quæstionis, specialis est sententia & opinio Magistri Cano, lib. 4. de locis Theologic. cap. 4. & lib. 7. cap. 3. conclu. 4. & lib. 12. cap. 11. vbi quamvis teneat & credat, omnes antiquos Ecclesiæ Patres in suam sententiam & opinionem conuenisse, ac dicere Virginem sacram in originali peccato fuisse conceptam: exinde tamen neutram prędictæ controuersiæ partem diffiniri putat posse de fide, propter rationes sequentes.

Primum argumentum. Primò, quia hæc quæstio & controuersia ad fidem non spectat: ergo ex prædicto vnanimi Sanctorum omnium Patrum consensu, nullum firmum & infallibile summi potest argumentum, ad probandum vnanimem prædictam Sanctorum Patrum sententiam tenendam esse de fide. Quod extendendum esse dicit ad omnes temporis differentias: nam cum neutra huius controuersiæ pars hactenus fuerit diffinita, aut diffiniri valuerit, haudquaquam (inquit) sperandum est futurum post hac vt diffiniri possit: etenim si veritas adhuc reuelata non fuit, vnde nam deinceps expectari debet, vt reuelatio fiat?

Secundum argumentum. Secundò probat id ipsum ratione. Nam cum Ecclesia hactenus declarauerit vtranque sententiā esse probabilē, diffinierit qua proinde neutram esse tenendam de fide, prædictæ suæ diffinitioni non potest quidpiam contrarium determinari, neque statui, vt prædictæ controuersiæ pars alterutra sit de fide. Sed Cani prædicti opinione reiecta, in contrarium est omninò veritas, quæ explicabitur per sequētes Conclusiones.

Prima Conclusio.

Prædicta de Immaculata Virginis Conceptione controuersia, res est de se diffinibilis, & quę optime potest diffiniri.

PRÆDICTA de Immaculata Virginis Conceptione controuersia, res est de se diffinibilis, & quæ ab Ecclesia quando, id expedire iudicauerit, determinari potest de fide. Hæc conclusio est fere omnium Doctorum concors resolutio contra Canum, & eam tenet expresse Suarez tomo secundo ad tertiam partem Diui Thom. disp. 3. sect. 6. §. *dico tamen primo*, Vazquez 2. etiā tomo ad eandem tertiam partem disp. 117. cap. 14. §. *hac vero primum*. Franciscus de Pitigianis, ad

ad tertium Scoti dist. 3. quæst. art. 6. concl. 1. & pro hac opinione citatur Abulens. paradoxa 1. cap. 21. & in prologo libri cap. 6. & super Exod. cap. 34. quæst. 8. illam etiam tenet Ægidius in supradicto tractatu pro Immaculata Virginis Concept. lib. 3. q. 8. art. vnico §. 2. & Salazar in suo etiam libro pro eadem Immaculata Deiparæ Virginis Concept. cap. 33. §. 6. Et ex Iunioribus citatur etiam pro ea reuerendissimus noster Sosa Episcopus Oxoniensis, in relatione quam hac de re fecit, & Oxeda in sua informatione pro Immaculata Deiparæ Virginis Concept. cap. vltimo. Id ipsum tenent Pineda, Iacobus de Granados, Guindisaluus Lucero, ac denique prædictam conclusionē tenent quotquot hac nostra ætate de sacræ Virginis immunitate à peccato originali scripserunt. Et id ipsum sensisse omnes Episcopos & Concilij Basiliensis Patres, superque satis constat, postquam (licet importuno tempore propter schisma) ad diffinitionem prædicti dogmatis procedere minime dubitauerunt. Id ipsum etiam senserunt omnes Pontifices Summi qui hac de re & de controuersia prædicta, vt visum est in præcedenti quæstione tot constitutiones ediderunt, quibus desidentes partes ab eiusdem censura abstinere iusserunt, quoadvsque Sedes Apostolica controuersiam prædictam diffiniret, & toti Ecclesiæ quid esset tenendum declararet. Quibus verbis satis aperte datum est intelligi, controuersiam prædictam ab eisdem diffinibilem fuisse diiudicatam, postquam eiusdem diffinitionem illam exposcentibus minime negarunt, sed in aliud futurum tempus distulerunt. Id tandem sentire certe videtur communis totius fere Ecclesiæ consensus, postquam tot propositis cunctorum fidelium votis à S.D.N. Paulo Quinto, & S.D.N. Gregor. XV. dogmatis prædicti extremam declarationem atque diffinitionem, semel & iterum atque iterum ita ardenter deposcit.

Primo probatur conclusio. Sed quod controuersia prædicta ex se materia sit diffinibilis, & quæ ab Ecclesia quando id expedire iudicauerit, diffiniri optime possit, probatur rationibus. Nam hęc veritas (nō quidem parua) sed magna atque supernaturalis est, multumque referens ad Ecclesiæ totius vtilitatem & pietatē, & ad diuinum cultum, postquam ex ea pēdet & qualiter sacræ Virginis Conceptionis festum celebrandū sit, & peruenire potest res ad eum statum, in quo absque noua explicita reuelatione, Ecclesia sufficientia habeat motiua ad eandem veritatem diffiniendam, ex implicita & tacita Dei reuelatione sibi sufficienter proposita: quid igitur obstat quo minus diffiniri atque determinari possit?

Secundo probatur conclusio. Probatur secundo id ipsum, nam etiam iure optimo dici potest, quod prædicta veritas, quæstio & controuersia ad fidem quodammodo pertineat, postquam ita facit ad verum & genuinum Sacræ Scripturæ intellectum, & veram explicationem multarum proposi-

 tionum

tionum quæ in eadem continentur, & fidelibus proponuntur tam quam generales fidei regulæ, vt (v.g.) omnes in Adam peccauerũt, & similes, ex cuius resolutione colligendum est, an vniuersalitas eiusmodi propositionum sit Logica, ita vt nullam omnino patiatur exceptionem; an vero moralis & quæ exceptionem siue exceptiones aliquas admittit, aut tandem sit legalis, quæ Principis specialia priuilegia non excludit. Si igitur id ita est, quid deficit ad hoc vt eiusmodi quæstio, & controuersia posit determinari & diffiniri?

Tertio probatur conclusio. Tertio probatur id ipsum ex experientia: ea enim constat quod Ecclesia nostra sancta à multis retro sæculis Spiritu Sancto edocta, sæpe quinvero & sæpius, auctoritate sua absque noua expressa reuelatione multas similes difficultates quæstiones & controuersias diffiniuit, vt quampluribus exemplis potest monstrari, & constat expresse ex determinatione & diffinitione quæstionum de habitibus infusis, de canonica aliquorum librorum Sacræ Scripturæ auctoritate: de sacræ Virginis ex vtero sine peccato originali natiuitate, de carentia eiusdem ab omni peccato actuali (etiam veniali) de illius resurrectione, & gloriosa ad Cœlos Assumptione, & alijs quæ cũ in Sacra Scriptura non habeantur expresse, iam sunt determinata de fide: alia verò vt fidei proxima, de quibus nullus dubitare potest quod potuerint diffiniri. Quid igitur obstat, quo minus prædicta etiam quæstio & controuersia posit determinari ac diffiniri? Si Ecclesia post longam concertationem diffiniuit & determinauit Virginem sacram omni actuali culpa (etiam veniali) caruisse, sine peccato originali ex vtero fuisse natam, iam à mortuis resurrexisse, in corpore simul cum anima in Cœlos assumptam fuisse, cum hæc in Scriptura Sacra expresse non habeantur, atque ita sua auctoritate confirmauit, vt oppositum sine errore, aut saltim sine quammaxima temeritate affirmari non posit, in id instituendo vt Natiuitatis, & Assumptionis dies publice in tota Ecclesia celebrarentur: si veritates prædictæ quæ olim fuerunt dubiæ & controuersæ, & quæ nondum diffinitæ sunt de fide, potuerũt ab Ecclesia tanquam fidei proxima determinari & diffiniri, & de eo nullus dubitat, sed nec dubitare potest: cur non & Immaculatæ Conceptionis veritas poterit similiter diffiniri?

Quarto probatur conclusio. Quarto probatur id ipsum: nam ad hoc vt aliqua supernaturalis veritas sit diffinibilis, & ad diffinitionem pertineat, sufficit vt in traditione aliqua antiqua Ecclesiæ fundetur, vel in Scriptura Sacra implicite contineatur, vt crescente communi Ecclesiæ consensu per quam Spiritus Sanctus traditiones explicat & Sacram Scripturam declarat posit tandem Ecclesia ipsa diffinitionem suam adhibere, quæ Ecclesia respectu nostri propter infallibilem Spiritus Sancti assistentiã, vim habet cuiusdam reuelationis: sed hæc veritas est huiusmodi, ergo intentum. Consequentia cum maiori est legitima. Minorem

autem

autem sic probo. Nam prædicta veritas (vt iam supra quæst. 14. & 16. diximus) præterquam quod sacris litteris ac fidei principijs minime repugnat, in innumeris Sacræ Scripturæ locis fuit insinuata & indicata, & vt etiam diximus in quæstione 17. & 18. Sacrorũ Conciliorũ diffinitionibus & Summorum Pontificum decretis quammaxime est consona, & sententijs & communi modo loquendi Sanctorum Patrum (quidquid nonnulli perperam in contrarium dicant.) Præterea antiquissima Ecclesiæ traditione est recepta, & vniuersali fidelium omnium consensu in dies magis ac magis recipitur, non quidẽ sine magno animarum fructu, &(vt creditur) nec sine motione Spiritus Sancti, qui plenitudinem gratiæ sacræ Virginis ita esse intelligendam Ecclesiam paulatim ac sensim docet. Post igitur hic Ecclesiæ consensus ita crescere, vt tandem possit Ecclesia absolute & simpliciter hanc rem diffinire, & contraria sententia probabile non habeat fundamentum.

Secunda Conclusio.

PRÆDICTA de Immaculatæ Virginis Cõceptionis controuersia, necdum est res diffinibilis & quæ optime diffiniri potest, verum & quæ multorum virorum grauissimorum iudicio, oportetet Pontificem Summum determinare; maxime aduitanda quamplurima eaque grauissima inconuenientia, mala & damna & scandala, quæ ex contrario facto subsequuntur. Hæc conclusio non aliter potest probari quam à prædictis inconuenientibus, malis & scandalis, quæ experientia edocente à tot retro sæculis huius controuersiæ occasione in Ecclesia sunt exorta, & quotidie subsequuntur. De quibus præter ea (quæ superq; satis cõstãt ex antiquis historijs quæ hac de re agunt, multoque malo nostro quotidie experimur in dies) plenę sunt supradictæ Summorum Pontificum Constitutiones, & memoriam recurrere oportet ad ea quæ dixit Sixtus Quartus in celebri illa sua Extrauaganti *Graue nimis*, posita inter communes, sub titulo *de reliq. & venerat. Sanctorum*, & ad Alexandrum Sextum in alia sua Constitutione, quæ habetur in Monumentis nostri Ordinis loco supra citato. Similiter & ad Constitutiones Sanctissimorum Patrum Pij V. & Pauli V. necnon & Gregorij XV. Qui quidem omnes vno ore ponderosissimis verbis, clamare nunquam cessant atque enumerare, contentiones, rixas, iurgia, & scãdala, quæ suo cuiusque tempore inter fideles, prædictæ controuersiæ occasione sunt exorta & subsequuta. Quantum autem Pontifices Summi, vt vitentur eiusmodi contentiones, schismata & scandala curare debeant, adeò de se notum est, vt in controuersia minime adduci debeat aut possit, & nec probatione vlla indiget. Vnde quamvis non omnes semper veritates Theologicæ diffi-

Prædicta de Immaculatæ Virginis Conceptionis controuersia, necdum res est diffinibilis, verũ & quæ quammaxime oportet diffiniri.

1. Probatur conclusio.

diffiniri atque determinari debeant, vt Doctoribus Scholasticis eadem inquirendi & inuestigandi relinquatur locus; est tamen quammaxima differentia de opinionibus fundatis in principijs Philosophiæ, & quæ versantur circa res speculatiuas, quæ sine fidelium scandalo defendi & disputari possunt, & de alijs quæ non simile habent fundamentum, & versantur circa res practicas, qualis est præsens hæc controuersia & difficultas, quæ sine magno fidelium omnium scandalo disputari & defensari hactenus nunquam est visa, qua quidem ratione multum expedit vt definiatur & determinetur.

2. Probatur conclusio. Hæc sit prima nostræ conclusionis probatio. Secundo probatur id ipsum, nempe quod expediat quammaxime controuersiam prædictam determinare, & diffinire. Nam vt ex se patet & nulli dubium est ad Apostolicam Sedem & Pontificem Summum specialiter spectat iudicium ferre de reuelationibus, veræ ne sint an falsæ, & postquam tanquã veræ ab Ecclesia fuerint approbatæ, statuere, & stricte iubere atque determinare, vt à fidelibus omnibus pro talibus habeantur, venerentur & recipiantur. Cum igitur circa prædictum Immaculatæ Conceptionis mysterium tot ac tantæ extent reuelationes, & earũ quamplurimæ disquisitione magna iam Ecclesiam sint approbatæ & confirmatæ, de quibus diximus supra in quæstione 23. ad eandem (vt videtur) spectat Ecclesiam, mysterium prædictum etiam approbando & cõfirmãdo, statuere atque determinare & stricte præcipere vt ab omnibus tanquam de fide, aut saltim fidei proximum habeatur. Et quod dictum est de reuelationibus prædictis, intelligi etiam debet de miraculis: nam cum tot ac tanta etiam in mysterij huius comprobationem fuerint patrata, quammaxima fidelitate digna, quæ referũtur in historijs, & libris ab Ecclesia receptis & approbatis (de quibus similiter dictum est supra in quæstione 22) ad eandem spectare videtur, efficere vt à fidelibus minime cõtemnãtur, & ministeriũ prædictum diffiniendo & determinando, præcipere vt ab omnibus summa reuerentia & veneratione habeantur. Spectat præterea ad eandẽ sedem Summorum Pontificum constitutiones, & præsertim sacrorũ Conciliorum decreta diffinitiue explicare & declarare, similiter & Sanctorum antiquorum Patrum auctoritates & doctrinam, quorum multi atque quamplurimi, non clare & distincte, sed nimia cum obscuritate de mysterio prædicto sunt loquuti, verba facientes quidem generaliter, & non particulariter, neque exprimentes an ab eiusmodi generalibus regulis Virgo sacra sit excipienda, ob quammaximam suam Matris filij Dei dignitatem: cumque circa hæc & his similia tot ac tantæ versentur Doctorũ iuniorũ opiniones & explicationes, quibusdam affirmantibus, alijs vero negantibus: vt his litibus, controuersijs, & contentionibus in totum apponatur finis, multorũ grauissimorum virorũ iudicio expedire videtur quammaxime, vt S. D. N. supre-

suprema sua auctoritate controuersiam prædictam, postquam (vt dictum atque probatum est) ex se res est diffinibilis, & quæ optime diffiniri potest atque determinari, id ipsum facere dignaretur, pro maxima sua clementia & pietate, in quo & Deo & sanctissimæ suæ Matri (vt pie creditur) rem gratissimam faciet.

Tertia Conclusio.

Si Sanctissimo D N placuerit controuersiam prædictam diffinire atq; determinare, haud quidem rē nouā siue inusitatam faciet, quinvero multis iam retro sæculis visitatā ac tanto Patre dignam.

SI Sanctissimo Domino nostro placuerit, controuersiam prædictam diffinire & determinare; haudquaquam quidem rem nouā siue inusitatam faciet: quinvero multis iam retro sæculis visitatam ac tanto Patre dignam. Hæc conclusio iam satis constat ex supradictis in tertia probatione ad primam præcedentem Conclusionem, vbi diximus de aliquibus difficultatibus, quæstionibus & controuersijs, quas diuersis temporibus Ecclesia nostra sancta diffiniuit & determinauit, qualis fuit quæstio de habitibus infusis, de canonica aliquorum librorum Sacræ Scripturæ auctoritate; de sacræ Virginis ex vteto sine originali peccato natiuitate: de eiusdē carentia ab omni peccato actuali (etiam veniali) de sancta ipsius Resurrectione, & in corpore simul & anima ad cœlos vsque gloriosa Assumptione. Sed præterea in id ipsum aliqua alia adduci possunt exempla, nam cum longa atque importuna olim inter fideles facta fuisset cōcertatio, an Virgo sacra vere realiter & proprie dici deberet mater Dei, an vero solius hominis, qui est Deus: propter rationes quamplurimas hinc inde adductas, hæc veritas in Concilio Ephesino I. cap. 1. & capit. 13. diffinita atque determinata est, & Virginem eandem pro eo quod esset vera Filij Dei Mater *Theotocon*, id est *Deigenitricem*, ab omnibus debere nuncupari. Quod idem diffinitum est in Concilio Generali, cap. 6. & in sexta Synodo generali actio 11. & in symbolo fidei. Item cum etiam in Ecclesia olim magna fuisset concertatio inter Doctores Græcos & Latinos, an Spiritus Sanctus vere procederet à Patre simul & Filio, an vero solummodo à Patre: & ex parte Græcorum ad suam sententiam & opinionem comprobandam, nonnulla adducerentur Euangelij testimonia, quibus nulla prorsus facta mentione de Filio, idem Spiritus à Patre dicebatur procedere: quale est illud Ioan. 15. *Spiritus qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*: his nihilominus non obstantibus, in Concilio Florentino Sessione 6. & in septima Synodo Generali, quæ fuit secunda Nicena, actione septima, in symbolo fidei diffinitum atque determinatum est, prædictum Spiritum Sanctum à Patre Filioque procedere, quod etiam habetur in symbolo Athanasij, & in cap. *firmiter de summa Trinitate & fide Catholica*: & sæpe alibi: Id cum ita sit, non igitur erit nouum, seu res in Ecclesia hactenus non vsitata, si S. D. N. pro sua pietate & clementia controuer-

siam etiam prædictam, ad tot iam dicta vitanda scandala dignatus fuerit diffinire atque determinare. Et vt ad particularia descendamus, vellim paucis ostendere (vt videtur) haudquaquam legitimam esse rationem & causam ob quam non id ipsum debeat facere, cum simile exemplum pra manibus habeamus. Videmus etenim in Scriptura sacra duas esse auctoritates, vnam ob quam dicunt aduersarij Virginem sacram peccatum originale contraxisse, pro eo quod teste Diuo Paulo ad Roman. 5. omnes in vniuersum homines, ab Adam per rationem seminalem descendentes, in eodem peccauerunt, & ex ipso illud contraxerunt: alteram qua dicitur non minori quidem generalitate, aut verborum ponderositate, omnem hominem in originali peccato conceptum, in tota vita sua haudquaquam posse omnia peccata vitare (etiam venialia) nisi ex speciali Dei priuilegio adiubetur. Tale est illud quod habetur Ecclesiastes 7. *Non est homo iustus in terra, non est qui faciat bonum & non peccet.* Quod quidem generale axioma Diuus Augustinus lib. 4. contra Iulianũ capite nono, vsque adeo voluit extendere, vt dixerit quod si Christus Dominus in Conceptione sua peccatum originale habuisset, grandior effectus haudquaquam caruisset aliquo actuali. His præmissis conficio ego eiusmodi discursum. Ecce duo sacræ Scripturæ testimonia æqualiter generalia & vniuersalia, & quæ de lege communi ordinaria loquendo, in omnibus ex Adam per rationem seminalem descendentibus, absque delectu & discrimine verificantur. Quo prædicto vltimo testimonio non obstante, Ecclesia nostra sancta Spiritu Sancto edocta, in Concilio Tridentino sessione 6. canone 23. sufficientibus fundamentis, & rationibus inducta, diffiniuit atque determinauit Virginem sacram ex speciali Dei priuilegio in vita sua omnia peccata (etiam venialia) vitasse si igitur id ita est, cur non & similibus fundamẽtis & rationibus mota, diffinire atque determinare etiam poterit, originale peccatum eãdem minime contraxisse? Quænam maior ratio aut repugnantia reperitur, in vno quam in altero? aut ex quo sacræ Scripturæ testimonio magis constat habuisse illam speciale Dei priuilegium ad non peccandum actualiter, quam ad non peccandum originaliter? Consideretur (obsecro) vis & efficacia huius fortissimi argumenti, nam certe ego nullam rationem differentiæ inuenio, ob quam non id etiam optime diffiniri & determinari possit.

Respondetur ad argumenta adducta pro opinione Magistri Cano.

Solummodo superest respondere ad argumenta in principio quæstionis adducta, pro opinione Magistri Cano, & aliorum qui ipsum sequuntur.

Ad primum.

Et ad primum respondetur, negando illud quod pro certo tenet prædictus Cano, nempe quæstionem & controuersiam prædictam non esse diffinibilem, neque ad fidem spectare: vtrumque enim esse falsum satis clare constat ex dictis in prima & secunda probatione

ad primam præcedentem conclusionem. Atque etiam falsum est id quod dicit, vnanimem Sanctorum Patrum consensum pro sua esse sententia & opinione: vt enim latissime ostendimus in quæstione 18. pia nostra sententia qua dicimus Virginem sacram ab originali peccato fuisse præseruatam, quam maxime consona est sententijs, & communi modo loquendi Sanctorum Patrũ, neque vero ex eo quod Pontifices Summi hactenus hanc controuersiam diffinire & determinare non voluerint, colligi vllo modo potest, eandem ad fidem nõ spectare, cum oppositum ex dictis satis constet. Sed si id ipsum non fecerũt hucusque, nec mouit illos Deus ad huius veritatis diffinitionem: in diuinum referendum est iudicium, & forsan factum est quia pro illo tempore non satis expediens id ipsum facere diiudicarunt, quamvis ad illud faciendum haudquaquam sufficiens defuerit fundamẽtum. Nec nouam nos reuelationem expectamus (vt placet prædicto Cano) cui inniti debeat præsentis dogmatis diffinitio, cum satis sufficiant antiquæ iam factæ, & quamplura simul miracula (de quibus iam diximus in quæstione 22. & 23.) preter alia quæ statim in sequenti quæstione dicemus adesse, quæ controuersiam hanc faciunt etiam diffinibilem & determinabilem, atque ad diffinitionem dispositam.

Ad secundum argumentum, quando dicit Cano Ecclesiam hactenus, declarando prædictarum sententiarum vtramque esse probabilem, diffinijsse proinde neutram esse de fide: cui suæ diffinitioni iam factæ haudquaquam potest contraire siue contrarium diffinire: dico quammaxime in hoc eundem fuisse deceptum: nam de hac quæstione & controuersia (vt satis constat ex omnibus supradictorum Pontificum constitutionibus) Ecclesia hactenus nihil diffiniuit aut determinauit, sed solummodo præcepit & mandauit, vt interim quod Sedes Apostolica aliquid certo diffiniret, nullus alterutram sententiam condemnaret, aut illam hæreticam esse diceret; quod longe diuersum est ab eo quod dicit Magister Cano. Nam eiusmodi verbis Pontifices Summi potius insinuarunt hanc quæstionem & controuersiam esse materiam diffinibilem, & ostium ad diffinitionem illius futuram aperuerunt, quam vt vllo modo ostendere diffinire aut determinare voluerint contrarium, quæ pro hac quæstione dicta sufficiant.

QVÆST.

QVÆST. XXVIII.

Ex suppositione quod controuersia hæc foret derimenda, quanam sententiarum prædictarum videatur diffinienda atque determinanda?

Sententia Caietani.

HAC etiam de re est specialis opinio & sententia Caietani secundo tomo opusculorum, opusculo 1. de Conceptione cap. 5. asserentis, quod si ex dictis duabus sententijs oppositis aliqua foret diffinienda, illa est diffinienda atque determinanda, quæ docet Virginem sacram originale peccatum contraxisse. Idem dicit Medina 3. p. quæst. 27. art. 2. conclus. 2. §. *sed circa hanc conclusionem*, vbi & addit, sententiam quę eam ab originali peccato liberat nunquam diffiniri posse de fide, pro quo citat Caietanum loco vbi supra: quamvis revera Caietanus id explicite non dicat, sed solummodo quod si ad diffinitionem veniatur, sua sententia erit diffinienda, quia (inquit) requiescit in sinu Sanctorum & priscorum Doctorum, in quorum sinu non est cur error timeatur. Eandem sententiam tenet Bandellus, & omnes communiter Thomistæ, qui & fundantur in sequentibus rationibus.

Primum argumentum.

Primò, quia sententia quæ Virginem sacram ab originali peccato liberat, nullas pro se habet scripturas authenticas: nulla Sanctorum Patrum testimonia: nullas antiquas reuelationes: sed sic est quod Ecclesia in rebus fidei diffiniendis, non nisi prædictis tribus instrumentis vtitur: ergo huiusmodi sententia nullo modo diffiniri potest.

Secundum argumentum.

Secundò argumentatur ad idem. Nam sancti antiquæ Ecclesiæ Patres nullo modo possunt vnanimi consensu in aliquam sentẽtiam conuenire, quæ à parte rei sit contraria fidei: sed omnes prædicti Patres conueniunt in hoc, quod Virgo sacra fuit in originali peccato concepta: ergo sentẽtia quæ eandem à peccato prædicto liberat, nullo potest modo diffiniri, aut determinari de fide. Consequentia (inquiunt) inde patet. Nam Ecclesia eiusmodi sententiam diffiniendo aut determinando, consequenter omnes antiquos Ecclesiæ Patres condemnaret, quod fieri non potest.

Tertium argumentum.

Tertiò argumentantur ad idem. Quia (inquiunt) ad eiusmodi diffinitionem faciendam, nullo modo sufficit communis orbis consensus: nam eo nihilominus non obstante, Sixtus Quartus etsi prædictæ sententiæ quammaxime fuerit affectus, non tamen illam determinare voluit, nec Concilium Tridentinum, neque aliquis ex Pōtificis-

tificibus qui post prædictum Sixtum Quartum successerunt. Non igitur eiusmodi sententia est diffinibilis aut determinabilis, seu quæ diffiniri aut determinari debeat, etiamsi ad diffinitionem huius controuersiæ deueniatur. Hæc sunt argumenta quæ pro hac parte adducuntur.

Sed his nihilominus non obstantibus, contrarium omninò est à nobis dicendum & tenendum. Sed prius aliqua fundamenta sunt præmittenda, ex quibus dicendorum veritas constabit quammaxime.

Primum notabile.

Ex sacra Scriptura auctoritatibus hac cōtrouersia, nec pro vna, nec pro altera parte potest diffiniri aut determinari, etiam si in sensu literali adducantur, quia loquuntur in vniuersali.

Primo præmitto, quod difficultas præsentis quæstionis decidi, diffiniri & determinari non potest, ex Sacræ Scripturæ locis præcisse, quamvis aliqua (quin vero & plurima habeantur) quibus generaliter & vniuersaliter dicitur: omnes ex Adam naturali propagatione, & per rationem seminalem descendentes, peccatum contrahere originale, nullius prorsus exceptione facta à prædicta generali regula. Etenim si Christus Dominus non illud contraxit, ex eo proculdubio fuit, quia non naturali modo prædicto, nec per seminalem rationem, sed virtute Spiritus Sancti fuit conceptus, iuxta illud Lucæ 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrauit tibi.* Quamvis (inquam) id ita sit, ex eiusmodi tamen testimonijs præcise (vt præmissum est) difficultas præsentis quæstionis haudquaquā potest diffiniri, determinari, aut decidi, quia vt latissime est dictum à nobis supra, in quæstione 14. & 16. eiusmodi testimonia non intelligenda sunt de vniuersitate Logica, quæ nullam prorsus exceptionem patitur, sed vel de vniuersitate morali, quæ aliquam seu aliquas exceptiones admittit, aut vero potius de vniuersitate legali, quæ Principis specialia priuilegia non excludit. Quo fit vt quamvis in Scriptura Sacra habeatur expresse, omnes ex Adā prædicto modo descendentes peccatum contrahere originale, ex hoc contra Virginem sacram haudquaquam potest aliquod efficax ac firmum argumentum desumi, ad probandum contraxisse peccatum originale, quia eadem Scriptura sacra non negat prædictum præseruationis priuilegium, datum siue concessum fuisse eidem sacræ Virgini. Atque ita ex hoc saltim capite non est illud sibi denegandum, si in id ipsum aliunde aliqua reperiatur cohuincens ratio & sufficiens fundamentum: quod quammaxime est notandum, ac memoriæ commendandum. Quod præsertim verum habet, cum Concilium Tridentinum Sessione 5. decreto de peccato originali capite vltimo, facultatem omnibus fecerit, interpretandi & declarandi omnia eiusmodi sacræ Scripturæ testimonia, similiter & concilia sacra hac de re loquentia in fauorem Virginis, quando dixit & declarauit, non suæ fuisse intentionis in dicto decreto vbi de peccato originali agitur, Beatam & Immaculatam Virginē Mariam Deigenitricem comprehendere, sed obseruandas esse constitutiones Sixti Quarti. Qui etiam Sixtus Quartus satis id ipsum insinua-

sinuauit, diffiniendo non esse contra fidem dicere Virginem sacram sine originali peccato fuisse conceptam. Ex quibus verbis sic colligo argumentum. Si id non est contra fidem, ergo neque contra sacram Scripturam. Bene valet consequentia: nam si esset contra Scripturam, etiam esset & contra fidem, & consequenter ex generalibus prædictis locutionibus sacræ Scripturæ præcise, nullum efficax aut infallibile argumentum potest desumi, ad difficultatem quæstionis præsentis decidendam, diffiniendam atque determinandam. Quod & probatur præterea, quia tam generales sunt locutiones illæ quæ in eadem sacra Scriptura habentur de actuali peccato, 2. Paralipom. 6. & Ecclesiastes 7. non est homo qui non peccet, & Iacob 3. in multis offendimus omnes: quam sit generale illud D. Pauli axioma ad Roman. 5. omnes in Adam peccauerunt: sed in illis generalibus loquutionibus non excluditur sacræ Virginis priuilegium quo iuxta Concilium Tridentinum supradictum, præseruata fuit ab actuali peccato: ergo neque in prædicto Diui Pauli testimonio excluditur, quin etiã ab originali potuerit præseruari, si in id (vt dixi) adsit aliqua conuincens ratio, & sufficiẽs fundamentum. Hoc (inquam) notabile quammaxima est consideratione dignum, & deseruit multum pro hac materia.

Secundum notabile. Multo minus hac controuersia diffiniri & determinari potest, ex illis sacræ Scripturæ auctoritatibus quæ afferuntur in sensu spirituali, mystico, siue accomodatitio

Secundo præmitto, quod multo minus difficultas presentis quæstionis decidi, diffiniri siue determinari potest, ex sacræ Scripturæ locis adductis in sensu spirituali, mystico siue accomodatitio: nam quãuis supposito prædicto sensu, explicatione & accomodatione Ecclesiæ, eiusmodi loca multũ conferant ad quamlibet veritatẽ confirmandã & cõprobandam, vt tamen inquit D. Dionysius in Epistola ad Titum, & Diuus Augustinus contra Vincentium Donatistam, non ex eis efficax desumi potest argumentum, ad diffiniendum & determinandum aliquid esse de fide: ad id enim necessum est vt eiusmodi loca adducantur secundum literalem sensum: & quod iuxta communem Sanctorum Patrum doctrinam, & expositionem de re proqua adducuntur, expresse & aperte, & in particulari intelligantur & verificentur. Quod dixerim propter quamplura eiusmodi loca, quæ in prædicto spirituali, mystico, siue accomodatitio sensu, à me adducta sunt in quæstione 16. Nam quamuis multũ ea (vt dixi) conferant supposito prędicto sensu, explicatione, siue accomodatione Ecclesię, ad piam nostrã sententiã comprobandã & confirmandã, & ad ostendendum & monstrandum, quod dicere Virginem sacram ab originali peccato fuisse præseruatam, sacris litteris non repugnet, cum verò eisdem magis sit consonum, quam oppositum: haud quaquam tamen intendimus nos, quod ex ipsis efficax desumi possit argumentum, ad difficultatem quæstionis præsentis decidendam, diffiniendã atque determinandam.

Tertio

Tertio præmitto, quod neque etiam difficultas præsentis quæstionis pro vna aut pro altera parte, decidi, diffiniri siue determinari potest, ex dictis & testimonijs Sanctorum veterum & antiquorum Patrum, neque ex eis in id ipsum efficax potest argumentū summi. Nam quamvis communis & concors veterum sanctorum Patrū sententia, in rebus fidei siue ad fidem spectantibus, quammaximi sit ponderis atque momenti, & (vt quibusdam placet) infallibilem tribuat certitudinem, quod tenet Vincentius Lyrin in libro contra prophanas nouitates, Thomas Vvaldens. lib. 2. doctrinalis fidei cap. 22. & 23. Cano lib. 7. de locis Theologic. cap. 3. conclus. 6. & lib. 11. capite etiam 3. conclus. 3. Valentia 3. tomo disput. 1. quæst. 1. puncto 7. §. 45. Bellarmin. lib. 4. de Verbo Dei cap. 9. in 4. regula, & lib. 2. de Christo cap. 2. §. *ad secundum respondent*: qui omnes tenent, quod sancti in his quæ ad fidem pertinent errare minime possunt: id tamen intelligendum est, quando prædicti Sancti Patres, & antiqui Doctores, in his quæ ad fidem pertinent vnanimi consensu in rem aliquam conueniūt atque conspirant, & de ea aperte, clare, dilucideque loquuntur, & frequenter & perseueranter: tunc enim prædictus perpetuus vnanimis & expressus Sanctorum omnium Patrum consensus, argumentum est euidentissimum atque efficacissimum, id quod dicunt veritatem esse quam Spiritus Sanctus, qui est spiritus veritatis, illos docuit, & Ecclesiæ manifestandam tradidit. Secus est autem quando prædicti Patres, non vnanimi consensu rem aliquam dicunt, neque in ipsam conueniunt siue conspirant: quinvero est inter ipsos vel ipsorum aliquos, aliqualis differentia & controuersia, siue id quod dicunt non aperte, clare, & dilucide loquuntur: sed subobscure & confusse, aut si non id dicunt frequenter, constanter atque perseueranter, aut nōn ex professo, ex certo & deliberate (vti par erat) illud examinarunt. In quibus omnibus prædictis casibus conueniūt DD. supradicti: quinvero & omnes, quod Sanctorū Patrum auctoritates (etiam in rebus ad fidem pertinentibus & spectantibus) non infallibile faciunt argumentum, ad hoc vt illa pars pro qua adducuntur & citantur, tenenda sit de fide, donec Ecclesia in illa controuersia suum interponat iudicium, & de re illa diffinitionem, & determinationem faciat. Ex quibus constabit plane, quam grauiter deceptus fuerit Caietanus, similiter & omnes communiter Doctores Thomistæ, illi præsertim qui ante supradictam Constitutionem Sixti Quarti, dicere non erubuerūt, ex prædicto communi Sanctorum Patrum consensu, sententiam & opinionem suam tenendam esse de fide, nostram vero illi contrariā, tanquam hæreticam procul reijciendam, nulloque modo posse diffiniri de fide. Nam præter quam quod hoc nos illis negamus, nempe in sententiam & opinionem suam prædictam, Sanctorum Patrum consensum conspirare & conuenire: quinvero in nostram id ipsum

Tertium notabile.

Non etiam potest diffiniri pro vna nec pro altera parte hac controuersia ex Sanctorum antiquorum Patrū testimonijs.

potius facere dicimus, vt satis constat ex his quæ latissime habentur in quæstione 18. vbi totae tantas Sanctorum Patrum sententias in nostræ comprobationē, & confirmationem adduximus: casu tamē negato (non vero concesso) quāvis nos hoc illis daremus, adhuc (vt prædictum est) ex eiusmodi communi consensu, haudquaquam posset aliquod efficax ac firmū argumentum desumi, ad difficultatem hanc decidendam, diffiniendam, atque determinandam: cum eiusmodi Sanctorum Patrum consensus non fuerit vnanimis: quinvero hac in re quammaxime fuerint discordes, varij & diuersi, & si qui determinate aliquid dixerunt, non id quidem fuit clare, aperte & dilucide; sed obscure, confuse, & inuolute nimis: adeò vt de illorum mente & sententia vix constet, & inter nos sit controuersia (neque minima: quinvero quammaxima) pro qua prędictarum sententiarum debeant adduci: & alij præterea non rem hanc ex professo tractauerunt, ne in ea expendenda ita exacte & elaborate (vti par erat) egesserunt, aut tandem non constanter & perseueranter in sua sententia, & opinione permanserunt. Propter quas omnes rationes & causas (vt in huius notabilis initio præmissum est) ex prædictorum Sanctorum antiquorum Patrum dictis, nec pro vna, nec pro altera huius difficultatis parte, efficax ac firmum desumi potest argumentum, seu potius infallibile, ad eandam decidendam, diffiniendam atque determinandam.

Quartum notabile.

Non etiā in hac controuersia pro vna, aut pro altera parte diffiniri sine determinari potest, ex Doctorum Scholasticorum auctoritatibus.

Quarto præmitto, quod neque etiam ex auctoritate Theologorum Scholasticorum, tàm antiquorum quàm recentiorum, qui hac de re egerunt & scripserunt: pro vna nec pro altera parte efficax ac firmum desumi potest argumentum, ad difficultatem prædictam decidendam, diffiniendam & determinandam, donec ea super re sanctæ Romanæ Ecclesiæ accedat & interponatur iudicium. Pro cuius rei intelligentia, & vt incidenter de auctoritate sanctorum supradictorum Patrum, & Doctorum Scholasticorum aliquid dicamus, aduertendum quammaxime est, ab Ecclesiæ nascentis exordio semper in ea fuisse viros pios, sanctos, sapientes & doctos, à scientiæ suæ obiecto dictos Theologos, qui de rebus diuinis agerent, disputarent, & disceptarent, nec non pro loco & tempore diiudicarent (Theologia enim idem omninò pollet ac scientia de Deo.) Quorum Sanctorum Patrum, & Doctorum Theologorum, factam fuisse Ecclesiæ diuinam promissionem, & quod ad eiusdem ædificationem (vt ne circumferretur omni vento, & alicuius prauæ doctrinæ detineretur errore) perpetua successione in finem vsque mundi erant duraturi, Catholica fides docet, idque ipsum credere quammaxime est consonum rationi: cum Deus Optimus Maximus, haudquaquam deficiat in rebus necessarijs ad Ecclesiæ suæ sanctæ gubernationem .. De qua prædicta promissione & eiusdem adimpletione, intelligenda sunt verba illa D. Pauli ad Ephesios 4. vbi de Ecclesia eadem & Christo Domino loquendo,

quendo dixit. *Qui descendit, ipse est & qui ascendit supra omnes Cælos, vt adimpleret omnia.* Post quæ subdit. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, vt non iam simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, & in astutia ad circumuentionem erroris, &c.* Sed aduertendum est, quod omnes supradicti Ecclesiæ sanctæ Patres & Doctores, in duplici sunt differentia: nam qui successerunt Apostolis (quales sunt Episcopi) instituti sunt vt res fidei (necdum docerent) verum etiã diffinirent atque determinarent, cum legitime fuissent congregati, facta prius diligenti inquisitione, & expensis medijs necessarijs, ponderatis & examinatis scripturis, & alijs fidei regulis. His enim ratione suæ ordinationis, data est potestas & clauis scientiæ ad sacram Scripturam interpretandam & declarandam, & ad diffinienda atque determinanda ea quæ ad fidem pertinent. Alij vero sunt Doctores in Ecclesia instituti & constituti (nõ quidem ad res fidei diffiniendas siue determinandas) sed ad easdẽ inuestigandas, inquirendas & discutiendas; & illustranda & explicanda innumera dubia quæ quotidie emergunt: qui iure optimo Doctores Scholastici dicuntur, ab officio & loco in quo versantur, quia nempe vt plurimũ sunt in scholis. Quod & fuisse factum atque ordinatum, & vt nunquam in Ecclesia deessent, quammaxime ad diuinam spectabat prouidentiam. Nam cum teste Diuo Augustino, epistola 119. cap. 1. & Hireneo lib. 2. cap. 49. ex prædictis Episcopis, nõ omnes (vti par erat) tanta semper Theologiæ scientia & sapientia polleant; quinvero vt plurimum de scripturis sanctis plus ignorent quam sciant: prouidentissimus Deus Optimus Maximus, qui in sua dispositione non fallitur, & (vt dixi) in necessarijs rebus nunquam defecit, & in Ecclesia sua sancta semper voluit omnia esse perfecta, ac ratione quammaxima ordinata & regulata, statuit atque decreuit, vt in eadem semper essent Doctores Theologi Scholastici prædicti, quorum opera, labore & industria, in rebus fidei diffiniendis & determinandis, tenentur ijdem Episcopi, postquam (vt præmissum est) non id ipsum faciẽdum est prolibito, quinvero multis atque innumeris præuijs dispositionibus, inquisitionibus, disceptationibus habitis, ad quæ prædicta munia, & diuinarum rerum inquisitionem & inuestigationem, prædicti Scholastici Doctores Theologi necessarij fuerunt & sunt in Ecclesia præcise. Quo præmisso atque præsupposito, dicimus modo in presenti notabili, quod neque etiam ex dictis & auctoritatibus prædictorum Theologorum Scholasticorum, tàm antiquorum quàm recentiorum, qui hac de re egerunt & scripserunt (quamvis alias quammaxime sint poderis atque

Nota hoc valde.

momenti, pro vna nec pro altera huius difficultatis parte, ad eandem decidendã, diffiniendam & determinandam, efficax siue firmum potest argumentũ desummi: donec super hac re Romanæ Ecclesiæ iudicium accedat & interponatur. Cuius ratio est eadem quę in præcedenti notabili adducta est; quia nempe non est par siue vnanimis eorundem consensus, sed multi quammaxime sunt inter se diuisi: alij vero non ita clare, aperte & dilucide loquuntur, sed satis obscure & confuse. Alij tandem in eo quod dixerunt, non constanter ac firmiter perseuerauerunt, quinvero (vt de quibusdam dicitur) pallinodiã recantarunt, & dicta sua postea retractauerunt: vt satis constat ex his quæ in quæstione 19. à nobis sunt dicta.

Quintum notabile.

Quamvis Ecclesia modo nouas fidei assertiones edere nõ possit, potest tamen antiquas de nouo explicare interpretari & declarare, quinvero diffinire & determinare.

Quinto præmitto, quod quamvis Ecclesia modo nouas fidei assertiones edere minime possit: potest tamen nihilominus de nouo explicare, interpretari & declarare: quinvero diffinire atque determinare aliqua esse de fide: quæ licet à parte rei semper fuerint de fide (nam veritas semper est eadem) nondum tamen constabat esse de fide. Qua quidem ratione inuenimus in libris multa (quinverò quamplurima) ab Ecclesia diffinita, quę licet antea à parte rei essent de fide, ignorabatur tamẽ id ita esse, & aliquando ab Apostolis tradita vt tenenda de fide. Ad quod quidem propositum facit quammaxime, id quod dicit Tertullianus lib. de velandis Virginibus, nempe: *Tempus augere sapientiam, etiam Ecclesia Christi: & Spiritum Sanctum omnibus saeculis aliam, & aliam doctrinæ lucem successiue patefacere, vt manente semper eadem numero fide, in cognitione veritatis, sicut & in reliquis virtutibus paulatim proficiamus.* Facit & ad idem quod dicit Diuus Hieronimus in Prologo super Euangelia, quod incipit *plures fuisse*; vbi de eadem Ecclesia loquendo inquit, quod Ecclesiam introduxit Rex in cubiculum suũ, ad quam per foramen descensionis occulte manum suã mittit: & ideò comparatur Auroræ surgenti (id est procedẽti) quia scilicet successu temporis diuinitus illustratur. Quod etiam confirmat sententia D. Gregorij lib. 2. in Ezech. hom. 26. vbi cummulatissime atque elegantissime hac de re loquitur, dum dicit Patrum spiritualem scientiam per incrementa temporis crescere, & Spiritum Sanctum aliquas veritates posterioribus reuelare, quas antiquioribus non reuelauit. Pro quo adducit illud Danielis 12. vbi dicit: *Plurimi pertransibunt anni & multiplex erit scientia.* Ac tandem concludendo dicit, quod quanto mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis æternæ sapientiæ aditus largius aperitur. Hanc etiam doctrinam & veritatem confirmant multa, quæ Patribus olim, vel omninò fuerunt ignota, aut valde obscura, nec satis cognita & euoluta, quam ob causam (vt apparet) in illis caligauerunt, & varia scripserunt atque dixerunt. quæ posterioribus per temporum incrementa, illis diligentius excussis & expeditis, non solum fuerunt certa & indubitata, verum etiam & de fide

ab

ab Ecclesia diffinita; vt constat de processione Spiritus Sancti à Patre & Filio: de non rebaptizandis hæreticis: de purgatorio: de sola pœna damni puerorum, sine baptismo decedentium in Limbo: de origiginali peccato; de animabus simul creatis ab initio mundi, & non immissis per traducem, & alijs quorum exempla cum plura alia possem adducere, breuitatis gratia facio missa, quia apud omnes sunt peruia. In quarum prædictarum veritatum diffinitione & determinatione, certissimum est & omni dubio procul, quod Pontifices Summi cum consilio procedendo errare non potuerunt, cum Spiritus Sancti assistentiam habuissent, vt latius dicemus in sequenti quæstione.

Sextum notabile.

In quibus casibus DD. nostræ Eccles. æ iunioris ab antiquis Patribus semioris Ecclesiæ possint dissedere.

Sexto & vltimo præmitto, quod quamuis DD. Theologi nostræ iunioris Ecclesiæ, à Patribus Ecclesiæ Senioris dissentire non possint aut debeant, quando in doctrina ad fidem pertinente omnes vnanimiter conueniunt, & clare & distincte, aperte & dilucide (idem omninò dicunt, & constanter ac firmiter in sua sententia perseuerant) attamen quando id non ita fit, seu res non ab eis est ita exacte atque elaborate discussa; fieri optime potest, vt re diligentius ac penitius considerata, posteriores non solum communiori calculo, verum etiam & vno ore, à veteribus dissentiant. Cuius quidem ratio est iam pluries dicta, nam quando veteres Patres in aliqua doctrina modo superius dicto vnanimiter conueniunt; credendum proculdubiò est, quod huiusmodi doctrina ad fidem pertineat, & ab Spiritu Sancto eisdem sit inspirata, vt toti Ecclesiæ reueletur: & cum vna sit omnium omninò fides, fieri minime potest vt Doctores iuniores in eadem doctrina à Senioribus dissentiant, cum (vt supponitur & satis constat ex supradictis) nec isti nec illi, debite procedendo & vnanimiter conueniendo, errare possint. Attamen quando veteres Patres, non vnanimiter conuenerunt & consenserunt, in doctrina aliqua ad fidem pertinente, seu non satis clare, aperte & dilucide idem vno ore dixerunt, aut non constanter & firmiter in sua sententia perseuerauerunt: cum eiusmodi res ex veterum Patrum consensu nondum infallibilitatem habeat, neque illam vnquam habuerit (Deo illis veritatem illam adhuc non reuelante) poterit proculdubio Deus eandem iunioribus reuelare: cuiusquidem euidentissimum erit signum & inditium, si illos in eadem doctrina afferenda, docenda & proponenda, vnanimes & concordes effecerit. Quæ communis est omnium Doctorum sententia & resolutio, inter explicandum quomodo & quando DD. Ecclesiæ iunioris, à Patribus veteribus possint discordare & dissentire. Qua de re videatur Caietan. 2. 2. quæst. 1. art 7. & Cordu. lib 1. sui Quæstionarij quæst. 44. in solutione ad tertium argumentũ. contra 6. conclusionem, §. *alio modo.* In quo quidem casu addunt & dicunt Doctores prædicti, quod quando Patres veteres, non communi sensu inter aliquam conueniunt, & aliquibus contradicentibus aliquid do-

centi,

cent, si iuniores Theologi concorditer & perseueranter contra veteres conueniant, iuniorum potius iudicio quam Seniorum, & antiquorum erit standum: quod multum est notandum & memoriæ commendandũ. Qua de re videatur Gerson quarta parte, sermone de Assumptione Virg. considerat. Secunda, & Canisius lib. 1. de Maria Deipara cap. 7. §. 67. & lib. 4. cap. vltimo in principio, & Caietanus & Corduua vbi supra. Et dicit supradictus Gerson, quod in explicandis fidei rebus, Ecclesia iunior eandem omninò habet potestatem cum Ecclesia antiquiori, quamvis Episcopi ex quibus constat, non ea forte sanctitate vigeant, & quod hoc nemo nisi hæreticus potest negare. Attamẽ (inquit) cum ad diffiniendũ ea dubia quæ de nouo excitantur, Theologorum opera, industria & labore indigeat Ecclesia prædicta, sicuti Episcopi Ecclesiæ iunioris, æqualem cum Episcopis antiquioris Ecclesiæ diffiniendi potestatem habent: ita & Theologi eiusdem Ecclesiæ iunioris, æqualem etiam cum senioribus Patribus habent potestatem ad explicanda & declaranda dubia, quæ pro tempore sese obtulerint. Quo etiam fit quod sicut Patres Ecclesiæ senioris in his quæ ad fidem pertinent errare non poterant, quando vno ore, concordi animo atque consensu, clare, distinctè & perseueranter in doctrinam aliquam conueniebant, ita & Doctores Ecclesiæ iunioris (si in materia aliqua ad fidem spectante simili modo consentiant) errare haudquaquam poterunt. Secus est autem si inter se dissentiant, aut non clare, distinctè & dilucide, firmiter & perseueranter in doctrina eadem conueniant (vt dictum est) nam tunc ex eorundem auctoritate, certũ & infallibile argumentum desumi non potest, antequam Ecclesiæ auctoritas siue diffinitio accedat. Quę supra dicta omnia confirmantur: nam multa (quinvero & quamplurima) apud veteres Patres etiam cõmuniori calculo (non tamen concordi consensu & animo) fuerunt recepta, quæ modo iunioribus in oppositum vnanimiter & perseuerãnter se se illis obijcientibus, absque vllo Ecclesiæ iudicio veritatem diffiniente, tanquam erronea apud omnes habentur. Nam veteres olim Patres communiori sententia in Angelis tenuissima quædam admisserũt corpora, quod quidem modo propter iuniorum Theologorum iudicium vnanime in oppositum, erroneum esse iam diiudicatur. Quod idem reperitur in quampluribus alijs controuersijs, & quæstionibus de quibus dixi supra, quas breuitatis causa omitto. Ex quibus omnibus colligitur, quod non obstante veterum Theologorum iudicio (etiamsi illud daretur, quod non admittitur) si modo omnes iuniores Theologi concordi animo & perseueranti consensu, in piam nostram sententiam conuenirent, infallibilis redderetur in fide, & vt talis posset determinari & diffiniri. Nam cum veteres olim Patres & Doctores Theologi, neque concordi animo, neq; vnanimi perseuerante consensu, in oppositam sententiã conuenerint

(vt ex dictis satis constat & ex dicendis cōstabit amplius) nullo modo potest dici quod materialiter & à parte rei vllo modo ea fuerit de fide (quidquid falso & absque vllo fundamento dicat Caietanus.) Si igitur id ita fuerit, quid obstabit quominus Deo sua prouidentia ita disponente, iunioris Ecclesiæ Doctoribus piæ nostræ sententiæ veritas fuerit reuelata siue reueletur, & omnes in eam vnanimes concorditer & perseueranter conueniant? quo admisso diffiniri atque determinari optime poterit de fide.

Præmissis ergo prædictis notabilibus, difficultati propositæ in hac quæstione respondetur per sequentes Conclusiones.

Prima Conclusio.

In casu quo controuersia prædicta fuerit dirimenda, nullo modo (vt videtur) potest determinari, aut diffiniri sententia, quæ asserit Virginem sacram originale peccatum contraxisse.

IN casu quo controuersia prædicta fuerit dirimenda, nullo modo (vt videtur) potest determinari aut diffiniri sententia quę asserit, Virginem sacram originale peccatum contraxisse. Hanc conclusionem constantissime tenet Ægidius loco iam pluries citato, lib. 3. q. 8. art. vnico, §. 3. num. 11. & Salazar libro etiam citato cap. 43. §. 6. vbi dicit esse omnino certum & exploratum, sententiam eorum qui asserunt Virginem sacram originale peccatum contraxisse, ad eum esse redactam statum, vt diffinitionis prorsus sit incapax. In qua etiam nostra conclusione, ex parte conueniunt Suarez secundo tomo ad tertiam partem disp. 3. sect. 6. §. *dico tamen primo*, & Vazquez secundo etiam tomo, ad eandem tertiam partem disp. 117. cap. 14. §. *hac vero primum*, num. 148. quamvis mitius hac in re loquantur, & solummodo dicant difficilius fore vt Ecclesia vnquam, iudicet & tanquam fidei dogma diffiniat, Beatam Virginem in originali peccato conceptam fuisse, facilius autem vt diffiniat eandem ab eodem fuisse præseruatā. Nos vero absolute dicimus (nostro videri) fieri nullo modo posse vt de fide diffiniatur & determinetur, sententia quæ asserit Virginē sacram originale peccatum contraxisse. Quod etiam tenet Franciscus de Pitigianis super tertium Scoti quæst. 1. art. 6. concl. 1. Probat supradictus Ægidius conclusionem prædictam multis medijs atque rationibus, quæ vt præ manibus habeantur in presentiarū eas refferre libet.

Prima ratio.

Primo, quia si uerum est (vt & suo videri verum esse credit) id quod communiter dicitur, ex grauissimo testimonio sancti Cœcilij, nempe hanc controuersiam pro sacræ Virginis immunitate à Sanctis Apostolis fuisse iam de fide diffinitam & determinatam (quamvis temporum iniuria eiusmodi diffinitio è hominum memoria deciderit) fieri (inquit) non potest vt opposita sententia aliquando diffiniatur: nam quod semel est diffinitum de fide, ita certum est, vt oppositum in se, & à parte rei semper sit falsum, nam fidei non potest sub esse falsum,

Secunda ratio. Secundò eandem prædictam conclusionem probat, quia iuxtà suam mentem atque sententiam, de quo agit prædicto in loco lib. 3. quæst.6.art.1.propositio. 4. & 5. sententia quæ sacram Virginem ab originali peccato liberat, ita simpliciter est vera, vt à parte rei nõ possit esse falsa. Quo præmisso ac præsupposito fundamento, sequentem facit discursum. Quod de fide ab Ecclesia diffinitur, infallibilem habet veritatem; & quamvis eiusmodi infallibilitas ante diffinitionem non appareat, in se tamen ita semper fuit verum, vt nunquam fuerit aut potuerit esse fallum (vt satis constat ex principijs quæ traduntur in materia fidei) ergo si sacram Virginem à peccato originali fuisse præseruatam, ita fuit verum vt nunquam potuerit esse falsum, & eam illud contraxisse ita fuit falsum, vt supposito decreto diuino nunquã potuerit esse verum: bene sequitur quod si ad diffinitionem veniendum sit, illud prius necessario sit diffiniendum, & hoc posterius non possit diffiniri.

Tertia ratio. Tertiò probat eandem conclusionẽ, ex Constitutione Sixti IIII. in Extrauaganti *Graue nimis de Reliq. & veneratione Sanctorum*: quatenus damnat vt falsam, temerariam & erroneam, assertionem quæ asserit hæreticum esse dicere Beatam Virginem originale peccatum non contraxisse; non ob aliam rationẽ nisi quia affirmat esse hæreticum id quod Romana Ecclesia celebrat, vt satis constat ex illis verbis: *Sane cum sancta Romana Ecclesia intemeratæ semperq; Virginis Mariæ Conceptionẽ solemniter celebret, nonnulli, &c.* Quibus verbis satis significat, assertionem illam de hæresi non posse aliquando damnari. Nam quomodo de hæresi poterit damnari, quod Ecclesia Romana solemni celebritate colit, cum ipsa in diuino cultu minime possit errare? Si igitur assertio illa de hæresi nunquam potest damnari, bene (inquit Ægidius) sequitur, quod opposita sententia nunquam poterit diffiniri de fide; bene tamen (subdit) poterit diffiniri de fide, quod Beata Virgo ab originali peccato fuit præseruata. Nam quando idem Sixtus Quartus prohibet de hæresi damnari, assertionem quæ asserit prædictam Beatam Virginem in peccato originali fuisse conceptam: non eam prohibet vt falsam, temerariam & erroneam in se, sed ex eo solùmmodo quia asserit esse damnatum de hæresi, quod Ecclesia nondum damnauit.

Quarta ratio. Quartò probat idem Ægidius conclusionem prædictam, sumpto argumento ex eo quo Caietanus suam opinionẽ confirmat. Quia nempe (vt constat ex Concilio Vienensi sub Clemẽte V.) quando aliqua cõtrouersia inter Theologos agitata, ab Ecclesia venit diffinienda de fide, illa proculdubio pars diffinienda est, quæ in se fuerit probabilior, & dictis Sanctorum Patrum magis consona: quia (vt inquit) Diuus Petrus 2. cap. 1. *Spiritu Sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines*, & contraria illis sententia determinari non potest de fide: sed Bea-

ſam Virginem à peccato originali fuiſſe præſeruatam (vt ex ſupradictis conſtat) eſt ſententia longe probabilior, & doctrinæ Sanctorum magis conſona: ergo ſi Eccleſia ad diffinitionem acceſſerit, illa proculdubio diffinienda erit, & contraria nullo modo poterit de fide diffiniri. Quod argumentum latiſsime proſequitur.

Et concludendo in §. 4. dicit, quod (ſuo videri) eſſet vere martyr qui pro hac ſacræ Virginis immunitate mortẽ ſubiret, quod & multis probat. Ego vero ſupra dictis omnibus argumentis, & probationibus in ſua probabilitate relictis (nam aliqua ſunt quæ examinatione indigent, id quod & à me factum eſt ſupra) pro efficaci ſupradictæ noſtræ concluſionis probatione, ſequentem hanc (meo videri) efficaciſsimam trado rationem quæ ſufficiat pro mille. *Nota valde.*

Nam ad hoc vt ſententia aliqua diffiniri & determinari poſsit de fide, ſufficit quod vel in ſacra Scriptura contineatur expreſſe, aut ſaltim ex ipſa efficaciter poſsit deduci, vel quod in eam conueniat & conſpiret vnanimis communis conſenſus Sanctorum Patrum, & Doctorum omnium Scholaſticorum, ſeu habeatur ex Eccleſiæ antiquæ traditione, aut quod in eiuſdem comprobationem vera aliqua patrata fuerint miracula, ſeu aliquæ veræ habitæ fuerint reuelationes; ſed horum nihil in prædicta ſententia concurrit: ergo nullo modo poteſt determinari aut diffiniri de fide. Conſequentia cum maiori eſt legitima, minorem autem ſic probo, diſcurrendo per ſingula. Nam quantum attinet ad ſacram Scripturam iam ſupra in primo notabili diximus, quod omnia loca & teſtimonia quæ pro hac ſententia adducuntur, in communi & generali loquuntur, & congruentiſsimas habent explicationes & declarationes, adeò vt ex ipſis ad eiuſmodi ſententiã decidẽdã, diffiniendam ſiue determinandam, haudquaquam efficax firmum & infallibile poſsit deduci argumentum. Quantum vero attinet ad antiquorum Sanctorum Patrum auctoritates, iam etiam diximus in tertio notabili, quod nec pro vna, nec pro altera huius controuerſiæ parte, ex eis efficax ac firmum argumentum, deſumi poteſt, pro eo quod prædicti Patres non vnanimi cõſenſu circa eam aliquid dicunt, neque omnes in alterutram ſententiam conueniunt, ſiue conſpirant: quinvero inter eos quammaxima eſt circa hoc controuerſia & differentia, & id quod dicunt, non aperte, clare atque dilucide loquuntur, ſed ſubobſcure & confuſſe, & multi eorum non firmiter & conſtanter in ſuis dictis perſeuerauerũt. Quod idẽ in notabili 4. diximus de auctoritatibus Theologorum Scholaſticorum, tàm antiquorum quàm recentiorum. Eccleſiæ autem antiqua traditio, nõ etiam huic ſententiæ & opinioni fauet, vt ſatis conſtat ex his quæ in quæſtione 20 latiſsime diximus. Neque in eiuſdem comprobationẽ aliqua vnquam ſunt patrata miracula, aut veræ aliquæ habitæ reuelationes. ſi igitur id ita eſt, ſatis aperte & manifeſte conſtat, quod ſen-

tentia prædicta prorsus est diffinitionis incapax, & nibil omninò habet, ex quo iure posśit aut debeat tanquam certa de fide determinari aut diffiniri.

Secunda Conclusio.

Si quando ad huius controuersiæ diffinitionem deueniatur, iure optimo (vt videtur) diffiniendæ & determinanda erit sententia quæ asserit Virginē sacram ab originali peccato fuisse præseruatam.

SI quando ad huius controuersiæ diffinitionem deueniatur, iure optimo (vt videtur) diffinienda & determinanda erit sententia quæ asserit, Virginem sacram ab originali peccato esse præseruatam. Hæc conclusio probari potest omnibus rationibus & argumentis, quibus ad probationem præcedentis vsus est Ægidius, ad mostrandum haudquaquam sententiam contrariam diffiniri posse de fide, & illis habitis pro expresśis, probatur præterea hac vnica (vt apparet) efficacisśima atque euidentisśima ratione. Et ea est, quia (vt diximus in supradicto primo notabili) omnia sacræ Scripturæ testimonia quę loquuntur de contractione originalis peccati, cum generaliter & vniuersaliter loquantur, & intelligenda sint (non de vniuersitate Logica, sed de morali aut legali) non excludunt speciale præseruationis priuilegium sacræ Virgini concessum: quin verò Concilium Tridentinum loco ibidem citato, facultatem fecit nobis in eiusdem fauorem eadem interpretandi & declarandi, ad modum quo interpretata & declarata sunt plura alia similia testimonia, quibus non obstantibus diffinitum atque determinatū est, eam ab omni peccato actuali præseruatam fuisse. Si vero loquamur de alijs sacræ Scripturæ locis in sensu spirituali, mystico siue accomodatitio adductis, quamvis ex eis (vt etiam in secundo notabili diximus) efficax, firmum & infallibile ad hanc veritatem decidendam, diffiniendam atque determinandam argumentum non posśit desumi, supposito tamen sensu, explicatione & accommodatione Ecclesiæ, haudquaquam negari potest quod in id ipsum plurimum conferant. Si autem sermo fiat de auctoritatibus Sanctorum antiquorum Patrum, necnon & Doctorum Theologorum Scholasticorum, tàm antiquorum quàm recentiorum, quamvis etiam (vt supra in notabili 3. & 4. diximus) ex eis neque pro vna nec pro altera parte ad hanc veritatem decidendam, diffiniendam & determinandam, efficax, firmum & infallibile argumentum posśit desumi, propter rationem ibidem dictam, quia nempe non vnanimi consensu in aliquam prædictarum sententiam conuenerunt & conspirarunt, sed inter ipsos circa hoc est aliqualis differentia & cōtrouersia: seu quia id quod dixerunt, non aperte, clare & dilucide, sed sub obscure & confusse sunt loquuti, aut quia in suis dictis non frequentur, constanter ac firmiter perseuerauerunt, quamvis (inquam) id ita sit, haudquaquam tamen negari potest, quod quantum ad id spectat, pia nostra sententia prædicta longe maioris auctoritatis pondus habet,

bet,& plures in ea rationes concurrunt, vt ex hac parte potius ea quã contraria, decidi, diffiniri atque determinari possit, vt satis constat ex his quæ latissime sunt dicta in quæstione 16. 17. 18.& 19.& in vlti no huius quęstionis notabili etiam ostendimus, qualiter nostræ iunioris Ecclesiæ Doctores Theologi, fere vnanimi consensu, & concordi animo in piam prædictam nostram sententiam conueniunt. Si autem habeatur respectus ad antiquam Ecclesiæ traditionem, admiracula,& reuelationes factas in eiusdem comprobarionē,& ad vnanimem & communem fidelium omnium consensum (ex quibus omnibus supra quæst 20. 21. 22.23.& 24. diximus) efficax ac firmum argumentum desumi posse ad veritatem prædictam confirmandam, & comprobandam: omnia superius dicta pro prædicta nostra sententia faciunt, non vero pro contraria illi opposita. Id si ita est bene ergo sequitur,& (vt videtur) superque satis remanet probatum, quod si ad prædictæ controuersiæ diffinitionem veniatur, diffinienda & determinanda est sentētia, quæ dicit Virginem sacram ab originali peccato fuisse præseruatam, non vero vllo modo contraria.

Respondetur ad argumēta Caietani.

Solummodo superest nunc respondere, ad argumenta in initio quæstionis proposita. Ad primum quando dicitur quod nostra prædicta sententia nullas habet pro se scripturas authenticas, nulla Sanctorum Patrum testimonia, nullas reuelationes, &c. iam satis patet solutio ex dictis,& omnia esse plusquam falsa: quinimo prædicta nostra sententia quamplures habet pro se scripturas authenticas, innumera Sãctorum Patrum testimonia, reuelationes multas, quamplura miracula,& (vt videtur) nihil ei omnino deficit, ad hoc vt decidi, diffiniri, atque determinari possit.

Ad primum argumentum

Ad secundum vero quando dicitur, omnes Ecclesiæ antiquæ Patres in contrariam sententiam vnanimi consensu conuenisse,& conspirasse: iam etiam satis constat ex tertio notabili quam id falsum sit, & qualiter fuerint loquuti, ita vt ex suis dictis ad hanc veritatem diffiniendam & determinandam, haudquaquam firmum siue efficax desumi possit argumentum. Nec per hoc quod pia prædicta nostra sententia diffiniatur & determinetur, damnarentur antiquæ Ecclesiæ Patres qui hac de re nihil determinate dixerunt, sed loquuti sunt iuxta sacræ Scripturæ communes & generales regulas (quæ vt iam supra dictum est) non excludunt speciale præseruationis priuilegium sacrę Virgini concessum. Et addo, quod quamvis aliquis hac de re determinate aliquid dixerit, haudquaquam nouum est in Ecclesia & in Cōcilijs, Sanctorum antiquorum opiniones damnari, vt patet in illa D. Cypriani de baptismo collato ab hæreticis,& Ioannis Damasceni de processione Spiritus Sancti, multisque alijs, de quibus habetur in epistola Pelicratis ad Victorem Papam, & Diuus Augustinus lib. 4 de anima cap. 1, ad Vincentium Victorem, & habetur in *cap. negare, dist.*

Ad secundũ argumentum.

9.de se ipso dicit. *Negare non possum, nec debeo, sicut in ipsis moribus, ita esse multa in tam multis opusculis meis quæ possunt iusto iudicio, & nulla temeritate culpari.* Idem omninò dicit in epistola 19. ad Hieronymum, & habetur in cap. *ego solis*, eadem dist. Diuus etiam Thomas, quod. lib. 12. hac de re agendo inquit, *quod non quæcunque dixerunt aut scripserunt sancti, vera sunt.* Et Caietanus 2.2. quæst. 1. art. 7. ad idem propositum dicit: *Quod licet antiqui Doctores sint magis illuminati, regulariter loquendo in rebus fidei: non tamen est negandum quod etiam post Christum, aliqua posterior ætas in supradictis aliquos præstantiores Doctores habeat, quam fuerint in alia ætate.*

Ad tertium argumentũ. Ad tertium respondetur, negando quod ad diffiniendam controuersiam prædictam, nõ sufficiat, seu vero non quammaxime faciat & sit estimandus, communis totius orbis consensus: quod si eo non obstante Sixtus IIII. alijque Romani Pontifices qui post ipsum successerunt, eandem non dirimere, diffinire siue determinare voluerunt, non pro eo fuit quia eiusmodi communis consensus in id ipsum non sufficeret, & quammaxime faceret: sed id in diuinum referendum est iudicium, & forsan factum est quia veritatem hanc diffinire pro eo tempore non esse conueniens diiudicarunt, quamvis ad id sufficiens esset fundamentum: sed vt congruentiori tempori reseruaretur, & expectare voluerunt ad præsens nostrum tempus, quo in veritatem prædictam adeò excreuit, & superexcreuit fideliũ deuotio, & prædictus communis consensus.

QVÆST. XXIX.

Utrum sententia quæ asserit Virginem sacram ab originali peccato fuisse præseruatã, satis sit diffinitioni & determinationi disposita?

Notentur valde verba Patris Ferdinandi à Salazar. CIRCA propositam difficultatem, est sententia doctissimi Patris Magistri Ferdinandi de Salazar, de qua mentionem fecimus supra, lib. suo iam pluries citato cap. 43. §. 4. 5. & 6. vbi dicit, quod considerato præsenti statu quam habet sententia pia, quæ Virginem sacram ab originali peccato liberat, probabiliter dici potest, ita eam esse veram, vt à parte rei non possit esse falsa, & eiusmodi sententiam ad diffinitionem vltimo esse dispositam. Ipsius expressa verba libet referre, & sunt quæ sequuntur desumpta ex §. 6. in principio. *Quamvis per diffinitionem & declarationem Summi Pontificis, siue explicitam & expressam in constitutionibus hactenus editis factam;*

siue

siue implicitam & tacitam, in festi celebratione, approbatione officij, & indulgentiarum largitione præstitam, pia de immaculata Virginis Conceptione sententia, non sit euecta ad gradum digniorem certitudinis, quam maioris probabilitatis: tamen si consideretur id quod revera declarationem maioris probabilitatis à Pōtificibus factam insequi solet, & in præsenti causa revera insequutum est (scilicet communis longe maioris Ecclesiæ partis sensus, quæ dictam sententiam seu veram hodie tenacissime amplexatur) certe pia sententia statum quendam certitudinis habet, cui non possit subesse falsum, quamvis ad fidem non pertineat. Hāc sententiam non improbabiliter sustineri posse, dixi supra in quæstione 25. conclusione 7. & quamvis eiusdem defensionis & probationis onus, ibidē subire tunc renui (quantum ad id quod dicit sententiam prædictam ita esse veram, vt physice & à parte rei non possit esse falsa) libentissime tamen illam amplector, quantum ad id quod ait, esse vltimo ad diffinitionem dispositam, quod & in hac quæstione probare contendo. Et vt plenius id quod à nobis dicēdum est percipiatur, præmittere libuit, difficultatem præsentis quæstionis in duplici posse sensu inuestigari: primo an pia prædicta sentētia diffinibilis sit, ac diffinitioni disposita (saltim remote) quia nimirū prudēter ad diffinitionē illius procedendo, adhiberi possunt solitę diligentiæ, inquiri, examinari & discuti consueta fundamenta, & principia in id ipsum necessaria, quæ Pontifici Summo persuadeant, eam à Deo sufficienter esse reuelatam, vt his visis, discussis & examinatis, auditisq; catholicorum sententijs, tandem illam diffiniat: secundo, an etiam diffinibilis sit (non solum remote) verum etiā & proxime, ita vt iam non indigeat aliquo exactiori examine, sed in vltima sit dispositione, vt prætermissis alijs diligentijs, quam primum à Sede Apostolica & Pontifice Summo diffiniri & determinari possit. Cui difficultati in vtroque prædicto sensu fiet satis per sequentes Conclusiones.

Prima Conclusio.

LOQVENDO de dispositione in priori sensu, nullo modo negari potest, quod pia sententia ad diffinitionem quammaxime sit disposita. Hæc conclusio est expressa prædicti Salazar loco vbi supra, vbi in eiusdem probationem dicit. *Neminem non videre (nisi sponte caecutire vellet) ad huius sententiæ confirmationē, plura argumenta & probationes robustiores nūc suppetere, quam quæ olim habuit Ecclesia ad alia Virginis privilegia declaranda & diffinienda, quæ hodie aut sine hæresi, aut sine graui errore diffiteri non licet. Hæc sunt immunitas illius ab omni actuali culpa (etiam veniali) partus mundissimus absque omni dolore, & secundinarum sordium infectione, Natiuitas sancta, corporis extrema incorruptio, & gloriosa in Cœlum Assumptio, & alia id genus: sed hæc olim examini subiecta, & tandem aliquando, aut expresse per synodicas diffinitiones, aut tacite per delationem religiosi cul-*

Loquendo de dispositione remota nullomodo negari potest, quod pia sententia ad diffinitionem quammaxime sit disposita.

tus (quam tacitam quandam diffinitionē esse supra demonstrauimus) ab Ecclesia declarata & diffinita sunt: quis ergo negare potest pro originali eius sd m virginis sanctitate declaranda & diffinienda, examen hoc tempore prudenter effici posse? Post quæ addit. Accedit (inquit) etiam quod id examinis olim in Concilio Basiliensi re ipsa fuit factum, & pro Virgine iudicatum fuit. Quamuis enim sessio illa in qua hoc iudiciū prolatū est, legitima non fuerit, tamen Patres illi sententiam istam eo deductam censuerunt, vt de illius diffinitione & declaratione iam tūc agi posset. Verba sunt expressa. Post quæ etiam subdit. Probationem hanc efficacem valde reddit, id quod scribit Gabriel in 3. dist. 3. scilicet legatos Summi Pontificis qui illi Synodo præfuerunt, inter alia de quibus a Sanctissimo Patre Eugenio IIII. instructi & informati fuerunt, id quoque accepisse in mandatis, vt prosedandis Ecclesiæ turbis, quæ tunc etiam Ecclesiam infestabant, controuersia hæc (si fieri posset) Patrū suffragijs terminaretur. Fortasse (inquit) in de factum, vt cum idem Pontifex pleraq; alia quæ tempore seditionis ac Basilien schismatis à Concilio contra ipsius nutum acta fuerunt, per litteras sæpe ac multis reprehenderit atque taxauerit: tamen de illo decreto quod per idem tempus circa Virginis Conceptionem à Concilio emissum fuit, nullum verbum inseruit: vt propterea suspicari liceat controuersiam illam non sine venia ipsius Pontificis examinatam: quamuis emissa diffinitio ideo non fuerit legitima; quia vrgente schismate edita fuit. Post quæ iterum subdit. Accedit etiam Concilium Tridentinū, in quo etiam de hac thesi aliquid actum est: & licet tunc à diffinitione abstinuerit, non ideò factum est, quia principia ad diffinitionem firma aut requireret, aut desideraret (vt aduersarij obijcere solent) sed quia præcipua cōtrouersia non erat tunc de iustitia originali Beatæ Virginis, sed de peccato originali aliorum hominum, contra nostri temporis hæreticos, qui aut illud prorsus abnegabāt, aut in assignanda illius natura pleraq; absurda erroneaq; miscebant: atque adeo de Virginis originali innocentia id tantum Synodus adiecit, quod occasio illa & decreti ipsius forma postulabat: sua (scilicet) intentionis non fuisse, in hoc omnibus quæ de peccato originali aliorum decreuerat, Virginem comprehendere vel includere, sententiæ piæ mirum in modum per hanc exceptionem adfauens. Et licet per illud tempus quo Concilia illa Basiliense ac Tridentinum celebrata fuerunt, sententia de originali Virginis innocentia, non esset omninò idonea & matura, vt de ipsius diffinitione ageretur: id tamen non prohibet quo minus lapsu temporis ad aucta rerum notitia, idonea & matura esse caperit. Nam sine iniuria illarum ætatum id pronuntiare fas est, recentiores Ecclesiæ Doctores, in confirmationem huius doctrinæ tantum operæ contulisse, vt omnium antiquorum industriam & solertiam longo interuallo post se reliquerint: quorum diligentia tot quæ olim latuerant, noua argumēta, nouasq; probationes adinuenit, vt ad diffinitionem aliquod vlterius requiri ac desiderari non debeat. Hæc etiam prædictus Salazar vbisup. pra.

Nota hoc valde ex M. Salazar, quod multa sunt priuilegia in Virginis fauorē concessa, & recepta ab Ecclesia, non cum maioai fundamēto, quam vt recipi atq; determinari possit eius immaculata Cōceptio.

Conclu-

Secunda Conclusio.

PIA prædicta sententia (needum remote) verum etiam & proxime, est ad diffinitionem disposita. Hæc etiam conclusio est supradicti Salazar loco vbi supra, §. 6. verbo *sed vlterius*, vbi inquit prædictam sententiam hoc tempore (non tantum remote) verum etiam proxime esse diffinibilem, quia nimirum ita expedita, comparata, & quasi vltimo disposita est ad diffinitionem excipiendam, vt peractis omnibus diligentijs quæ ad illam præmitti consueuerunt, nihil vlterius desideretur, vt quam primum diffiniri ac determinari queat (verba sunt illius expressa.) Et dicit hanc sententiam esse omnium Doctorum qui conclusionem prædictam tenuerunt: nam cum absolute dicant hanc sententiam esse diffinibilem, eorum assertio, non quidem restringenda est, vt solummodo intelligatur de dispositione remota, quinvero amplianda, vt intelligatur de proxima. Probat etiam id ipsum, ex his quæ dixit ad probandam suam opinionem qua dixit hanc sententiam ita esse veram, vt needum moraliter, verum etiam physice & à parte rei, non possit esse falsa, propter efficacissima argumenta quæ illam persuadent, & præterea propter declarationes Sedis Apostolicæ, quæ per institutionem festi Immaculatæ Virginis Conceptionis, & officij ipsius approbationem, & per alia quæ in fauorem illius gessit, maiorem illius probabilitatem diffiniuit. Ex quo (inquit) factum est, vt longe maior Ecclesiæ pars eam affirmatissime veram esse sentiat, siue nomine Ecclesiæ Doctores & Pastores illius intelligantur, siue fidelium omnium multitudo, quæ per religiosum cultum puræ sacræ Virginis Conceptioni exhibitum, & per scandala quibus ex sola contrariæ doctrinæ commemoratione percœlitur, clarissime & apertissime mentem suam testificatur. Sed quod hac ratione maior Ecclesiæ pars tanquam verum sentit, & alteri sententiæ præfert, dispositionem habet vltimam ad diffinitionem excipiendam: ergo pia prædicta sententia in eo statu est, vt proxime sine aliquo alio examine diffiniri queat. Quod & sequenti confirmat ratione. Nam ad hoc (inquit) vt aliquod dogma proxime sit diffinibile, tantũ requiritur cognitio & deprehẽsio alicuius medij infallibilis, ex quo certo cõstet illud esse reuelatũ à Deo: sed eiusmodi est cõmunis Ecclesiæ sensus, supradictis indicijs & documẽtis probatus & cõtestatus (vt satis constat, & amplius in sequenti quæst. dicetur) ergo prædictæ piæ sententiæ nihil deest, ad hoc vt proxime diffinitionem possit excipere. Omnes istæ rationes mihi esse videntur potentissimæ & efficacissimæ, solummodo restat inuestigare & inquirere, an eiusmodi diffinitio fieri necessario debeat in Concilio, an vero etiam fieri possit extra ipsum. De quo sequens instituetur quæstio.

Pia prædicta sententia, nec dum remote, verum etiam, & proxime est ad diffinitionem disposita.

Notentur, etiam valde verba prædicti Patris Salazar.

QVÆST. XXX.

An diffinitio & determinatio controuersiæ prædictæ fieri necessario debeat in Concilio, an vero etiam fieri possit extra ipsum, & ad id satis sit disposita?

Quorundam opinio, & sententia.

CIRCA difficultatem præsentis quæstionis, nonnulli non boni rerum existimatores dicunt, tantam & tam grauem cō trouersiam ad proximum Concilium esse differendam, & pro illa decidenda, diffinienda & determinanda, vniuersalē Synodum quam primum cogi & euocari oportere. Sed quidquid sit de conuenientia & congruentia, in rigore & puncto iuris stando, eiusmodi sententia & opinio nullo est modo sustinenda, non solum quia constans est catholicæ fidei dogma, Summum Pōtificem (etiam extra Concilium) adhibito examine, quamlibet sententiam per se ipsum posse diffinire atque determinare, verum etiam quia (vt statim dicemus) Concilij Patres in vnum congregati, suis suffragijs omnino nihil aliud præstant, quam Ecclesiæ (cuius vocem portant) communiorem sensum Pontifici Sūmo demonstrare, aperire, declarare atque testari, in qua tantummodo declaratione diffinitiuam sententiam habent. Quo fit, vt si de prædicto consensu Ecclesiæ Pontifici Summo aliunde certo constiterit, nullo modo ad veritatem quamlibet diffiniendam atque determinandam, necessarium esse videatur Concilium.

Reprobatur prædicta opinio.

Pro maioribus quæstionis explicatione, proponuntur nonnulla fundamenta.

Sed vt res hæc tanti ponderis ac momenti amplius constet, & veluti ex suo fonte atque origine extrahatur, pro propositæ difficultatis resolutione breuitate summa nonnulla libet præmittere notabilia, ex quibus dicendorum veritas constabit quammaxime.

Primo notab. Quid sit Ecclesia, & qualē habeat Spiritus Sancti assistentiam, vt in rebus fidei errare nō possit?

Et primo dicamus oportet quid sit Ecclesia, & quam in rebus ad fidem pertinentibus habeat Spiritus Sancti assistentiā, vt in his errare minime possit. Et omissis varijs ac diuersis quæ hac de re à Doctoribus circunferuntur, de quibus videri poterit Thomas Vvaldensis lib. 2. Doctrinali fidei. Ioannes Turrecremata in Summa de Ecclesia. Driedo lib. 4. de Varijs dogmatibus cap. 2. Albertus Pygius, lib. 6. de Ecclesiastica Hierarch. Cano toto li. 4. de locis Theologicis. Hosius Cardinalis in confessione Polonica super art. de Ecclesia. Noster Alphonsus à Castro lib. suo aduersus hæreses, verbo *Ecclesia*. Franciscus etiam à Victoria in relectione de potestate Ecclesiastica. Bellarmin, tomo secundo lib. 3. cap. 2. de diffinitione Ecclesiæ. Gregorius

de

de Valentia tomo 3. disput. 1. quæst. 1. puncto 7. §. 14. dico breuiter, quod Ecclesia, prout ad præsens nostrum attinet propositum, nihil est omninò aliud quam quædam fideliũ congregatio à Christo Domino instituta, quæ & ex ipsius institutione vni paret Summo Romano Pontifici, canonice electo, pro tempore existenti. De qua quidem Ecclesia, constans est ac firmum fidei dogma, propter continuã Spiritus Sancti assistentiam, quod in his quæ ad fidem pertinent errare minime potest. Qua ratione Diuus Paulus 1. ad Timoth. cap. 3. de eadem loquendo, vocat illam, *columnam & firmamentum veritatis*, pro eo quod in eius sensu inest veritas firma, solida, immobilis, & inconcussa. Ad quod Ecclesia prædicta quamplurimas habet repromissiones, & in eis diuinam fidem astrictam, qualis est illa quæ habetur Ioãnes 14. qua Christus dixit: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis. Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Item & illa qua idem Christus Patrem eundem alloquendo dixit Ioan. 17. *Sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est sicut tu me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum, & pro eis ego sanctifico me ipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate.* Item & Ioannes Euangelista in sua Canonica 1. cap. 2. hac de re loquendo, inquit. *Vos vnctionem habetis ab Spiritu Sancto, & nostis omnia.* Et infra. *Et vos vnctionem quam accepistis à Deo, manet in vobis, & non necesse habetis vt aliquis doceat vos: sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est & non est mendacium, & sicut docuit vos, manete in eo.* In quibus omnibus verbis (vt satis aperte patet) continetur certa quædam Dei sponsio, qua Spiritus Sanctus sanctæ suæ Ecclesiæ, ita semper adfuturus promittitur, vt eam decipi minime sinat, seu in aliquem errorem cadere. Quæ quidem sponsio, etsi experiatur etiam in alijs, quam maxime tamen verum habet in his quæ ad fidem, seu fidelium mores pertinent: nam in ipsis (vt dixi) continuam habet Spiritus Sancti assistentiam, neque errare vllo modo potest. Sed quia repromissio prædicta latissima est, inquiramus atque inuestigemus oportet, quibus Ecclesiæ prædictæ membris specialiter sit facta: & an necessum sit præcisè, quod in communi consensu Ecclesiæ omnes eiusdem filij, & fideles (nullo dempto) conueniant, aut qualiter id sit intelligendum? de quo sit secundum notabile. *Secundum notabile.*

Secundo præmitto, constantem esse etiam omnium Theologorum doctrinam, promissionem prædictam toti Ecclesiæ factam fuisse (non quidem mathematice loquendo) ita vt illud tantum dogma in quo omnes fideles in vnum consentiunt sit infallibile, sed moraliter: ita vt illa doctrina in qua plures ita conspirant, vt pauci (qui respectu plurium pro nullis existimari possunt) dissentiant, certa sit & infallibilis. Conueniunt præterea DD. prædicti, Ecclesiæ nomine intelligendam esse eam, quæ quovis tempore superstes fuerit, nã omni tempore *Quidnam Ecclesiæ nomine intelligendum veniat, cui facta est repromissio vt in rebus fidei errare non possit?*

tempore Ecclesia considerari debet, quinvero & revera est quoddam absolutum atque perfectum corpus, quod suum habet caput, & in capite suos oculos, suumque veritatis spiritum (instar animæ) perpetuo secum manentē, & omnia sua membra pro cuiusq; conditione vegetantem & animantem. Item & conueniunt DD. prædicti, Ecclesiæ nomine cui facta est supradicta repromissio, intelligendam esse (non solum Ecclesiam in Concilio generali congregatam & collectam) verum etiam & extra Concilium, quatenus ex communibus fidelibus constat, de quo nulla est inter DD. differentia: nam omnes incunctanter tenent & tanquam certum supponunt, promissionem prædictam, factam fuisse Ecclesiæ vniuersali vt sic. Qua quidem ratione Bellarminus secundo tomo de Ecclesia, lib. 3. cap. 16. & Valentia 3. tomo super 2. 2. D. Thomæ, disp. 1. quæst. 1. puncto 7. §. 17. dicunt omnes Episcopos & Ecclesiæ Pastores (etiam extra Conciliū) amplecti non posse aliquam doctrinam erroneam. Et infra §. 45. prædictus Valentia ait, omnium Doctorum Catholicorum pro quolibet tempore viuentium, concordem sententiam (etiam extra Conciliū) esse infallibilem. Cuius quidem rationem reddit. Nam cum prædicti Episcopi & Doctores sint in Ecclesia primarij, & ad quorum sensum reliqui fideles se se componunt: iuxta sacræ Scripturæ phrasim, quasi tota Ecclesia ipsi esse censentur. Hac enim (inquit) ratione 3. Reg. 8. cum dictum fuisset omnes Principes filiorum Israel per tribus suos in vnum collectos fuisse, statim subiunctum est. *Tunc conuersus Rex benedixit vniuersæ Ecclesiæ, omnis enim Ecclesia adstabat.* Fauet & id quod dixit Philosophus 9. Ethicor. capit. 9. ciuitatem id esse quod in eadem præcipuum est. Probat præterea id ipsum Valentia, quia si Pastores & Doctores omnes à veritate possent excidere, cum fideles ab eisdē sibi instilata dogmata sine discrimine accipiant, consequenter & omnes in vniuersum fideles errare potuissent, quod vt non concedatur, fatendum proculdubio est, omnes Episcopos & Doctores (etiam extra Concilium) falli & decipi non posse, certum cum sit quod communis fidelium consensus, ex consensu & concordia prædictorum Pastorum atque Doctorum fluit. Cuius etiam fidelium communis consensus in diffinitionibus fidei magna habetur ratio, quoties de illo constare potest, ita vt quod fidelium omnium concors persuasio tenet, id etiam infallibile censeatur, si de eiusmodi consensu aliquo certo argumento omninò constet. Sed præterea, quod prædicti Episcopi & Doctores, quando vnanimiter conueniunt (etiam extra Concilium) errare non possint, hac vel vnica, eaque efficacissima & fortissima ratione probatur. Nam in Concilio vota sua atque suffragia ferentes, non ideò errare non possunt quia in Synodum sunt collecti & congregati, sed quia totius Ecclesiæ vocem portant, & cum rite atque legitime sententiam suam dicunt, eiusdem Ecclesiæ nomine

illam

illam pronunciant: sed extra Concilium eodem modo vniuersam Ecclesiam repræsentant (vt supra diximus) ergo si maior Episcoporum & Doctorum pars in Concilio errare non potest, neque etiam extra Concilium, falli & decipi poterit. Sed dices, id si ita est, quis ergo Cōciliorum vsus, & quæ Episcoporum atque Doctorum prædictorum auctoritas, dum congregantur in Concilio? Respondeo, & sit tertiū notabile.

Tertiū notab. Quidnam Concilij comprehēdatur nomine, & ad quid deseruiat Conciliorum vsus, & quæ in ipsis Episcoporū sit auctoritas?

Quis nam sit Conciliorum vsus, & quæ Episcoporum & Doctorum auctoritas in ipsis dum congregantur, congruentiori ordine vt dicamus: quid Concilij comprehendatur nomine, & de eiusdem ortu & origine aliqua prius breuiter oportet præmittere. Et dico primo cum Valentia loco vbi supra §. 45. Concilium prout ad præsens nostrum propositum attinet, nihil esse omnino aliud, quam Episcopos vel Sacerdotes in locum vnum collectos & congregatos, ad tractandum & constituendum de Ecclesiasticis negotijs, quæ ad Christianam religionem & fidelium mores pertinent, nempe de fide, de diuino cultu, & moribus, alijsque rebus: ad videndum, inquirendum, determinandum & discernendum, ea quæ ad Christianæ Reipublicæ gubernationem visa fuerint necessaria. Qua quidem ratione Bellarminus, controuersiarum suarum tomo 1. controuersia 1. ca. 3. agendo de Concilij nomine & origine: inquit Concilij nomine in Ecclesia idem omnino significari & designari, quod in regnis nomine comitiorum. Nam quemadmodum in regnis, cum in republica aliqua oritur controuersia: regni Principes vel Magistratus in vnum conueniunt & congregantur, & statuunt quid facto opus sit, magisve expediat ad regnorum eorundem congruam gubernationem: ita & in Ecclesia cum de religione & fide, diuino cultu, aut fidelium moribus aliqua oritur controuersia, Ecclesiarum Principes siue Præsules Episcopi, alijque viri grauissimi, ex Summi Pontificis decreto in vnū conueniant, & collatis sententijs simul statuunt atque decernunt, quod ad Ecclesiæ eiusdem optimam gubernationem magis videtur expedire, imitantes in eo Sanctos Apostolos de quibus Actuū 15. legitur: *Quod facta in Ecclesia seditione non minima, super quæstione quadā, conuenerūt Apostoli & seniores videre de verbo hoc.* Ex quo loco colligitur quo tēpore Cōcilia in Ecclesia celebrari cœperūt, & iuxta occasionem & necessitatū exigentiam, celebrata fuisse postmodum leguntur in singulis totius mundi ætatibus. Addit Bellarminus prædictus, quod licet Albertus Pygius lib. 6. de cœlesti Hierarchia, cap. 1. Conciliorū originem esse humanam contendat, & naturali ratione cogitatam: probabilius tamen multo est dicere, esse diuinam, & à Christo Domino in Euangelio traditam, atque monstratā in illis verbis Matth. 18. *Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum.* Quod etiam probat ex Concilio Calcedonensi in epistola ad Leonē,

A quo tempore Concilia in Ecclesia celebrari cœperūt?

& ex sexta Synodo, actio. 17. & Celestino PP. in epistola ad Concil. Ephesin. & Concilio Toletano III. non procul ab initio, vbi id ipsum expresse dicitur. Et probatur prætérea, quia haudquaquam credibile est Apostolos Sanctos qui & Spiritu Sancto pleni erant, in vnum cõuenisse, & supradictum Hierosolymitanum Concilium congregasse, nisi ab eodem Spiritu Sancto instructi & edocti, id quod & satis confirmant verba quæ ab eisdem super supradictæ quæstionis resolutione fuisse prolata referuntur, *visum est* (inquiunt) *Spiritui Sancto & nobis, &c.* Quod ipsum ratione alia confirmatur, nam & si ratio ipsa naturalis dictet, vt in Reipublicę rebus dubijs, Princeps & qui illi præest, homines doctos & peritos consulat, & ad eorundem resolutionem in vnũ illos cõgreget: at quod in Concilijs soli Episcopi congregentur, conuocentur & conueniant, & quod ibidẽ ipsi, nõ solũ sunt Consiliarij siue Consultores, sed Iudices, & alia quæ de Cõciliorũ celebratione scribũtur: omni proculdubio non esse potuerũt solius humanæ rationis inuentum, sed vel ex supradicta Christi Dñi doctrina, aut ex Sanctorum Apostolorum traditione prodijt, quas Apostolicas traditiones humana inuenta appellare (quod facit supradictus Pygius) non multum tutum reputat Bellarminus, qui & de vtilitate vel etiam necessitate celebrandorum Conciliorum multa in eodem loco tradit cap. 9. & 10. quæ quia longissima sunt, neque ita faciunt ad præsens nostrũ propositũ, breuitati studendo, consulto à me prætermittũtur: cõtentus dixisse, quod ab Ecclesiæ nascentis exordio ex Christi Domini institutione, aut saltim ex Sanctorũ Apostolorum exemplo, & traditione semper fuit consuetudine positum, vt Concilia generalia siue nationalia, Prouincialia aut Diœcesana, in eadem cogerentur & celebrarentur: ad quæ omnes Episcopi & alij de quibus infra (respectiue) conuenirent, prout magis aut minus generale fuisset Cõcilium. Cuius nam sit Concilia congregare, & qui ad illa sine necessario conuocandi, tradit etiam latissime Bellarminus prædictus loco vbi supra, à cap. 1. vsque ad 16. quæ omnia refferre (breuitati prædictæ etiam cõsulendo) prætermitto. Et prætermissis alijs Concilijs, ad generalia deueniendo, dico quod quamvis de iure communi loquendo eisdem omnes totius orbis Episcopi deberent interesse, cũ tamen id propter regnorum distantiam quammaximam, & viarum difficultates & alia, non esse videatur possibile, aut saltim non ita commode fieri possit, vt omnes vniuersalis Ecclesiæ per totum orbem dispersi, Episcopi & Pastores conueniant, ad hoc vt eiusmodi vniuersalia Cõcilia celebrentur, sufficit superque satis est, adminus vt conuocentur: de qua etiam conuocatione, & omnibus ad eandem spectantibus, latissime agit supradictus Bellarminus loco vbi supra, à cap. 12. cum sequentibus, & Valentia §. 45. Sed pro nunc dixisse ad præsens nostrum propositum sufficiat, quod illi quotquot ex Summi Pontificis præscripto,

Cuius nam sit ad Concilium cõuocare, atq; in illis debeant inter esse?

cripto, siue in paruo siue in magno numero pro temporũ ratione in Concilium fuerint collecti, & congregati, vniuersalem Ecclesiam proculdubio repræsentant, & tota eiusdem fides & auctoritas ad eosdem redigitur, ita vt quod longe maior illorum pars, rite & legitime congregata pronuntiauerit, id censeri atque diiudicari debet totius Ecclesiæ sensus, cum sit maioris eiusdem partis, qui & in rebus ad fidem pertinentibus (vt supra dictum est) & ad diuinum cultum, fideliumque vniuersorum mores, errare minime possunt, propter supradictam Spiritus Sancti assistentiam Ecclesiæ sanctæ repromissam. Ex dictis (adeô breuiter & compendiose) superque satis colligitur, id quod in huius notabilis initio ad explicandum & declarandum fuit propositum, nempe quis nam sit Conciliorum vsus, & quæ Episcoporum auctoritas in ipsis dum congregantur. Nam de vsu & fine in quem Concilia prædicta coguntur, constat plane fuisse, vt ex Episcoporum in vnum congregatorum relatione, communem Ecclesiæ sensum audire, & addiscere posit Summus Pontifex, circa rem siue negotia super quibus cogitur Concilium, quod extra ipsum vix aut nullatenus posset efficere, aut saltim difficulter nimis. De auctoritate vero prædictorum Episcoporum simul congregatorum, etiam plane constat in eo esse sitam, vt totam Ecclesiam repræsentent, & eiusdem nomine vota & suffragia sua ferentes, supradictum Ecclesiæ communem sensum Summo Pontifici eidem renuncient. Et iuxta communem Theologorum omnium sententiam, quasi à priori loquendo, hæc est ratio ob quam Concilia Summi Pontificis auctoritate legitime congregata, in rebus fidei siue ad diuinum cultum & fidelium mores spectantibus, errare non possunt: quia fieri nullo modo potest vt Ecclesia (cuius nomine Episcopi prædicti in Concilio sententiam dicunt) propter continuam Spiritus Sancti assistentiam quam habet, in eiusmodi rebus aliquem amplectatur errorem. Qui prædictus Ecclesiæ communis sensus (vt dicunt supradicti Bellarminus, & Valentia locis supracitatis) ad diffinitiones quaslibet faciendas, quasi præcipuum est fundamentum, quatenus per illum reliqua capita ex quibus diffinitiones prædictæ Synodicæ petuntur, regulari atque metiri oportet. Neque enim Sacræ Scripturæ locorum interpretationes, traditionum certitudo, & id generis alia aliunde melius ex quiruntur, quam ex prædicto Ecclesiæ communi sensu.

De fine in quẽ Concilia congregari solẽt.

Quartum notabile.

Sed difficultas insurgit (nec minima quidem) quinvero quammaxima, an Episcopi prædicti in Concilio rite & legitime congregati, suffragia habeant, non tantum consultiua, verum etiam decisiua atque diffinitiua: & qualiter eiusmodi suffragia, Pontificis Summi subdantur decisioni & resolutioni, de quo agendum est in hoc notabili. Pro cuius difficultatis resolutione, aduertere oportet ex Bellarmino loco vbisupra cap. 15. & Valentia loco etiam vbisupra, §. 45. quod perso-

An Episcopi in Concilijs vocem habeant, (necdum cõsultiuam) verum etiam decisiuam atque diffinitiuam?

personæ quæ assistere solent Concilijs (demptis alijs) in duplici sunt differentia, alij enim intersunt vt iudices (quales sunt Episcopi) alij vero non vt iudices, sed vt Doctores & Consultores, vt disputando rerum difficultates examinent: & de istis certissimum est & omni dubio procul, eosdem suffragium non habere, nisi dumtaxat consultiuum. Difficultas igitur non est de his, sed de primis. Et punctus difficultatis in hoc consistit: nam si suffragium habent (non tantum consultiuum, verum etiam diffinitiuum) non apparet qualiter eorundem sententia iam explicata & declarata, etiam ante approbationem Summi Pontificis, veritatem non habeat infallibilem: cum (vt prædictū est) totam Ecclesiam representent, ex alia vero parte, est etiam certū atque tenendum de fide Catholica, quod non solum plures Concilij Patres, verum etiam neq; omnes, doctrinam aliquam efficere possunt tanquam infallibilem tenendam esse de fide, nisi eorum suffragijs, approbatio etiam accedat Summi Pontificis, quæ quidem duo inter se specie tenus quammaxime pugnare videntur. Sed eo nihilominus non obstante, omissis hac in re varijs dicendi modis, breuiter dico, quod prædicti Episcopi in Concilio legitime congregati, manentes sub obedientia Summi Pontificis, & directionem ab ipso acceptam per omnia sequentes, in declaratione sensus vniuersalis Ecclesiæ decisiuam atque diffinitiuam sententiam habent, ita vt quod omnes aut plures ibi dicunt ac sentiunt, totius Ecclesiæ aut maioris partis illius sensus, infallibiliter censeri debeat. Cuius ratio in promptu est, quia Episcopi prædicti in Concilio generali congregati, ex Christi Domini institutione totius Ecclesiæ vices gerunt, & illius vocem portant: ita vt tota Ecclesię fides (vt supradiximus) ad illos sit redacta: ergo quidquid ipsi rite & legitime pronunciant, in nomine eiusdem Ecclesiæ id ipsum pronunciant, & ex consequenti quidquid omnes aut eorum maxima pars dicit, illud tota Ecclesia, aut maxima illius pars dicere, & sentire infallibiliter putanda est. Sed dices ad quid igitur necessaria est Summi Pontificis approbatio; postquam per Episcoporum suffragia veritas infallibilis, ante eiusdem approbationē iam diffinita atque determinata est? Huic difficultati dicunt quidam, requiri Summi Pontificis approbationem prædictam, tanquam vltimum suffragium quod cæteris Episcoporum suffragijs vim & robur tribuit, quatenus eo prolato, caput cum membris, & membra cum capite consentire & concordare incipiunt. Sed hæc solutio haud quidem quibusdam multum placet. Inquiunt enim quod approbatio prædicta, aut est suffragium cæteris infallibilitatem tribuens formaliter, ita vt ante ipsam Episcoporum suffragia & voces falsitati sint subiectæ: aut est suffragium quoddam simile alijs, quod adueniens ideò ad diffinitionem præstat, quia auget numerum: sed neutrum istorum potest dici: ergo, &c. Minorem probāt quoad primam partem. Quia

Difficultas quāmaxima. Ad quid deseruiat approbatio Summorū Pontificum in Cōcilijs si Episcopi in ipsis vocem habēt diffinitiuam?

seque-

sequeretur exinde, Episcopos in Concilio congregatos ad declarandam certitudinem dogmatum ad fidem spectantium, sententiam nō habere diffinitiuam. Etenim si à suffragio & approbatione prædicta Summi Pontificis, formaliter infallibilitatem accipiunt, bene sequitur quod ante, illam non habebant, & ex natura rei deceptioni & falsitati subiacebant: & sic veritas & certitudo per eiusmodi suffragia regulari & metiri minime posset: nam medium quod ex natura sua fallibile est, ad certitudinem & infallibilitatem declarandam præstare non potest. Præterquam quod prædicta Episcoporum suffragia perinde se haberent, ac si nunquam fuissent prolata, postquam sola vox & suffragium Summi Pontificis ex certa scientia pronūciatum, (etiam sine Episcoporum suffragijs) eodem modo rem determinaret & diffiniret. Nec vero (inquiunt) dici potest secundum. Nam si Pontificis suffragium æquali conditione cum alijs solummodò in numerum veniret, non magis illud esset necessarium quam aliorum singularia suffragia, & sic sine ipso fieri posset diffinitio.

De duobus effectibus quos habet approbatio Sūmorū Pōtificum in Concilijs.

Sed hac reiecta cōtrouersia (quia lōgissima est) pro propositæ difficultatis resolutione breuiter dico, esse firmiter tenendum, approbationem prædictam Summi Pontificis ad determinationem & diffinitionem in Concilio, quamlibet faciendam, esse simpliciter necessariam, & operari duos nobilissimos effectus. Quorum est primus (non quidem infallibilitatem Episcoporum suffragijs formaliter præstare, etenim si hic esset eiusdem approbationis effectus, non remaneret sua sententia diffinitiua) sed eorundem infallibilem certitudinem declarare & demonstrare. Vt enim diximus supra Episcoporum suffragia, non aliter ad diffinitiones dogmatum ad fidem spectantium præstare possunt, nisi rite ac legitime procedant, & directionem à Summo Pontifice acceptam tenentes, sub obedientia illius in omnibus, ac singulis maneant. Nam si aliter se gerant, non possunt loqui nomine totius Ecclesiæ, quæ nunquam non capiti suo subiecta ac demissa est. Quapropter postquam omnes Episcopi aut maior ipsorum pars, in aliquo dogmate concordes suas sententias dixerint, antequam id quod ita suffr. gijs suis præferendū putarunt, pro certo & infallibili habeatur, de legitimo procedendi modo & de eorū obedientia debet constare: cuius quidem iudicium ex natura rei ad solum Summū Pontificem spectat: nam in causa subiectionis quam omnes fideles ipsi debent, ipse solus sententiam potest dicere. Secundus vero effectus est, toti Ecclesiæ credenda proponere, ea dogmata quorum certitudo & infallibilitas in Concilio reperta est. Nam ad hoc vt Ecclesia aliquod fidei dogma cum obligatione illud credendi accipiat, necessaria est propositio legitima, & sufficiens denunciatio, quæ cum sit actus superioris, à nullo alio nisi à Summo Pontifice perfici potest. Itaque (vt omnia vnico concludam verbo) ad diffinitionē quamlibet

Primus effectus.

Secundus effectus.

Synodicam faciendam tria omninò sunt necessaria: quorum est primum, inuestigare sufficienter veritatem. Secundum vero, declarare an eiusmodi inuestigatio sit sufficiens & legitima. Tertium autem, veritatem iam inde repertam, vniuersali Ecclesiæ proponere. In horum primo Episcopi diffinitiuam sententiam habent, quatenus Ecclesiæ communem sensum renunciant, cui sententiæ falsitas inesse non potest, propter assistentiam continuam prædictam Spiritus Sancti. In secundo vero & tertio, solus Summus Pontifex diffinire, & sententiam potest dicere. Ex quibus omnibus constat superque satis, qualiter Summus Pontifex in Concilijs cum maiori Episcoporum parte diffinitiones quaslibet Synodicas condat, & quammaxime id ipsum etiam efficere possit etiam (extra Concilium) si quando aliunde de prædicto Ecclesiæ communi sensu certo sibi constiterit. Quibus sic præmissis, vt propositæ quæstioni satisfacere incipiamus, sit prima Conclusio.

Prima Conclusio.

Ad diffinitionem & determinationē controuersiæ prædictæ faciendam, non esse videtur necessariū congregare Conciliū: quinvero Summus Pontifex per se extra ipsum id optime efficere potest.

AD diffinitionem & determinationem controuersiæ prædictæ de Immaculata Virginis Conceptione faciendam, non esse necessarium videtur congregare Concilium: quinvero Summus Pontifex per se (extra ipsum) id optime potest efficere. Hæc certe cōclusio (si bene res inspiciatur) superque satis cōstat ex supradictis in præcedentibus notabilibus. Nam ex primo constat qualiter Ecclesia, in his rebus errare minime possit, propter continuam quam habet Spiritus Sancti assistentiam sibi diuinitus repromissam. Ex secundo etiā constat, quid veniat intelligendum Ecclesiæ prædictæ nomine, & qualiter eiusmodi repromissio eidem fuerit facta, non solum quando eiusdem Principes siue Primates conueniunt in Concilium, verum etiam & extra ipsum. Ex tertio autem constat similiter, quod quamuis Conciliorum quammaxima sit auctoritas, & interdum vtilitas, non tamen ita præcisa necessitas, vt quod in eisdem fit, non etiam optime fieri possit per Summum Pontificem, procedendo cum consilio & vti tenetur. Constat tandem ex quarto & vltimo notabili, ad quid opus sit Concilijs, & quid in ipsis faciant Episcopi rite & legitime congregati, nempe communem Ecclesiæ sensum Pontifici Summo Indicere, reuelare atque testificari, & quod ad Pontificem prædictum spectat, iudicium de Episcoporum prædictorum sententia, & eiusdem infallibilem certitudinē declarare: ac tandem toti Ecclesiæ tanquam de fide tenendam proponere. Si igitur id ita est, bene sequitur profecto, quod si extra Conciliū Summo Pontifici eidem de eiusmodi communi Ecclesiæ sensu legitime constiterit, nihil omninò vlterius requiritur, ad hoc vt ipse veritatem quamlibet diffiniat atque determinet, & tanquam de fide tenendam toti Ecclesiæ proponat.

Et vt Sylogistice procedamus, hoc argumentum optime potest formari in hunc modum. Tota Conciliorum auctoritas ad dogmata quælibet fidei stabilienda, diffinienda atque determinanda, ex Christi Domini institutione in hoc posita est, vt inuestigetur & quęratur Ecclesiæ communis sensus, qui est vltimum fundamentum cuiuslibet Synodicę diffinitionis, quia (vt prædictum est) Ecclesia propter Spiritus Sancti assistentiam quam habet, errare minime potest: ergo reperto prædicto communi sensu, cum primum de illo Summo Pontifici legitime constiterit, nihil aliud omninò requiritur, ad hoc vt ipse diffinitionem atque determinationem quamlibet facere possit. Et potest sic ratio aliter formari. Postrema & vltima diligentia ad diffinitionem quamlibet faciendam, est adinuentio fundamenti certi & infallibilis, in quo eiusmodi diffinitio inniti possit: sed talis est prædictus Ecclesiæ communis consensus, cui nulla potest subesse falsitas: ergo illo adinuento omninò nihil aliud inquiritur, ad hoc vt Sūmus Pontifex per se illam possit efficere. Videatur hac de re Bellarminus loco vbi supra, lib. 2. à cap. 11. cum sequentibus latissime, & Valentia loco etiam vbisupra à §. 45. vsque 47. & Salazar lib. iam pluries citato cap. 43. § 5. & 6. vbi ad hoc propositum reperire licebit multa eaque notatu dignissima.

Prima difficultas.

Qualiter extra Concilium constare possit Summo Pontifici, de communi Ecclesiæ consensu.

Sed pro maiori huius quæstionis resolutione, duæ remanent difficultates decidendæ atque explicandæ, quarum est prima. Qualiter extra Concilium constare possit Summo Pontifici de prædicto Ecclesiæ communi sensu, ad propositum præsentis difficultatis de sacrę Virginis puritate, & eiusdem ab omni originalis peccati labe immunitate? Cui difficultati breuiter respondeo. Duplici argumēto id ipsum facile sibi constare posse, nempe ex communi fidelium omnium cultu, quo Immaculatam Virginis Conceptionem prosequuntur; & ex scandalis quibus ex sola commemoratione oppositæ sententiæ offenduntur, & grauiter exturbantur. In cuius quidem rei comprobationem, adducere libuit quædam notabilia verba supradicti Patris Gregorij de Valentia loco vbisupra §. 47. vbi in communi agit de prædicto fidelium consensu. Et postquam dicit, in fidei diffinitionibus quammaxime fieri posit habendam esse rationem prædicti fidelium consensus, quoniam & ij quidem quatenus ex ipsis Ecclesia cōstat, sic Spiritu Sancto assistente, diuinas reuelationes integre ac pure conseruant, vt omnes errare non possint (prout constat ex his quæ §. 16. dixit, circa proprietatem Ecclesiæ) subdit. *Nec tamen id circo dicere volo, debere Summum Pontificem de quavis controuersia fidelium omnium sententiam inquirere, hoc enim neque fieri potest, neque si posset, expediret: fere enim eiusmodi sunt quæ in controuersiam fidei adducuntur, vt captum vulgarium fidelium longe superent: illud solum contendo, si quando de re aliqua in materia Religionis controuersa constaret, fidelium omnium concordem esse sententiam*

Notentur valde verba Patris Gregorij de Valentia, quia sunt notatu dignissima.

(solet autem id constare vel ex ipsa praxi alicuius cultus cõmuniter apud Christianos populos recepta, vel ex scandalo & offensione communi quæ ex opinione aliqua oritur, &c.) merito posse ac debere Pontificem illa uti, vt quæ esset Ecclesia sententia infallibilis. Quæ grauissimi Doctoris notabilia verba, sanctissimum Dominum nostrum flexis genibus, quammaxima humilitate, animique submissione supplex oro & obsecro, attente vt legat, notet & ponderet: & pro debito sui Pastoralis officij aduertat communem fidelium omnium cultum, deuotionemque quammaximam, qua omnes in sacræ Virginis Conceptionem Immaculatam feruntur, & propenduntur, simul atque grauissimum scandalum, quod vel ex sola oppositæ sententiæ commemoratione accipiunt: vt vel ex his cõstare sibi possit, iuxta doctrinam prædictam (non solum posse, verum etiam & debere) prædicto fidelium omnium consensu inniti, & ex ipso diiudicare quod prædicta hac de re sententia (necdum est magis pia, vera atque probabilis) verum & quæ (vt apparet) esse etiam videtur infallibilis vt optimo iure possit diffiniri & determinari de fide. Quod vt etiam melius appareat, secunda alia insurgit difficultas.

Secunda difficultas. Qualis esse debeat communis Ecclesiæ consensus, vt veritatem contineat infallibilem?

Qualis esse debet prædictus communis Ecclesiæ consensus, vt veritatem contineat infallibilem?

Circa hanc difficultatem sunt duæ Doctorum opiniones. Quidã enim seueri ac rigidi rerum censores, tunc tantummodo pro infallibili habendum esse dicunt communem Ecclesiæ consensum, cum eiusmodi communis sensus, aliquid tanquam certum & indubitatum ad fidem vel ad mores pertinens amplectitur: ita vt illud (non solum verum) sed etiam à Deo reuelatum certo & indubitato assensu teneat. Hanc sententiam quidnam tribuunt Bellarmino: sed ego illam apud ipsum nusquam reperi, aut saltim illam non expresse docet. Pro qua opinione & sententia, sic formari potest argumentum.

Prima opinio.

Primum argumentum.

Nam per Ecclesiæ communem sensum, nihil maioris certitudinis dogmatibus ipsis deferri posse videtur, quam quod in ipso sensu Ecclesiæ habent: ergo si communior Ecclesiæ sensus, doctrinam aliquam tantummodo tanquam magis probabilem amplectatur, non poterit illa ampliorem habere certitudinem, quam maioris probabilitatis. Quo fit, quod ad hoc vt aliquid per prædictum communem Ecclesiæ sensum efficiatur infallibile, necessum est vt illud concors Ecclesiæ sententia, tanquam infallibile ducat & æstimet. Quod & sequenti ratione confirmatur. Nam ad hoc vt ex aliquo medio, certitudo & & infallibilitas deduci ac deriuari possit, necessum est vt illud in se sit infallibile & certum: ergo vt prædictus communis Ecclesiæ sensus, doctrinæ siue sententiæ alicui infallibilitatem tribuat, necessum etiã est vt ipse in se sit infallibilis. Quod etiam confirmatur secundo ab effectu. Nam constat multas esse opiniones, quas longe maior Ecclesiæ pars probabiliores reputat, & illis tanquam verioribus & proba-

Prima confirmatio.

Secunda confirmatio.

babilioribus assentitur: & tamen nullus affirmare audebit, illas ex prę dicto communiori sensu infallibiles reddi.

Sed alia est aliorum sententia, asserẽtium ea dogmata quæ communis Ecclesiæ sensus tenet, infallibilem veritatem continere, quoties illa tanquam vera amplectitur: siue eiusmodi assensus sit probabilis & cum aliqua formidine erroris: siue vero sit certus & infallibilis. Hanc sententiam tenet Salazar loco vbisupra, cap. 43. §. 4. postmedium, & citat pro ea Gregorium de Valentia secunda secundæ disp. 1. quæst. 1. puncto 7. §. 43. & Canum lib. 7. de locis Theolog. Item & Vualdensem lib. 2. doctrinalis fidei cap. 22. & 23. & eam esse dicit Patris Ludouici de Torres 2. 2. disput. 56. dubio 5. & in ipsa fundari quando dicit Pontificem Summum cum aliquam doctrinam magis probabilem esse diffinit, circa illius veritatem errare non posse: quia si errare posset, inde fieret vt Ecclesia accipiẽs illam doctrinam (quã Pontifex sua censura probabiliorem esse declarauit) deciperetur & deluderetur: quæ deceptio, non in certo & indubitato, sed solummodo in probabili assensu contingere potest. Quod & sequenti ratione confirmari potest. Nã (vt diximus supra in primo notabili) Ecclesiæ factæ sunt repromissiones vt propter continuam Spiritus Sancti assistentiam, falli & decipi minime possit: sed si Ecclesia aut longe illius maior pars, doctrinæ alicui tanquam veræ per assensum probabilem acquiescendo, illa à parte rei posset esse falsa, vere & proprie falli & decipi diceretur: ergo dicendum est, quod in his etiam quæ per assensum probabilem amplectitur, errare non potest. Hæc secunda sententia probabilis nimis mihi esse videtur, & ad præsens nostrum propositum quammaxime accomoda: vnde & iuxta eam secundam sequentem statuo conclusionem.

Secunda opinio.

Secunda Conclusio.

AD hoc vt Summus Pontifex piam prædictam de Immaculata Virginis Conceptione sententiam, in eiusdem fauorem diffiniat atque determinet, sufficere videtur prædictus Ecclesiæ communis consensus, & infallibilem ipse veritatem continere videtur, quamvis vsque ad eiusdem Summi Pontificis determinationem, non assentiatur huic piæ sententiæ certo & infallibiliter, sed solummodo magis probabiliter. Hæc cõclusio hac (mihi vt videtur) efficacissima ratione probatur. Nam si in prædicto probabili totius Ecclesiæ consensu de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione, error siue deceptio esse posset, nullum fere dogma reperiretur, quod propter communẽ Ecclesię sensum, ad diffinitionem atque determinationem posset venire: nam vix aliquid esset quod ante Summi Pontificis diffinitionẽ & determinationem, eadem Ecclesia tanquam certum & indubitatũ

Ad hoc vt Sũmus Pontifex prædictam sententiam determinet in fauorem sacræ Virginis, qualis consensus Ecclesiæ communis requiratur & sufficiat.

 æstima-

æstimaret concordi sensu absque vlla erroris formidine: sed hoc non est dicendum, ergo intentum. Ex hac conclusione & eiusdem probatione (quæ fortissima est) colligitur. Primo, quod cũ de cõmuni prædicto Ecclesiæ consensu, circa sacræ Virginis puritatem, & à peccato originali immunitatem adeò certe constet, sitque omnibus ita compertus & notus, vt de illo dubitare minime liceat: nulla omninò est necessitas conuocandi Concilij ad huius rei diffinitionem & determinationem: esset enim (vt videtur) superflua eiusmodi Concilij conuocatio, postquam res de quo Patres in Synodo sententiam habent dicere ac iudicium ferre, ante ipsorum decisionem esset iam decisa, & ante eorundem iudiciũ iam præiudicata. Secundo colligitur, quod Summus Pontifex per se (extra Concilium) eiusmodi diffinitionem & determinationem potest efficere, ipsi si de prædicto communi Ecclesiæ consensu constiterit legitime: nam hoc medio & fundamento reperto (cum vltimum sit Synodicæ diffinitionis vt diximus) nihil omninò aliud ad eandem requiritur. Ac tandem tertio etiam colligitur, quod in id ipsum sufficit, quod prædictus communis Ecclesiæ cõsensus huic piæ sententiæ acquiescat, tanquam magis probabili, nam cum Ecclesia ipsa falli & decipi non possit (ex superius dictis) veritatem continere videtur infallibilem.

Respondetur ad argumenta in contrarium.

Ad primum argumentum.

Et ad primum argumentum contrariæ sententiæ respondetur, quod licet singuli fideles (imo & omnes) probabilibus inducti principijs, alicuius dogmatis assensum tantum probabilem habeãt, non est inconueniens dicere, ex hoc probabili assensu (propter Spiritus Sancti assistentiam, qui Ecclesiam vniuersalem regit atque gubernat, & ad veritatem quamlibet excipiendam informat, nec illam falli aut errare permittit) deducatur certitudo infallibilis, eius doctrinæ quam tota Ecclesia seu maior illius pars, concordi animo, tanquam veram & magis probabilem amplectitur.

Ad primã confirmationem.

Ad primam vero confirmationem respondeo similiter. Et addo, quod ex communi prædicto Ecclesiæ assensu (etiam probabili) colligi potest dogmatis alicuius infallibilitas, quando eiusmodi assensus non innititur principijs fallibilibus, sed creditur eiusmodi probabili assensu, illud esse à Deo reuelatum, aut in id ipsum sunt aliqua Sacræ Scripturæ testimonia, siue Apostolicæ traditiones, miracula, reuelationes, & alia his similia.

Ad secundam confirmationẽ.

Ad secundam autem confirmationem de alijs opinionibus, respondeo, quod non in omnibus eadem currit ratio, ac currit in præsenti nostro proposito, & si ad fuerit, de illa etiam simile erit iudicium. Hactenus de hac quæstione.

QVÆST.

QVÆST. XXXI.

Qualiter Virgo sacra ab originali peccato fuerit præseruata?

POSTQVAM in præcedentibus quæstionibus, adeò latissime egimus de his quæ ad sacræ Virginis puritatem, & eiusdem ab originali peccato immunitatem spectāt, vt huic nostro tractatui iam debite imponamus finem, superest vt quammaxima fieri poterit breuitate & resolutione, etiam dicamus, qualiter prædicta Virgo ab eiusmodi originali peccato fuerit præseruata, & agamus de alijs quæ præseruationem ipsam sunt subsequuta: quæ (vt crediderim) nec modicū agnouisse iuuabit. Et circa difficultatem propositam dico, quod hac de re non est par omnium Doctorum consensus: quinvero multum inter se sunt diuisi, & iuxta varias & diuersas considerationes quibus eadem sacra Virgo potest considerari & intelligi, variæ etiam & diuersæ sunt Doctorū sententiæ & opiniones. Consideratur enim ab eisdem sub multiplici statu. Primo quando pro statu innocentiæ & ante peccatum, nobiscum simul fuit in lumbis Adæ. Secundo post peccatum quod in (Adamo iuxta aliquos) nobiscum simul commisit: quo etiam tempore fuit in lumbis ipsius Adæ à quo seminaliter descendit, & postmodum in lumbis aliorum suorum Parentum, in quibus fuit in potentia generatiua, & secundum prædictam seminalem rationem. Tertio consideratur, extra potentiam & virtutem suorum Parentum generatiuam: cum primū concepta fuit ex commistione seminis vtriusque Parentis, in quo statu permansit vsque ad instans suæ generationis, in quo rationalis anima corpori fuit infusa, & in hoc statu multipliciter etiam consideratur, vt dicemus statim. Quarto & vltimo, consideratur Virgo sacra in illo statu in quo rationalis anima corpori infusa, complete fuit cōcepta in propria persona. Iuxta quas multiplices considerationes, circa difficultatem propositam sex versantur Doctorum opiniones.

Nota varias atque multiplices considerationes sub quibus sacra Virgo considerari potest.

Prima opinio est dicentium, Virginem sacram in Adamo non peccasse, & propterea ad contrahēdam originalis peccati maculam, in eodem obnoxiam non fuisse. Inquiunt enim, quod quamvis sacra Virgo, quantum ad esse naturale fuerit in lumbis Adami, ac propterea quantum erat ex conditione suæ naturæ fuerit subiecta legi comestionem prohibēti de ligno vetito, & consequenter habuerit debitum peccandi (Adamo peccante) & contrahendi eiusdem maculā: attamen

Prima opinio. Caterina.

attamen de facto non contraxit eiusmodi debitum: neque in Adamo peccauit, aut ipsius contraxit maculam, quia ex speciali priuilegio & diuina gratia sibi concessa, in meritis Christi præuisis, exempta fuit ab eiusmodi lege, & præcepto non comedendi de ligno vetito: & in hoc præseruationem sacræ Virginis à peccato originali consistere dicunt. Hæc fuit opinio Catherini tractatu de Conceptione Virginis, lib. 1. cap. 1. §. quarto agitur, & lib. 2. cap. etiam primo in principio, & in lib. de casu hominis & peccato originali cap. vltimo, de qua sententia & opinione latissime egimus supra in quæst. 11. & 12.

Secunda opinio, quæ fuisse dicitur olim D. Thomæ.

Secunda est aliorum opinio, dicentium Virginem sacram originalem maculam non contraxisse, quia culpa quã in Adamo commisit, dum esset in eius & aliorum suorum Parentum lumbis, in eorundem lumbis fuit sibi remissa in meritis Christi. Quod vt sustineant, dicunt, quod sicuti potest quis filios alicuius suæ captiuæ adhuc existentes in pura eiusdem potentia generatiua, à seruitute & captiuitate liberare, si illos libertate donet, matre adhuc in captiuitate permanente: qua facta libertate, filij (nõdum concepti sed concipiendi) non solum nascerẽtur liberi, verum etiam & ab ipsa captiua ab omni seruitutis iugo liberi conciperẽtur: ita & potuit Deus Virginem sacram, in Adami & aliorum Parentum lumbis virtualiter adhuc existentẽ, libertate donare, & facere vt non subiaceret seruituti contrahendæ maculæ eiusdem Adami. Quod cum non implicet, existimant congruum esse modum, tuendi & defendendi puritatem sacræ Virginis, & immunitatem eiusdem ab originali peccato. Quod probant ex auctoritate Diui Thomæ in tertio sententiarum dist. 3. quæst. 1. art. 1. quæst. 1. ad primum, vbi tanquam possibile admittit, posse Deum filios nondum conceptos in suis parentibus sanctificare. Quod possibile quam plures admittunt, & inter ipsos Suarez tomo 2. ad tertiã partem disp. 3. sect. 3.

Tertia opinio, seu potius error quorundam.

Tertia est aliorum opinio (seu potius error) quorundam, asserentium ideò Virginem sacram originale peccatum non contraxisse, quia naturali propagatione, & ex carnali suorum Parẽtũ cõmixtione non fuit concepta, per seminalem rationem. Hic dicendi modus est quorundam hæreticorum, quos refert Epiphanius lib. 3. aduersus hæreses cap. 79. & vocat illos colyridianos, qui dicebant Beatam Virginem à suis Parentibus Ioachim & Anna (non ex cõmixtione seminum, neque per carnalem concubitum fuisse conceptam, sed præter communem hominum concursum, per solos pudicos & virtuales amplexus, quibus adinuicem sunt amplexati, cum primum post admonitionem Angeli de filia concipienda sese inuisserunt. Huius erroris etiam meminit Baronius tomo 1. & lib. 1. apparatus ad annales Ecclesiasticos pag. 11. littera B.

Quarta opinio

Quarta etiam est aliorum opinio, dicentium Virginem sacram origi-

originale peccatum ideò non contraxisse, sed ab eo fuisse liberatam: quia Deus ante infusionem animæ rationalis carnem mundauit, ne animam inficeret. Hanc sententiam & opinionem tenuisse & approbasse olim quamplurimos, testatur Iacobus de Valentia super Psal. 45. explicando illa verba: *Arcum conteret, & confringet arma*, eamque defendit vt probabilem. Et apud antiquos fuit opinio communis, quam tenuerunt & probauerunt Galatinus, multique alij Theologi, qui fuerunt in ea opinione & sententia vt dicerent, propterea peccatum Adami in animam transfundi, quia caro immunda animam inficit. Et dixerunt eam fuisse sententiam Diui Augustini, Ambrosij & multorum Sanctorum Patrum.

Aliorumque refert Iacobus de Valentia, vbi supra.

Quinta est aliorum opinio, asserentium Virginem sacram originale peccatum non contraxisse, sed ab eo fuisse præseruatam, quia illius sanctissima anima in gratia fuit creata antequam corpori infunderetur, & quia prius natura fuit Deo grata illius anima, quam corpus uinformaret: inde (inquiunt) effectum est, vt persona Virginis in ipsa sua Conceptione simpliciter & absolute fuerit Deo grata, impediente gratia ipsa maculæ resultantiam. Hanc sententiam tenet supradictus Iacobus de Valentia loco vbi supra, super Psalm. 45. & in Canticum Virginis, cuius initium est, *Magnificat*, littera M. & eandem tenet frater Ioannes Rubius Minorita, nostræ huius Prouinciæ Diui Iacobi Alumnus, libro quem inscripsit contra Erasmum, errore 5. & Michael de Palacios super tertio sent. dist. 3. disp. 1. & fuit aliquãdo communis opinio in Scholis, quam & quidam tribuere volunt Scoto, sed falso.

Quinta opinio. Propria supradicti Iacobi de Valentia vbi supra.

Sexta & vltima opinio est asserentium Virginem sacram ab originali peccato fuisse præseruatam, quia in primo ipso suæ generationis instanti, gratia diuina prius natura fuit illi infusa, quam in ipsa resultaret aliqua originalis macula.

Sexta opinio, & sententia tenenda.

Hæ sunt sententiæ & opiniones, quæ circa difficultatem prædictam versantur, quas amplius discutiendo, & certa ab incertis separãdo, propositæ difficultati fiet satis per sequentes Conclusiones.

Prima Conclusio.

SENTENTIA quæ dicit Virginem sacram à peccato originali fuisse præseruatam, pro eo quod in Adamo non peccauerit, neque in ipso peccandi contraxerit debitum, propter rationem ibidem dictam: non omninò videtur improbabilis, licet contraria sit cõmunior & probabilior. De qua sententia de nouo nihil occurrit dicendum, sicque lectorem remitto vt videat ea quæ latissime dicta sunt à nobis supra, in quæstione 11. & 12. Vbi in controuersiam adduximus, an Virgo sacra in Adamo primo nostro Parente peccauerit,

Prima sententia non omnino videtur improbabilis, licet contraria sit communior & probabilior.

uerit, aut saltim contrahendi peccati originalis maculam, habuerit debitum.

Secunda Conclusio.

Secunda sententia est falsa, nec videtur probabilis.

SENTENTIA quæ dicit Virginem sacram ab originali peccato fuisse præseruatam,& in propria sua persona ab eiusdem macula liberam, pro eo quod culpa commissa in lumbis Adami, in eisdem etiam fuit sibi remissa: non est vera, nec à viris Theologis vllo modo recipitur. Hæc conclusio est Diui Thomæ in 3.sentent.dist.3. quæst.1.art.1 in corpore,& in solut. ad primum argumentum, & 3. parte quæst.27 art.2.in solut.ad quartum. Et Alexandri Alensis 3.p. quæst. 9.memb.2.art.3. Ricardi in 3. dist.3.art. 1. quæst.1.& ex recentioribus tenent eam Suarez secundo tomo ad tertiam partem disput.3.sect.3.& Ægidius loco supracitato ;lib. 3.quæst.10. art. 2.§.2. Qui omnes conueniunt in hoc, quod Virgo sacra ante infusionem animæ â peccato originali non potuit liberari, & multo minus liberari potuit ab eodem, dum tantummodo esset in Adami, siue Parentum suorum lumbis. Quod probant hac efficacissima ratione. Nam Deus non potuit sacram Virginem in suis parentibus sanctificare, nisi vel sanctificando illos sanctificatione personali, vel in illis mundando & sanando naturam: sed neutro modo Virgo sacra in parentibus fuit sanctificata, seu â peccato originali præseruata: ergo intentum. Minorem probant. Nam priori modo Beata Virgo non potuit in parentibus sanctificari, quia sanctificatio personalis non transit ad filios (vt de se patet.) Neq; vero posteriori modo: quoniam & si Deus de potentia sua absoluta sanare posset naturam, vel totam in omnibus hominibus, vel in aliquibus solummodo, & facere vt in illorum posteros natura cum originali culpa non transfundatur: non tamen id fecit,& vt inquit Diuus Thomas, nec decuit vt illud faceret contra legem suam ordinariam. Quibus omnibus accedit, quod Virgo sacra in suis parentibus non erat capax sanctificationis quæ fit per gratiam, nec enim gratia recipi potest nisi in creatura rationali iam in propria sua persona existente,& â peccatum originale de lege ordinaria loquendo, non nisi per gratiam iustificantem, & sanctificantem remittitur. Qua ratione prædicta sententia nullo modo est admittenda aut sustinenda.

Tertia Conclusio.

Tertia sententia est falsa, & improbabilis: quinvero hæretica.

SENTENTIA quæ dicit Virginem sacram originale peccatum non contraxisse, quia non naturali modo neque ex carnali copula,& commixtione suorum parentum, per rationem seminalem fuit concepta, multominus est admittenda: quinvero est hæretica.

Hæc

Hæc conclusio communis est omnium Doctorum resolutio, & etiam quamplures in se continet errores sententia prædicta, philosophiæ repugnantes. De quibus videatur Diuus Epiphanius loco supracitato, & Nisenus in oratione de Natali Domini, & Damascenus in oratione de Dormitione Virginis. Et primo sequeretur ex ea, Virginem sacram humanæ naturæ fuisse prorsus expertam, nec veram filiam fuisse Adami, si non ab eo naturali via & per rationem seminalem descendit: & consequenter sequeretur etiam Christum Dominum, qui ab eadem humanam naturam assumpsit, non etiam fuisse verum hominem, aut filium Adami: nam si fuit verus homo & verus Adami filius dici potest; ex eo est quia ex Beata Virgine vera Adami filia, corporalem substantiam assumpsit. Sequeretur præterea quod Beata Virgo ex se & ex vi suæ formationis (etiam seclussa præseruationis gratia) non originali peccato fuit obnoxia, postquam ab Adam non naturali propagatione descendit: & dicere quod Anna nō per naturalem coitum, sed per pudicum quendam spiritualem amplexum concepit, error est etiam naturali philosophiæ repūgnans: sicque sententia prædicta nihili est facienda. De qua videatur Suarez secundo tomo in tertiam partem disp. 2. sect. 1. & Ægidius loco vbi supra, quæst. 10. art. 3.

Quarta Conclusio.

Quarta sententia est falsa, & quæ nō recipitur.

SENTENTIA quæ dicit Virginem sacram ab originali peccato fuisse liberam, pro eo quod Deus ante infusionem animæ carnem mundauit, ne animam inficeret, etiam est falsa, & quæ nullo modo recipi debet. Hæc conclusio est Diui Thomæ 3. p. quæst. 27. art. 2. vbi prædictam sententiam impugnat, quod fecit & in tertio senten. dist. 3. quæst. 1. art. 1. quæst. 2. & opuscul. 2. cap. 224. & super Psalm. 45. & sæpe alibi. Et etiam reijcit illam Alexander Alensis 3. p. quæst. 9. memb. 2. art. 1. & 2. & Diuus Bonauentura in eodem tertio sent. dist. 3. art. 1 quæst. 1. & ibi Ricardus, & omnes Doctores communiter. Cuius quidem conclusionis falsitas ex eo probatur, quia secundum legem ordinariam à Deo statutam, nemo ab aliquo actuali vel originali peccato liberari potest, nisi per gratiam & Christi Domini iustitiam, in propria sua persona receptam & inhærentem, vt satis constat ex Concilio Tridentino Sessione 6. de iustificatione, cap. 7. & canone 11. vbi dicitur, quod gratia est causa nostræ iustificationis: ergo Virgo sacra nullo modo potuit à peccato prædicto originali liberari, per mundationem carnis ante animæ infusionem, si quidē tunc nō erat capax gratiæ, qua posset formaliter iustificari, nec enim gratia nisi in propria persona recipitur, & postquam anima iam est infusa corpori. Quod & cōfirmatur præterea. Quia si Virgo sacra ab originali culpa fuisset liberata, quia caro ante infusionem animæ fuit

mundata vt ne animam inficeret, sequeretur quod postquam fuit personaliter genita non indiguit habituali gratia vt á peccati macula præseruaretur, imo vero de facto non illam contraheret, quamvis gratia non sibi donaretur: consequens autem sine errore defendi nō potest, ergo neque antecedens.

Quinta conclusio.

Quinta sententia est etiam falsa, & nullo modo sustinenda.

SENTENTIA quæ dicit Virginem sacram ab originali peccato fuisse præseruatam, quia anima illius fuit creata in gratia antequam corpori infunderetur, & quia gratia impediuit originalis maculæ resultantiam: & si prima facie probabilis & intellectu facilis videatur, re tamen bene expensa falsa est, & nullo modo sustinenda. Hæc conclusio probatur, quia secundum legem Dei ordinariam (vt dictum est in præcedenti conclusione) nullus à peccato actuali vel originali potest liberari, nisi per gratiam & Christi Domini iustitiam, in propria sua persona receptam & inhærentem: sed anima priusquā infundatur corpori, non est capax eiusmodi gratiæ aut Christi iustitiæ, quæ supponit personam iam re ipsa constitutam: ergo prædicta sententia nullo modo est sustinenda. De cuius etiam falsitate videatur Suarez loco vbisupra, disp. 3. sect. 3. & Ægidius loco etiam vbisupra, articulo 5. §. 1. & 2. vbi eiusmodi sententiam latissime improbat.

Sexta Conclusio.

Sexta sententia est vera, & quæ communiter tenetur ab omnibus qui dicunt Virginem sacrā ab originali peccato fuisse præseruatam.

SENTENTIA quæ dicit Virginem sacram ab originali peccato fuisse præseruatam, quia in primo suæ Conceptionis instanti in propria sua persona accepit præseruatiuam gratiam, quæ impediuit originalis peccati maculæ resultantiam, vera est, & quæ communiter sustinetur ab omnibus, qui eandem Beatam Virginem á peccato originali liberant. Hæc conclusio est certa & vera. De qua videndus est specialiter Suarez secundo tomo ad tertiam partem disp. 3. sect. 4. per totam, vbi multis probat eiusmodi præseruationis modum fuisse possibilem, & nullam prorsus implicare contradictionē. Quod etiam quantum ad possibilitatem concedunt etiam & ipsi aduersarij qui dicunt Virginem sacram originale peccatum contraxisse: de quibus videatur latissime supradictus Suarez loco vbisupra, vbi omnia eorum argumenta in contrarium adducta, sive quæ adduci possunt, dissoluit. Quod quia nos etiam latissime fecimus supra quæstione 13. ab hoc labore supersedemus breuitati studendo, & vt ne cogamur eadem semel atque iterum dicere. Videatur etiam de conclusione prædicta Ægidius loco vbisupra art. 6. vbi illam probat á fusi-

sufficienti partium ennumeratione: quia ex suppositione quod Virgo sacra ab originali peccato fuit præseruata, reprobatis omnibus alijs præseruandi supradictis modis, nullus omnino alius occurrit possibilis, & qui congruentior appareat.

QVÆST. XXXII.

Utrum Virgo sacra in sua præseruatione siue sanctificatione, facta in primo suæ Conceptionis instanti, habuerit gratiæ plenitudinem cõsumatã, seu in quo perfectionis gradu illam habuerit?

HVIC quæstioni breuiter & resolutiue respondetur, per sequentes Conclusiones.

Prima Conclusio.

QVAMVIS Virgo sacra in sua preseruatione siue prima sanctificatione, non habuerit gratię plenitudinem consumatam, quam habitura erat postmodum in statu gloriæ, neque adeò intensam vt illam ab statu viatoris extraheret: simpliciter tamen & absolute concedendum est, post Christum Dominum eam accepisse gratiæ plenitudinem, cum qua nullus hominum siue Angelorum vnquã possit aut potuerit comparari. Hæc conclusio quoad primam partẽ de gratia consumata probatur, quia eiusmodi gratia nulli omninò datur nisi in statu gloriæ: Virgo autem sacra in primo suo Conceptionis instanti non fuit in cõprehensoris statu, sed viatoris tantũmodo: ergo intentum. Nam quod Christus Dominus simul fuerit viator & comprehensor, singulare fuit priuilegium ipsius animæ, vt tenent communiter omnes Doctores Theologi: quia illi soli gloria fuit cõnaturalis ratione vnionis, & statum viatoris Christus Dominus non propter se habuit, sed propter nos ex diuina dispositione, pro nobis vt mereri vt posset: non sic autem fuit Beata Virgo, vt cunque perfectissime fuerit formata: nam per se & propter se fuit viatrix, vt gloriam sibi quam connaturalem non habebat mereretur, & dum fuit in via non illam comprehendit, sed per fidem ambulauit, iuxta illud Lucæ 1. *Beata quæ credidisti*, nec fuit in termino. Quod vero non etiam habuerit in sua præseruatione, seu prima sanctificatione gratiam summe intensam, quam postea habitura erat, etiam constat ex supradictis, postquam (vt prædictum est) non comprehensoris, sed viatoris acce-

Virgo sacra in sua præseruatione, siue prima sanctificatione, habuit plenitudinem gratiæ quæ in statu via haberi potest post Christum.

accepit gratiam, de cuius ratione est augeri vt posset, cum sit principium merendi, & meritum ipsum causa eiusdem augmenti. Qua de re videatur Suarez tomo 2. in tertiam partem Diui Thomæ, disp. 4. sect. 1. vbi probat id ipsum ex eo quod habetur Prouerb. 4. quando dicitur: *Quod iustorũ semita quasi lux splendens procedit, & vsque ad perfectã diem crescit*. Sed quod his nihilominus non obstantibus, simpliciter & absolute concedendum sit, Virginem sacram in sua præseruatione, siue prima sanctificatione, gratiæ accepisse plenitudinem: probatur ex verbis Gabrielis Archangeli, quando illam salutando. Lucæ 1. illi dixit, *Aue gratia plena*. Quod vt exponit Diuus Hieronymus sermone de Assumptione, summa cum ratione sibi dictum fuit. *Bene* (inquit) *gratia fuit plena, quia cæteris virginibus præstatur gratia per partes, Mariæ vero tota se infudit plenitudo gratiæ*. Quæ quidem verba, licet intelligantur de gratia quæ est Christus Dominus, quem totum simul concepit, etiã intelligi possunt & debent de habituali gratia nec sunt limitanda vt solummodo referantur ad tempus illud quo verbum diuinum sacro suo concepit vtero: verum etiam amplianda & extendenda ad omnes temporis differentias, ita vt semper à primo suæ Conceptionis instanti, Virgo sacra gratia, fuerit plena. Cuius quidem rei ratio in promptu est. Nam iuxta vulgare philosophiæ principium, quanto aliquid magis apropinquat alicui principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum eiusdem principij. Qua quidem ratione Diuus Dionysius cap. 4 de Cœlesti Hierarchia dicit, quod quia Angeli Deo sunt propinquiores, magis participant de bonitatibus diuinis, quam homines. Cum ergo Virgo sacra præcæteris (necdum hominibus, verum etiam Angelis) propinquissima fuerit Christo Domino secundum humanitatem, vtpotè qui ab ea humanam accepit naturam, & Christus ipse sit fons & origo omnis gratiæ, & totius sanctitatis, profecto manifeste sequitur, quod ab eodem Christo præcæteris maiorem accepit gratiæ plenitudinem. Sicque communis est omnium Doctorum resolutio, Virgini sacræ in sua præseruatione siue prima sanctificatione, ampliorem & intensiorem gratiam fuisse concessam, quam vlli hominum siue Angelorum, in prima etiam sua sanctificatione. Neque huic resolutioni obstat, quod Beata Virgo in primo suæ Conceptionis instanti, non actu habuerit illam coniunctionem cum Christo, quam habuit quando illum in suo sacro vtero concepit: nam sufficit quod ex diuina prædestinatione ordinem habuerit ad illam, & ad eiusmodi finem fuerit præseruata siue sanctificata, & (vt ita dicam) disposita. Nam quanto terminus & finis futurus erat altior, tanto perfectius habuit initium, & tanto melius fuit disposita, quanto propter meliorem formam, & quanto ædificium altius erat erigendum, tanto meliora iacta sunt fundamenta. In qua quidem consideratione insistendo, pro maiori huius rei ponderatione

tione, secundam sequentem statuo Conclusionem.

Secunda Conclusio.

PIE credendum est & multum verisimiliter potest dici, Virginem sacram in sua præseruatione siue prima sanctificatione, ampliorem atque intensiorem recepisse gratiam, quam fuerit suprema in qua consumantur Angeli siue Homines. Pro huius conclusionis probatione communiter solet adduci illud Psalmi 86. *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Et sic exponitur, quod fundamēta sanctitatis Virginis, posita fuerunt vbi sancti alij consumantur. & vt ne id mirum cuipiam videatur, additum est ibidem: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* Et iterum infrà, *Gloriosa dicta sunt de te, Ciuitas Dei.* Et quid mirum est quod de Virgine sacra adeò gloriosa dicantur, cum qui fundauit eam Altissimus, homo factus est, siue potius fiendus erat in eius sacro vtero. Quæ quidem verba, in sensu mystico de eadem Virgine licet dicantur, cum Ecclesia sancta Spiritu Sancto ducta eadem sibi accomodet, haud parum efficax efficiunt argumentum ad conclusionem prædictam comprobandam. In quem eundē sensum Diuus Gregorius lib. 1. Regum cap. 2. explicat illud: *Fuit vir vnus de Ramathaim, Sophin, de monte Ephraim.* Et illud Esaiæ cap. 2. *Erit innouissimis diebus præparatus mons Domus Domini in vertice montium.* Super quæ verba dicit *Montis Ephraim nomine Beatissima semper Virgo Maria Dei genitrix designari potest. Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis sua dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ vt ad Conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros vsque ad solium Deitatis erexit. Huius enim montis praecellentissimam dignitatem Isaias vaticinans ait: erit innouissimis diebus præparatus mons Domus Domini, in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ supra omnes Sanctos refulsit. Nam sicut mons altitudinem: ita domus designat habitationem* Et infra. *Mons in vertice montium Maria non fieret, si supra Angelorum altitudinem, hanc diuina fæcunditas non leuaret.* Potest præterea prædicta conclusio confirmari, ex his quæ dixit Laurentius Iustinianus serm. de Natiuitate Virgin. nempe quod Beata Virgo in suæ sanctificationis instanti, plus amabatur à Verbo quam vllus Angelus vel homo: sed gratia correspondet amori, & est quasi ipsius obiectum: ergo si plus amabatur quam Angeli & homines, maior etiam gratia data illi fuit, quam habuerint prædicti Angeli, siue homines in sua consumatione. Neque id mirum, nam in illo instanti amabat illam diuinum Verbum, tanquam futuram Matrem suā, & talis amor debebatur tali matri: & tanta gratiæ perfectio optime quadrat cum tali ac tanta dignitate. Qua quidē ratione etiam Petrus Damianus sermone de Annunciatione, de eadem Virgine loquendo notan-

Pie creditur & verisimile est, Virginem sacrá in sua præseruatione siue prima sanctificatione habuisse intensiorem gratiam quam Angeli & sancti in sua consumatione.

notanter dixit. *Attende seraphim, & videbis quicquid maius est, minus Virgine esse: solumq; opificem opus istud super gredi.* Sanctus etiam Vincentius Ferrer sermone 1. de Natiuitate Mariæ aperte dicit, eandem in vtero suæ matris sanctificatam fuisse, supra omnes Sanctos & supra omnes Angelos, accomodans in id ipsum illud Psalmi 45. *Fluminis impetus letificat Ciuitatem Dei: sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.* Et D. Bernardus sermone etiam de Natiuitate Mariæ, aperte dicit eandem etiam ante Conceptionem filij, Angelis fuisse præstantiorem, quia licet tunc nondum re ipsa mater esset effecta, iam tamen erat ad illam dignitatem destinata, & persona verbi illam amauit & sanctificauit, vt personam ad se pertinentem, & futuram matrem suam. Quæ supra dictæ rationes omnes (vt clare patet) procedunt de sacræ Virginis præseruatione, & prima sua sanctificatione.

Tertia Conclusio.

Sacra Virgo in sua præseruatione siue prima sanctificatione, simul cũ gratia habuit omnes virtutes per se inffusas, & omnia Spiritus Sancti dona.

CERTISSIMVM etiam est, Virginem sacram in sua præseruatione siue prima sanctificatione, accepisse simul cum gratia omnes virtutes per se inffussas, & omnia Spiritus Sancti dona. De hac conclusione videtur Suarez tomo 2. ad tertiam partem disp. 4. sect. 2. vbi & illam probat, ex eo quod supradicta omnia veluti ex natura rei gratiam ipsam consequuntur. In cuius etiam probationem adducit illud Athanasij, sermone de Sanctissima Deipara, vbi explicando illa verba Psalm. 86. *sanctificauit tabernaculum suum Altissimus*, dicit descendisse in eam Spiritum Sanctum cum omnibus suis essentialibus virtutibus, imbuens eam gratia, vt in omnibus esset grata: ac propterea ab Angelo gratia plenam fuisse cognominatam. Probatur præterea prædicta conclusio ex Diuo Bernardo, sermone de Assumptione, vbi ad prædictam Virginis sanctificationem, accomodat illud Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.* Quas septem columnas, fuisse dicit septem Spiritus Sancti dona. A qua prædicta generali regula ac virtutum omnium inffusione (inquit supradictus Suarez) excipiendas non esse virtutes illas, quæ propter imperfectionem quam includunt beatitudini repugnantem, dicuntur non fuisse in anima Christi, nempe fides & spes: nam cum Virgo sacra vt viatrix fuerit sanctificata, fide & spe indiguit, & revera has virtutes habuit, quamquam in gradu perfectissimo, & quam maximæ suæ gratiæ proportionato. De alijs virtutibus quæ dicunt imperfectionem contrariam virtuti hæroicæ & perfectæ (vt est continentia) vel perfectæ innocentiæ (vt est pœnitentia) dubitat etiam prædictus Suarez, an Virgo sacra illas habuerit? Et de continentia dicit quod significat virtutem in statu imperfecto, & quod sub hac ratione non fuit in Virgine, nec propterea dicendum est quod vlla virtute caruit, si quidem

habuit

habuit aliquid eâ præstantius, & quia continentia non significat virtutem re & essentia à cæteris distinctam. De pœnitentia autem credis Virginem sacram habuisse illam quantum ad habitum, non autē quantum ad actum, qui in rigore significat retractationem siue detestationem alicuius actionis propriæ, quod certissimum est nunquam fuisse in Virgine, neque illam aliquid retractatione dignum vnquam egisse. Etiam dicit supradictus Suarez datas fuisse sacræ Virgini in prima sua Conceptione siue sanctificatione, omnes virtutes morales per accidens infussas: quod dicit tantum probabiliter. Probatque illud, quia datæ fuerunt Adamo & similiter Euæ, primis nostris parentibus in prima sua sanctificatione, nec Virgini negandum videtur aliquod gratiæ priuilegium, quod alijs fuerit concessum, præsertim cum Virgo sacra altiori modo fuerit viuentium mater quam Eua, quinvero & mater omnis gratiæ & virtutis, qui fuit Christus Dominus. Probat id ipsum ab effectu, quia per prædictam primam Virginis sanctificationem siue præseruationem, eiusdem appetitus fuit perfectissime & quammaxime ordinatus & temperatus, ita vt nullum fomitis siue concupiscentiæ senserit motum, vt infra latius dicemus. Qui quidem effectus accōmodatissime prædictis virtutibus per accidens inffusis tribuitur, illæ enim sunt per quas affectus nostri connaturaliter temperantur: nam virtutes per se inffussæ (cum sint altioris ordinis) facile secum compatiuntur effrenatas passiones. Hæc Suarez vbisupra.

QVÆST. XXXIII.

Vtrum Virgo sacra à primo suæ Conceptionis instanti habuerit vsum rationis? & quisnam fuerit primus eiusdem actus, & an eiusmodi rationis actus in ea fuerit permanens, & per illum se disposuerit ad gratiam suscipiendam?

MVLTA simul in hac quæstione veniunt explicanda, quammaxima consideratione digna. Primo, vtrum Virgo sacra in primo suæ Conceptionis siue sanctificationis instanti, perfectum habuerit vsum rationis, & actum eius cum perfecta cognitione & iudicio? Secundo, quisnam fuerit iste rationis actus, & quid per illum cognouerit seu cognoscere poterit, & qualis fuerit eiusmodi cognitio? Tertio, an prædictus ratio-

nis actus perpetuo in ipsa permanserit? Et quarto & vltimo, an per hunc actum se ad gratiam disposuerit, aut disponere potuerit? Quibus omnibus breuiter & resolutiue, per sequentes Conclusiones fiet satis. Sed primũ dicamus oportet, fuisse opinionem Diui Thomæ, 3. parte quæst. 27. art. 3. circa finem, asserentis Virginem sacram in vtero suæ matris non habuisse vsum rationis, siue liberi arbitrij. Quam opinionem Suarez 2. tomo in tertiam partem disp. 4. sect. 7. §. *mirum est autem*, dicit nonnullis etiam placuisse, cuius opinionis fundamenta ad tria capita reducuntur.

Opinio D. Tho.

Primum argumentum. Primo, quia eiusmodi priuilegium fuit speciale Christi Domini, ac proinde non videtur Virgini sacræ esse concedendum.

Secundum argumentum. Secundo, quoniam hæc perfectio non ad maiorem sanctitatem pertinet, ac proinde nec necessarium videtur Virgini sacræ concedi, sicuti neque illi fuit concessum vt longiori quam omnes vita viueret, quia non hoc ad maiorem ipsius sanctitatem pertinebat.

Tertium argumentum. Tertio & vltimo, quia prædictus rationis vsus pro statu viæ haberi minime potest sine conuersione ad phantasmata, & in illo primo suæ Conceptionis instanti, non videtur qualiter prædicta sacra Virgo eiusmodi conuersionem potuerit habere. Sed his nihilominus non obstantibus, in contrarium est veritas, de qua prima sit Conclusio.

Prima conclusio.

Sacra Virgo in primo suæ Conceptionis siue sanctificationis instanti, actualẽ habuit vsum rationis.

SACRA Virgo in primo suæ Conceptionis siue sanctificationis instanti, actualem habuit vsum rationis. Hęc conclusio est expressa sancti Patris nostri Bernardini Senensis, tomo 1. sermone 61. de Beata Virgine art. 3. cap. 7. & tomo 2. sermone 51. cap. 2. & Carthusiani lib. de laudib. Virgin. art. 12. & ex Thomistis tenent eam Caietanus 3. parte quæst. 27. art. 3. paulo ante finem commenti, §. circa primum modum vinculi, Viguerius in suis institutionibus Theolog. cap. 5. §. 3. vers. 9. & refert hanc sententiam Iacobus de Valentia Christopolitanus Episcopus, in Cant. Virginis, Bernardinus de Bustos in suo Mariali parte 12. sermone 1. folio 380. Barradas tomo 1. concor. lib. 6. cap. 3. §. *quarta gemma est vsus rationis*, Petrus de Riuadeneira in festo Præsentationis Beatæ Mariæ in templo. Suarez 2. tomo ad tertiam partem dis. 4. sect. 7. per totam. Vazquez secundo etiam tomo ad tertiam partem disp. 119. cap. 3. Petrus Morales de Christo & B. Maria, lib. 1. tract. 9. num. 13. Frater Franciscus de Pitigian. ad tertiũ Scoti dist. 3. quæst. 1. art. 8. & Frater Ioannes de Ouando ibidem, q. 5. de vsu gratiæ. Ægidius lib. 4. quæst. 4. art. 1. §. 2. & est communis inter omnes Theologos. Cuius præcipuum ac potissimum fundamentum est, quia nullum gratiæ priuilegium alicui puro homini concessum, sacræ Virgini esse videtur denegandum: sed vsu rationis suæ sanctificationis

ctificationis tempore datum fuit Ioanni Baptistæ, vt constat ex illis verbis Lucæ 1. *Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo*: ergo eiusmodi priuilegium Virgini sacræ non est denegandum. Circa probationem minoris propositionis (nempe quod D. Ioannes in primo suæ sanctificationis instanti habuerit vsum rationis) Suarez & Ægidius loco vbi supra, multum insumunt temporis, id ipsum ostendendo & probando multis Sanctorum Patrum auctoritatibus, quas cum per tempus referre non liceat, & quia res de se clara & manifesta est, & apud omnes communis, in his amplius immorari non libuit, vt veniamus ad secundam difficultatem, & explicemus atque dicamus, quid Virgo sacra cognouerit per supradictum rationis actum: de quo sit secunda Conclusio.

Secunda Conclusio.

Quid cognouerit Virgo sacra per vsum rationis, in primo sua Conceptionis instanti?

VIRGO sacra per supradictum rationis actum, quem habuit in primo suæ Conceptionis siue sanctificationis instanti, mysterium sanctissimæ Trinitatis cognouit, necnon & Incarnationis filij Dei (quoad substantiam) quamvis non quoad omnes ipsius circumstantias. Hanc conclusionem tenet Suarez loco supracitato §. *dico secunda*, & latius disp. 19. sect. 1. §. *sed quaeret aliquis*, & Ægidius loco etiam supra citato, art. 2. & cum illis conueniunt Quando & Pitigianus, locis etiam supracitatis. Et quod ille actus fuerit circa mysterium Sanctissimæ Trinitatis, necnon Filij Dei Incarnationis, dubitari non potest, cum fuerit supernaturalis, & à Deo desuper infusus. Et vt inquit Suarez hoc nulla indiget probatione, maxime cum constet ex exemplo Ioannis Baptistæ, qui (vt prædictum est) in vtero suæ matris Christum Dominum cognouit, & cum eiusmodi cognitio ad sanctificationem pertineat, & ad ipsam fuerit dispositio (quę proinde esse debuit actus fidei, cuilibet ad salutem necessarius) quia vt inquit Paulus ad Hebræos 10. *Sine fide impossibile est placere Deo*, alia eo tempore cognitio non esse videbitur necessaria. Sed adhuc probatur conclusio: quia vt tenet communis Theologorum omnium opinio, Angeli, similiter & Adamus primus noster parens, & Eua in prima sua sanctificatione prædictum habuere cognitionis actum mysterij Sanctissimæ Trinitatis, necnon & Filij Dei Incarnationis: ergo id ipsum non est sacræ Virgini denegandum.

De perfectione intensiua, actus quem habuit sacra Virgo, in primo sua Conceptionis instanti.

De perfectione intensiua supradicti actus, dicit Suarez in dicta disp. 19. sect. 1. non fuisse omnino ea perfectione perfectum quam habere potuit, quia sicut Virgo sacra semper creuit in gratia & in cæteris virtutibus, ita etiam semper creuit in fide: fuisse tamen perfectum quoad hoc quod omnem in ea dubitationis motum exclusit. Nam (vt infra dicemus) à principio suæ Conceptionis siue sanctificationis, & etiam

etiam fuit perfectus circa obiecta, in hoc sensu, quod fides illa quam habuit mysterij Sanctissimæ Trinitatis fuit explicita: nam talis cognitio esse videbatur necessaria ad primariam fidei perfectionem. Et idẽ dicit de mysterio Incarnationis, quod fuit etiam explicita quoad illius substantiam, scilicet quod Verbum Diuinum humanam erat carnem assumpturum: nam hæc etiam cognitio pertinet ad primariam fidei perfectionem: non tamen fuit perfectus eiusmodi actus quoad omnes mysterij illius circunstãtias: quia neque cognouit tunc ex qua fœmina deberet carnem assumere, neque quo tempore aut quo loco: ac denique quoad alia quamplurima. Vnde factum est vt Virgo sacra ipso temporis successu, plurima obseruaret & secum conferret, quæ ignorabat, vt constat ex illo quod habetur in Euangelio Lucæ 2. *Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.*

Tertia Conclusio.

Prædictus rationis actus in Virgine sacra, non fuit transiens, sed permanẽs, & semper in eadem durauit.

PRÆDICTVS rationis actus in Virgine sacra, non fuit transiens, sed permanens, & semper in eadem durauit. Hæc conclusio est expressa supradicti Suarez loco vbi supra, disp. 4. sect. 7. §. *dico quarto*, & eandem tenet Ægidius loco etiam vbi supra art. 3. quam & esse dicunt contra Caietanum, 3. parte quæst. 27. art. 4. vbi explicando Diuum Thomam qui negauit Virginem sacram in vtero habuisse rationis vsum, dicit intelligendum illum esse de vsu & actu permanente hoc enim (inquit) priuilegium solus Christus habuit: vbi insinuare videtur in Virgine sacra fuisse prædictum rationis vsum (non quidem permanentem) sed transeuntem: quem dicendi modum Suarez probabilem reputat loco vbi supra, §. *sed obijci potest*. Sed nihilominus supradicta conclusio est vera & tenenda, & est expressa sententia Diui Bernardini Senensis sermone 55. de Beata Virgine cap. 2. art. 1. quam etiam tenet Vazquez 2. tomo ad tertiam partem disput. 119 cap. 4. per totum. Frater Ioannes de Ouando ad tertium Scoti, dist. 3. quæst. 5. conclus. 3. & Pater Franciscus de Pitigianis super eũdem locum art. 8. in 4. dicto. Eandem tenet Barradas tom. 1. concord. lib. 6. cap. 3. § *quarta gemma*. Est præterea prædicta conclusio conformis doctrinæ & dictis Sanctorum Patrum, qui prædictum priuilegium concedunt etiam Sancto Ioanni Baptistæ, scilicet quod à principio suæ sanctificationis habuerit rationis vsum, & in eo perseuerauerit: quod tenet Diuus Ambrosius lib. 2. in Luc. *de mora Mariæ cum Elisabetha*. Cuius verba refert & expendit Vazquez loco vbi supra. & in id ipsum alia etiam Origines, homil. 8. & 9. super Lucam. Etiam comprobatur conclusio prædicta ex historia fidedigna, quæ refertur Virginem sacram tertio ætatis suæ anno, intelligentem quidem atque consentientem a parentibus in templum fuisse oblatam, quod tradit

Grego-

Gregorius Nissenus, Oratione de Christi natiuitate, & Damascenus lib. 4. fidei cap. 15. & Landulphus Carthusianus 1. parte de vita Christi c. 2. & plures alij de quibus videatur Canisius lib. 1. de Maria Deipara cap. 12. & Diuus Antoninus prima parte suæ historiæ, titulo 4. cap. 6. Et certe cum Sancti Patres prędictum rationis vsum (non quidem transeuntem sed permanentem) prædicto Sancto Ioanni Baptistæ concesserint, ac dixerint, quod eo vtendo in tenera sua ætate, tertio vel quarto anno in Eremum se contulit (vt constat ex Chrysostomo Homil. 38. in Matthæum, & Origine Homil. 9. in Lucam. & Nicephoro li. 1. suæ historiæ cap. 14.) haudquaquam est cur eiusmodi priuilegium sacræ sit Virgini denegandum.

Quarta Conclusio.

VIRGO sacra in primo suæ Conceptionis instanti, per propriã dispositionem fuit sanctificata, & se se ad gratiam præparauit. Hæc conclusio est expressa Diui Bernardini Senensis loco supracitato, & idem tenet etiam Suarez loco etiam vbi supra sect. 8. quam & sequentibus rationibus probat. Primo, quia vt constat ex supradictis, Virgo sacra in primo suæ conceptionis instanti habuit actualẽ vsum rationis, ac cognitionem Dei qua ratione est Trinus, necnõ & quoad substantiam mysterij Dominicæ Incarnationis: sed non est credendum, aut sit vero simile, quod habuerit eiusmodi cognitionem otiosam, & quasi emortuam: ergo dicendum est quod habuit simul tunc actum liberi arbitrij in Deum, quo illum super omnia dilexit, cum in hunc potissimum finem data sibi fuerit eiusmodi cognitio: & consequenter sanctificata est per propriam dispositionem. Secundo probat id ipsum. Quia vt inquit Diuus Thomas 3. parte quæst. 34. art. 3. sanctificari per proprium actum perfectus est sanctificationis modus: ergo haudquaquam credendum est possibile cum fuerit, sacræ fuisse Virgini denegatum. Tertio confirmat id ipsum, quia nullus sanctificatur sine proprio & libero consensu, nisi veluti per accidens propter impotentiam vtendi ratione (ratio enim perfecta ac propria ineũdi diuinam amicitiam, & veluti spiritualem cum Deo desponsatione, quæ in prima sanctificatione fit, vtriusque partis consensum requirit) sed in Virgine sacra non fuit eiusmodi impotentia, postquam (vt prædictum est) in primo suæ Conceptionis instanti habuit actualem vsum rationis: dicendum est igitur quod sanctificata est per propriam dispositionẽ. Quarto & vltimo probatur id ipsum; quia propter prædictas rationes & causas, communis est fere omnium Doctorum resolutio, quod tam Angeli quam Adam sanctificati fuerunt per propriam dispositionem, & idem dicunt de Sancto Ioanne Baptista, & quod gaudium illud quod ostendit quando exultauit in vtero,

Sacra Virgo in primo suæ Conceptionis instanti, per propriam dispositionẽ fuit sanctificata, & se se ad gratiam præparauit.

perfectissimi sui amoris in Deum fuit signum & indicium: ergo id ipsum nulla ratione Virgini sacræ esse videtur denegandum.

Difficultas notanda. Sed dices, id si ita est sequitur quod Beata Virgo in primo suæ Conceptionis instanti, non fuit operata per actum gratiæ & charitatis: certum cum sit quod dispositio ad infusionem gratiæ, & aliorū donorum, non procedit ab eiusmodi habitibus: consequens autem nō videtur verum aut concedendum, cum ille sit imperfectus operandi modus: ergo neque antecedēs. Hanc obiectionem proponit sibi Suarez loco vbisupra. *Solutio difficultatis.* Cui & respondendo dicit, quod dupliciter potest intelligi prædictam Virginis sanctificationem factam fuisse per propriam dispositionem, vno modo vt fuerit dispositio præparans subiectum ad receptionem habitus: & in hoc sensu verum est eiusmodi dispositionem non effici ab habitu, cum potius habitus infundatur quia dispositio effecta est, non vero vt efficiatur. Alio modo (inquit) potest intelligi prædicta dispositio, non vt præparans, sed vt præficiens, & consumans sanctificationem, & quando dispositio est talis, ab habitu & principio intrinseco procedit, & in hoc sensu potest dici Virginem sacram, etiam per propriam dispositionem fuisse sanctificatam: de quo posteriori modo loquendo, facile soluitur difficultas supradicta. Quo nihilominus non obstante dicit Suarez, suo videri similius esse priori modo fuisse sanctificatam, quia ille modus magis est accommodatus viatoribus ratione vtentibus, & omnibus pensatis ad maiorem perfectionem pertinet: nam qui se ad gratiam disponit quodammodo se sanctificat, & cum diuino auxilio aliquo est sibi modo causa gratiæ, quod maioris est perfectionis quam ex habitu primum actum elicere. Videatur hac de re prædictus Suarez loco vbi supra, & Ægidius lib. 4. quæst. 4. art. 4. quamvis in hoc vltima ab eodem discedat. *Virgo sacra in primo suæ Cōceptionis instāti de condigno meruit, non gratiam, sed gloriam.* Et concludendo dicit supradictus Suarez, Virginem sacram in prædicta sua prima sanctificatione, meruisse quidem de condigno (non gratiam) sed gloriam, quod probat ex generalibus principijs quæ traduntur in materia de gratia, nempe vltimam dispositionem ad ipsam esse meritoriam, quod cum ad perfectionem spectet non esse videtur sacræ Virgini denegandum.

Respondetur ad argumenta in contrarium adducta. Solummodo superest respondere ad argumēta in initio quæstionis proposita, quibus probari contendebatur Virginem sacram in primo suæ Conceptionis instanti, non habuisse vsum rationis.

Ad primum. Ad primum respondetur, quod quamvis priuilegium vsus rationis in vtero, ex longe diuerso titulo conuenerit Christo Domino, quam Beatæ Virgini aut Sancto Ioanni Baptistæ: quia Christo Domino eiusmodi priuilegium ratione vnionis hypostaticæ erat sibi debitum, & illi etiam erat debita visio beatifica: & in B. Virgine & Baptista non fuit debitum, sed mere gratis datum: nihilominus tamen negari minime potest, eiusmodi vsus rationis priuilegium sacræ fuisse

Virgini datum, cum ex omnium Sanctorum Patrum doctrina, Baptistæ adhuc in vtero existenti fuerit concessum.

Ad secundum respondetur, quod quamvis eiusmodi privilegiũ vsus rationis, absolute loquendo non necessario ad sanctitatem siue maiorem sanctitatem pertineat, inde tamen non infertur non oportuisse illud Virgini sacræ fuisse concessum: nam licet absolute non fuerit necessarium, potuit tamen esse signum & indicium maioris, & singularis cuiusdam sanctitatis. Neq; probatio adducta de longitudine vitæ ad rem facit, quia illa non esset indicium aut signum maioris & singularis sanctitatis. *Ad secundũ.*

Ad tertium respondetur, quod quamvis verum habeat id quod dicitur seruato naturali ordine, nihil tamen obstat, quominus Deus alicui in via concedere potuerit, intelligere sine vsu phantasmatum, vel vti phantasmatibus etiam in vtero. Videatur hac de re Suarez & Ægidius locis supracitatis. *Ad tertium.*

QVÆST. XXXIIII.

Vtrum Virgo sacra in primo suæ conceptionis instãti, iustitiam habuerit originalem?

HANC quæstionem atque difficultatem latissime tractat Corduba in suo Quæstionario lib. 1. quæst. 46. vbi multis præmissis de iustitia originali & multiplicibus eiusdem effectibus, & his quæ primis nostris parentibus conueniebant in statu innocentiæ, refert quosdam Doctores simpliciter asserentes, Virginem sacram habuisse iustitiam originalem in primo suæ Conceptionis instanti. Quam sententiam (vt inquit Suarez) tomo 2. in tertiam partem Diui Thomæ, disput. 4. sect. 6. tenet etiam Cartusianus lib de præconio & dignit. Mariæ, & Canisius lib. 1. de Virgine Deipara cap 9. referens Cardinalem Cusanum lib. 8. suorum operum, explicans illa verba Cantic. 2. *Sicut lilium inter spinas.* Et candẽ tenere videtur Durandus in 3. dist. 3. quæst. 3. & Caietanus 1. 2. q. 109. art. 2. dum dicit fuisse in Beata Virgine donum integritatis naturæ, quod sola ratione à iustitia originali distinguit. Cui etiam sententiæ & opinioni fauere videtur Diuus Anselmus, lib. de Concept. Virg. cap. 10. vbi de Christo Domino loquens inquit, à sua origine iustitiam originalem habuisse, quod (vt videtur) nõ potuit alia ratione dicere, nisi quia fomite caruit. Et cum etiam Virgo sacra fomite prædicto caruerit (vt infra dicemus) proportione seruata, consequẽ-

ter dicendum videtur, quod sicut in primo naturæ principio originalis iustitia quæ communicata est Adæ, communicata fuit etiam Euæ (quæ data fuit in adiutoriū similē sibi) ita & suo modo, Christo & Beatæ Virgini data fuit prædicta originalis iustitia.

Contrarium tamen tenet supradictus Corduua loco vbi supra, §. *his suppositis*, vbi dicit esse opinionem communem & veram, quod in B. Virgine non fuit simpliciter donum originalis iustitiæ, neq; status eius, quamvis in ea fuerint aliqui eiusdem effectus, & donum innocentiæ; quod probat hac ratione (vt videtur) efficacissima. Quia (inquit) non est perfecte & simpliciter donum originalis iustitiæ, vbi non sunt omnes eiusdem effectus, ex lege necessario illam consequentes; & vbi non est perfecta reformatio omnium defectuum naturalium: sed in Virgine sacra (quamvis fuerint aliqui effectus originales iustitiæ, & donum innocentiæ) non tamen fuerunt omnes; quia non semper habuit corporale robur sine fragilitate & lassitudine: quia lassabatur & defatigabatur, esuriebat, sitiebat, & senescebat quotidie magis, viribusque corporalibus deficiebat, ita vt non posset semper in eodem statu permanere: ergo intentum.

Quidnam fuerit originalis iustitia?

Pro concordandis prædictis opinionibus, quamvis plura de originali iustitia dixerimus supra quæstione 2, oportet etiam nunc breuiter præmittere, quod originalis iustitia nihil aliud omnino fuit, quam donum quoddam naturale, vel supernaturale (nam hac de re diuersæ sunt opiniones) humanam sanans naturam, constituēdo perfectum ordinem inter hominem & Deum, & inter partes siue appetitus hominis inter se: ita vt inferiora subderentur superioribus, & omnia essent perfecte subiecta Deo. An eiusmodi donum fuerit aliquid in homine intrinsecum, præter gratiam in essentia animæ existentem, & virtutes omnes per se & per accidens infussas, in gradu heroico, quibus adiungebatur specialis Dei prouidentia & custodia: controuersia est inter Doctores, de qua videndi sunt Thomistæ specialiter. Quo præmisso, propositæ difficultati respondeo per duas sequentes Conclusiones.

Prima Conclusio.

Negari minime potest, fuisse in sacra Virgine potissimos effectus originalis iustitiæ, quamvis non omnes qui ad statum innocētiæ seu originalis iustitia pertinebāt.

NEGARI minime potest, fuisse in sacra Virgine potissimos effectus originales iustitiæ, quamvis non omnes qui ad statum innocentiæ, seu originalis iustitiæ pertinebant. Hanc conclusionem tenet expresse Suarez loco vbi supra, §. *ex quo colligitur primo*, & probat eam quoad primam partem, quia habuit superiorem rationem, siue portionem perfectissime subiectā Deo, & inferiorem rationem, siue appetitum, rationi superiori absque vlla discordia. Qua ratione optime dixit Caietanus habuisse illam, integritatem naturæ in ordine ad humanas operationes. Quo ad secundā vero partem probat eandem

dem conclusionem, quia fuit capax tristitiæ, timoris & doloris, & similium affectionum quę non erant in statu originalis iustitiæ. Habuit præterea corpus passibile, quod defatigabatur & morti fuit subiectum, à quibus omnibus malis & incommodis, præseruabatur homo in statu originalis iustitiæ.

Secunda Conclusio.

SI iustitia originalis sumatur pro collectione omnium suorum effectuum, seu pro dono illo quod in Adam fuit omnium illorũ principium, certum est in B. Virgine non fuisse originalem iustitiã, quia non habuit totam illam collectionem, neque eiusdem principium. Hæc etiam conclusio est supradicti Suarez loco vbisupra, §. *secundo hinc concluditur*, vbi inquit quod his nihilominus non obstantibus, verissime de sacra Virgine potest dici habuisse donum originalis iustitiæ, postquam illam habuit quoad præcipuos & formales eius effectus, qui consistunt in subiectione eiusdem mentis ad Deum, & portionis inferioris ad superiorem, & perfecta subordinatione suarũ potentiarum. Vnde neque immerito dici potest, quod donum illud quo prædicti effectus fiebant in Virgine, erat eiusdem rationis cum dono collato Adamo primo nostro parenti, ad præstandos similes eiusmodi effectus. Quod quammaxime verum habet, si dicatur donum originalis iustitiæ in Adamo nihil fuisse omninò aliud præter gratiam, & virtutes perfectas sub diuina prouidentia & custodia. In quo sensu dicunt multi Doctores in 2. sentent. dist. 29. & 30. peccati fomitem non excludi nisi per originalem iustitiam, quãquam quia B. Virgo non habuit hoc donum ex vi suæ originis, neque cum omnibus effectibus originalis iustitiæ, hac in re expediens magis videtur, non simpliciter & absolute loqui, sed cum limitatione & distinctione, ad sensum quo dictum est in conclusionibus. Et hæc de hac quæstione dicta sufficiant.

Si iustitia originalis sumatur pro collectione omniũ suorum effectuum, seu pro dono illo quod in Adam fuit omnium illorũ principiũ, certum est in B. Virgine non fuisse originalem iustitiam.

QVÆST. XXXV.

Vtrum Virgo sacra in sua præseruatione, siue prima sanctificatione, acceperit donum perseuerantiæ, & in gratia fuerit confirmata, adeò vt nõ potuerit peccare mortaliter, neque etiam venialiter?

IN hac quæstione tantummodo agendum est cum catholicis: nam cum hæreticis amplior infra futurus est sermo, in quæstione 37. & difficultatibus propositis fiet satis per sequentes Conclusiones.

Prima Conclusio.

Firma fide tenenda est, Virginem sacram in sua præservatione sive prima sanctificatione donum accepisse perseverantiæ, & gratiam semel acceptam, nunquam amisisse, quinvero in ipsa fuisse confirmatam.

FIRMA fide tenendum est, Virginem sacram in sua præservatione sive prima sanctificatione, donum accepisse perseverantiæ, & gratiam simul acceptam nunquam amisisse, quinvero in ipsa fuisse confirmatam. Hanc conclusionem tenet expresse Suarez tomo 2. in tertiam partem Diui Thomæ disp. 4. sect. 3. quam probat ex communi consensu & traditione Ecclesiæ, quæ in hoc sensu intelligit gratiæ plenitudinem sacræ Virgini collatam. Neque (inquit) ad hoc probandum ex Scriptura Sacra & Sanctis Patribus plura adduci possunt testimonia, quam quæ ibi fuerunt adducta disp. 3. sect. 5. ad probandum sacram prædictam Virginem à peccato originali fuisse præservatam, & in primo sanctificationis instanti sanctificatam. Nam omnes rationes quæ ibi ad idem sunt adductæ, fortius conueniunt de dono perseuerantiæ, & confirmatione in gratia. Et addit quod prædicta conclusio potest nihilominus confirmari, ex hoc quod eiusmodi priuilegium & donum perseuerandi in Dei gratia (vt inquit Athanasius sermone 4. contra Arrianos) alijs Sanctis legitur fuisse concessum, & specialiter Hieremiæ & Sancto Ioanni Baptistæ, at proinde nulla ratione videtur sacræ Virgini esse denegandum. Id ipsum dicit Diuus Augustinus in Enchiridio cap. 64 *Hominibus interdum gratiam concedi, vt hanc vitam sine crimine transigant; licet non sine peccato.* Qua distinctione criminis & peccati, innuere visus est, criminis nomine intelligi semper peccatum mortale: peccati vero interdum etiam veniale. Quod idem docet lib. de natura & gratia, cap. 36. Et confirmatur secundo prædicta conclusio: nam Ecclesia celebrans sacræ Virginis Natiuitatem, eo ipso sentire & insinuare videtur, quod tunc inamissibilem gratiam habuisse: neque enim Ecclesia celebrat aut publico solemni veneratur ritu, nisi eam sanctitatem quæ perpetuo est duratura.

Difficultas. An per eiusmodi gratiam acceperit Virgo sacra, vt neque etiam venialiter potuerit peccare.

Difficultas tamen est, an per eiusmodi gratiam acceperit Virgo sacra, vt neque etiam venialiter potuerit peccare?

Circa hanc difficultatem omissis hæreticis, cum quibus (vt dixi) agendum est infra, inter Scholasticos Gregorius de Arimino in 2 sentent. dist. 30. quæst. 2. art. 1. dicere ausus est Virginem sacram interdum venialiter peccasse. Quod ideo concessit vt ne cogeretur dicere ipsam à peccato originali fuisse immunem: cum iuxta Diui Augustini regulam, nullus sit in originali peccato conceptus, qui non interdum saltim venialiter peccauerit. Cuius quidem sententiæ vanvis

vis nonnullæ Sanctorum Patrum locutiones fauere videantur, iam sententia prædicta ab Ecclesia est reiecta, quinvero & damnata, & sic in contrarium secundam sequentem statuo Conclusionem.

Secunda Conclusio.

FIRMITER etiam tenendum est, Virginem sacram in sua præseruatione, siue prima sanctificatione, sic in bono fuisse cōfirmatam, & donum gratiæ & singulare Dei auxilium ita accepisse, vt nec leuissimam culpam vnquam commisserit, aut potuerit etiam venialiter peccare. Hæc conclusio est supradicti Suarez loco vbi supra, sect. 4. vbi dicit veritatem hanc quantum ad rem quæ in illa intenditur (scilicet Beatam Virginem venialiter nunquam peccasse) esse de fide, & diffinitam in Concilio Claramont. sub Vrbano Secundo, vt refert Vega lib. 4. in Concilio Tridentino cap. 18. & Concilium prædictum Tridentinum Sessione 6. cano. 23. quamvis directe hoc non diffiniat, id tamen præsupponit, dum dicit: *Ecclesiam tenere Beatam Virginem speciali Dei priuilegio, omnia peccata venialia vitasse.* Quam esse antiquorum Patrum traditionem & consensum, constat ex his quæ dicit supradictus Suarez loco vbi supra, disp. 3. sect. 5. & quæ nos etiam diximus supra in quæstione 18. vbi hac de re latissime egimus. Et constat præterea ex his quæ dixit Diuus Augustinus lib. de Natura & gratia cap. 36. nempe quod cum de peccatis agitur de Virgine Matre nullam omninò volebat habere quæstionem. Fauet & huic resolutioni quod dixit D. Bernardus epistola 174. ad Canonicos Lugdunenses, & sermone 2. de Assumptione: *Absit vt proprij inquinamenti quicquam casta Virgo aliquando habuisse dicatur.* Quod etiam dicit Rupertus lib. 7. de glorificatione Trinit. cap. 13. & lib. 6. in Cantic. circa principium, & Ricardus de Sancto-Victore lib. 2. de Emanuele cap. 30. & lib. super Cantic. c. 39. Ac denique supradicta traditio constat ex communi consensu omnium Theologorum (dempto prædicto Gregorio de Arimino) qui in tertio sentent. veritatem prædictam varijs rationibus atque coniecturis confirmant. Qua de re videatur specialiter D. Thom. 3. parte quæst. 27. art. 4. & opuscul. 6. art. 3. & quotlib. 6. art. 7. [illegible]

Firmiter est etiam tenendum, Virginē sacram in sua præseruatione siue prima sanctificatione sic in bonō fuisse confirmatam, & donum gratiæ & singulare Dei auxilium ita accepisse vt nec leuissimam culpam vnquam cōmisserit, aut potuerit etiā venialiter peccare.

Sed circa prædicta insurgit alia maior quædam difficultas, an scilicet per supradictam gratiam Virgo sacra omninò reddita fuerit impeccabilis, & qualiter hoc sit intelligendum? Circa quod Gabriel in 3. dist. 3. quæst. 2. art. 3. dicit quod Virgo sacra ab exordio suæ sanctificationis facta fuit impeccabilis, quem sequitur Ocham ibidem, & Almainus dist. 12. quæst. 2.

Difficultas, An per supradictam gratiā Virgo sacra reddita fuerit impeccabilis?

Alij vero vt Durandus in 3. dist. 3. quæst. 4. absolute negant Beatam Virginem toto tempore suæ vitæ mortalis fuisse impeccabilem

 quum-

quin vero (aiunt) potuisse peccare, quamvis acceperit auxilium gratiæ vt nunquam peccaret. Alij autem distinctione vtuntur, dicentes, in prima sanctificatione datum esse Virgini solum vt nunquam peccaret: in secunda vero (id est in filij Conceptione) additum esse, vt nec peccare etiam posset. Ita dicit Diuus Thomas 3. parte quæst. 27. art. 4. ad primum, & clarius in 3. dist. 3. q. 1. art. 2. & Bonauentura in 3. dist. 3. art. 2. quæst. 1. Alensis 3. parte quæst. 9. membro 3. art. 2. §. 2. Et fuit sententia hæc Ricard. de Sancto Victor. lib. super Cant. cap. 26. Circa hanc difficultatem videatur Ægidius loco vbi supra, lib. 4. q. 3. per sex continuos articulos, vbi de ea latissime agit. Sed ego breuitati studendo prædictis omnibus opinionibus ac dicendi modis omissis, dico cum supradicto Suarez loco vbi supra, quod supposita fidei doctrina, vix inter opiniones prædictas esse potest diuersitas quæ ad rem pertineat. Nam primo, certum est Virginem sacram in hac vita nunquam fuisse impeccabilem ab intrinseco, ad modum Beatorum, cum fuerit tantum viatrix. Item certum est à prima sua sanctificatione habuisse talia gratiæ dona & auxilia, vt infallibiliter nunquã peccaret: quia talis gratia necessaria erat ad nunquam venialiter peccandum: & hoc est speciale priuilegium quod iuxta Concilium Tridentinum fuit illi concessum. Qua quidem ratione simpliciter concedendum est, in prædicta prima sua sanctificatione, eam ita confirmatam fuisse in bono, vt nunquam peccaret: nam hæc confirmatio idem est cum priuilegio prædicto, siue gratia speciali, quo fit vt in sensu composito peccare non potuerit, repugnat enim cum tali dono gratiæ, peccatum existere ac simul componi. Item est certum, donum prædictum non constitisse in solis habitibus infusis, vel in sola aliqua qualitate inhærente: nam seclusa visione beata, & necessario Dei amore qui illam consequitur, nulla qualitas inhærens per se sola potest efficere vt homo infallibiliter nunquam peccet, nisi adiungatur singularis Dei prouidentia & protectio, per actualia & specialia Dei auxilia, vt constat expresse ex his quæ dicit Diuus Thomas quæst. 24. de veritate art. 6. Item dicit esse certum supradictus Suarez, Virginem sacram in prædicta prima sua sanctificatione, accepisse perfectionem gratiæ habitualis, & virtutum omnium huic insigni effectui confirmationis in bono proportionatam: nam licet Deus posset cum minima gratia habituali per auxilia actualia Virginem custodire, vt infallibiliter nunquam peccaret: suauis tamen (inquit) diuinæ prouidentiæ ratio postulat, vt is cui tale confertur donum, per virtutum habitus perfectissimo & heroico modo intrinsece disponatur, prout necessarium est ad hoc vt homo facile & iocunde operetur omnia virtutum opera in quacumque oportunitate, quod necessarium est ad vitandum omne peccatum, etiam veniale. Ex quibus colligit, confirmationem prædictam in bono, datam sacræ Virgini in prima vel se-

cunda sua sanctificatione, formaliter seu in essentiali modo non fuisse diuersam, sed solummodo potuisse differre secundum magis & minus: quatenus maiora dona gratiæ habuit in secunda sanctificatione, quam in prima. Cuius rationem reddit, quia vtraque confirmatio facta fuit per dona eiusdem rationis, similesque habuit effectus, & libertatem eiusdem rationis reliquit. Nam sicut Beata Virgo post primam sanctificationem, in sensu composito peccare non poterat, & nihilominus libere adimplebat Dei præcepta: ita etiam & post secundam, neque inter eas erat aliqua formalis differentia. Hac præmissa doctrina (quæ quammaxime est notatu digna) difficultati propositæ de mente & sententia supradicti Suarez, respondetur per sequentem tertiam Conclusionem.

Tertia Conclusio.

Virgo sacra in sua præseruatione, siue prima sanctificatione per gratiam, facta fuit impeccabilis in sensu composito, non tamen in sensu diuiso.

VIRGO sacra in sua præseruatione, siue prima sanctificatione per gratiam, facta fuit impeccabilis, in sensu composito, non tamen in sensu diuiso. Hæc conclusio est supradicti Suarez loco vbi supra disp. 4. sect. 4. §. *ex quo tandem concludo*, vbi & dicit, simpliciter atque formaliter loquendo, Beatam Virginem non magis fuisse impeccabilem post secundam suam sanctificationem, quam post primam, quia (inquit) post vtranque ex vi intrinsecæ dispositionis peccare poterat, & in sensu diuiso & simpliciter, dici potuit habuisse semper potentiam peccandi (habuit enim libertatem qua potuit transgredi, & non est transgressa) quamvis in sensu composito, in nullo tempore vel statu, propter rationes superius dictas potuerit peccare. Addit tamen, quod potest assignari nonnulla differentia inter statum quem Beata Virgo habuit, ante vel post Conceptionem filij. Nam ante Côceptionem, licet esset preordinata in Matrem Dei, tamen nondum in se receperat dignitatem aliquam cui hæc confirmatio in bono deberetur, licet Deus perfectioni suæ sapientiæ & prouidentiæ deberet, vt illam conferret Virgini, quam in matrem suam prædestinauerat: vero post Conceptionem filij, habuit B. Virgo in se singularẽ Matris dignitatem, cui veluti ex natura rei debita erat hæc gratia cõfirmationis in bono, & hac ratione dici potest magis impeccabilis post secundam, quam post primam sanctificationem. Vt si decreuisset Deus naturam aliquam prius in se existentem, postea sibi hypostatice vnire, decuisset & certe vt illam à peccato præseruaret, etiam eo tempore quo ante vnionem existeret: nihilominus tamen longe aliter esset impeccabilis post vnionem, quam ante illam. Ita igitur suo modo dici potest in præsenti materia, quanquam exemplum non sit omnino simile, sed proportionale. Hæc supradictus Suarez. De qua

etiam difficultate videatur in primo tomo ad tertiam partem disp. 37. sectione 3. §. *dicendum ergo*: quæ pro hac quæstione dicta sufficiant.

QVÆST. XXXVI.

Vtrum in Virgine sacra fuerit fomes originalis peccati?

Primo nota quid sit originalis peccati fomes?

PRO huius quæstionis intelligentia breuiter oportet præmittere, primo quid sit peccati originalis fomes? Et omissis hac de re varijs dicendi modis qui communiter afferuntur à Doctoribus Scholasticis, dico breuiter, originalis peccati fomitem esse naturalem quandam inclinationem appetitus sensitiui, quatenus inordinate & absque rationis consensu sensibilia interdum potest appetere, quæ quidem imperfectio, originalis peccati prædicti effectus est, quamuis non semper auferatur ablata originali culpa, vt constat in renatis sacro baptismatis fonte. Qua ratione licet prædictus peccati fomes (qui alio etiam nomine concupiscentia nominatur) à Sanctis Patribus, & Concilio Tridentino Sessione 5. de peccato originali cap. 5. & apud Diuum Paulum, peccatum sæpe dicatur, vt tamen constat ex prædicto Concilio Tridentino, non propterea peccatum appellatur, quia concupiscentia prædicta seu eiusmodi peccati fomes, vere & proprie in renatis prædictis sit peccatum, sed quia ex peccato oritur, & ad peccatum inclinat. Quod adeo est certum & verum, vt dicatur ibidem, quod si quis contrarium omninò dixerit, anathema sit.

Secundo nota, quod difficultas præsentis quæstionis intelligi potest, de fomite & quantum ad actum, & quantum adhibitũ.

Secundo præmitto, quod difficultas præsentis quæstionis duplici sensu inuestigari & inquiri potest. Primo de peccati fomite quantum ad habitum secundo vero quantum ad actum. Et de illo in hoc secundo sensu loquendo, hæretici qui dicunt Beatam Virginẽ actualiter peccasse, consequenter & necessario dicunt, habuisse illam fomitis actum: nam actuale peccatum sine ipso omninò esse non potest, cũ sit omnis peccati actualis origo & principium. Sed hoc (ad hæreticos) apud nos enim catholicos, certissimum atque constitutissimum est, quod Virgo sacra in omni vita sua nullum omninò habuit fomitis actum. De quo videatur Suarez secundo tomo in tertiam partem disputat. 4. sect. 5. §. *primum ergo sit veluti fundamentum certum huius quæstionis*; vbi inquit, Sacram Virginem in omni vita sua nullum vnquam omninò habuisse fomitis actum, seu fomitem in actu secundo,

Virgo sacra omninò nullũ habuit fomitis actum in omni vita sua.

quod

quod probat de mente & sententia Diui Thomæ, 3. p. quæst. 27. art. 4. in solutione ad primum, & Caietani in opusc. de spasmo Virginis, & esse dicit fere communem consensum Sanctorum Patrum, asserentium nihil indecens, inordinatumve fuisse vnquam in sacra Virgine. Quod specialiter dicit Diuus Bernardus in sermone circa verba illa Apocalypsis 12. *Signum magnum apparuit in Cælo, mulier amicta Sole.* Vbi sic ait. *Nihil in ea (non dico tenebrosum) sed obscurũ saltem, vel minus lucidum, sed nec tepidum quidem aliquid, aut non feruentissimum licet suspicari.* Et idẽ dixit Ricardus de Sancto-Victore lib. 2. de Emanuele cap. 28. nempe: *In Virgine omnem ociositatem fuisse sublatam, & solam pœnam fuisse relictam.* Et cap. 29. Virgini accommodat illud Psalmi 45. *Auferens bella vsque ad finem terræ: quia* (inquit) *in Virgine nullum internum bellum, sed summa pax fuit.* Vnde cõcludit: *Illam solam inter puros homines impleuisse in hac vita omni ex parte præceptum illud: Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde, mente, & animo: quia non tantum rem præceptam, sed quodammodo etiam finem, & modum præcepti assecuta est.* Et cap. 31. *In cæteris sanctis magnificum fuisse dicit, quod à vitijs non sunt expugnati, in Virgine autem quod neque etiam impugnata fuit.* In eodem sensu Diuus Damascenus Oratione de Assumptione: *Virginem sacram vocat immaculatam, quia cum terrenis affectibus nihil commune habuit.* Quo dicendi modo loquitur Sophronius, in epistola pluries citata, quæ refertur in sexta Synodo, actione 11. Et certe si Diuus Ambrosius lib. de institutione Virgin. cap. 7. de Virgine eadem loquendo dixit: *Datum sibi fuisse vt præsentia sua integritatis insignia alijs conferret*, mirum profecto non est, quod in se nunquam inordinatum aliquem motum senserit.

Sed ratione probari potest id ipsum. Primo, quia de mente & sententia Diui Anselmi, *decuit Virginem sacram ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi*: ergo haud quaquam credendum est, quod in ea vnquam aliquis fuerit actus fomitis. Secundo quia cum eiusmodi actus sit effectus originalis peccati, magnam certe ex se indecentiam dicit, & cum culpa quammaximam affinitatẽ habet (sunt enim tales motus de se mali, & culpabiles, nisi ignorantia vel impotentia illos vitandi excuset) ergo in Virgine sacra nullo modo est concedendus aliquis talis fomitis actus. Tertio probatur id ipsum ex eo quod supra diximus Virginem sacram nunquam (etiam venialiter) peccasse. Nam licet Deus potuerit facere vt non obstante prædicto fomitis actu, impediretur à culpa, & nullo modo illam etiam venialiter contraheret, cum tamen sapientissime, prudentissime atque suauissime omnia gubernet, prouideat & accommodet media fini, causasque disponat semper prout expedit ad intentum finem, postquam Virginem sacram ab omni actuali culpa voluit præseruare, consequenter dicendum est, quod & eandem fecerit ab omni inordinato motu liberam: nam pati inordinatos motus, & venialiter saltim nunquam

Notentur hæc valde in sacræ Virginis laudem.

delin-

delinquere, moraliter loquendo difficillimum quidem est. Vnde & dicendum est, nullam vnquam fuisse in sacra Virgine mentis distractionem, & variarum cogitationum intellectus siue phantasiæ, inuoluntarias immutationes passam minimè fuisse: quia hæc omnia imperfectionem magnam continent, & ad fomitis prædicti inordinationem pertinent. Sed difficultas est, loquendo de fomite prædicto, quantum ad habitum, de quo sit tertiũ notabile.

Tertio nota, quod de fomite quãtum ad habitum est inter Scholasticos DD controuersia.

Tertio præmitto, quod loquendo de fomite quãtum ad habitũ, inter Catholicos & Scholasticos Doctores, ea de re sunt variæ sententiæ & opiniones.

Prima opinio eorum qui dicunt Virginẽ sacram ab originali peccato fuisse præseruatam.

Prima opinio est, eorum qui tenent Virginem sacram ab originali peccato fuisse præseruatam: nam consequenter dicunt, nullum in ea vnquam fuisse peccati fomitem, neque quantum ad actum, neque quantum ad habitum. Cuius ratio est, quia eiusmodi fomes est effectus originalis peccati, ac proinde sublata causa, sublatus etiam fuit effectus, quia ab eadem debebat procedere. Hac via procedere debẽt qui per dictam sententiam sustinent.

Secunda opinio asserentiũ sacram Virginem peccatum originale contraxisse.

Secunda vero est opinio, asserentium Virginem sacram originale peccatum contraxisse, qui & consequenter dicũt, habuisse eandẽ peccati fomitem, saltim quantum ad habitum. Qui quidem etiam sunt inter se diuisi. Nam quidam eorum dicũt, habuisse illum à prima sanctificatione ligatum, quamvis non prorsus extinctum vsque ad secundam, quando actu diuinum Verbum concepit. Alij vero aiunt, à prima sua sanctificatione prædictum fomitem omninò fuisse illi sublatum. Inter quos duos vltimos dicendi modos, primum tenet D. Thomas, 3. parte quæst. 27. art. 3. quem sequitur Caietanus & omnes communiter Thomistæ, & fuit sententia Alberti Magni in tertio dist. 3. Cui & consensit D. Bonauentura ibidem in prima distinctionis parte art. 2. quæst. 2. & Ricardus, Durandus, & alij. Quorum omnium fundamentum est, quia (inquiunt) non decuit carnem aliquam omninò liberari à lege fomitis & peccati, donec Filius Dei assumeret carnem sanctam, & à peccati fomite liberam: sicut non decuit corpus aliquod humanum ante Christi Corpus gloria & immortalitate donari. Ad quod probandum adducunt aliquas Sanctorum Patrum auctoritates, quibus insinuari videtur id ipsum, & Virginẽ sacrã in Christi Domini Conceptione, Spiritu Sancto obumbrante, à peccati fomite prædicto omninò fuisse purgatam. Secundus vero dicendi modus fuit Alexandri Alensis. 3. parte quæst. 9. art. 1. & consentire videtur cum Scoto, & omnibus tenentibus Virginem sacram ab originali peccato preseruatam fuisse. Et Thomistarum multi qui id ipsum non credunt esse verum, sed peccatum originale contraxisse: adhuc dicunt à prima sua sanctificatione peccati fomitem omninò fuisse illi sublatum, quia (inquiunt) si ab eo tempore Deus statuit nullum

in ea motum fomitis permittere, planè sequitur, quod non solum ipsum ligauit, verum etiam & omninò extinxit. Quorsum enim in ea peccati fomitem, quasi in actu primo relinqueret, si omnem actum secundum erat impediturus? maximè cum eiusmodi fomes sit quid imperfectum, & quod de se semper ad malum & ad peccatum inclinat? Circa hoc quammaximè inter se digladiantur DD. Thomistæ, an fomes in Beata Virgine à prima sua sanctificatione solummodo fuerit alligatus, an vero prorsus extinctus? Et in explicãdo differentiã quæ versatur inter fomitem alligatum, & eundem extinctum, haud modicum quidem temporis insumunt: quã de re videatur Suarez loco vbi supra, disp. 4. sect. 5. & Ægidius loco etiam vbi supra, lib. 4. quæst. 2. latissimè per 11. continuos articulos. A quo labore maxima sua benignitate liberauit nos Deus: nam cum firmiter teneamus Virginem sacram ab originali peccato omninò fuisse præseruatam, consequenter & dicere tenemur, nullum prorsus in illa fuisse peccati fomitem, quem extingui siue ligari oporteret. Qua ratione, propositæ difficultati quæstioni & breuiter atque resolutiuè respõdetur per sequentem Conclusionem.

Conclusio.

STANDO in vera Scoti sententia, & tenendo quod B. Virgo ab originali peccato fuit præseruata, consequenter dicẽdum est, nullum vnquam in ea fuisse peccati fomitem, neque quantum ad actum, neque quantum ad habitum. Hæc Conclusio hac (vt videtur) efficacissima ratione probatur. Nam juxta veram philosophiam, sublata omninò causa, omninò etiam aufertur effectus: sed causa fomitis fuit originale peccatum, cum (vt ex primo notabili cõstat) fomes carnem infectam mediante originali macula consequatur: ergo vbi non fuit originale peccatum, neque etiam esse potuit peccati fomes, neque quantum ad actum, neque quantum ad habitum. Cum igitur in Beata Virgine eiusmodi peccatum non fuerit (vt superque satis cõstat ex supradictis) manifestè profectò concluditur intentum. Et confirmatur conclusio. Quia (vt etiã constat ex supradictis) prædictus fomes est originalis peccati pœna, sed iniustum est pœnam manere, vbi nulla omninò præcessit culpa: ergo si B. Virgo non habuit siue contraxit originalem culpam, neque etiam habuit vllum peccati fomitem. Videatur hac de re Marsilius in tertio sentent. quæst. 4. art. 1. in secunda parte corolarij, post secundũ notabile, & Thomas de Argentina etiam in tertio dist. 3. quæst. 1. art. 3. & 4. vbi multis argumentis probans, esse bonam & legitimam hanc consequentiam, quod si B. Virgo non habuit originalem maculam, neque etiam habuit vllum peccati fomitem: & è contra, quod si non habuit peccati fomitem,

Stando in vera Scoti sententia, & tenendo quod B. Virgo ab originali peccato fuit præseruata consequenter dicẽdum est, nullum vnquam in ea fuisse peccati fomitem, neque quantũ ad actum, neque quantum ad habitum.

neque etiam cõtraxit originalem maculam. Quamvis eiusmodi consequutio non placet Caietano, vt videre est in opusculo siue tractatu quem fecit de Conceptione cap. 3. quem in hoc sequitur etiam Ægidius loco vbi supra cap. 7. sed meo quidem videri, minus bene profecto. Quæ pro hac quæstione breuiter sic dicta sufficiant.

QVÆST. XXXVII.

Vtrum Virgo sacra per suam præseruationem, siue primam sanctificationem, adepta fuerit vt nũquam actualiter peccauerit mortaliter, neque vero venialiter?

DIFFICVLTAS præsentis quæstionis, cum eiusdem resolutio iam aliqualiter constet ex dictis, superflua quidẽ videri posset, nisi specialiter moueretur ad confutandam & retundendam impudentiam quorundam hæreticorum huius nostri temporis, qui impio atque sathanico ducti spiritu, sacræ Virgini multa, eaque grauissima imponunt crimina, quibus respondere cogimur, & cum Diuo Ambrosio in epistola 79. dicere: *Claudat ora sua perfidia, nec matrem Domini aliquo audeat temerare conuitio*. Et vt ne vllo modo difficultatem prædictam subterfugere videamur, prædictorum hæreticorum argumenta ad vnguem referre libuit, vt eisdem congruas solutiones, postmodum possimus adducere.

Primum argumentum. Est igitur primum hæreticorum argumentum, dicere quod Virgo sacra in fide dubitauit, quando Angelo nuntianti sibi Filij Dei Incarnationem, Lucæ 1. *Respondit illi, quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*. Et in erroris sui confirmationem adducunt Diuum Chrysostomum Homil. 49. in Genes. vbi introducit Diuum Gabrielem, dicentem atque respondentem Virgini: *Ne queras naturæ modum, quoniã supra naturã sunt quæ fiunt. Atque propter hoc ipsum fiet; quoniã virum non cognoscis. Itaque quam ob rem dubitas, eandem ob rem crede*. Et infra dicit, eandem ob causam Gabrielem prædictum adduxisse Conceptionem Elisabeth sterilis & senis, vt Virginẽ ad suscipiendã fidem quã non satis capiebat manu duceret. Adducunt in idipsum D. Augustinum libro Quæstionum noui & veteris Testamenti, tomo 4 quæst. 51. & Diuum Athanasium in Euangel. de Virgine Deipara, pag. 5. & Origenem Homil. 1. in Genes. paulo ante finem, Euthimium in præcitata verba Lucæ 1. Cyrillum Hierosolymitanum, Cathechesi 12. qui om-

nes insinuare videntur, Virginem sacram quasi dubitando supradicta verba protulisse. Qua ratione Caluinus in sua Armonia ad cap. 1. Lucæ, & in antidoto Concilij Tridentinij Sessione 6. ad canon. 23. oblatrat contra sacri Concilij Tridentini Patres, eo quod hoc speciale priuilegium sacræ Virgini concesserint, quod ab omni vel leuissimo peccato veniali fuerit immunis. Et ait peccasse sacram Virginem dum non credidit Angelo Incarnationē Diuini Verbi sibi annunciāti, haud quidem minus quam peccauit Zacharias, dum Angelo filium sibi promittenti non credidit, sed ita dubitauit vt in sui peccati pœnam mutus fuerit factus.

Secundum argumentum.

Secundò argumentantur ad idem, & dicunt grauiter peccasse sacram Virginem peccato negligentiæ, quando filium suum perdidit dum regrederetur à Hierusalem, vt habetur Lucæ 2. In quo quidem grauiter ipsam accusant, eo quod pignus à Deo sibi creditum, tam negligenter amisserit. Quod peccatum prædicti impudentissimi hæretici, Lutherus, Caluinus & Melanton adeo exagerant, vt cū peccato Euæ illud conferant, & adæquare dicunt culpæ ipsius, qua totum humanum genus perdidit. Nec solum penes hoc eandem accusant, verum etiam & quod de amissione filij immoderate doluerit, illique fuerit indignata, & improbe atque diffidenter existimauerit, quod sicut Eua sua gula mundum perdidit: ita etiam & ipsa sua culpa perdendo Saluatorem, mundum ipsum perdiderit. Adhuc præterea ipsam peccasse dicunt, dum inuento filio inter Doctores in Tēplo dixit illi: *Filij quid fecisti nobis sic? Ego & pater tuus dolētes quærebamus te.* Quæ verba volunt à Virgine sacra dicta fuisse, vt suum in filium imperium ostentaret, illum obiurgans atque reprehendens. Qua ratione & ambitionis eandem accusant. Quem suum errorem confirmant ex responsione quam Christus illi adhibuit cum obiurgatione, dicens: *& quid est quod me quærebatis? Nesciebatis, quod in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?*

Tertium argumentum.

Tertiô argumentantur ad idem hæretici, objicientes sacræ Virgini quod humana ambitione miraculum à filio fieri expostulauerit, quando Ioannis 2. dixit illi: *Filij vinum non habēt*, eamque ob rem ab eodem fuisse repulsam & reprehensam dicunt, illis verbis: *Quid mihi & tibi est mulier?* & hanc Christi reprehensionem culpam aliquam denotasse in ipsa. In quam sui erroris confirmationem adducunt Diuum Chrysostomum Homil. 20. in Ioannem, & Theophilatum, & Euthimium, qui locum prædictum exponentes idipsum insinuare videntur. Similiter & Diuum Athanasium, sermone 4. contra Arrianos, quatenus dicit Matrem à Filio fuisse increpatam, & Diuum Iryneum lib. 3. contra hæreses cap. 28. dum inquit, Christum Dominum repellendo intempestiuam ejus festinationem, dixisse supradicta verba: *Quid mihi & tibi est mulier?*

Quartum argumentum. Quartò obijciunt eidem sacræ Virgini, quod humana etiam ambitione, Christum Dominum publicè prædicantem interpellauerit, vt constat ex Matthæo 12. & Marco 3. dum eiusdem nomine dictũ fuit illi: *Ecce mater tua & fratres tui foris stant volentes videre te.* Quibus & ipse respondit: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Et ostensis discipulis dixit: *Ecce mater mea & fratres mei. Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est ipse meus frater, & soror, & mater est.* Quod & cõfirmare volunt auctoritate Diui Chrysostomi Homil. 20. in Ioann. vbi sacram Virginem incusare videtur, de importunitatis & ambitionis affectu. Quod & facit Homil. 45. & 46. in Matth. & idem facere videntur Theophilatus & Euthimius: quinvero & Tertulianus lib. de carne Christi cap. 7. & lib. 4. aduersus Marcionem cap. 19. vbi ait Beatam Virginem, negatam fuisse matrem pro culpa, & alios fuisse illi antepositos.

Quintum argumentum. Quintò obijciunt etiam sacræ Virgini, quod in morte filij sui in fide defecerit, & de eiusdem diuinitate dubitauerit, sicut & illi prædixerat Simeon, in illis verbis Lucæ 2. *tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Quem gladium fuisse infidelitatis & dubitationis, insinuate videntur Origenes Homil. 17. in Lucam, & Hilarius explicando illa verba Psalm. 118. *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas.* Et in eundem sensum adducunt Auctorem Quæstionum noui & veteris Testamenti, quæst. 73. & Diuum Thomam 3. p. quæst. 27 art. 4. in solutione ad secundũ, vbi citat Diuum Basilium in epistola ad Optimum; & ab alijs etiam citantur Diuus Chrysostomus in Psalm. 13. & Euthimius Lucæ 2. & Tertulianus lib. de carne Christi cap. 7. qui dicere videntur, Beatam Virginem incredulam fuisse, sicut & fratres. Et apud Surium tomo 1. in Homilijs Chrysostomi, & Amphilochij de purificatione, legitur Virginem eandem dubitasse de filij sui Resurrectione, quamquam Diuus Chrysostomus ibidem, eam nihil vnquam peccasse fateatur.

Sextum argumentum. Sextò & vltimò argumentantur ad idem, ex Sacræ Scripturæ auctoritatibus quibus generaliter dicitur, neminem esse qui non peccet, aut fuerit sine peccato: iuxta illud Ioannis 1. capit. 1. vbi dicitur; *Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et Iacobi 3. etiam habetur, *quod in multis offendimus omnes,* quinvero & Christus Dominus Matth. 6. docens nos orare, absque delectu & discrimine statuit vt diceremus: *Dimitte nobis debita nostra.* Quam orationem (vtpotè ab eodem traditam) Beatam Virginem frequenter dixisse (vt videtur) negabit nullus. Qua ratione Concilium Meleuitanum canone 6. & 8. expresse diffiniuit, *neminem esse sine peccato:* & propterea verè omnes posse dicere orationem prædictam: *dimitte nobis debita nostra.* Quæ propositiones vniuersales cum sint, vniuer-

feliter

faliter (inquiunt) etiam sunt intelligendæ, & in vniuersalitate sua comprehendunt etiam sacram Virginem.

Hæc sunt argumenta quæ ab hæreticis adducuntur, siue pro hac parte possunt adduci: quibus tamen non obstantibus, in contrarium est veritas, quæ & explicabitur per sequentes Conclusiones.

Prima Conclusio.

Firma fide tenendũ est, Virginem sacram nunquam actualiter peccasse, necdum mortaliter, verum etiam nec venialiter.

FIRMA fide tenendum est, Virginem sacram nunquam actualiter peccasse, necdum mortaliter, verum etiam nec venialiter. Hæc conclusio generalis est omnium Doctorum Catholicorum resolutio, tàm antiquorum quàm recentiorum. Et illam tenet Diuus Thomas 3. parte quæst. 27. art. 4. & in 3. dist. 3. quæst. 2 art. 3. & dist. 13. quæst. 1. art. 2. quæst. 1. & in 4. dist. 6. quæst. 1. a. 1. quæst. 2. & multis alijs in locis. Et idem docuerunt semper omnes eiusdem interpretes, in prædictam 3. p. quæst. 27. art. 4. & specialiter Caietanus, & generaliter omnes Scolastici Doctores, Diuus Bonauentura, Ricardus, Paludanus & Durandus, Ochan, Gabriel & Almain, in 3. sent. dist. 3. Et ex Iunioribus tenent eandem conclusionem Corduua lib. 1. sui Quæstionarij quæst. 44. in principio, conclusione prima: Vega libro 14. in Concilio Tridentino cap. 18. Canisius lib. 1. de Maria Deipara, cap. 20. Bellarminus lib. 1. de amissione gratiæ & statu peccati, cap. 6. §. *est autem hoc loco obseruandum*. Frater Ioannes de Ouando in 3. dist. 3. quæst. 1. art. 2. F. Franciscus de Pitigianis ibidem, quæst. 1. art. 13. dicto 1. & 2. Valentia 4. tomo disp. 2. quæst. 1. puncto 3. Suarez secũdo tomo ad tertiam partem, disp. 4. sect. 4. Vazquez 2. tomo ad eandem tertiam partem, disp. 120. cap. 1. post principium num. 2. Salas tomo 2. ad 1. 2. Diui Thomæ, quæst. 88. tract. 13. disp. 10. sect. 2. Petrus Morales lib. 3. de Christo & Virgin. Deipara, tract. 4. conclus. 2. ac tandem insignis Paiba lib. 5. defensionis Tridentinæ fidei, pagina 351. Et (quod credam) nullus est Doctorum Catholicorum Scholasticorum, tàm antiquorum quàm recentiorum, qui in conclusione prædicta non conueniat, vno excepto Gregorio de Arimino, qui in 3. sentent. dist. 30. quæst. 2. art. 1. ad finem; admittendum esse dixit in Virgine sacra peccatum aliquod veniale, motus (vt supradiximus) ex doctrina Diui Augustini, qui dixit quod nullus hominum habuit originale, qui grandioris ætatis effectus, non habuerit etiam actuale. Quod quidem argumentum solummodo potest vrgere eos qui in B. Virgine peccatum admittunt originale. Apud omnes tamen alios Doctores Catholicos (vno excepto Gregorio prædicto) vnanimi consensu receptissimum est, semperque fuit, Beatam Virginem nullum vnquam peccatum habuisse actuale, necdum mortale, verum etiam nec veniale. Quæ veritas tanquam de fide diffinita est à Cõcilio Tri-

dentino Sessione 6. de iustificatione canone 23. sequentibus verbis: *Si quis dixerit hominem posse in tota vita peccata omnia (etiam venialia) vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

Vtrum prædicta veritas prædicta sit iã a Conc. diffinita?

Circa quæ prædicta verba insurgit difficultas, an per ea ita sit diffinitum de fide, Beatam Virginem in omni vita sua nullum actuale peccatum commisisse, vt oppositum dicere omninò sit hæreticum?

Prima opinio.

Qua quidem de re sunt duæ opiniones. Prima est quorundam quos refert Corduua loco vbisupra, asserentium quod proprie & stricte loquendo id nondum est hæreticum, bene tamen large seu largo modo loquendo. Probant suam sententiam quoad primam partem, quoniam talis puritas non habetur expressa in sacra Scriptura, neque per bonam consequentiam, ex ea deducitur. Quoad secundam vero partem probant eandem sententiam, ex eo quod vniuersalis Ecclesia celebrat & prædicat Beatam Virginem ab omni peccato actuali fuisse immunem: ex quo colligitur, quod quamvis proprie & stricte loquendo oppositum dicere non sit hæreticum, bene tamen largo modo.

Secunda opinio, verior & tenenda.

Sed secunda est aliorum sententia, & verior atque tenenda, asserentium, quod oppositum dicere sit hæreticum, & manifestus error contra fidem, pro eo quod veritas hæc sit iam à Concilio Tridentino loco prædicto diffinita. Hoc tenet Medina in tertiam partem D. Thomæ quæst. 27. art. 4 in prima conclusione, & in confirmationem suæ sententiæ, dicit quod Romæ olim Concionator quidam qui contrarium prædicauit, coactus fuit sententiam suam tanquam errorem contra fidem publice recantare. Huic etiam sententiæ adhærere videtur Suarez loco vbisupra tomo 2. ad tertiam partem disp. 4. sect. 4. dum ait oppositam sententiam esse ab Ecclesia reiectam & damnatam: contrariam vero esse de fide, & vt talem supponi à Concilio Tridentino in supradictis verbis, *quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia.* Quod etiam tenet Vazquez secundo tomo ad tertiam partem disp. 120 cap. 1. post principium. Et tanquam certissimum ipsum supponit Vega lib. 14. in Concilio Tridentino capit. 18. allegans in id Concilium Claramontanum sub Vrbano Secundo. Quod quidem Concilium, modo licet inter alia Concilia non reperiatur, sufficit tamen quod Concilium Tridentinum loco vbisupra, supradicta verba dixerit. Licet enim ibi id directe non diffinierit (quia non hoc intendebat principaliter) satis tamen est quod illud indirecte diffinierit, & adduxerit in exemplum, ejus quod directe & principaliter diffinire intendebat: nempe neminem posse in tota vita peccata omnia (etiam venialia) vitare, nisi ex speciali priuilegio: nam cū addiderit subsequētia verba, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema

ma sit, sufficienter colligitur, quod oppositum dicere sit hæresis, siue error manifestus.

Ad rationem vero adductam pro prima opinione respondetur, quod quamvis hæc veritas in Scriptura Sacra non habeatur expresse, bene tamen ex multis eiusdem locis per bonam consequentiam potest deduci, vt patebit ex statim dicendis in secunda conclusione. Et addo quod ad hoc vt Ecclesia veritatem prædictam diffinierit, sufficientissimus fuit totius vniuersalis Ecclesiæ consensus, licet vnus aut alter dubitauerit: de quo quidem consensu satis constat, postquã multo ante Concilium Tridentinum prædictum, Concilium Basiliense Sessione 36. illam vt de fide tenendam diffiniuit. Nam quamvis tempore illius diffinitionis, eiusmodi Concilium fuerit Acephalum (hoc est sine capite) ac propterea eius diffinitio nõ fuerit legitima, vt tanquam de fide teneatur: sufficiens fuit ad hoc vt ex illa constaret de supradicto Ecclesiæ consensu.

Secunda Conclusio.

QVOD Virgo sacra nunquam actualiter peccauerit (necdum mortaliter, verum nec etiam venialiter) quamvis in Scriptura sacra non habeatur expresse, satis tamen efficaciter ex eadem deducitur, & est nimium conforme communi doctrinæ Sanctorum Patrum. Hæc conclusio probatur quoad primam partem, ex illis verbis Angeli ad Beatam Virginem Lucæ 1. *Aue gratia plena*. Ex quibus omnes communiter Sancti Patres colligunt, Virginé sacram post Christum, gratiæ plenitudinem habuisse, cum qua gratiæ plenitudine haudquaquam esse potuit aliquod, quantumvis minimum peccatum. Vt enim constat ex principijs philosophiæ, plenitudo formæ habentis contrarium, ipsum contrarium á subiecto omnino & totaliter excludit.

Quod Virgo sacra nunquã actualiter peccauerit, nectum mortaliter, verum etiam nec venialiter quamvis in Scriptura Sacra non habeatur expresse: satis efficaciter ex eadem deducitur & est nimiũ conforme communi doctrinæ Sanctorum Patrum.

Secundo deducitur eadem veritas, ex illis verbis Genes. 3. dictis ad dæmonem in figura serpentis: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius, ipsa conteret caput tuum.* Quæ verba vt tradit Canisius lib. 5. de Maria Deipara cap. 9. communior Sanctorũ Patrum sententia de Virgine sacra interpretatur, & in eo quod dicitur, *ipsa conteret caput tuum*, capitis nomine intelligendum est peccatũ, per quod diabolus prædictus omnibus hominibus dominabatur. Cõtriuit autem Virgo sacra dæmonis caput, non solum quia concepit & peperit Christum qui adeo illum expugnauit, verum etiam vincendo omni ex parte peccatum, quod (vt inquit Diuus Augustinus) tũc omni ex parte vincitur, cum (nullum etiam minimum) committitur.

Tertio eadem probatur conclusio, ex illis verbis Canticorum 4.

Tota

etiam difficultate videatur in primo tomo ad tertiam partem disp. 37. sectione 3. §. *dicendum ergo*: quæ pro hac quæstione dicta sufficiant.

QVÆST. XXXVI.

Vtrum in Virgine sacra fuerit fomes originalis peccati?

Primo nota quid sit originalis peccati fomes?

PRO huius quæstionis intelligentia breuiter oportet præmittere, primo quid sit peccati originalis fomes? Et omissis hac de re varijs dicendi modis qui communiter afferuntur à Doctoribus Scholasticis, dico breuiter, originalis peccati fomitem esse naturalem quandam inclinationem appetitus sensitiui, quatenus inordinate & absque rationis consensu sensibilia interdum potest appetere, quæ quidem imperfectio, originalis peccati prædicti effectus est, quamuis non semper auferatur ablata originali culpa, vt constat in renatis sacro baptismatis fonte. Qua ratione licet prædictus peccati fomes (qui alio etiam nomine concupiscentia nominatur) à Sanctis Patribus, & Concilio Tridentino sessione 5. de peccato originali cap. 5. & apud Diuum Paulum, peccatum sæpe dicatur, vt tamen constat ex prædicto Concilio Tridentino, non propterea peccatum appellatur, quia concupiscentia prædicta seu eiusmodi peccati fomes, vere & proprie in renatis prædictis sit peccatum, sed quia ex peccato oritur, & ad peccatum inclinat. Quod adeo est certum & verum, vt dicatur ibidem, quod si quis contrarium omninò dixerit, anathema sit.

Secundo nota, quod difficultas præsentis quæstionis intelligi potest, de fomite & quantum ad actum, & quantum ad habitum.

Secundo præmitto, quod difficultas præsentis quæstionis induplici sensu inuestigari & inquiri potest. Primo de peccati fomite quantum ad habitum secundo vero quantum ad actum. Et de illo in hoc secundo sensu loquendo, hæretici qui dicunt Beatam Virginem actualiter peccasse, consequenter & necessario dicunt, habuisse illam fomitis actum nam actuale peccatum sine ipso omnino esse non potest, cum sit omnis peccati actualis origo & principium. Sed hoc (ad hæreticos) apud nos enim catholicos, certissimum atque constitutissimum est, quod Virgo sacra in omni vita sua nullum omninò habuit fomitis actum. De quo videatur Suarez secundo tomo in tertiam partem disputat. 4. sect. 4. §. *primum ergo sit veluti fundamentum certum huius quæstionis*; vbi inquit, Sacram Virginem in omni vita sua nullum vnquam omninò habuisse fomitis actum, seu fomitem in actu secundo,

Virgo sacra omninò nullũ habuit fomitis actum in omni vita sua.

quod probat de mente & sententia Diui Thomæ, 3. p. quæst. 27. art. 4. in solutione ad primum, & Caietani in opusc. de spasmo Virginis, & esse dicit fere communem consensum Sanctorum Patrum, asserétium nihil indecens, inordinatumve fuisse vnquam in sacra Virgine. Quod specialiter dicit Diuus Bernardus in sermone circa verba illa Apocalypsis 12. *Signum magnum apparuit in Cælo, mulier amicta Sole.* Vbi sic ait. *Nihil in ea (non dico tenebrosum) sed obscurū saltim, vel minus lucidum, sed nec tepidum quidem aliquid, aut non feruentissimum licet suspicari.* Et idé dixit Ricardus de Sancto Victore lib. 2. de Emanuele cap. 28. nempe: *In Virgine omnem occiositatem fuisse sublatam, & solam pœnam fuisse relictam.* Et cap. 29. Virgini accommodat illud Psalmi 45. *Auferens bella vsque ad finem terræ: quia (inquit) in Virgine nullum internum bellum, sed summa pax fuit.* Vnde concludit: *Illam solam inter puros homines impleuisse in hac vita omni ex parte præceptum illud: Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde, mente, & animo: quia non tantummodo præceptum, sed quodammodo etiam finem, & modum præcepti assecuta est.* Et cap. 33. *In cæteris sanctis magnificum fuisse dicit, quod à vitijs non sunt expugnati, in Virgine autem quod neque etiam impugnata fuit.* In eodem sensu Diuus Damascenus Oratione de Assumptione: *Virginem sacram vocat immaculatam, quia cum terrenis affectionibus nihil commune habuit.* Quo dicendi modo loquitur Sophronius in epistola pluries citata, quæ refertur in sexta Synodo, actione 11. Et certe si Diuus Ambrosius lib. de institutione Virgin. cap. 7. de Virgine eadem loquendo dixit: *Datum sibi fuisse vt præsentiæ suæ integritatis insigne alijs conferret,* mirum profecto non est, quod in se nunquam inordinatum aliquem motum senserit.

Sed ratione probari potest idipsum. Primo, quia de mente & sententia Diui Anselmi, *decuit Virginem sacram ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi:* ergo haudquaquam credendum est, quod in ea vnquam aliquis fuerit actus fomitis. Secundo, quia cum eiusmodi actus sit effectus originalis peccati, magnam certe ex se indecentiam dicit, & cum culpa quammaximam affinitaté habet (sunt enim tales motus de se mali, & culpabiles, nisi ignorántia vel impotentia illos vi tandi excuset) ergo in Virgine sacra nullo modo est concedendus aliquis talis fomitis actus. Tertio probatur id ipsum ex eo quod supra diximus Virginem sacram nunquam (etiam venialiter) peccasse. Nam licet Deus potuerit facere vt non obstante prædicto fomitis actu, impediretur à culpa, & nullo modo illam etiam venialiter contraheret, cum tamen sapientissime, prudentissime atque suauissime omnia gubernet, prouideat & accommodet media fini, causasque disponat semper prout expedit ad intentum finem, postquam Virginem sacram ab omni actuali culpa voluit præseruare, consequenter dicendum est, quod & eandem fecerit ab omni inordinato motu liberam, nam pati inordinatos motus, & venialiter saltim nunquam

Notentur hæc valde in sacræ Virginis laudem.

delinquere, moraliter loquendo difficillimum quidem est. Vnde & dicendum est, nullam vnquam fuisse in sacra Virgine mentis distra-ctionem, & variarum cogitationum intellectus siue phantasiæ, invo luntarias immutationes passam minime fuisse: quia hæc omnia im-perfectionem magnam continent. & ad fomitis prædicti inordina-tionem pertinent. Sed difficultas est, loquendo de fomite prædicto. quantum ad habitum, de quo sit tertiũ notabile.

Tertio nota, quod de fomite quantũ ad habitum est inter Scholasticos DD controuersia.

Tertio præmitto, quod loquendo de fomite quãtum ad habitũ, inter Catholicos & Scholasticos Doctores, ea de re sunt variæ sen-tentiæ & opiniones.

Prima opinio eorum qui dicunt Virginẽ sacram ab originali peccato fuisse præseruatam.

Prima opinio est, eorum qui tenent Virginem sacram ab origi-nali peccato fuisse præseruatam: nam consequenter dicunt, nullum in ea vnquam fuisse peccati fomitem, neque quantum ad actum, neque quantum ad habitum. Cuius ratio est, quia eiusmodi fomes est effe-ctus originalis peccati, ac proinde sublata causa, sublatus etiam fuit effectus, quia ab eadem debebat procedere. Hac via procedere debet qui perdictam sententiam sustinent.

Secunda opinio asserentiũ sacram Virginem peccatum originale contraxisse.

Secunda vero est opinio, asserentium Virginem sacram originale peccatum contraxisse, qui & consequenter dicũt, habuisse eandẽ pec-cati fomitem, saltim quantum ad habitum. Qui quidem etiam sunt in-ter se diuisi. Nam quidam eorum dicũt, habuisse illum à prima sancti ficatione ligatum, quamvis non prorsus extinctum vsque ad secun-dam, quando actu diuinum Verbum concepit. Alij vero aiunt, à pri-ma sua sanctificatione prædictum fomitem omninò fuisse illi subla-tum. Inter quos duos vltimos dicendi modos, primum tenet D. Tho-mas, 3. parte quæst. 27. art. 3. quem sequitur Caietanus & omnes com muniter Thomistæ, & fuit sententia Alberti Magni in tertio dist. 3. Cui & consensit D. Bonauentura ibidem in prima distinctionis par-te art. 2. quæst. 2. & Ricardus, Durandus, & alij. Quorum omnium fundamentum est, quia (inquiunt) non decuit carnem aliquam om-ninò liberari à lege fomitis & peccati, donec Filius Dei assumeret car-nem sanctam, & à peccati fomite liberam: sicut non decuit corpus aliquod humanum ante Christi Corpus gloria & immortalitate do-nari. Ad quod probandum adducunt aliquas Sanctorum Patrum au-ctoritates, quibus insinuari videtur id ipsum, & Virginẽ sacrã in Chri-sti Domini Conceptione, Spiritu Sancto obumbrante, à peccati fo-mite prædicto omninò fuisse purgatam. Secundus vero dicendi mo-dus fuit Alexandri Alensis, 3. parte quæst. 9. art. 1. & consentire vi-detur cum Scoto, & omnibus tenentibus Virginem sacram ab origi-nali peccato præseruatam fuisse. Et Thomistarum multi qui id ipsum non credunt esse verum, sed peccatum originale contraxisse: adhuc dicunt à prima sua sanctificatione peccati fomitem omninò fuisse illi sublatum, quia (inquiunt) si ab eo tempore Deus statuit nullum

in

in ea motum fomitis permittere, plane sequitur, quod non solum ipsum ligauit, verum etiam & omnino extinxit. Quorsum enim in ea peccati fomitem, quasi in actu primo relinqueret, si omnem actum secundum erat impediturus? maxime cum eiusmodi fomes sit quid imperfectum, & quod de se semper ad malum & ad peccatum inclinat? Circa hoc quammaxime inter se digladiantur DD. Thomistæ, an fomes in Beata Virgine à prima sua sanctificatione solummodo fuerit alligatus, an vero prorsus extinctus? Et in explicãdo differentiã quæ versatur inter fomitem alligatum, & eundem extinctum, haud modicum quidem temporis insumunt: quã de re videatur Suarez loco vbisupra, disp. 4. sect. 5. & Ægidius loco etiam vbisupra, lib. 4. quæst. 2. latissime per 11. continuos articulos. A quo labore maxima sua benignitate liberauit nos Deus: nam cum firmiter teneamus Virginem sacram ab originali peccato omninò fuisse præseruatam, consequenter & dicere tenemur, nullum prorsus in illa fuisse peccati fomitem, quem extingui siue ligari oporteret. Qua ratione, propositæ difficultati quæstioni & breuiter atque resolutiue respõdetur per sequentem Conclusionem.

Conclusio.

STANDO in vera Scoti sententia, & tenendo quod B. Virgo ab originali peccato fuit præseruata, consequenter dicẽdum est, nullum vnquam in ea fuisse peccati fomitem, neque quantum ad actum, neque quantum ad habitum. Hæc Conclusio hac (vt videtur) efficacissima ratione probatur. Nam iuxta veram philosophiam, sublata omninò causa, omninò etiam aufertur effectus: sed causa fomitis fuit originale peccatum, cum (vt ex primo notabili cõstat) fomes carnem infectam mediante originali macula consequatur: ergo vbi non fuit originale peccatum, neque etiam esse potuit peccati fomes, neque quantum ad actum, neque quantum ad habitum. Cum igitur in Beata Virgine eiusmodi peccatum non fuerit (vt superque satis constat ex supradictis) manifeste profecto concluditur intentum. Et confirmatur conclusio. Quia (vt etiã constat ex supradictis) prædictus fomes est originalis peccati pœna, sed iniustum est pœnam manere, vbi nulla omninò præcessit culpa: ergo si B. Virgo non habuit siue contraxit originalem culpam, neque etiam habuit vllum peccati fomitem. Videatur hac de re Marsilius in tertio sentent. quæst. 4. art. 1. in secunda parte corolarii, post secundũ notabile, & Thomas de Argentina etiam in tertio dist. 3. quæst. 1. art. 3. & 4. vbi multis argumentis probant, esse bonam & legitimam hanc consequentiam, quod si B. Virgo non habuit originalem maculam, neque etiam habuit vllum peccati fomitem: & è contra, quod si non habuit peccati fomitem,

Stando in vera Scoti sententia, & tenendo quod B. Virgo ab originali peccato fuit præseruata cõsequenter dicẽdum est, nullum vnquam in ea fuisse peccati fomitem, neque quantũ ad actum, neque quantum ad habitum.

neque etiam cõtraxit originalem maculam. Quamvis eiusmodi con sequtio non placet Caietano, vt videre est in opusculo siue tractatu quem fecit de Conceptione cap. 3. quem in hoc sequitur etiam Ægidius loco vbisupra cap. 7. sed meo quidem videri, minus bene profecto. Quæ pro hac quæstione breuiter sic dicta sufficiant.

QVÆST. XXXVII.

Vtrum Virgo sacra per suam præseruationem, siue primam sanctificationem, adepta fuerit vt nũquam actualiter peccauerit mortaliter, neque vero venialiter?

DIFFICVLTAS præsentis quæstionis, cum eiusdem resolutio iam aliqualiter constet ex dictis, superflua quidẽ videri posset, ni specialiter moueretur ad confutandam & retundendam impudentiam quorundam hæreticorum huius nostri temporis, qui impio atque sathanico ducti spiritu, sacræ Virgini multa, eaque grauissima imponunt crimina, quibus respondere cogimur, & cum Diuo Ambrosio in epistola 79. dicere: *Claudat et a sua perfidia, nec matrem Domini aliquo audeat temerare conuitio*. Et vt ne vllo modo difficultatem prædictam subterfugere videamur, prædictorum hæreticorum argumenta ad vnguem referre libuit, vt eisdem congruas solutiones, postmodum possimus adducere.

Primum argumentum. Est igitur primum hæreticorum argumentum, dicere quod Virgo sacra in fide dubitauit, quando Angelo nuntianti sibi Filij Dei Incarnationem, Lucæ 1. *Respondit illi, quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*. Et in erroris sui confirmationem adducunt Diuum Chrysostomum Homil. 49. in Genes. vbi introducit Diuum Gabrielem, dicentem atque respondentem Virgini: *Ne quæras naturæ modum, quoniã supra naturã sunt quæ fiunt. Atque propter hoc ipsum fiet, quoniã virum non cognoscis. Itaque quam ob rem dubitas, eandem ob rem crede*. Et infra dicit, eandem ob causam Gabrielem prædictum adduxisse Conceptionem Elisabeth sterilis & senis, vt Virginẽ ad suscipiendã fidem quã non satis capiebat manu duceret. Adducunt in idipsum D. Augustinum libro Quæstionum noui & veteris Testamenti, tomo 4. quæst. 51. & Diuum Athanasium in Euangel. de Virgine Deipara, pag. 5. & Origenem Homil. 1. in Genes. paulo ante finem, Euthimium in prædicta verba Lucæ 1. Cyrillum Hierosolymitanum, Catheches. 12. qui omnes

nes insinuare videntur, Virginem sacram quasi dubitando supradicta verba protulisse. Qua ratione Caluinus in sua Armonia ad cap. 1. Lucæ, & in antidoto Concilij Tridentinij Sessione 6. ad canon. 23. oblatrat contra sacri Concilij Tridentini Patres, eo quod hoc speciale priuilegium sacræ Virgini concesserint, quod ab omni vel leuissimo peccato veniali fuerit immunis. Et ait peccasse sacram Virginem dum non credidit Angelo Incarnationē Diuini Verbi sibi annunciāti, haud quidem minus quam peccauit Zacharias, dum Angelo filium sibi promittenti non credidit, sed ita dubitauit vt in sui peccati pœnam mutus fuerit factus.

Secundum argumentum. Secundò argumentantur ad idem, & dicunt grauiter peccasse sacram Virginem peccato negligentiæ, quando filium suum perdidit dum regrederetur â Hierusalem, vt habetur Lucæ 2. In quo quidem grauiter ipsam accusant, eo quod pignus â Deo sibi creditum, tam negligenter amisserit. Quod peccatum prædicti impudentissimi hæretici, Lutherus, Caluinus & Melanton adeò exagerant, vt cū peccato Euæ illud conferant, & adæquare dicunt culpæ ipsius, qua totum humanum genus perdidit. Nec solum penes hoc eandem accusant, verum etiam & quod de amissione filij immoderate doluerit, illique fuerit indignata, & improbe atque diffidenter existimauerit, quod sicut Eua sua gula mundum perdidit: ita etiam & ipsa sua culpa perdendo Saluatorem, mundum ipsum perdiderit. Adhuc prætera ipsam peccasse dicunt, dum inuento filio inter Doctores in Tēplo dixit illi: *Filij quid fecisti nobis sic? Ego & pater tuus dolētes quærebamus te.* Quæ verba volunt â Virgine sacra dicta fuisse, vt suum in filium imperium ostentaret, illum obiurgans atque reprehendens. Qua ratione & ambitionis eandem accusant. Quem suum errorem confirmant ex responsione quam Christus illi adhibuit cum obiurgatione, dicens: *Et quid est quod me quærebatis? Nesciebatis, quod in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?*

Tertium argumentum. Tertiô argumentantur ad idem hæretici, obijcientes sacræ Virgini quod humana ambitione miraculum â filio fieri expostulauerit, quando Ioannis 2. dixit illi: *Filij vinum non habēt*, eamque ob rem ab eodem fuisse repulsam & reprehensam dicunt, illis verbis: *Quid mihi & tibi est mulier?* & hanc Christi reprehensionem culpam aliquam denotasse in ipsa. In quam sui erroris confirmationem adducunt Diuum Chrysostomum Homil. 20. in Ioannem, & Theophilatum, & Euthimium, qui locum prædictum exponentes id ipsum insinuare videntur. Similiter & Diuum Athanasium, sermone 4. contra Arrianos, quatenus dicit Matrem â Filio fuisse increpatam, & Diuum Ireneum lib. 3. contra hæreses cap. 28. dum inquit, Christum Dominum repellendo intempestiuam eius festinationem, dixisse supradicta verba: *Quid mihi & tibi est mulier?*

Quartum argumentum. Quartò obijciunt eidem sacræ Virgini, quod humana etiam ambitione, Christum Dominum publice prædicantem interpellauerit, vt constat ex Matthæo 12. & Marco 3. dum eiusdem nomine dictũ fuit illi: *Ecce mater tua & fratres tui foris stant volentes videre te.* Quibus & ipse respondit: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Et ostensis discipulis dixit: *Ecce mater mea & fratres mei. Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est ipse meus frater, & soror, & mater est.* Quod & cõfirmare volunt auctoritate Diui Chrysostomi Homil. 20. in Ioann. vbi sacram Virginem incusare videtur, de importunitatis & ambitionis affectu. Quod & facit Homil. 45. & 46. in Matth. & idem facere videntur Theophilatus & Euthimius: quinvero & Tertulianus lib. de carne Christi cap. 7. & lib. 4. aduersus Marcionem cap. 19. vbi ait Beatam Virginem, negatam fuisse matrem pro culpa, & alios fuisse illi antepositos.

Quintum argumentum. Quintò obijciunt etiam sacræ Virgini, quod in morte filij sui in fide defecerit, & de eiusdem diuinitate dubitauerit, sicut & illi prædixerat Simeon, in illis verbis Lucæ 2. *tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Quem gladium fuisse infidelitatis & dubitationis, insinuare videntur Origenes Homil. 17. in Lucam, & Hilarius explicando illa verba Psalm. 118. *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas.* Et in eundem sensum adducunt Auctorem Quæstionum noui & veteris Testamenti, quæst. 73. & Diuum Thomam 3. p. quæst. 27 art. 4. in solutione ad secundũ, vbi citat Diuum Basilium in epistola ad Optimum, & ab alijs etiam citantur Diuus Chrysostomus in Psalm. 13. & Euthimius Lucæ 2. & Tertulianus lib. de carne Christi cap. 7. qui dicere videntur, Beatam Virginem incredulam fuisse, sicut & fratres. Et apud Surium tomo 1. in Homilijs Chrysostomi, & Amphilochij de purificatione, legitur Virginem eandem dubitasse de filij sui Resurrectione, quamquam Diuus Chrysostomus ibidem, eam nihil vnquam peccasse fateatur.

Sextum argumentum. Sextò & vltimo argumentantur ad idem, ex Sacræ Scripturæ auctoritatibus quibus generaliter dicitur, neminem esse qui non peccet, aut fuerit sine peccato: iuxta illud Ioannis 1. capit. 1. vbi dicitur: *Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et Iacobi 3. etiam habetur, *quod in multis offendimus omnes,* quinvero & Christus Dominus Matth. 6. docens nos orare, absque delectu & discrimine statuit vt diceremus: *Dimitte nobis debita nostra.* Quam orationem (vtpote ab eodem traditam) Beatam Virginem frequenter dixisse (vt videtur) negabit nullus. Qua ratione Concilium Meleuitanum canone 6. & 8. expresse diffiniuit, *neminem esse sine peccato:* propterea vere omnes posse dicere orationem prædictam: *dimitte nobis debita nostra.* Quæ propositiones vniuersales cum sint, vniuersaliter

saliter (inquiunt) etiam sunt intelligendæ, & in vniuersalitate sua comprehendunt etiam sacram Virginem.

Hæc sunt argumenta quæ ab hæreticis adducuntur, siue pro hac parte possunt adduci: quibus tamen non obstantibus, in contrarium est veritas, quæ & explicabitur per sequentes Conclusiones.

Prima Conclusio.

FIRMA fide tenendum est, Virginem sacram nunquam actualiter peccasse, necdum mortaliter, verum etiam nec venialiter. Hæc conclusio generalis est omnium Doctorum Catholicorum resolutio, tàm antiquorum quàm recentiorum. Et illam tenet Diuus Thomas 3. parte quæst. 27. art. 4. & in 3. dist. 3. quæst. 2 art. 3. & dist. 13. quæst. 1. art. 2. quæst. 1. & in 4. dist. 6. quæst. 1. a. 1. quæst. 2. & multis alijs in locis. Et idem docuerunt semper omnes eiusdem interpretes, in prædictam 3. p. quæst. 27. art. 4. & specialiter Caietanus, & generaliter omnes Scolastici Doctores, Diuus Bonauentura, Ricardus, Paludanus & Durandus, Ochan, Gabriel & Almain, in 3. sent. dist. 3. Et ex Iunioribus tenent eandem conclusionem Cordnua lib. 1. sui Quæstionarij quæst. 44. in principio, conclusione prima: Vega libro 14. in Concilio Tridentino cap. 18. Canisius lib. 1. de Maria Deipara, cap. 20. Bellarminus lib. 1. de amissione gratiæ & statu peccati, cap. 6. §. *est autem hoc loco obseruandum*. Frater Ioannes de Ouando in 3. dist. 3. quæst. 1. art. 2. F. Franciscus de Pitigianis ibidem, quæst. 1. art. 13. dicto 1. & 2. Valentia 4. tomo disp. 2. quæst. 1. puncto 3. Suarez secūdo tomo ad tertiam partem, disp. 4. sect. 4. Vazquez 2. tomo ad eandem tertiam partem, disp. 120. cap. 1. post principium num. 2. Salas tomo 1. ad 1. 2. Diui Thomæ, quæst. 88. tract. 13. disp. 10. sect. 2. Petrus Morales lib. 3. de Christo & Virgin. Deipara, tract. 4. conclus. 2. ac tandem insignis Paiba lib. 5. defensionis Tridentinæ fidei, pagina 351. Et (quod credam) nullus est Doctorum Catholicorum Scholasticorum, tàm antiquorum quàm recentiorum, qui in conclusione prædicta non conueniat, vno excepto Gregorio de Arimino, qui in 3. sentent. dist. 30. quæst. 2. art. 1. ad finem, admittendum esse dixit in Virgine sacra peccatum aliquod veniale, motus (vt supradiximus) ex doctrina Diui Augustini, quia dixit quod nullus hominum habuit originale, qui grandioris ætatis effectus, non habuerit etiam actuale. Quod quidem argumentum solummodo potest vrgere eos qui in B. Virgine peccatum admittunt originale. Apud omnes tamen alios Doctores Catholicos (vno excepto Gregorio prædicto) vnanimi consensu receptissimum est, semperque fuit, Beatam Virginem nullum vnquam peccatum habuisse actuale, necdum mortale, verum etiam nec veniale. Quæ veritas tanquam de fide diffinita est à Cōcilio Tri-

Firma fide tenendū est, Virginem sacram nunquam actualiter peccasse, necdum mortaliter, verum nec etiam venialiter.

dentino Sessione 6. de iustificatione canone 23. sequentibus verbis: *Si quis dixerit hominem posse in tota vita peccata omnia (etiam venialia) vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

Difficultas. An veritas prædicta sit iā adhuc diffinita?

Circa quæ prædicta verba insurgit difficultas, an per ea ita sit diffinitum de fide, Beatam Virginem in omni vita sua nullum actuale peccatum commisisse, vt oppositum dicere omninò sit hæreticum?

Prima opinio.

Qua quidem de re sunt duæ opiniones. Prima est quorundam quos refert Corduua loco vbi supra, asserentium quod proprie & stricte loquendo id nondum est hæreticum, bene tamen large seu largo modo loquendo. Probant suam sententiam quoad primam partem, quoniam talis puritas non habetur expressa in sacra Scriptura, neque per bonam consequentiam, ex ea deducitur. Quoad secundam vero partem probant eandem sententiam, ex eo quod vniuersalis Ecclesia celebrat & prædicat Beatam Virginem ab omni peccato actuali fuisse immunem: ex quo colligitur, quod quamvis proprie & stricte loquendo oppositum dicere non sit hæreticum, bene tamen largo modo.

Secunda opinio, verior & tenenda.

Sed secunda est aliorum sententia, & verior atque tenenda, asserentium, quod oppositum dicere sit hęreticum, & manifestus error contra fidem, pro eo quod veritas hæc sit iam à Concilio Tridentino loco prædicto diffinita. Hoc tenet Medina in tertiam partem D. Thomæ quæst. 27. art. 4 in prima conclusione, & in confirmationem suæ sententiæ, dicit quod Romæ olim Concionator quidam qui contrarium prædicauit, coactus fuit sententiam suam tanquam errorem contra fidem publice recantare. Huic etiam sententiæ adhærere videtur Suarez loco vbi supra tomo 1. ad tertiam partem disp. 4. sect. 4. dum ait oppositam sententiam esse ab Ecclesia reiectam & damnatam: contrariam vero esse de fide, & vt talem supponi à Concilio Tridentino in supradictis verbis, *quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia.* Quod etiam tenet Vazquez secundo tomo ad tertiam partem disp. 120 cap. 1. post principium. Et tanquam certissimum ipsum supponit Vega lib. 14. in Concilio Tridentino cap. 18. allegans in id Concilium Claramontanum sub Vrbano Secundo. Quod quidem Cōcilium, modo licet inter alia Concilia non reperiatur, sufficit tamen quod Concilium Tridentinum loco vbi supra, supradicta verba dixerit. Licet enim ibi id directe non diffinierit (quia non hoc intendebat principaliter) satis tamen est quod illud indirecte diffinierit, & ad duxerit in exemplum, eius quod directe & principaliter diffinire intendebat: nempe neminem posse in tota vita peccata omnia (etiam venialia) vitare, nisi ex speciali priuilegio: nam cū addiderit subsequētia verba, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema

ma sit, sufficienter colligitur, quod oppositum dicere sit hæresis, siue error manifestus.

Ad rationem vero adductam pro prima opinione respondetur, quod quamvis hæc veritas in Scriptura Sacra non habeatur expresse, bene tamen ex multis eiusdem locis per bonam consequentiam potest deduci, vt patebit ex statim dicendis in secunda conclusione. Et addo quod ad hoc vt Ecclesia veritatem prædictam diffinierit, sufficientissimus fuit totius vniuersalis Ecclesiæ consensus, licet vnus aut alter dubitauerit: de quo quidem consensu satis constat, postquã multo ante Concilium Tridentinum prædictum, Concilium Basiliense Sessione 36. illam vt de fide tenendam diffiniuit. Nam quamvis tempore illius diffinitionis, eiusmodi Concilium fuerit Acephalum (hoc est sine capite) ac propterea eius diffinitio nõ fuerit legitima, vt tanquam de fide teneatur: sufficiens fuit ad hoc vt ex illa constaret de supradicto Ecclesiæ consensu.

Secunda Conclusio.

QVOD Virgo sacra nunquam actualiter peccauerit (needum mortaliter, verum nec etiam venialiter) quamvis in Scriptura sacra non habeatur expresse, satis tamen efficaciter ex eadem deducitur, & est nimium conforme communi doctrinæ Sanctorum Patrum. Hæc conclusio probatur quoad primam partem, ex illis verbis Angeli ad Beatam Virginem Lucæ 1. *Aue gratia plena*. Ex quibus omnes communiter Sancti Patres colligunt, Virginẽ sacram post Christum, gratiæ plenitudinem habuisse, cum qua gratiæ plenitudine haudquaquam esse potuit aliquod, quantumvis minimum peccatum. Vt enim constat ex principijs philosophiæ, plenitudo formæ habentis contrarium, ipsum contrarium à subiecto omnino & totaliter excludit.

Quod Virgo sacra nunquã actualiter peccauerit, nec dum mortaliter, verum etiam nec venialiter quamvis in Scriptura Sacra non habeatur expresse: satis efficaciter ex eademdeducitur & est nimiũ conforme communi doctrinæ Sanctorum Patrum.

Secundò deducitur eadem veritas, ex illis verbis Genes. 3. dictis ad dæmonem in figura serpentis: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius, ipsa conteret caput tuum.* Quæ verba vt tradit Canisius lib. 5. de Maria Deipara cap. 9. communior Sanctorũ Patrum sententia de Virgine sacra interpretatur, & in eo quod dicitur, *ipsa conteret caput tuum*, capitis nomine intelligendum est peccatũ, per quod diabolus prædictus omnibus hominibus dominabatur. Cõtriuit autem Virgo sacra dæmonis caput, non solum quia concepit & peperit Christum qui adeò illum expugnauit, verum etiam vincendo omni ex parte peccatum, quod (vt inquit Diuus Augustinus) tũc omni ex parte vincitur, cum (nullum etiam minimum) committitur.

Tertio eadem probatur conclusio, ex illis verbis Canticorum 4.

Tota pulchra es amica mea, tota pulchra es, & macula non est in te. Quæ verba de Virgine sacra interpretatur Ecclesia, & communis doctrina Sanctorum Patrum. Dicitur autem semel & iterum tota pulchra, & quod macula in ea non fuit; quia in corpore & anima semper fuit formosa & pulchra, absque vlla vitij siue peccati labe, & quia pro tota vita sua, sine vlla prorsus culpa permansit.

Probatur modo conclusio quoad secundam partem, nempe quod id ipsum de ea dicere, nimium sit conforme communi doctrinæ Sanctorum Patrum. Et primo ex Diuo Augustino lib. de natura & gratia, cap. 76. tomo 7. cuius sunt quæ sequuntur expressa verba, agendo contra Pelagium. *Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur habere volo quæstionem: inde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quod concipere ac parere meruit, eum quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos & Sanctas, &c. consulas, omnes dicturi sunt cum Ioanne 1. cap. 1. si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Nec vllo modo negare possunt hæretici, prædicta Diui Augustini verba in fauorem esse sacræ Virginis, postquam prolata sunt contra Pelagium, asserentem posse hominem in hac vita sine vllo peccato viuere, idque per naturæ vires: ad quod afferebat plures Sanctos & Sanctas, qui in hac vita sine peccato vixerunt: inter quos sacram etiam numerauit Virginem. Cui respondet Augustinus admittendo id quod dixit de Beata Virgine, negando vero de alijs, neque quidem dubitando sed affirmando, & cum scientiæ certitudine: Virgini sacræ pre cæteris sanctis specialiter fuisse concessum, vt omni ex parte vinceret peccatum, quod (vt dixi) tunc omni ex parte vincitur, cum non solum mortale superatur, verum etiam & veniale, quantumvis minimum.

Id ipsum etiam probatur ex Origine Homil. 1. ex varijs locis collecta, tomo secundo pag. 449. vbi Beatam Virginem Mariam vocat, *dignam digni, immaculatam sancti & immaculati*, & pag. 500. eam appellat: *Plenissimam sanctitate, perfectam iustitiam, Regis cælestis domum immaculatam.* Ac tandem pag. 501. ait; *Eam nec persuasione serpentis deceptam, nec venenosis eius afflatibus fuisse infectam.* Quæ omnia satis clare monstrant eandem omni prorsus actuali culpa caruisse; alias enim neque immaculata posset dici, nec præseruata a deceptione, & venenosis antiqui serpentis afflatibus: nam qui actualiter peccat, à diabolo decipitur, & sua tentatione & venenoso afflatu inficitur, dum eidẽ consentit. Probatur præterea id ipsum, ex sententia Theodoreti lib. 3. in Cantic. tomo 1. pag. 351. vbi per illam vnam columbam genitrici suæ electã, quam & Reginæ & concubinæ omnes laudauerunt: intelligit Beatam Virginem, quam immaculatissimam vocat, & ad finem commenti

docet

docet, inter animas omnium hominum qui saluantur, vnam esse solã electam columbam, scilicet Beatam Virginem, quæ (vt ibidem ait) puritate Cherubin atque Seraphin antecellit. Cum autem Angeli ita sint puri vt semper innocentes fuerint, bene sequitur de sententia Theodoreti, Virginem sacram semper innocentem fuisse, & expertem omnis (etiam minimi) peccati actualis.

Etiam probatur conclusio ex Diuo Hieronymo super Psalm. 77. tomo 7. explicans illa verba: *Et eduxit eos in nube diei*: vbi per nubem diei intelligit Beatam Virginem: *Quæ* (inquit) *pulchre dicitur nubes diei, quia nubes illa nunquam fuit in tenebris, sed semper in luce*. Ex quibus verbis satis colligitur intentum, nempe quod Virgo sacra nunquam actuale peccatum commisit (necdum mortale) verum etiam nec veniale. Ad quod probandum & confirmandum, quammaxime etiam faciunt omnes Sanctorum Patrum auctoritates, quas supra quæstione 18. adduximus, ad probandum & confirmandum eandem minime contraxisse peccatum originale: quas consulto referre prætermittimus, vt ne eadem semel & iterum repetamus.

Solummodo superest respondere ad argumenta Hæreticorum. Et ad primũ de dubitatione in salutatione Angeli, dico sacram Virginem in eo facto, non solum non dubitasse, verum etiam teste Diuo Ambrosio lib. 2. de Abraham cap. 8. tantam fidei perfectionem ostẽdisse, vt eiusdem Abrahæ fidem longe superauerit. Nam verba illa: *Quomodo fiet istud?* non quidem dubitationis fuerunt, sed prudentis interrogationis. & vt rem certam supponendo factum, modum quo id ipsum faciendum erat inquisiuit. Cum enim filij conceptio castitatis voto à se facto esse videretur contraria, ad se pertinere putauit, interrogare quis futurus esset modus talis conceptionis, & quid officij in eo negotio ipsa esset prestitura. Quod & planissime cõfirmatur ex eo quod Virgini sacræ eidem Beata Elisabeth dixit, Lucæ 1. *Beata quæ credidisti*; si Beata fuit Virgo sacra quia credidit, non igitur in fide dubitauit? Confirmatur secundo ex facto Zachariæ Patris Sãcti Ioannis Baptistæ, qui ibidem reprehensus fuisse dicitur ab Angelo, & pœna ablationis loquellæ punitus, propter incredulitatem & dubitationem quam habuit de promissa sibi prole: non sic autem sacra Virgo, quod quidem euidentissimum argumentum est, quod ipsa in fide minime dubitauit. Videantur quæ circa huius argumenti solutionem latissime dicit Suarez, tomo secundo in tertiam partem dis. 4. sect. 3. §. *respõdetur*, & Ægidius lib. 4. quæst. 1. art. vnico num. 55. §. *soluitur primum argumentum*, vbi adinuenire licebit ex multiplici Sanctorum Patrum doctrina, omnia quæ ad hoc propositum possunt desiderari.

Respõdetur ad argumenta hæreticorum.

Ad primum.

Ad secundum argumentum, quo eadem sacra Virgo ob puerum perditum peccato negligentiæ arguitur, facile respondetur in eo hæ-

Ad secundum.

reticorum impietatem quammaxime conuinci: postquam Euangelium ipsum ibidem eiusmodi negligentiam in eo excusat, dum dicit, *& non cognouerunt parentes eius, existimantes illum esse in comitatu*. De qua existimatione, & causa quam Virgo sacra habuit in id ipsum, similiter & de responsione pueri Iesu (quam heretici prædicti increpationem vocant) videatur supradictus Suarez loco vbi supra, §. *secundo accusant Beatam Virginem*, & Ægidius loco etiam vbi supra num. 84. §. *Ad quantum fundamentum ex historia de puero perdito*.

Ad tertium. Ad tertium argumentum, quo etiam obijcitur eidem sacræ Virgini, quod humana ambitione miraculum fieri à filio expostulauerit, respondetur, in ea Virginis petitione nullũ omninò ambitionis fuisse signum, sed potius eximiæ suæ fidei & charitatis, vt postmodum effectus probauit, postquam filius ipse matris suæ petitionem exaudiuit, quod nulla ratione credendum est fieret, si eiusdem petitio ex ambitione profecta fuisset. De quo & de responsione facta Beatæ Virgini, videatur supradictus Suarez loco vbi supra, disp. 4. sect. 4. §. *secundo obijcitur*, & Ægidius loco vbi supra num. 57. §. *ad tertium fundamentum, ex illis verbis, vinum non habent*, vbi doctissime & cumulatissime, ex multiplici Sanctorum Patrum doctrina Virgo sacra ab eiusmodi noxa eripitur & liberatur.

Ad quartum. Ad quartum argumentum, quo etiam obijcitur eidem sacræ Virgini, quod humana ambitione Christum Dominum publice prædicantem interpellauerit: respondetur in toto illo facto nullum esse imprudentiæ siue ambitionis indicium, quod possit ad culpam imputari, non solum Beatæ Virgini, verum etiam neque alijs Christi fratribus qui ipsum quærebant: fieri enim potuit vt eundem bono animo & conuenienti modo quærerent, & casu accidisse vt alij stantes, & Christum audientes, importune illum alloquerentur. Quocirca nulla omninò subest ratio, specialem aliquam culpam Beatæ Virgini inrogandi, cum Euangelistæ non dicant ipsam Christum vocasse siue interpellasse, sed turbam vel fratres Domini, quos sicut accusare non oportet, ita neque excusare necesse est, vt ad notauit Diuus Augustinus tract. 28 in Ioannem. Vnde quamuis demos Christi verba ibidẽ adducta reprehensionem aliquam continere, non tamen propterea existimandum est illam ad Virginem sacram fuisse directam, sed vel ad turbam vel ad fratres, si illa digni fuerunt: Præterquam quod & dici potest, eiusmodi verba non tam reprehensionis fuisse, quam instructionis, vt astantibus indicaret propter carnaliter coniunctos opus Dei non esse intermittendum, vt docet Augustinus lib. de fide contra Manicheum, & Diuus Bernardus sermone secundo Dominicæ primæ Epiphaniæ: vel indicare etiam voluit, cum Christo sanguinis coniunctionem, sine spirituali non prodesse, hanc vero per se semper multum valere. Videatur hac de re Suarez loco vbi supra disp. 4. sect. 4.

sect. 4. §. *tertio obijcitur*, & Ægidius loco etiam vbisupra, num. 74. §. *ad quartum fundamentum ex verbis Matthæi 12. Lucæ 8. & Marci 3.*

Ad quintum argumentum, quo etiam sacræ Virgini obijcitur, quod in morte filij sui in fide defecerit: respondetur temere & sine fundamento eiusmodi Simeonis verba in falsum illum sensum detorqueri: nam Christi gladius (non quidem infidelitatis siue dubitationis fuit) sed doloris: quia eiusdem mors Virginis animam summo dolore affecit. De quo argumento & multis ad illud expectantibus, videatur Suarez loco vbisupra, disp. 4. sect. 3. §. *tertio obijciunt*, & Ægidius loco etiam vbisupra, num. 48. §. *ad secundum fundamentum ex verbis Simeonis, Lucæ 2.* vbi multa eaque notatu dignissima licebit adinuenire. *Ad quintum.*

Ad sextum & vltimum argumentum, deductum ex Sacræ Scripturæ auctoritatibus, quibus generaliter dicitur neminem esse qui nõ peccet, aut fuerit sine peccato: facile respondetur, dicendo (vt pluries iam dictum est) eiusmodi generales loquutiones non excludere sacræ Virginis priuilegium, neque illam in ipsis comprehendi, sicut neque vbi de peccato originali actum est, Concilium Tridentinum Sessione 6. cap. vltimo, in eiusmodi decreto voluit ipsam fuisse comprehensam. Videatur etiam hac de re Suarez loco vbisupra disp. 4. sect. 4. §. *obiectiones vero nonnullæ*, vbi latissime explicat, qualiter prædicta sacra Virgo exprimere optime potuit illa Dominicæ orationis verba, *Dimitte nobis debita nostra* (non quidem pro se) sed pro vniuersali Ecclesia: pro se autem de beneficijs acceptis gratias agendo, & eorundem perpetuam durationem postulando. Videatur etiam Ægidius loco vbisupra, §. *ad sextum & vltimum fundamentum*. Quæ pro hac quæstione dicta sufficiant. *Ad sextum.*

QVÆST. XXXVIII.

In qua resolutorie per conclusiones, ponuntur omnia quæ in prædicto tractatu siue libro, pro tuenda Immaculata Deiparæ Virginis Mariæ Conceptione ab omni prorsus originali labe, continentur.

Prima Conclusio.

FIRMA tenendum est fide, esse quoddam primum Adami primi nostri parentis peccatum, quod ab eo omnes per carnalem propa- *Esse quoddam originale pec-*

catum, quod omnes homines naturaliter contrahūt per originem.

propagationem, siue seminalem rationem descendentes, naturaliter contrahunt per originē. Quāvis quod eiusmodi peccatū in posteros traducatur, qualiterve fuerit traductū: seclussa reuelatione & fide, & nisi Deus illud manifestasset, ex sola naturali ratione constare haudquaquam posset, neque ex solis naturalibus principijs. Hæc Conclusio sufficientissime manet probata, in quastione prima, Conclusio prima & secunda.

Secunda Conclusio:

In quo constat formalis ratio prædicti originalis peccati?

PRÆDICTVM originale peccatum, formaliter loquendo consistit in illo præuaricationis actu, quo Adamus primus noster parens, pro se simul & nobis diuinam legem siue pactum violauit: ex quo subinde consequitur priuatio originalis iustitiæ sibi ac nobis debitæ: quamvis non improbabiliter possit etiam dici, eiusdem formalem rationem in priuatione prædictæ originalis iustitiæ debitæ in esse consistere: cum connotatione voluntariæ culpæ, qua supradictus Adamus sibi & nobis iustitiam eandem amisit: dummodo eiusmodi priuatio originalis iustitiæ accipiatur per modum actus, non vero per modum habitus, siue termini. Hæc etiam Conclusio satis constat ex dictis, in quastione secunda, conclusio prima & secunda.

Tertia Conclusio.

Peccatum originale prædictum, veram & propriam habet rationē peccati & culpæ.

PECCATVM prædictum originale, quod ab Adamo primo nostro parente in posteros per originem, siue naturalem propagationem transfunditur, veram & propriam habet rationem culpæ & peccati, ac proinde & voluntarij, & contrarium dicere non esse videtur in fide tutum: & quamvis non sit voluntarium per modum actus secundi, sed per modum actus primi, seu termini derelicti ex actuali volitione Adami, & est nihilominus in paruulis vnicuique proprium, à quo vere realiter & formaliter, & intrinseca denominatione (nec solum extrinsece) dicuntur peccatores. Hæc etiam Conclusio satis constat ex dictis in quæstione tertia, conclusio prima, secunda, tertia & quarta.

Quarta Conclusio:

Quāvis de peccato originali prædicto, nullum sit exemplum, quod adæquate & aperte explicet ipsius rationē voluntarij, plu

QVAMVIS nullum sit exemplum, quod adæquate, aperte & omni ex parte perfecte explicet prædictum de peccato originali mysterium secretum, & ipsius voluntarium: ex his tamen quæ à Doctoribus sanctis & Scholasticis communiter adducuntur, non nulla sunt quæ in eiusdem cognitionem nos quasi manu ducunt, ac veri-

veritatem prædictam persuadere possunt, quamvis ex sola Sacra Scriptura perfecta ipsius habeatur notitia. Hæc etiam Conclusio constat ex dictis in supradicta quæstione tertia, conclusione quinta, vbi & ex exemplis prædictis nonnulla adducuntur quæ potissima fuere visa.

ra tamen sunt quæ in id nos veluti manu ducunt, & ex sacra Scriptura perfecta habetur eiusdem notitia.

Quinta conclusio.

AD hoc vt Adami primi nostri parentis peccatum in posteros deriuaretur, ipsisque ad culpam imputari posset, non sat fuit quod fuisset eorundem caput quantum ad esse naturale: quinvero vlterius necessario requisitum fuit, vt esset etiam caput quantum ad esse morale, & in id ipsum à Deo Optimo Maximo constitutus, per aliquod pactũ, expressum siue explicitum quidem ex parte Dei, implicitum autem & virtuale saltim, ex parte ipsius Adami. Hæc etiam Conclusio satis constat ex dictis in quæstione quarta, conclusio prima & secunda.

Ad hoc vt prædictum originale peccatum in posteros diriuaretur, necessum fuit quod aliquod præcesserit pactum expressum, aut saltim implicitum.

Sexta Conclusio.

QVOD ex pacto siue contractu prædicto, inter Deum & Adamum primum nostrum parentem inito, debitum contrahẽdi originale peccatum fuerit exortum, negari potest minime. Est autem eiusmodi debitum obligatio siue necessitas quædam illud contrahendi, resultans in posteros ex Adami peccato, ipsoq; posterior: qua obligatione omnes ab eo descendentes (dum concipiuntur) vere & proprie dicuntur astricti. Hæc etiam conclusio satis cõstat ex dictis in quæstione quinta, conclusio prima & secũda. vbi & in tertia dicitur, quod eiusmodi debitum est duplex, aliud quidem remotum, aliud vero proximum, & qualiter id ipsum sit intelligendum explicatur multipliciter.

Ex pacto prædicto resultauit debitum contrahendi originale peccatũ, estq; illud duplex, aliud remotum, aliud vero proximum.

Septima Conclusio.

PECCATVM actuale Adami primi nostri parentis, quatenus fuit capitis in esse morali, in posteros transfunditur, & fuit causa nostri originalis peccati: non quidem physica, sed moralis, & per modum causæ efficientis moralis, media quadam morali resultantia: ad quod necessario fuit requisita naturalis generatio, facta virtute seminis ab eodem immediate vel mediate decisi (non quidẽ vt productio talis peccati) sed vt productio talis subiecti, cum debito siue necessitate habendi ipsum, ob carentiam siue priuationem supradictæ debitæ originalis iustitiæ. Hæc etiam conclusio satis constat ex dictis in quæstione sexta, conclusione 1. & 2.

Peccatum actuale Adami nostri parentis, quatenus fuit capitis in esse morali, est, quod in posteros transfunditur.

Octaua Conclusio.

Quamuis ad hoc vt tota natura humana per originale peccatum (quod sufficientiam) dicatur maculata & infecta, necessaria non fuerit actualis hominum multiplicatio: bene tamen quoad efficaciam.

QVAMVIS ad hoc vt tota natura humana per originale peccatum (quoad sufficientiam) diceretur maculata & infecta, necesseria nō fuerit actualis hominū multiplicatio, bene tamē quoad efficatiam. Vnde & aliud est naturam humanam fuisse infectam & maculatam, ex Adami primi nostri parentis peccato quoad sufficientiam, aliud vero ipsum actu contrahi in executione quoad efficatiā. Hæc etiam conclusio constat satis ex dictis in supradicta quæstione sexta, concl. 5. vbi & ponuntur quædam notabilia siue corolaria quæ ex eadem resultant notatu dignissima.

Nona Conclusio.

Originale peccatū, quod in Adami posteros transfunditur, fuit illud idem quod ipse commisit quamuis circa ipsius motiuū quod nam fuerit, sit inter Doctores differentia.

CERTISSIME tenendum est loquendo de facto, quod Adami primi nostri parentis peccatum quod originaliter nunc in eiusdem posteros transfunditur, fuit illud idem quod ipse commisit transgrediendo impositum sibi à Deo præceptum, de non comedendo de ligno vetito: quo nihilominus non obstante, haud improbabiliter potest dici, quod ipsius initium siue motiuum suæ transgresionis fuerit superbia, & quod si Adam ante illud peccatū aliud mortale commisisset, per ipsum etiam iustitiam originalem amisisset. Hæc conclusio constat ex dictis in quæstione septima, conclusio 1. 2. & 3.

Decima Conclusio.

Originale peccatū tanquam in causa, primo fuit in Adam à quo in omnes suos posteros deriuatur, secundario tanquā in instrumento fuit, & est in humano semine, naturæ communicationē attingēte.

LOQVENDO de peccato originali prædicto tanquam in causa, certissimum etiam est, in Adamo primo nostro parēte primum & principaliter fuisse, à quo exinde in omnes suos posteros ab eo per rationem seminalem descendentes deriuatur per originem. Quo nihilominus non obstante, dici etiam potest, tanquam in causa instrumentali esse in humano semine, naturæ humanæ communicationem attingente, cum per eiusdem virtutem eiusmodi originale peccatum simul cum ipsa natura, in omnes prædicti Adæ posteros deriuetur. Hæc etiam conclusio satis constat ex dictis in quæstione octaua, conclusione prima & secunda.

Vndecima Conclusio.

Originale peccatū secundum id quod in eo veram habet

LOQVENDO de originali peccato prædicto, secundum suā propriam formalem rationem, & secundum id quod in eo veram habet rationem culpæ, nullo modo dici potest quod sit in carne, siue

siue in corpore tanquam in subiecto, sed solummodo in anima: non quidem immediate in eiusdem essentia (quamvis & ipsa sit subiectum quod) sed media voluntate, qua tanquam subiecto quo, animæ essentia & substantia illud participat. Hæc conclusio satis constat ex his quæ dicuntur in prædicta quæstione octaua, conclusione tertia & quarta.

rationem culpæ, non est in carne, sed in anima, non quidem immediate, sed media voluntate.

Duodecima conclusio.

SALVA fide nullatenus potest negari, quod peccato originali prædicto aliqua correspondeat pœna, spiritualis necnon temporalis, in præsenti vel futuro sæculo exsoluenda, loquendo de pœna etiam proprie & in rigore: quamvis paruuli ex hoc mundo cum solo originali peccato sine baptismo decedentes, similiter & amentes, in futuro sæculo non puniantur aliqua pœna ignis siue sensus, sed solummodo patiantur pœnam damni, quæ est diuinæ visionis carentia. Hæc conclusio satis constat ex his quæ dicuntur in quæstione nona, concl. 1. & 2. In cuius fine etiã resoluitur difficultas, an paruuli ex prædicta damni pœna quam patiuntur, tristentur, & aliquo spirituali dolore efficiantur?

Salua fide nullatenus negari potest, quod peccato originali aliqua correspondeat pœna spiritualis, necnõ & temporalis, in hoc vel futuro sæculo exsoluenda.

Decimatertia conclusio.

QVAMVIS firma fide tenendum sit, omnes homines ex Adam per carnalem generationem, & rationem seminalem descendentes, peccatum contrahere originale, dum actu concipiuntur, haudquaquam hæc generalis regula propter speciales rationes locum habet in sacra Virgine. Aliquem vero alium præter ipsam à contractione originalis peccati prædicti excipere: quamvis aperte non sit hæreticum, erit tamen plusquam temerarium, & erroneum in fide. Hæc conclusio satis constat ex his quæ dicuntur in quæstione decima, concl. 1. 2. & 3.

Quamvis firma fide tenẽdum sit, omnes ex Adam per carnalem generationem descendentes peccatum contrahere originale: hæc tamen generalis regula propter specialem rationẽ non locum habet in sacra Virgine.

Decimaquarta conclusio.

QVAMQVAM Virgo sacra originale peccatum actu minime contraxerit, iuxta tamen communiorem opinionem dicendum videtur, quod in Adamo primo nostro parente originaliter siue habitualiter peccauerit, quamvis & contrariũ dicere, non omnino esse appareat improbabile. Hæc conclusio satis constat ex his quæ dicuntur in quæstione vndecima, conclus. prima, secunda & tertia.

Quãvis sacra Virgo actu non cõtraxerit peccatũ originale, dici tamen potest, quod in Adam originaliter siue habitualiter peccauit, quamvis & id possit negari.

Deci-

dentino Sessione 6. de iustificatione canone 23. sequentibus verbis: *Si quis dixerit hominem posse in tota vita peccata omnia (etiam venialia) vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

Difficultas. An veritas prædicta sit iã ast u dissinita?

Circa quæ prædicta verba insurgit difficultas, an per ea ita sit diffinitum de fide, Beatam Virginem in omni vita sua nullum actuale peccatum commisisse, vt oppositum dicere omninò sit hæreticum?

Prima opinio.

Qua quidem de re sunt duæ opiniones. Prima est quorundam quos refert Corduua loco vbisupra, asserentium quod proprie & stricte loquendo id nondum est hæreticum, bene tamen large seu largo modo loquendo. Probant suam sententiam quoad primam partem, quoniam talis puritas non habetur expressa in sacra Scriptura, neque per bonam consequentiam, ex ea deducitur. Quoad secundam vero partem probant eandem sententiam, ex eo quod vniuersalis Ecclesia celebrat & prædicat Beatam Virginem ab omni peccato actuali fuisse immunem: ex quo colligitur, quod quamvis proprie & stricte loquendo oppositum dicere non sit hæreticum, bene tamen largo modo.

Secunda opinio, verior & tenenda.

Sed secunda est aliorum sententia, & verior atque tenenda, asserentium, quod oppositum dicere sit hæreticum, & manifestus error contra fidem, pro eo quod veritas hæc sit iam à Concilio Tridentino loco prædicto diffinita. Hoc tenet Medina in tertiam partem D. Thomæ quæst. 27. art. 4 in prima conclusione, & in confirmationem suæ sententiæ, dicit quod Romæ olim Concionator quidam qui contrarium prædicauit, coactus fuit sententiam suam tanquam errorem contra fidem publice recantare. Huic etiam sententiæ adhærere videtur Suarez loco vbisupra tomo 2. ad tertiam partem disp. 4. sect. 4. dum ait oppositam sententiam esse ab Ecclesia reiectam & damnatam: contrariam vero esse de fide, & vt talem supponi à Concilio Tridentino in supradictis verbis, *quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia.* Quod etiam tenet Vazquez secundo tomo ad tertiam partem disp. 120 cap. 1. post principium. Et tanquam certissimum ipsum supponit Vega lib. 14. in Concilio Tridentino capitu. 18. allegans in id Concilium Claramontanum sub Vrbano Secundo. Quod quidem Cōcilium, modo licet inter alia Concilia non reperiatur, sufficit tamen quod Concilium Tridentinum loco vbisupra, supradicta verba dixerit. Licet enim ibi id directe non diffinierit (quia non hoc intendebat principaliter) satis tamen est quod illud indirecte diffinierit, & ad duxerit in exemplum, eius quod directe & principaliter diffinire intendebat: nempe neminem posse in tota vita peccata omnia (etiam venialia) vitare, nisi ex speciali priuilegio: nam cū addiderit subsequētia verba, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema

na sit, sufficienter colligitur, quod oppositum dicere sit hæresis, siue error manifestus.

Ad rationem vero adductam pro prima opinione respondetur, quod quamvis hæc veritas in Scriptura Sacra non habeatur expresse, bene tamen ex multis eiusdem locis per bonam consequentiam potest deduci, vt patebit ex statim dicendis in secunda conclusione. Et addo quod ad hoc vt Ecclesia veritatem prædictam diffinierit, sufficientissimus fuit totius vniuersalis Ecclesiæ consensus, licet vnus aut alter dubitauerit: de quo quidem consensu satis constat, postquã multo ante Concilium Tridentinum prædictum, Concilium Basiliense Sessione 36. illam vt de fide tenendam diffiniuit. Nam quamvis tempore illius diffinitionis, eiusmodi Concilium fuerit Acephalum (hoc est sine capite) ac propterea eius diffinitio nõ fuerit legitima, vt tanquam de fide teneatur: sufficiens fuit ad hoc vt ex illa constaret de supradicto Ecclesiæ consensu.

Secunda Conclusio.

Quod Virgo sacra nunquã actualiter peccauerit, nec dum mortaliter, verum etiam nec venialiter quamuis in Scriptura Sacra non habeatur expresse: satis efficaciter ex ea demdeducitur & est nimiũ conforme communi doctrina Sanctorum Patrum.

QVOD Virgo sacra nunquam actualiter peccauerit (needum mortaliter, verum nec etiam venialiter) quamvis in Scriptura sacra non habeatur expresse, satis tamen efficaciter ex eadem deducitur, & est nimium conforme communi doctrinæ Sanctorum Patrum. Hæc conclusio probatur quoad primam partem, ex illis verbis Angeli ad Beatam Virginem Lucæ 1. *Aue gratia plena.* Ex quibus omnes communiter Sancti Patres colligunt, Virginem sacram post Christum, gratiæ plenitudinem habuisse: cum qua gratiæ plenitudine haudquaquam esse potuit aliquod, quantumvis minimum peccatum. Vt enim constat ex principijs philosophiæ, plenitudo formæ habentis contrarium, ipsum contrarium à subiecto omnino & totaliter excludit.

Secundo deducitur eadem veritas, ex illis verbis Genes. 3. dictis ad dæmonem in figura serpentis: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius, ipsa conteret caput tuum.* Quæ verba vt tradit Canisius lib. 5. de Maria Deipara cap. 9. communior Sanctorũ Patrum sententia de Virgine sacra interpretatur, & in eo quod dicitur, *ipsa conteret caput tuum*, capitis nomine intelligendum est peccatũ, per quod diabolus prædictus omnibus hominibus dominabatur. Cõtriuit autem Virgo sacra dæmonis caput, non solum quia concepit & peperit Christum qui adeo illum expugnauit, verum etiam vincendo omni ex parte peccatum, quod (vt inquit Diuus Augustinus) tũc omni ex parte vincitur, cum (nullum etiam minimum) committitur.

Tertio eadem probatur conclusio, ex illis verbis Canticorum 4.

Tota

Tota pulchra es amica mea, tota pulchra es, & macula non est in te. Quæ verba d. Virgine sacra interpretatur Ecclesia, & communis doctrina Sanctorum Patrum. Dicitur autem semel & iterum tota pulchra, & quod macula in ea non fuit: quia in corpore & anima semper fuit formosa & pulchra, absque vlla vitij siue peccati labe, & quia pro tota vita sua, sine vlla prorsus culpa permansit.

Probatur modo conclusio quoad secundam partem, nempe quod id ipsum de ea dicere, nimium sit conforme communi doctrinæ Sanctorum Patrum. Et primo ex Diuo Augustino lib. de natura & gratia, cap. 76. tomo 7. cuius sunt quæ sequuntur expressa verba, agendo contra Pelagium. *Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur habere volo quæstionem: inde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quod concipere ac parere meruit, eum quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos & Sanctas, &c. consulas, omnes dicturi sunt cum Ioanne 1. cap. 1. si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Nec vllo modo negare possunt hæretici, prædicta Diui Augustini verba in fauorem esse sacræ Virginis, postquam prolata sunt contra Pelagium, asserentem posse hominem in hac vita sine vllo peccato viuere, idque per naturæ vires: ad quod afferebat plures Sanctos & Sanctas, qui in hac vita sine peccato vixerunt: inter quos sacram etiam numerauit Virginem. Cui respondet Augustinus admittendo id quod dixit de Beata Virgine, negando vero de alijs, neque quidem dubitando sed affirmando, & cum scientiæ certitudine: Virgini sacræ præ cæteris sanctis specialiter fuisse concessum, vt omni ex parte vinceret peccatum, quod (vt dixi) tunc omni ex parte vincitur, cum non solum mortale superatur, verum etiam & veniale, quantumvis minimum.

Id ipsum etiam probatur ex Origine Homil. 1. ex varijs locis collecta, tomo secundo pag. 449. vbi Beatam Virginem Mariam vocat, *dignam digni, immaculatam sancti & immaculati,* & pag. 500. eam appellat: *Plenissimam sanctitate, perfectam iustitiam, Regis cælestis domum immaculatam.* Ac tandem pag. 501. ait: *Eam nec persuasione serpentis deceptam, nec venenosis eius afflatibus fuisse infectam.* Quæ omnia satis clare monstrant eandem omni prorsus actuali culpa caruisse; alias enim neque immaculata posset dici, nec præseruata a deceptione, & venenosis antiqui serpentis afflatibus: nam qui actualiter peccat, à diabolo decipitur, & sua tentatione & venenoso afflatu inficitur, dum eidē consentit. Probatur præterea id ipsum, ex sententia Theodoreti lib. 3. in Cantic. tomo 1. pag. 351. vbi per illam vnam columbam genitrici suæ electā, quam & Reginæ & concubinæ omnes laudauerunt: intelligit Beatam Virginem, quam immaculatissimam vocat, & ad finem cōmenti

doceт

docet, inter animas omnium hominum qui saluantur, vnam esse solã electam columbam, scilicet Beatam Virginem, quæ (vt ibidem ait) puritate Cherubin atque Seraphin antecellit. Cum autem Angeli ita sint puri vt semper innocentes fuerint, bene sequitur de sententia Theodoreti, Virginem sacram semper innocentem fuisse, & expertem omnis (etiam minimi) peccati actualis.

Etiam probatur conclusio ex Diuo Hieronymo super Psalm. 77. tomo 7. explicans illa verba: *Et eduxit eos in nube diei*: vbi per nubem diei intelligit Beatam Virginem: *Quæ* (inquit) *pulchre dicitur nubes diei, quia nubes illa nunquam fuit in tenebris, sed semper in luce*. Ex quibus verbis satis colligitur intentum, nempe quod Virgo sacra nunquam actuale peccatum commisit (necdum mortale) verum etiam nec veniale. Ad quod probandum & confirmandum, quammaxime etiam faciunt omnes Sanctorum Patrum auctoritates, quas supra quæstione 18. adduximus, ad probandum & confirmandum eandem minime contraxisse peccatum originale: quas consulto referre prætermittimus, vt ne eadem semel & iterum repetamus.

Solummodo superest respondere ad argumenta Hæreticorum. Et ad primũ de dubitatione in salutatione Angeli, dico sacram Virginem in eo facto, non solum non dubitasse, verum etiam teste Diuo Ambrosio lib. 2. de Abraham cap. 8. tantam fidei perfectionem ostẽdisse, vt eiusdem Abrahæ fidem longe superauerit. Nam verba illa: *Quomodo fiet istud?* non quidem dubitationis fuerunt, sed prudentis interrogationis, & vt rem certam supponendo factum, modum quo id ipsum faciendum erat inquisiuit. Cum enim filij conceptio castitatis voto à se facto esse videretur contraria, ad se pertinere putauit, interrogare quis futurus esset modus talis conceptionis, & quid officij in eo negotio ipsa esset prestitura. Quod & planissime cõfirmatur ex eo quod Virgini sacræ eidem Beata Elisabeth dixit, Lucæ 1. *Beata quæ credidisti*; si Beata fuit Virgo sacra quia credidit, non igitur in fide dubitauit? Confirmatur secundo ex facto Zachariæ Patris Sãcti Ioannis Baptistæ, qui ibidem reprehensus fuisse dicitur ab Angelo, & pœna ablationis loquellæ punitus, propter incredulitatem & dubitationem quam habuit de promissa sibi prole: non sic autem sacra Virgo, quod quidem euidentissimum argumentum est, quod ipsa in fide minime dubitauit. Videantur quæ circa huius argumenti solutionem latissime dicit Suarez, tomo secundo in tertiam partem dis. 4. sect. 3. §. *respõdetur*, & Ægidius lib. 4. quæst. 1. art. vnico num. 3 5. §. *soluitur primum argumentum*, vbi adinuenire licebit ex multiplici Sanctorum Patrum doctrina, omnia quæ ad hoc propositum possunt desiderari.

Respõdetur ad argumenta hæreticorum.

Ad primum.

Ad secundum argumentum, quo eadem sacra Virgo ob puerum perditum peccato negligentiæ arguitur, facile respondetur in eo hæ-

Ad secundum.

reti-

reticorum impietatem quammaxime conuinci: postquam Euangelium ipsum ibidem eiusmodi negligentiam in ea excusat, dum dicit, *& non cognouerunt parentes eius, existimantes illum esse in comitatu*. De qua existimatione, & causa quam Virgo sacra habuit in id ipsum, similiter & de responsione pueri Iesu (quam hæretici prædicti increpationem vocant) videatur supradictus Suarez loco vbi supra, §. *secundo accusant Beatam Virginem*, & Ægidius loco etiam vbi supra num. 84. §. *ad quartum fundamentum ex historia de puero perdito*.

Ad tertium. Ad tertium argumentum, quo etiam obijcitur eidem sacræ Virgini, quod humana ambitione miraculum fieri à filio expostulauerit, respondetur, in ea Virginis petitione nullũ omninò ambitionis fuisse signum, sed potius eximiæ suæ fidei & charitatis, vt postmodum effectus probauit, postquam filius ipse matris suæ petitionem exaudiuit; quod nulla ratione credendum est fieret, si eiusdem petitio ex ambitione profecta fuisset. De quo & de responsione facta Beatæ Virgini, videatur supradictus Suarez loco vbi supra, disp. 4. sect. 4. §. *secundo obijcitur*, & Ægidius loco vbi supra num. 57. §. *ad tertium fundamentum, ex illis verbis, vinum non habent*, vbi doctissime & cumulatissime, ex multiplici Sanctorum Patrum doctrina Virgo sacra ab eiusmodi noxa eripitur & liberatur.

Ad quartum. Ad quartum argumentum, quo etiam obijcitur eidem sacræ Virgini, quod humana ambitione Christum Dominum publice prædicantem interpellauerit, respondetur in toto illo facto nullum esse imprudentiæ siue ambitionis indicium, quod possit ad culpam imputari, non solum Beatæ Virgini, verum etiam neque alijs Christi fratribus qui ipsum quærierunt: fieri enim potuit vt eundem bono animo & conuenienti modo quærerent, & casu accidisse vt alij stantes, & Christum audientes, importune illum alloquerentur. Quo circa nulla omnino subest ratio, specialem aliquam culpam Beatæ Virgini irrogandi, cum Euangelistæ non dicant ipsam Christum vocasse siue interpellasse, sed turbam vel fratres Domini, quos sicut accusare non oportet, ita neque excusare necesse est, vt ad notauit Diuus Augustinus tract. 28. in Ioannem. Vnde quamvis demus Christi verba ibidẽ adducta reprehensionem aliquam continere, non tamen propterea existimandum est illam ad Virginem sacram fuisse directam, sed vel ad turbam vel ad fratres, si illa digni fuerunt. Prætereaquam quod & dici potest, eiusmodi verba non tam reprehensionis fuisse, quam instructionis, vt astantibus indicaret propter carnaliter coniunctos opus Dei non esse intermittendum, vt dicit Augustinus lib. de fide contra Manicheum, & Diuus Bernardus sermone secundo Dominicæ primæ Epiphaniæ; vel indicare etiam voluit, cum Christo sanguinis coniunctionem sine spirituali non prodesse, hanc vero per se semper multum valere. Videatur hac de re Suarez loco vbi supra disp. 4. sect. 4.

sect. 4. §. *tertio obijcitur*, & Ægidius loco etiam vbisupra, num. 74. §. *ad quartum fundamentum ex verbis Matthæi 12. Lucæ 8. & Marci 3.*

Ad quintum argumentum, quo etiam sacræ Virgini objicitur, quod in morte filij sui in fide defecerit: respondetur temere & sine fundamento eiusmodi Simeonis verba in falsum illum sensum detorqueri: nam Christi gladius (non quidem infidelitatis siue dubitationis fuit) sed doloris: quia eiusdem mors Virginis animam summo dolore affecit. De quo argumento & multis ad illud expectantibus, videatur Suarez loco vbisupra, disp. 4. sect. 3. §. *tertio obijciunt*, & Ægidius loco etiam vbisupra, num. 48. §. *ad secundum fundamentum ex verbis Simeonis, Luca 2.* vbi multa eaque notatu dignissima licebit adinuenire. *Ad quintum.*

Ad sextum & vltimum argumentum, deductum ex Sacræ Scripturæ auctoritatibus, quibus generaliter dicitur neminem esse qui nō peccet, aut fuerit sine peccato: facile respondetur, dicendo (vt pluries iam dictum est) eiusmodi generales loquutiones non excludere sacræ Virginis priuilegium, neque illam in ipsis comprehendi, sicut neq; vbi de peccato originali actum est, Concilium Tridentinum Sessione 6. cap. vltimo, in eiusmodi decreto voluit ipsam fuisse comprehensam. Videatur etiam hac de re Suarez loco vbisupra disp. 4. sect. 4. §. *obiectiones vero nonnullæ*, vbi latissime explicat, qualiter prædicta sacra Virgo exprimere optime potuit illa Dominicæ orationis verba, *Dimitte nobis debita nostra* (non quidem pro se) sed pro vniuersali Ecclesia: pro se autem de beneficijs acceptis gratias agendo, & eorundem perpetuam durationem postulando. Videatur etiam Ægidius loco vbisupra, §. *ad sextum & vltimum fundamentum*. Quæ pro hac quæstione dicta sufficiant. *Ad sextum.*

QVÆST. XXXVIII.

In qua resolutorie per conclusiones, ponuntur omnia quæ in prædicto tractatu siue libro, protuenda Immaculata Deiparæ Virginis Mariæ Conceptione ab omni prorsus originali labe, continentur.

Prima Conclusio.

FIRMA tenendum est fide, esse quoddam primum Adami primi nostri parentis peccatum, quod ab eo omnes per carnalem propa- *Esse quoddam originale pec-*

catum, quod omnes homines naturaliter contrahunt per originem.

propagationem, siue seminalem rationem descendentes, naturaliter contrahunt per originē. Quāvis quod eiusmodi peccatū in posteros traducatur, qualitercunque fuerit traductū, sed clussa reuelatione & fide, & nisi Deus illud manifestasset, ex sola naturali ratione constare haudquaquam posset, neque ex solis naturalibus principijs. Hæc Conclusio sufficientissime manet probata, in quæstione prima, Conclusio prima & secunda.

Secunda Conclusio:

In quo constat formalis ratio prædicti originalis peccati?

PRÆDICTVM originale peccatum, formaliter loquendo consistit in illo præuaricationis actu, quo Adamus primus noster parens, pro se simul & nobis diuinam legem siue pactum violauit: ex quo subinde consequitur priuatio originalis iustitiæ sibi ac nobis debitæ: quamvis non improbabiliter possit etiam dici, eiusdem formalem rationem in priuatione prædictæ originalis iustitiæ debitæ in esse consistere: cum connotatione voluntariæ culpæ, qua supradictus Adamus sibi & nobis iustitiam eandem amisit: dummodo eiusmodi priuatio originalis iustitiæ accipiatur per modum actus, non vero per modum habitus, siue termini. Hæc etiam Conclusio satis constat ex dictis, in quæstione secunda, conclusio prima & secunda.

Tertia Conclusio.

Peccatum originale prædictum, veram & propriam habet rationē peccati & culpæ.

PECCATVM prædictum originale, quod ab Adamo primo nostro parente in posteros per originem, siue naturalem propagationem transfunditur, veram & propriam habet rationem culpæ & peccati, ac proinde & voluntarij, & contrarium dicere non esse videtur in fide tutum: & quamvis non sit voluntarium per modum actus secundi, sed per modum actus primi, seu termini derelicti ex actuali volitione Adami, & est nihilominus in paruulis vnicuique proprium, à quo vere realiter & formaliter, & intrinseca denominatione (nec solum extrinsece) dicuntur peccatores. Hæc etiam Conclusio satis constat ex dictis in quæstione tertia, conclusio prima, secunda, tertia & quarta.

Quarta Conclusio:

Quāvis de peccato originali prædicto, nullum sit exemplum, quod adæquate & aperte explicet ipsius rationē voluntarij, plu-

QVAMVIS nullum sit exemplum, quod adæquate, aperte & omni ex parte perfecte explicet prædictum de peccato originali mysterium secretum, & ipsius voluntarium: ex his tamen quæ à Doctoribus sanctis & Scholasticis communiter adducuntur, non nulla sunt quæ in eiusdem cognitionem nos quasi manu ducunt, ac veri-

veritatem prædictam persuadere possunt, quamvis ex sola Sacra Scriptura perfecta ipsius habeatur notitia. Hæc etiam Conclusio constat ex dictis in supradicta quæstione tertia, conclusione quinta, vbi & ex exemplis prædictis nonnulla adducuntur quæ potissima fuere visa.

ra tamen sunt quæ in id nos veluti manu ducunt, & ex sacra Scriptura perfecta habetur eiusdem notitia.

Quinta conclusio.

AD hoc vt Adami primi nostri parentis peccatum in posteros deriuaretur, ipsisque ad culpam imputari posset, non sat fuit quod fuisset eorundem caput quantum ad esse naturale: quinvero vlterius necessario requisitum fuit, vt esset etiam caput quantum ad esse morale, & in id ipsum à Deo Optimo Maximo constitutus, per aliquod pactũ, expressum siue explicitum quidem ex parte Dei, implicitum autem & virtuale saltim, ex parte ipsius Adami. Hæc etiam Conclusio satis constat ex dictis in quæstione quarta, conclusio prima & secunda.

Ad hoc vt prædictum originale peccatum in posteros diriuaretur, necessum fuit quod aliquod præceserit pactum expressum, aut saltim implicitum.

Sexta Conclusio.

QVOD ex pacto siue contractu prædicto, inter Deum & Adamum primum nostrum parentem inito, debitum contrahendi originale peccatum fuerit exortum, negari potest minime. Est autem eiusmodi debitum obligatio siue necessitas quædam illud contrahendi, resultans in posteros ex Adami peccato, ipsoq; posterior: qua obligatione omnes ab eo descendentes (dum concipiuntur) vere & proprie dicuntur astricti. Hæc etiam conclusio satis cõstat ex dictis in quæstione quinta, conclusio prima & secũda. vbi & in tertia dicitur, quod eiusmodi debitum est duplex, aliud quidem remotum, aliud vero proximum, & qualiter id ipsum sit intelligendum explicatur multipliciter.

Ex pacto prædicto resultauit debitum contrahendi originale peccatũ, estq; illud duplex, aliud remotum, aliud vero proximum.

Septima Conclusio.

PECCATVM actuale Adami primi nostri parentis, quatenus fuit capitis in esse morali, in posteros transfunditur, & fuit causa nostri originalis peccati: non quidem physica, sed moralis, & per modum causæ efficientis moralis, media quadam morali resultantia: ad quod necessario fuit requisita naturalis generatio, facta a virtute seminis ab eodem immediate vel mediate decisi (non quidẽ vt productio talis peccati) sed vt productio talis subiecti, cum debito siue necessitate habendi ipsum, ob carentiam siue priuationem supradictæ debitæ originalis iustitiæ. Hæc etiam conclusio satis constat ex dictis in quæstione sexta, conclusione 1. & 2.

Peccatum actuale Adami nostri parentis, quatenus fuit capitis in esse morali, est quod in posteros trãsfunditur.

Octaua Conclusio.

Quamvis ad hoc vt tota natura humana, per originale peccatum (quoad sufficientiã) dicatur maculata & infecta, necesse non fuerit actualis multiplicatio: bene tamen quoad efficaciam.

QVAMVIS ad hoc vt tota natura humana per originale peccatum (quoad sufficientiam) diceretur maculata & infecta, necesseria nõ fuerit actualis hominũ multiplicatio, bene tamẽ quoad efficatiam. Vnde & aliud est naturam humanam fuisse infectam & maculatam, ex Adami primi nostri parentis peccato quoad sufficientiam, aliud vero ipsum actu contrahi in executione quoad efficatiã. Hæc etiam conclusio constat satis ex dictis in supradicta quæstione sexta, concl. 3. vbi & ponuntur quædam notabilia siue corolaria quæ ex eadem resultant notatu dignissima.

Nona Conclusio.

Originale peccatũ, quod in Adami posteros transfunditur, fuit illud idem quod ipse commisit quamvis circa ipsius motiuũ quodnam fuerit, sit inter Doctoris differentia.

CERTISSIME tenendum est loquendo de facto, quod Adami primi nostri parentis peccatum quod originaliter nunc in eiusdem posteros transfunditur, fuit illud idem quod ipse commisit transgrediendo impositum sibi à Deo præceptum, de non comedendo de ligno vetito: quo nihilominus non obstante, haud improbabiliter potest dici, quod ipsius initium siue motiuum suæ transgresionis fuerit superbia, & quod si Adam ante illud peccatũ aliud mortale commisisset, per ipsum etiam iustitiam originalem amisisset. Hæc conclusio constat ex dictis in quæstione septima, conclusio 1. 2. & 3.

Decima Conclusio.

Originale peccatũ tanquam in causa, primo fuit in Adam à quo in omnes suos posteros deriuatur, secundario tanquã in instrumento fuit, & est in humano semine, naturæ communicationẽ attingẽte.

LOQVENDO de peccato originali prædicto tanquam in causa, certissimum etiam est, in Adamo primo nostro parẽte primum & principaliter fuisse, à quo exinde in omnes suos posteros ab eo per rationem seminalem descendentes deriuatur per originem. Quo nihilominus non obstante, dici etiam potest, tanquam in causa instrumentali esse in humano semine, naturæ humanæ communicationem attingente, cum per eiusdem virtutem eiusmodi originale peccatum simul cum ipsa natura, in omnes prædicti Adæ posteros deriuetur. Hæc etiam conclusio satis constat ex dictis in quæstione octaua, conclusione prima & secunda.

Vndecima Conclusio.

Originale peccatũ secundum id quod in eo veram habet

LOQVENDO de originali peccato prædicto, secundum suam propriam formalem rationem, & secundum id quod in eo veram habet rationem culpæ, nullo modo dici potest quod sit in carne, siue

siue in corpore tanquam in subiecto, sed solummodo in anima: non quidem immediate in eiusdem essentia (quamvis & ipsa sit subiectum quod) sed media voluntate, qua tanquam subiecto quo, animæ essentia & substantia illud participat. Hæc cõclusio satis constat ex his quæ dicuntur in prædicta quæstione octaua, conclusione tertia & quarta.

rationem culpæ, non est in carne, sed in anima, non quidem immediate, sed media voluntate.

Duodecima conclusio.

SALVA fide nullatenus potest negari, quod peccato originali prædicto aliqua correspondeat pœna, spiritualis necnon temporalis, in præsenti vel futuro sæculo exsoluenda, loquendo de pœna etiam proprie & in rigore: quamvis paruuli ex hoc mundo cum solo originali peccato sine baptismo decedentes, similiter & amentes, in futuro sæculo non puniantur aliqua pœna ignis siue sensus, sed solummodo patiantur pœnam damni, quæ est diuinæ visionis carentia. Hæc conclusio satis constat ex his quæ dicuntur in quæstione nona, concl. 1. & 2. In cuius fine etiã resoluitur difficultas, an paruuli ex prædicta damni pœna quam patiuntur, tristentur, & aliquo spirituali dolore efficiantur?

Salua fide nullatenus negari potest, quod peccato originali aliqua correspondeat pœna spiritualis, nec nõ & temporalis, in hoc vel futuro sæculo exsoluenda.

Decimatertia conclusio.

QVAMVIS firma fide tenendum sit, omnes homines ex Adam per carnalem generationem, & rationem seminalem descendentes, peccatum contrahere originale, dum actu cõcipiuntur, haudquaquam hæc generalis regula propter speciales rationes locum habet in sacra Virgine. Aliquem vero alium præter ipsam à contractione originalis peccati prædicti excipere; quamvis aperte non sit hæreticum, erit tamen plusquam temerarium, & erroneum in fide. Hæc conclusio satis constat ex his quæ dicuntur in quæstione decima, concl. 1. 2. & 3.

Quamvis firma fide tenẽdum sit, omnes ex Adam per carnalem generationem descend. tes peccatum contrahere originale: hæc tamen generalis regula propter specialem rationẽ non locum habet in sacra Virgine.

Decimaquarta conclusio.

QVAMQVAM Virgo sacra originale peccatum actu minime contraxerit, iuxta tamen communiorem opinionem dicendum videtur, quod in Adamo primo nostro parente originaliter siue habitualiter peccauerit, quamvis & contrariũ dicere, non omnino esse appareat improbabile. Hæc conclusio satis constat ex his quæ dicuntur in quæstione vndecima, conclus. prima, secunda & tertia.

Quãvis sacra Virgo actu non cõtraxerit peccatũ originale, dici tamen potest, quod in Adam originaliter siue habitualiter peccauit, quamvis & id possit negari.

Deci-

Decimaquinta Conclusio.

Quãvis Virgo sacra actu in Adamo non peccauerit, negari tamen non potest, quod habuit peccandi debitum, saltim remotum, non vero proximum in sua persona.

QVAMVIS eadem sacra Virgo (vt prædictum est) actu in Adamo primo nostro parente non peccauerit, haud quaquam tamen est negandum, fuisse in ea originaliter peccandi debitum (saltim remotum) ortum ex conditione suæ naturę, non vero concedendum est proximum in propria sua persona. Hæc conclusio etiam satis constat ex dictis in quæstione duodecima, conclus. 1. 2. 3. & 4.

Decimasexta conclusio.

Quibus vijs defendi possit, quod Virgo sacra fuit à peccato originali præseruata, & ab ipsius actuali contractione?

SVSTINENDO sententiam piam, quod Virgo sacra ab originali peccato fuerit præseruata, fieri id debet duplici via, vel eximendo illam à pacto inter Deum & Adamum inito, siue cõmuni lege, sibi suisque posteris imposita: vel dicendo quod quamvis ibidem fuerit comprehẽsa, ac proinde originaliter peccandi contraxerit debitum: fuit tamen ab eiusdem actuali contractione diuinitus præseruata ex speciali priuilegio, per gratiã in primo suæ Conceptionis instanti sibi collatam, quæ præuenit causam, & impediuit originalis maculæ resultantiam. Hæc conclusio satis manet probata, ex his quæ dicta sunt in quæstione decimatertia, conclusione prima & secunda.

Decimaseptima conclusio.

Dicere sacram Virginem ab originali peccato fuisse præseruatã, haud quaquã sacris litteris, fide, vel principijs repugnat, nec vero cõtrariũ affirmare: sed vtraq; sententia est probabilis, quousq; contrarium diffiniatur.

DICERE sacrã Virginem ab originalis peccati labe prorsus fuisse præseruatam, haudquaquam sacris litteris, fide ve principijs repugnat, nec vero contrarium affirmare: ac proinde prædictarum sententiarum neutra est de fide, nec hæretica potest dici, aut mortaliter peccare qui illam defenderit. Hæc conclusio satis constat, ex his quæ dicta sunt in quæstione decimaquarta, conclusione prima, vbi & ad litteram adducuntur omnes Summorum Pontificum Constitutiones & Extrauagantes, quæ hac de re agunt.

Decimaoctaua conclusio.

Qua pœna veniat puniendi, qui asserunt prædictarũ

QVI asseuerit prædictarum sententiarum alteram esse de fide, & consequenter hæreticum siue mortaliter peccare eum qui contrariam defenderit, præter excommunicationem

latæ sententiæ soli Sedi Apostolicæ reseruatam quam ipso facto incurrit, puniendus erit pro eo quod dixerit assertionem falsam, temerariam, erroneam, & à veritate prorsus alienam: & specialiter intelligendum est de eo, quid id ipsum dixerit de sententia pia, quæ defendit sacræ Virginis Conceptionē immaculatam. Hæc Conclusio constat ex his quæ latissime dicuntur in supradicta quæstione decimaquarta, conclusione secunda, vbi diffinitur & determinatur multipliciter, qua plectendi veniant pœna omnes ausu temerario eiusmodi assertiones proferentes.

sententiarum, alteram esse de fide, & contrariam hæreticam, aut mortaliter peccare qui illam defenderit.

Decimanona conclusio.

PROPOSITIONES Sacræ Scripturæ vniuersales, dicentes omnes ab Adamo per rationem seminalem descendentes peccatum contrahere originale, intelligendæ quidem sunt (necdum secundum figuram) verum etiam & secundum sensum: nec solummodo de debito contrahendi illud, verum etiam & de facto: at non de vniuersalitate Logica, nec vero solū de morali, sed de legali, quæ ex sua ratione non excludit (quinvero includit) potestatē legislatoris, ac proinde neque cōtrariātur priuilegio sacræ Virgini concesso, de sua immunitate ab omni prorsus peccato originali. Hæc conclusio satis constat ex dictis in supradicta quæstione decimaquarta, dubitatione quarta, vbi omnes eiusdem termini dilucide satis explicantur, & elucidantur.

Qualiter sint intelligenda propositiones vniuersales, dicentes omnes ex Adam per carnalem propagationē descendentes peccatum contrahere originale?

Vigesima conclusio.

VIRGINEM sacrā ab omni originali peccato fuisse præseruatam, haudquaquam obstat quominus vere & proprie (quinvero propijssime & perfectissime) per Christi Domini sanguinem fuerit redempta. Licet enim cōmune omniū hominum redemptionis genus, liberatiuum atque subleuatiuum sit à peccati macula iam actu existenti: redemptio tamen præseruatiua (iuxta Sacræ Scripturæ phrasim) haudquaquam negari potest, quod non solum abusiue, verum etiam vere & proprie dicatur talis. Hæc Conclusio constat ex his quæ dicuntur quæstione decimaquinta, conclusione prima & secunda.

Virginem sacram ab originale peccato fuisse præseruatam, haudquaquā obstat, quominus vere & proprie per Christi sanguinem fuerit redempta.

Vigesimaprima conclusio.

DICERE sacram Virginē ab originali peccato fuisse præseruatam (si res penitus introspiciatur) sacris litteris sane in

Dicere Virginem sacram ab origin...

 intel-

In peccato fuisse præseruatam, sacris literis magis est consonum, quam oppositum.

tellectis multomagis est consonum quam oppositum. Hæc conclusio constat ex dictis in quæstione decimasexta, vbi & adducuntur quam plura Sacræ Scripturæ testimonia, quibus (si non expresse) satis tamen ad eorundem sensum conformiter, insinuatur Virginem Deiparam à peccato originali prædicto fuisse præseruatam.

Vigesimasecunda conclusio.

Dicere Virginem sacram ab originali peccato fuisse præseruatā, haudquaquam pugnat cum Conciliorum diffinitionibus, & Summorum Pontificum decretis.

SACRAM Virginem ab originali peccato fuisse præseruatam, nullo modo pugnat cum sacrorum Conciliorum diffinitionibus, Summorumve Pontificum decretis: quinvero id ipsum dicere quammaxime est ipsis consonum atque conforme. Hæc conclusio etiam constat ex dictis quæstione decimaseptima, vbi in eiusdem comprobationem quamplura adducta sunt Concilia sacra, & Summorum Pontificum decreta.

Vigesimatertia conclusio.

Dicere Virginē sacram ab originali peccato fuisse præseruatam, satis est consonum sententijs & cōmuni modo loquendi Sanctorum Patrum.

DICERE Virginē sacram ab originali peccato fuisse præseruatam, satis est consonum sententijs & communi modo loquendi Sanctorum Patrum: quinvero (si bene intelligantur ac debite explicentur) magis consonum quam oppositum. Hæc conclusio satis etiam constat ex dictis quæstione decimaoctaua, vbi & in eiusdem comprobationem adducuntur 76. Sanctorum Patrum testimonia, quibus expresse, aut saltim nimium ad eorundem mentem & sententiam conformiter, dicitur Virginem sacram à peccato originali fuisse præseruatam.

Vigesimaquarta Conclusio.

Dicere Virginē sacram ab originali peccato fuisse præseruatam, satis est etiam consonū sententijs, & communi modo loquendi Doctorum Scholasticorum, & expositorum.

VIRGINEM sacram ab originali peccato fuisse præseruatam, satis est etiam consonum sententijs & communi modo loquendi Doctorum Scholasticorum, necnon & expositiorum, & est sententia quæ magis modo viget in Scholis, & Vniuersitatibus cunctis. Hæc conclusio satis etiam constat ex dictis in quæstione decimanona, vbi & in eiusdem confirmationē adducuntur quamplures vtrorumque auctoritates, & Academiarum decreta & definitiones.

Vigesimaquinta Conclusio.

SACRÆ Virginis Conceptionis festum (si non generaliter in Ecclesijs omnibus) in quampluribus tamen est antiquissimum, neque improbabiliter (quinvero probabiliter nimis) potest dici, quod incepit à tempore Sanctorum Apostolorum: at in tota Ecclesia auctoritate Sedis Apostolicæ, cœpit à tempore Sixti IIII. anno Domini 1466. Hæc conclusio satis constat ex dictis quæstione vigesima in primo notabili, & in probatione primæ conclusionis, vbi & reperire licebit omnia quæ ad hoc propositum possunt desiderari.

Sacra Virginis Conceptionis festum à quo tempore in Ecclesia celebrari cœperit?

Vigesimasexta conclusio.

MINIME sustineri potest, Conceptionis festum quod hodie Ecclesia celebrat, referendum esse dûtaxat ad sacræ Virginis Conceptionem spiritualem, seu eiusdem sanctificationem in vtero, & non ad naturalem, materialem siue carnalem: & contrarium asserentes ipso sunt facto excommunicati, à qua excommunicatione ab alio quam à Romano Pontifice non possunt absolui. Hæc etiam conclusio satis constat ex dictis in supradicta quæstione vigesima, in probatione secundæ conclusionis, vbi & latissime referuntur & repelluntur omnes dicendi modi qui has super re adducuntur à viris Thomistis.

In quo sensu celebrat Ecclesia sacra Virginis Conceptionis festum?

Vigesimaseptima conclusio.

EX celebratione festi prædicti sanctæ & Immaculatæ Virginis Conceptionis, & indulgentijs quæ eidem intereßentibus à Summis Pontificibus conceduntur, satis efficax ac firmum argumentum desumi potest, ad probandum eandem ab originali peccato fuisse præseruatam: quamvis id ipsum hucusque non sit de fide, quamdiu per Ecclesiam aliud non fuerit diffinitum & determinatum. Hæc conclusio constat etiam ex dictis in supradicta quæstione vigesima, in probatione tertiæ conclusionis, vbi id ipsum probatur multis rationibus, & Sanctorum Patrum & Scholasticorum Doctorum auctoritatibus.

Ex celebratione festi sacræ Virginis Conceptionis, & indulgentijs quæ eidem intereßentibus cõcedũtur, satis efficax ac firmũ argumentũ desumi potest, ad eius immunitatem comprobandam.

Vigesimaoctaua conclusio.

EX institutione Religionis sacrarum Monialium sanctæ & Immaculatæ Conceptionis, & confirmatione suæ regulæ au-

Ex institutione religionis sacra

rum Monialium Conceptionis, & cõfirmatione sua Regula, satis etiam efficax, & firmum argumẽtũ desumi potest, ad Virginis immunitatem comprobandam.

ctoritate Apostolica, sub forma qua illam profitentur: satis etiam efficax ac firmum argumentum desumi potest, ad Virginis puritatem confirmandam, & probandum eandem ab omni originali peccato fuisse immunem. Hæc conclusio constat ex dictis quæstione vigesimaprima, conclusione vnica, vbi id ipsum rationibus & Doctorum Scholasticorum auctoritatibus comprobatur.

Vigesimanona conclusio.

Ex miraculis quę in huius veritatis comprobationem sunt patrata satis etiam firmũ & efficax argumentum ad idem desumi potest.

EX miraculis quæ in comprobationem Immaculatæ Virginis Conceptionis sunt patrata: satis etiam efficax ac firmum argumentum desumi potest, ad eandem veritatem confirmandam, & comprobandam. Hæc conclusio satis constat ex dictis quæstione vigesimasecunda, conclusione vnica, vbi id ipsum multis miraculis illustratur, & aliquorum Sanctorum Patrum, & Doctorum Scholasticorum auctoritatibus comprobatur.

Trigesima conclusio.

Ex reuelationibus etiam satis firmum, & efficax ad idem argumentum desumi potest.

EX reuelationibus etiam quæ multis retro sæculis, sanctis aliquibus sunt factæ, efficax ac firmum argumentum desumi potest ad sacræ Virginis puritatem, & eiusdem ab omni peccato originali immunitatem confirmandam & comprobandam. Hæc etiam conclusio satis constat ex dictis quæstione vigesimatertia, conclusione vnica, vbi id ipsum multis rationibus probatur, & reuelationibus illustratur.

Trigesimaprima conclusio.

Ex communi omnium fidelium cõsensu, satis etiã ad idẽ firmũ, & efficax argumẽtum desumi potest.

EX communi omnium fidelium consensu, satis etiam efficax ac firmum argumentum desumi potest, ad sacræ Virginis puritatem probandam, & eiusdem ab omni originalis peccati labe immunitatem confirmandam. Hæc etiam conclusio satis constat ex dictis quæstione vigesimaquarta, conclusione vnica, vbi id ipsum multis rationibus, & Doctorum Scholasticorum auctoritatibus comprobatur, & prædictus fidelium omnium consensus, per status omnes à maximo vsq; ad minimum, latissime atque euidentissime demonstratur.

(∴)

Trigesimasecunda conclusio.

SENTENTIA quæ dicit, Virginē sacram ab originali peccato fuisse præseruatam, est pia, secura atque probabilis, & cōtrarium absque quammaxima impietatis & temeritatis nota dici & affirmari minime potest: erit enim id valde scādalosum, & piarum aurium offensiuum, ac forsan seueriori & rigidiori censura dignum. Cum quo stat, quod sententia prædicta interim quod Ecclesia aliud non determinat non sit de fide, ita vt contraria censenda sit hæretica. Huius conclusionis veritas constat ex dictis quæstioni vigesimaquinta, conclusione prima & secunda, vbi id ipsum multis rationibus, & Doctorum Scholasticorum auctoritatibus comprobatur.

Sententia quæ dicit Virginem sacram ab originali peccato fuisse præseruatam, est pia, secura & probabilis, & contrarium absque impietatis, & temeritatis nota, non potest affirmari.

Trigesimatertia conclusio.

DVM sacra Romana Ecclesia Conceptionis festum sub titulo Immaculatæ præcepit, aut saltim celebrari permisisit: & in id ipsum fideles cunctos propositis indulgentiarum præmijs incitauit, facto suo sententiam piam (quamvis non vt de fide tenendam diffinierit atque determinauerit) saltim multo veriorem & probabiliorem quam contrariam ostendit, diiudicauit & declarauit. Hæc etiam conclusio constat ex dictis in supradicta quæstione vigesimaquinta, conclusio tertia, vbi id ipsum multis rationibus probatur, & Doctorum Scholasticorum auctoritatibus confirmatur.

Dum Ecclesia festum Sanctæ Conceptionis celebrari permittit, sententiam prædictā (quamvis non determinet) multo tamen veriorem, & probabiliorē esse ostendit, quā contrariam.

Trigesimaquarta conclusio.

QVAMVIS pia prædicta sententia, quæ Virginem sacram ab originali peccato liberat, omni ex parte (vt præmissum est) adeò existat qualificata Ecclesia tamen hactenus nō diffiniuit, determinauit aut declarauit illam ita esse veram, vt à parte rei non posit esse falsa: & iuxta presentem statum, contraria per Theologorum censuras, opinionis nomine fraudari minime potest. Hæc conclusio constat ex dictis etiam in supradicta quæstione vigesimaquinta, conclusione quarta & sexta, vbi id ipsum rationibus, & nonnulis Summorum Pontificum decretis & constitutionibus comprobatur.

Quamvis superius dicta vera sint, interim tamē quod Ecclesia aliud non determinat, sententia cōtraria opinionis nomine fraudari non potest.

Trigesimaquinta conclusio.

CONSIDERATO statu quem sententia pia in præsenti habet, non improbabiliter potest dici, illam ita esse veram, vt

Considerato statū quem sententia

pia de præsenti habet, non improbabiliter dici potest, illam ita esse veram, vt à parte rei (saltim moraliter loquendo) non possit esse falsa.

à parte rei (saltim moraliter loquendo) non possit esse falsa. Hæc conclusio probabiliter defenditur, & nonnulis rationibus & auctoritate quorundam grauissimorum Patrum comprobatur, in supradicta quæstione vigesimaquinta, conclusione quinta & septima, vbi & in fine dicitur qua censura digni sint, asserentes sententiam contrariam esse magis piam, magis tutam, aut magis probabilem.

Trigesimasexta conclusio.

Quod semper fuerit licitum Diuini Verbi concionatoribus, sentiã piam populo proponere, dum tamen non damnẽt contrariam, aut dicant suam tenẽdam esse de fide.

LICITVM est, fuitque semper cunctis Diuini Verbi concionatoribus, in suis sermonibus & quibuscunque locis publicis, sacræ Virginis puritatem, & eiusdem ab omni originali peccato immunitatem populo proponere, dicendo hanc sententiam esse piam, tutam, securam atque probabilem: quinvero magis piam, magis tutam, magis securam, & magis probabilem: vtpotè ab Ecclesia sancta Spiritus Sancti instinctu probatam, ac tot miraculis & reuelationibus confirmatam, rationibus & Sacræ Scripturæ testimonijs, necnon & Sanctorum Patrum auctoritatibus eandem probando, confirmando & corroborando: dum tamen sententiam oppositam non damnent, rationibusve scholastico more impugnent siue refellant, dicendo eam qui tenent crimen committere, aut mortaliter peccare, seu prædictam piam sententiam tenẽdam esse de fide. Hæc conclusio constat ex dictis quæstione vigesimasexta, in cuius comprobationem referũtur ad vnguem omnes omnium Summorum Pontificum constitutiones, & decreta quæ hac de re agunt: & propositis conclusionibus aliquibus, dicitur quid quolibet tempore hac super re asserere fuit licitum siue illicitum.

Trigesimaseptima conclusio.

Quid circa hanc quæstionem de sacra Virginis immunitate, licuerit olim Doctoribus Scholasticis in disputationibus, tempore Pij V. sitque prohibitum hodie à tempore Pauli V.

QVAMVIS à tempore Pij Quinti & deinceps, viris doctis & Doctoribus Scholasticis, in Academiarum disputationibus publicis, siue Capitulorum Generalium aut Prouincialium, vel aliàs vbi interessent personæ quæ rem capere possent, & scandali nulla subesset occasio: licitum fuerit de prædicta quæstione differere, & vtramlibet partem argumentis asserere, vel impugnare, dum tamen neutra veluti erronea reprobaretur: id tamen iam facere nullo modo licet, post vltimam Constitutionem Sanctissimi Domini nostri Pauli Quinti, expeditam in generali Congregatione, die 31. Augusti, anno Domini 1617. & contrarium facientes, & asserentes Virginem sacram in originali peccato fuisse cõceptam, ipso sunt facto excommunicati, & subijciuntur alijs pœnis

in dicta Constitutione contentis. Hæc etiam conclusio satis constat ex supradicta quæstione vigesima sexta, & maxime ex conclusione tertia, vbi & ad hoc propositum reperire licebit omnia quæ desiderari possunt.

Trigesimaoctaua conclusio.

PRÆDICTA de Immaculatæ Virginis Conceptione controuersia (quidquid nonnulli in contrariũ dicant) res est de se diffinibilis, & quæ ab Ecclesia (id ipsum si Sanctissimus D. N. expedire iudicauerit) optime potest diffiniri: quinvero grauissimorũ virorum iudicio, ad vitanda quamplurima eaque grauissima inconuenientia, mala, damna & scandala quæ in dies exoriuntur, summopere oportere vt determinetur & diffiniatur: & neque quidem id facere res erit vllo modo noua, sed tanto Patre, Pontifice, ac Pastore digna, & multis retrosæculis iam in Ecclesia vsitata. Hæc conclusio constat ex dictis quæstione vigesimaseptima, conclusione 1. 2. & 3. vbi id ipsum multis efficacissimis rationibus comprobatur, & plenissime fit satis argumentis omnibus, quæ in contrarium adducuntur traducive possunt.

Prædicta de Immaculata Virginis Cõceptione cõtrouersia, res est de se diffinibilis, & quæ grauissimorum virorum iudicio: summopere oportet vt determinetur & diffiniatur?

Trigesimanona conclusio.

IN casu quo controuersia prædicta dirimẽda sit, sententia quæ asserit Virginem sacram in originali peccato fuisse conceptam (vt videtur) nullo potest modo diffiniri, aut determinari: bene tamen illa quæ dicit ab eodem fuisse præseruatam. Hæc conclusio satis constat ex dictis quæstione vigesima octaua, conclusione prima & secunda, vbi id ipsum multis rationibus & Doctorum Scholasticorum auctoritatibus comprobatur.

Quænam prædictarum sententiarum diffinienda atque determinanda videatur, in casu quo id ipsum fieri debeat?

Quadragesima conclusio:

SENTENTIA quæ asserit Virginem sacrã ab originali peccato fuisse præseruatam, satis est diffinitioni & determinationi disposita (necdum remote) verum etiam & proxime. Hæc conclusio constat ex dictis quæstione vigesimanona, Conclusione prima & secunda, vbi id ipsum multis etiam rationibus, & Doctorum Scholasticorum auctoritatibus comprobatur.

Sententia pia satis esse videtur diffinitioni & determinationi disposita (necdũ remote) verum etiã & proxime.

Quadra

Quadragesimaprima Conclusio.

Ad diffinitionem & determinationem controuersiæ prædictæ, non esse videtur necessarium congregare Concilium, sed Summus Pontifex per se potest illud facere, cum Cardinalium & Peritorum consilio.

AD diffinitionem & determinationem controuersiæ prædictæ faciendam, non esse videtur necessarium congregare Cōcilium: quinvero extra ipsum (si S.D.N. placuerit) per se id ipsum optime efficere potest, cum Cardinalium & peritorum consilio. Hæc conclusio constat superque satis, ex dictis quæstione trigesima, vbi breuiter (sed compendiose atque resolutorie) fit sermo de Ecclesiæ, Summique Pontificis auctoritate & potestate, de Conciliorum vtilitate & necessitate: & fine in quem eiusmodi Concilia solent congregari, alijsque ad id ipsum spectantibus. Ac tandem efficacissimis rationibus probatur, haudquaquam esse necessarium congregare Concilium ad faciendam prædictam diffinitionem & determinationem.

Quadragesimasecunda Conclusio.

Ad hoc vt Summus Pontifex controuersiam prædictam in fauorem sententiæ piæ definiat, & determinet, sat esse videtur communis Ecclesiæ consensus.

AD hoc vt Summus Pontifex piam de Immaculatæ Virginis Conceptione sententiam, in eiusdem fauorem diffiniat & determinet, sufficere videtur communis Ecclesiæ consensus, qui & infallibilem veritatem continere videtur: quamvis eidem piæ sententiæ, nunc certo & infalibiliter non assentiatur, sed solummodo magis probabiliter, vsque ad eiusdem Summi Pontificis diffinitionē & determinationem. Hæc etiam conclusio constat ex dictis in supradicta questione trigesima, conclusione secunda, vbi id ipsum multis rationibus, & DD. Scholasticorum auctoritatibus comprobatur, fitque satis omnibus quæ in contrarium possunt adduci.

Quadragesimatertia Conclusio.

Nullatenus dicendum est, ex eo Virginem sacram originale peccatū non contraxisse, quia nō naturali modo, neq; ex carnali copula fuit concepta.

NVLLATENVS dicendum est, Virginem sacram originale peccatum non contraxisse, ex eo quod non naturali modo aut ex carnali copula fuerit concepta: sed ex eo quod in primo suæ Cōceptionis instanti, ex speciali Dei priuilegio acceperit præseruatiuam gratiam, impedientem omnem originalis peccati maculæ resultantiam. Hæc conclusio constat latissime, ex his quæ habentur quæstione trigesimaprima, vbi hac de re afferuntur & reprobantur varij dicendi modi, & tandem id quod dictum est, multis rationibus, & Doctorum Scholasticorum auctoritatibus cōprobatur.

Quadragesimaquarta Conclusio.

Qualem & quantam gratiam habuerit sacra Virgo, in primo suæ Conceptionis instanti,

QVAMVIS Virgo sacra in prædicta sua præseruatione, siue prima sanctificatione, non habuerit gratiæ plenitudinē consumatam, quam habitura erat postmodum in statu gloriæ, neque adeo

adeò intensam vt illam extraheret ab statu viatoris: simpliciter tamen & absolute concedendū est, post Christum Dominum eam accepisse gratiæ plenitudinem, cum qua nullus hominum siue Angelorum, vnquam possit, aut potuerit comparari. Hæc conclusio satis constat ex dictis quæstione trigesimasecunda, conclusione prima & secunda, vbi probabiliter & multum verisimiliter dictū est, Virginem prædictam in dicta sua præseruatione siue prima sanctificatione, ampliorem & intensiorem recepisse gratiam, quā fuerit suprema, in qua consumantur Angeli, siue homines.

Quadragesimaquinta conclusio.

CERTISSIMVM est, Virginem sacram in sua præseruatione, siue prima sanctificatione, simul cum gratia accepisse omnes virtutes per se infusas, & omnia Spiritus Sancti dona: ac probabilissimum quod in primo suæ Conceptionis siue sanctificationis Instanti, habuit perfectum actualem vsum rationis, & sanctissimæ Trinitatis mysterium cognouit, necnon & Incarnationis Filij Dei, quoad substantiam, quamvis non quoad omnes ipsius circunstantias. Hæc conclusio quoad primam partem, constat ex dictis quæstione trigesimatertia, cōclusione prima & secunda, & in tertia & quarta dicitur, eiusmodi rationis actum, non fuisse in ea transeuntem, sed permanentem, & sanctificatam fuisse in prædicto primo suæ Conceptionis instanti per propriam dispositionem. Quæ omnia multis rationibus, & Doctorum Scholasticorum auctoritatibus comprobantur.

Virgo sacra in primo sua Conceptionis instanti, simul cum gratia accepit omnes virtutes per se infusas & omnia Spiritus Sancti dona, & multa alia.

Quadragesimasexta conclusio.

MINIME negari potest, fuisse in sacra Virgine originalis iustitiæ effectus potissimos: quamvis non omnes ad statum Innocentiæ pertinentes, nec totam illam collectionem originalis iustitiæ, quæ olim fuit in Adamo primo nostro parente. Hæc conclusio satis constat ex dictis quæstione trigesimaquarta, vbi id ipsum rationibus, & Doctorum Scholasticorum auctoritatibus cōprobatur.

Virgo sacra habuit potissimos effectus originalis iustitia, & si non originalem iustitiā, ipsā qualiter fuit in Adam.

Quadragesimaseptima conclusio.

FIRMA fide tenendum est, Virginem sacram in sua præseruatione siue prima sanctificatione, perseuerantiæ donum accepisse, & gratiam semel acceptam nunquam amisisse, sed in eadem fuisse confirmatam. Hæc conclusio constat ex dictis quæstione trigesimaquinta, conclusione prima, vbi id ipsum rationibus, & Doctorum Scholasticorum auctoritatibus comprobatur. Et in sequen-

Virgo sacra in primo suaConceptionis instanti, habuit perseuerantia donū, & gratiā quā semel accepit nūquā ami

sisse, sed in eadē fuit confirmata. quentibus conclusionibus 2. & 3. ostenditur, ex per prædictā gratiam quam accepit, reddita fuerit impeccabilis.

Quadragesimaoctaua conclusio.

Virgo sacra nullum vnquam habuit peccati fomitem, neque quantum ad actum, neque quantum ad habitum.

STANDO in sententia Scoti, & tenendo quod Beata Virgo ab originali peccato fuerit præseruata, consequenter dicendū est, nullum vnquam in ea fuisse peccati fomitem, nec quantum ad actum, nec quantum ad habitum. Hæc conclusio satis constat ex dictis quæstione trigesimasexta, conclusio vnica, vbi id ipsum rationibus, & nonnullis aliquorum Doctorum Scholasticorum auctoritatibus comprobatur.

Quadragesimanona Conclusio.

Firma fide tenendum est, Virginē sacram nūquam actualiter peccasse, necdum mortaliter, verum etiā neque venialiter.

FIRMA fide tenendum est, Virginem sacram nunquā actualiter peccasse, necdū mortaliter, verum etiā nec venialiter. Hæc conclusio constat ex dictis quæstione trigesimaseptima, vbi id ipsum contra hæreticos apertissime monstratur, & multis rationibus & Doctorum Scholasticorum auctoritatibus comprobatur, & propositis eorundem hæreticorum in contrarium argumentis, congruentissime illis adhibentur solutiones.

Quinquagesima & vlt. Conclusio.

Quāuis in Scriptura Sacra expresse non habeatur, Virginem sacram nunquam actualiter peccasse, neque mortaliter, neque venialiter, est ipsi satis conforme, & doctrina communi Sanctorum Patrum.

QVAMVIS in Scriptura Sacra non expressé habeatur, quod Beata Virgo nunquam actualiter peccauerit, mortaliter aut venialiter: id tamen ex illa satis efficaciter deducitur: estque multum conforme communi doctrinæ & sententiæ Sanctorum Patrum, Vnde & meritissime Concilium Tridentinum, diffiniuit atque determinauit id ipsum tenendum esse de fide. Hæc conclusio satis constat ex dictis in prædicta quæstione trigesimaseptima, conclusione secunda, & multis sacræ Scripturæ testimonijs, & Sāctorum Patrum auctoritatibus comprobatur.

Assertiones prædictæ omnes, Immaculatæ Virginis auxilio, constantissime defendentur: & omnibus quæ in contrarium adduci possunt plenissime satisfiet.

(∴)

LAVS DEO.

 723

Quæstionũ quæ in hoc libro, pro tuenda Immaculata Deiparæ Virginis Mariæ Conceptione, ab omni prorsus originali labe, continentur.

 firmata?



INDEX

INDEX CONCLVSIONVM, ET PRAECIPVARVM SENTENTIARVM, QVAE IN HOC LIBRO PRO DEFENSIONE IMMACVLATAE Deiparæ Virginis Conceptionis continentur.

A.

prima

Chris-

C.

De

Pecca-

Scrip-

LAVS DEO.

[illegible]